37
1 C
27

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. TOBIÆ LOHNER
BIBLIOTHECA
MANUALIS CONCIONATORIA
ORDINE ALPHABETICO DIGESTA.

EDITIO NOVISSIMA

Ad commodiorem uſum in ſeptem Tomos diſtributa, cui nunc primum accedit

OPUSCULUM

INSTRUCTIO PRACTICA
DE MUNERE CONCIONANDI, EXHORTANDI, CATECHIZANDI.

TOMUS QUINTUS.

P=R

BASSANI MDCCLXXXVII.

PROSTANT

VENETIIS APUD REMONDINI.

Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.

Digitized by Google

To¢E022061
5: TO¢E022069

Digitized by Google

JESU CHRISTO,
VERBO DEI FILIO,
INCREATÆ PATRIS CÆLESTIS SAPIENTIÆ,
ÆTERNO DEI VERBO,
OMNIUM SCIENTIARUM FONTI UBERRIMO,
LIBRO VITÆ OMNIA PRÆDESTINATORUM NOMINA EXPRIMENTI,
BIBLIOTHECÆ OMNI SCIENTIARUM GENERE INSTRUCTISSIMÆ,
Ex qua S. Bonaventura omnem ſuam doctrinam ſe hauſiſſe confeſſus eſt,
cujus verba ſingula, apiceſque ſpiritus & vita ſunt,
In qua Originales S. SCRIPTURÆ & SS. PATRUM atque DOCTORUM Sententiæ,
Omnium Virtutum EXEMPLA perfectiſſima,
PARABOLÆ ET SIMILITUDINES,
Sine quibus non loquebatur ad Intellectum convincendum aptiſſimæ;
MOTIVA AC MEDIA AD OMNES VIRTUTES ASSEQUENDAS EFFICACISSIMA,
Breviſſimum & ſolidiſſimum totius Sacræ ASCESEOS ſeu doctrinarum ad
perfectionem pertinentium Compendium:
CONCEPTUS PRÆDICABILES,
Quales nullus hominum unquam locutus eſt,
MISCELLANEÆ AC FONTALES
Omnium ſapientum doctrinæ,
Et AXIOMATA denique non tam mellifluo ore eructata, quam efficaciſſimis exemplis confirmata
Uberrime velut in Fonte continentur.
Hanc ſpem Bibliothecam Manualem plurimum adauctam, & Septimo Typo
feliciter expreſſam,
VELUT AUTHORI PRIMARIO
In æternam Beneficiorum acceptorum memoriam,
In perpetuam Debitoris obligatiſſimi Syngrapham,
In Amoris ardentiſſimi tenue argumentum,
In Deſiderii obſequioſiſſimi conſtantiſſimum pignus,
In æternum, ſemperque memorem ſummi ſui Benefactoris titulum,
Quamvis non ſine verecundia
OB MUNERIS ET OFFERENTIS VILITATEM,
Nec ſine timore
OB TANTAM ACCIPIENTIS CELSITUDINEM AC MAJESTATEM;
Magnam tamen fiduciam
OB NOTAM IPSIUS CLEMENTIAM ET BENIGNITATEM,
Nec minus prompta voluntate
OB DEBITORUM EX IMMERITA MUNIFICENTIA CONTRACTORUM MULTITUDINEM
EJUSDEM
Humillimus Servus, Indigniſſimus Diſcipulus, Obſtrictiſſimus Debitor,
Offert ex animo, dicat ex Debito, Dedicat ex amore,
Atque ut optatam Operi huic Benedictionem,
Ad illuſtrandum legentium Intellectum,
Ad promovendam luſtrantium voluntatem,
Ad ſolidam utentium Delectationem
Largiſſime, clementiſſimeque impertiri dignetur,
Humillime rogat, impenſe obſecrat, & ſuppliciter obteſtatur. N. N.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

TITULORUM GENERALIUM

Quæ in Quinto Tomo continentur.

P

CX. *Paſſio Chriſti.* Pag. 7
CXI. *Patientia.* 33
CXII. *Paupertas.* 93
CXIII. *Pax.* 115
CXIV. *Peccatum.* 121
CXV. *Perfectio Chriſtiana.* 166
CXVI. *Perſeverantia.* 171
CXVII. *Pietas erga Parentes.* 189
CXVIII. *Pœnitentia.* 197
CXIX. *Procraſtinatio Pœnitentiæ.* 211.
CXX. *Prudentia.* 226
CXXI. *Purgatorium.* 250

R

CXXII. *Religioſus ſtatus.* Pag. 271
CXXIII. *Reſignatio in divinam voluntatem.* 290
CXXIV. *Reſpublica.* 321
CXXV. *Reſurrectio.* 348

Digitized by Google

BIBLIOTHECÆ
M A N U A L I S
CONCIONATORIÆ.

TITULUS CX.

PASSIO CHRISTI.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

SUNT cruciatus, & mors a Chriſto per generis humani redemptione tolerati; de quibus jam olim Iſaias prædixit: *Iſaia 53. v. 4.* Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit: & nos putavimus eum quaſi leproſum & percuſſum a Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.

Diviſio.

Matth. 20. v. 22. II. Dividitur in Paſſionem *Internam* & *Externam*, ſeu *Corporis* & *Animi*; de quibus Chriſtus ipſe olim duobus filiis Zebedæi dixit: Poteſtis bibere *calicem* (quo animi cruciatus indicantur) quem ego bibo: aut *baptiſmo* (per hunc intelligendo corporis cruciatus) quo egò baptizor, baptizari?

Particulares corporis cruciatus.

III. Fuerunt quinque præcipui in recitatione Roſarii doloroſi uſurpari ſoliti. Quorum primus fuit *agonia ſanguinea* Chriſti: quæ ex quatuor cauſis profluxit. 1. Ex conflictu interno, quo ex una parte horror tormentorum, & mortis, ex altera zelus honoris Dei & fructus Redemptionis hominum certabant inter ſe. 2. Ex apprehenſione peccatorum omnium ab hominibus commiſſorum, & committendorum, quorum multitudinem, enormitatem, & effectus ponderabat. 3. Ex conſideratione exigui fructus ex paſſione ſua orti, & perdiditionis tot animarum, de quibus jam olim per Iſaiam conqueſtus eſt dicens: In vanum laboravi, ſine *Iſaia 49. v. 4.* cauſa, & vane conſumpſi fortitudinem meam. Ergo judicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo. 4. Ex conſideratione dolorum, & tormentorum, atque afflictionum, quas Martyres, & Confeſſores paſſuri eſſent. Hinc S. Laurentius Juſtianus dixit, quod tunc fuerit lapidatus cum Stephano, crucifixus cum Petro, excoriatus cum Bartholomæo, aſſatus cum Laurentio &c.

IV. Secundus fuit *flagellatio*: quam ipſe in- *Pſ. 17.* dicavit per Pſalmiſtam dicens: Congregata *v. 18.* ſunt ſuper me flagella. Et iterum: Supra dor- *Pſ. 18.* ſum meum fabricaverunt peccatores, vel, ut *v. 3.* alii legunt, araverunt aratores. Fuit autem hæc flagellatio crudeliſſima, multis ex capitibus. 1. Ex parte inſtrumentorum, quæ juxta S. Chryſoſtomum, Euſebium, & alios fuerunt virgæ, funes, & catenæ ferreæ, quibus totum corpus adeo laceratum eſt, ut a planta pedis uſque ad verticem non fuerit in eo ſanitas, ut dixit Iſaias. 2. Ex parte corporis Chriſti, *Iſaia 1.* quod erat tenerrimæ, & ſenſibiliſſimæ com- *v. 6.* plexionis, multumque debilitatum agonia & tormentis præcedentis noctis. 3. Ex multitudinem ictuum, quæ ex revelationibus comperta ſunt exceſſiſſe quinque millia. 4. Ex odio Pontificum, aliorumque Judæorum inſtigantium milites, ad acerbam flagellationem.

V. Tertius fuit *coronatio*: quæ & ipſa crudeliſſima fuit, tum ob ſpinas acutiſſimas maxima violentia capiti impactas; tum ob illuſionem militum turpiſſimam concomitantem.

VI. Quartus fuit *Crucis bajulatio*: quæ oneroſſima & moleſtiſſima fuit, tum ob ipſum pondus ligni, tum ob debilitatem exhauſti corporis, tum ob peccata noſtra idipſum vehementiſſime aggravantia.

VII. Quintus fuit *ipſa crucifixio*: quæ doloriſſima fuit tum ob manuum, pedumque perforationem, tum ob eorumdem violentiſſimam

Digitized by Google

extenſionem, tum ob ſanguinis univerſi, ex quo ſitis inexplicabilis orta eſt, effuſionem.

Particulares cruciatus animæ.

VIII. Etiam hi quinque ſunt præcipui, quorum primus eſt *Derelictio*: qua tum ipſe derelinquere debuit Matrem, aliaſque chariſſimas Perſonas: tum ipſe derelictus eſt a Patre, ut illa verba indicant: Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me; & a Diſcipulis partim eum tradentibus, & negantibus, partim turpiter fugientibus.

IX. Secundus eſt *Contemptus*: quem jam pridem Iſaias prædixerat, dum dixit: Vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum; deſpectum, & noviſſimum virorum. Quæ Prophetia impleta eſt, cum & Barabbæ latroni peſſimo poſtpoſitus, & inter ſceleratos duos latrones crucifixus eſt.

Iſaia 53. v. 2. X. Tertius eſt *Ignominia*: quæ multiplex illi obtigit, tum per denudationem in flagellatione, & crucifixione, tum per tot falſas accuſationes, & contumelias, tum per publicam latronis inſtar, factam captivitatem, condemnationem, eductionem, crucifixionem.

XI. Quartus erat *Illuſio*: quæ tum ab Herode, & illius aula, veſtem albam in ſtultitiæ ſignum ei injiciente, tum a militibus coronam ſpineam ei imponentibus, & arundinem in manus, & purpuram in humeros dantibus, faciemque conſpuentibus, & qua verbis, qua veſtibus ſubſannantibus facta eſt.

XII. Quintus eſt *Injuria* graviſſima: quæ ei per tot falſas accuſationes, per injuſtam flagellationem, condemnationem, & mortem ipſam illata eſt.

Figuræ paſſionis illuſtriores.

XIII. Prima fuit oſtium in latere arcæ Noe
Gen. 6. factum; quod ſanctiſſimum lateris Chriſti vulnus repræſentat, uti S. Auguſtinus his verbis
S. Aug. l. 15. de civ. c. 26. indicavit: Oſtium, quod in latere accepit arca, profecto illud eſt vulnus, quando latus Crucifixi lancea perforatum eſt; hac quippe ad illum venientes ingrediuntur, quia inde Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur.

Gen. 22. XIV. Secunda fuit Iſaacus faſciculum ligni portans; & per hoc Chriſtum Crucem bajulantem præfigurans; ut enim Abraham faſciculum ligni a dorſo jumenti in humeros Iſaaci tranſtulit; ita Deus Pater onus Crucis in humeros Chriſti a peccatoribus tranſportavit.

Gen. 9. XV. Tertia fuit Noe; quemadmodum enim hic fuit juſtus, & invenit gratiam coram Deo, ideoque electus eſt ad genus humanum ab interitu ſervandum; poſtea vero a vino inebriatus, nudatus, & a proprio filio Cham irriſus eſt; ita Chriſtus tamquam Filius dilectus, in quo ſibi Pater æternus complacuit, ab eodem electus eſt ad totum genus humanum ab æterno interitu ſervandum; ſed & vino charitatis inebriatus, in cruce nudatus eſt, & a Judæis, quos filiorum loco habuerat, & & in populum acceptabilem elegerat, turpiter irriſus eſt.

XVI. Quarta fuit *Joſephus*; quia ſicut hic a Juda fratre Iſmaelitis, & Madiantis viginti argenteis ex invidia venditus eſt; ita Chriſtus a Juda Diſcipulo triginta argenteis venditus eſt Judæis & Gentilibus, & ab illis ex invidia ad Pilatum ductus.

XVII. Quinta fuit *Caper* expiatorius pro *Levit. 4.*
peccato, ſortibus jactis morti adjudicatus, altero emiſſario dimiſſo; hic enim ſignificat Chriſtum pro peccato humani generis per Judæorum petitionem fuiſſe ad mortem damnatum, Barabba ſcelerato latrone dimiſſo.

XVIII. Sexta fuit *Aries* cornibus inter ve- *Gen. 22.*
pres hærens, & loco Iſaaci oblatus; ſic enim & Chriſtus pro humano genere eſt immolatus, & inter ſpinas, quibus a Judæis coronatus eſt, hæſit.

XIX. Septima fuit *Serpens æneus* in haſtili *Num. 21.*
exaltatus; ut enim illius aſpectu Iſraelitæ a morſu ſerpentium vivorum ſunt ſanati; ita & qui in Chriſtum crucifixum aſpiciunt, ſuamque in eo fiduciam ponunt, a morſu ſerpentis infernalis liberantur, ac ſanantur.

XX. Octava fuit *Botrus* a duobus viris ter- *Num. 13.*
ram Sanctam explorantibus allatus; hic enim ſignificat Chriſtum Crucifixum in medio duorum latronum pendentem, quorum ſiniſter terga illi vertit, ſolus dexter vero illum aſpexit & ut meminiſſe in regno ſuo velit, rogavit.

XXI. Nona fuit *David* a Rege Achis pro *1.Reg.21.*
ſtulto habitus, & ab aula ſua univerſa illuſus; ſic enim & Chriſtus ab Herode, & tota illius aula ſpretus, & irriſus fuit.

XXII. Decima fuit *Sampſon* duas columnas *Jud. 16.*
geminis brachiis apprehendens, & omnes inimicos ſuos perdens; hic enim Chriſtum brachia in cruce extendentem, ac de hoſtibus ſua morte triumphantem, apte repræſentat.

XXIII. Undecima fuit *Jonas* in mare eje- *Jonæ 2.*
ctus, & tribus diebus in ventre Ceti deliteſcens; ſic enim & Chriſtus in mare tribulationum præcipitatus, tribus diebus in mortis faucibus hæſit.

XXIV. Duodecima fuit *Agnus Paſchalis* *Exod. 12.*
olim a Judæis tempore Paſchatis immolatus; hic enim proprie agnum innocentiſſimum Chriſtum, peccata mundi tollentem repræſentabat; uti fuſius tam de hac, quam præcedentibus figuris Mathias Faber conc. 7. in Fer. 3. Paſch. 1. & in them. 1. in Feria Paraſc., in Auctario oſtendit.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. ABominantur me, & longe fugiunt a me, *Job 30.*
& faciem meam conſpuere non verentur.

II. Corpus meum dedi percutientibus, & *Iſaia 50.*
genas meas vellentibus.

III. Supra dorſum meum fabricaverunt pec- *Pſ. 128.*
catores, prolongaverunt iniquitatem ſuam. *v. 3.*

IV. Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata *Joann. 1.*
mundi. *v. 29.*

V. Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & *Iſaia 53.*
quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet. *v. 7.*

VI.

Pſ.22.v.22. VI. Dabo clavem domus David ſuper humerum ejus.

Iſ. 9.v.6. VII. Factus eſt principatus ſuper humerum ejus.

Pſ.21.v.18. VIII. Foderunt manus meas & pedes meos: dinumeraverunt omnia oſſa mea.

Iſ.53. v.2. IX. Aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti, non eſt ei ſpecies, neque decor, vidimus eum deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum.

Dan.9.v.26. X. Et poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt.

Jer. 12. v. 7. XI. Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manum inimicorum ejus.

Ib.18. v.13. XII. Interrogate Gentes: Quis audivit talia horribilia quæ fecit nimis virgo Iſrael?

Ib. c.11. XIII. Ego quaſi Agnus manſuetus, qui portatur ad victimam, non cognovi, quia cogitaverunt ſuper me conſilia dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius.

Iſ.53. v.7. XIV. Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit, & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.

Pſ.68. v.22. XV. Dederunt in eſcam meam fel: & in ſiti mea potaverunt me aceto.

Utilitas.

Hebr. 9. v. 13. XVI. Si ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis; quanto magis Sanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi.

2. Cor.8. v. 9. XVII. Scitis gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet dives, ut illius inopia vos divites eſſetis.

2.Cor.5. v. 15. XVIII. Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. Itaque nos ex hoc neminem novimus.

Heb. 12. v. 3. XIX. Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit a peccatoribus adverſus ſemetipſum contradictionem, ut ne fatigemini animis veſtris deficientes.

Meditatio.

Thren.1. v. 12. XX. O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.

1.Petr 4. v. 1. XXI. Chriſto in carne paſſo, & vos eadem cogitatione armamini.

Job. 16. v. 19. XXII. Terra, ne operias ſanguinem meum (per oblivionem) neque inveniat in te locum latendi clamor meus.

Cant. 5. v. 1. XXIII. Veni in hortum meum (per meditationem) ſoror mea ſponſa; meſſui myrrham (dolorum) cum aromatibus meis, id eſt, virtutibus in paſſione exercitis.

Cant. 3. v. 11. XXIV. Egredimini filiæ Sion, & videte Regem veſtrum in diademate, quo coronavit illum Mater ſua in die deſponſationis ſuæ.

Imitatio.

XXV. Per patientiam curramus ad propoſitum certamen aſpicientes in authorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta, atque in dextra Dei ſedet. Heb.12. v. 1.

XXVI. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus. 1.Petr.2. v. 21.

XXVII. Et levabit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſrael, & diſperſos Juda colliget a quatuor plagis terræ. Iſ.11. v. 12.

XXVIII. Vivit Dominus, quoniam in quocumque loco fueris, Domine mi Rex, ſive in vita, ſive in morte, ibi erit ſervus tuus. 2. Reg. 15. v. 21.

§. III. EX SS. PATRIBUS, ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

I. O Bone Jeſu, quid tibi eſt? mori nos debuimus, & tu ſolvis? nos peccavimus, & tu luis? opus ſine exemplo, gratia ſine merito, charitas ſine modo. S.Ber.in quodlib.ſ.

II. O homo vide, quæ pro te patior: non eſt dolor, ſicut quo crucior: ad te clamo, qui pro te morior: Vide pœnas, quibus afficior, vide clavos, quibus confodior: cum ſit dolor tantus exterior: interior eſt planctus gravior, cum te tam ingratum experior. Idem.

III. Si totum debeo pro me facto, quid addam jam pro me refecto, & refecto hoc modo? nec enim tam facile refectus, quam factus, nam qui me ſemel, & tantum dicendo & fecit, in reficiendo profecto & geſſit mira, & pertulit dura, nec tantum dura, ſed & indigna. In primo opere me mihi dedit, in ſecundo ſe, &, ubi ſe dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro ſe? nam etiam ſi millies me rependere poſſem, quid ſum ego ad Deum? Idem de dilig.Deo.

IV. Domine, qui tibi non ſervit, quia creatus eſt, infernum meruit; ſed qui non ſervit tibi, quia redemptus eſt, meretur, ut novus pro ipſo infernus fiat. S. Aug.

V. Crux Chriſti non tantum eſt lectulus morientis, ſed etiam cathedra docentis. Idem tr. 119.in Jo.

VI. Cum poſſet nobis etiam non moriendo ſuccurrere, voluit tamen hominibus moriendo ſubvenire; quia nos videlicet minus amaſſet, nec vim dilectionis ſuæ nobis oſtenderet, niſi hoc, quod a nobis tolleret, ad tempus ipſe ſuſtineret. S.Greg.l. moral.

VII. Sitio, inquit Dominus: Domine, quid ſitis? Ergone te plus cruciat ſitis, quam crux? de cruce ſiles, & de ſiti clamas? ſitio. Quid? veſtram fidam, veſtram ſalutem, veſtrum gaudium: plus animarum veſtrarum, quam corporis mei cruciatus me tenet. S. Bern. in ſer.

VIII. O amoris vim! ita ne ſummus omnium viliſſimus factus eſt omnium? quis hoc facit? amor dignitatis neſcius, dignatione dives, affectu potens, ſuaſu efficax. Quid violentius? triumphat de Deo amor. Quid tamen jam non violentum? amor eſt. Quæ eſt iſta S. Ber.ſ. 64. in Cant.

vis,

vis, quæſo, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam?

S. Fer. ſ. 3. de Nativ. IX. Ex conſideratione remedii, periculi mei æſtimo quaotitatem. Neſciebam, ſanus mihi videbar, & ecce mittitur Virginis Filius, Filius Dei altiſſimi, & jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioſo ſanguio.s illius balſamo medeatur. Agooſce, o homo, quam gravia ſint vulnera tua, pro quibus neceſſe eſt Dominum Chriſtum vulnerari. Si non eſſent hæc ad mortem, & ad mortem ſempiternam, numquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur.

S. Aug. ap. Manſ. tr. 10 diſ. 27. n. 8. X. Ecce pro impio pietas flagellatur; pro ſtulto ſapientia illuditur; pro mendace veritas necatur; damnatur Juſtitia pro iniquo; Miſericordia afficitur pro crudeli; inebriatur felle dulcedo; abjicitur innocentia pro reo; moritur vita pro mortuo.

Idem c. 16. med. XI. Cum magnum ſit, gratis ſua aliquem alicui conferre, multo majus certe eſt, ſemetipſum impendere; & cum magnæ charitatis ſit, animam pro amicis ponere, multo majoris charitatis indicium eſt, pro inimicis ponere, quod Filius Dei pro nobis fecit; nam cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus per mortem Filii ejus.

S. Chryſ. ſer. 106. XII. Audi rogantem Dominum: *Tota die expandi ad te manus meas*: Nonne qui expandit manus, ipſo habitu rogat? *Expandi manus meas*. Ad quem? ad populum. Et ad quem populum? Non tantum non credeotem; ſed, & contradicentem. *Expandi manus meas*. Diſtendit membra, dilatat viſcera, pectus porrigit, offert ſioum, gremium paodit, ut Patrem ſe tantæ obſecrationis demonſtret affectu. Audi & aliter rogantem Deum: *Populus meus, quid feci tibi: aut in quo contriſtavi te*. Noone dicit? Si divioitas ignota eſt, vel caro ſit nota. Vide, videte in me corpus veſtrum, membra veſtra, veſtra viſcera, oſſa veſtra, veſtrum ſanguinem, &, ſi quod eſt Dei, tenete. Quare vel quod veſtrum eſt, non amatis? Si Dominum fugitis, quare non recurritis ad parentem? ſed forte vos Paſſionis meæ quam feciſtis, magnitudo confundit. Nolite. Crux hæc non meus, ſed mortis eſt aculeus. Clavi iſti non mihi infigunt dolorem, ſed veſtram mihi infiguot altius charitatem. Vulnera hæc oon educunt gemitus meos, ſed magis vos meis viſceribus introducunt. Extenſio corporis mei vos dilatat in præmium, non meam creſcit in pœnam. Sanguis meus non mihi deperit, ſed veſtrum prorogatur in pretium. Venite ergo, redite, & vel ſic probate Patrem, quem videtis pro malis bona, pro injuriis amorem, pro vulneribus tantis tantam charitatem reddere.

S. Aug. c. 16. m. d. XIII. Magna & multa ſunt, quæ mihi, Domine Deus, contuliſti beneficia, pro quibus mihi diligendus, ſemper es laudandus. Unum autem eſt, quod me plus omnibus accendit, urget, movet, & promovet, ad te diligendum ſuper omoia, amara mors, quam ſuſtinuiſti, opus noſtræ Redemptionis. Hoc ſolum, vel hoc omnino totam vitam noſtram, totum laborem noſtrum, totum obſequium noſtrum, amorem denique noſtrum facile ſibi veodicat; Totum hoc eſt, quod devotionem noſtram, & excitat melius, & quærit ſuavius, & auget amplius. Multum quidem io hoc opere laboravit Author Mundi, nec in omni fabrica Mundi tantam fabricationem ſuſtinuit; De Mundo enim, & de his, quæ in Mundo ſunt, *dixit & facta ſunt*, at vero pro reparatione geoeris humani, magoos, & multos, & diuturnos labores, & dolores ſuſtinuit.

XIV. Magnum quidem mihi eſt de Deo, quod eſſe me ſentio opus ſuum, ſed multo plus eſt, quod tranſiſſe ipſum video in pretium meum, quandoquidem tam pretioſo munere ipſa redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur. *Idem de dilig. Deo.*

XV. Quanto ferventius diliges eum, tanto magis ſuæ compatieris Paſſionis, & quanto plus ei compatieris, taoto plus erga eum tuus accendetur affectus. *S. Bon. c. 1. ſtim. Amor.*

XVI. Poterat omnipotentiæ Majeſtas aliter, quam ſe exinanieodo, perditum reparare homioem; ſed ut ſciret, quantum deliquerat, quaotum diligeretur, quantique ſe æſtimare deberet, id agere voluit; ſciret quoque, quid Deo deberet, qui pro peccatore, pro perdito, pro ingrato, tantis ſe dignatus eſt exponere paſſionibus. *S. Laur. Juſt. de Triumph. Chriſti.*

XVII. Sufeciſſet ad Redemptionem humaoi generis, minutiſſima gutta ſanguinis Chriſti, ſed data eſt copia, ut ex inundatione beneficii virtus ionoteſceret diligentis; unde grave eſt, quod tantum diligeos, taotum oditur. *S. Bon. ſer. 6. in Paradiſo.*

Utilitas.

XVIII. Inæſtimabilis planæ theſaurus invenitur io Paſſiooe Chriſti, cui ſi te convenieoter adjunxeris, mirum in modum locupletaberis. *Bleſius c. 13. Sacell. anim.*

XIX. Frequens Paſſionis memoria indoctum reddit doctiſſimum, imperitos & idiotas facit proficere io magiſtros, magiſtros, inquam, non ſcientiæ, quæ inflat, ſed charitatis quæ ædificat. Ipſa eſt velut quidam liber vitæ, ioquo omnia ſaluti neceſſaria inveniuntur; felix, qui ejus ſtudio ſerioſe intendit, quia in contemptu mundi, & in amore Dei proficiet, cunctarumque virtutum ac gratiarum incrementum ſumet. *Ludolphi Carth. n. 1. c. 58.*

XX. Vita Chriſti liber admodum præclarus eſt, doctis, & indoctis, perfectis, atque imperfectis (qui Deo placere cupiunt) communis. Qui beoe terit hunc librum, efficitur eximie ſapiens, facileque adipiſcitur peccatorum veniam, pravorum affectuum mortificationem, mentis illuminationem, conſcientiæ pacem & tranquillitatem, firmamque erga Deum ſincera dilectione fiduciam. Etiam codices omnes, qui toto orbe habentur, intercidiſſent, Vita & Paſſio Chriſti Chriſtianis omoibus ſufficiet ad virtutem omnem, & veritatem perdiſcendam. *Bloſius in conclavi c. 10. §. 7.*

XXI. Quotieſcumque aliquid pie meditaris, aut legis de Paſſione Domini Jeſu, ſanctificaris inde, & iogentem fructum reportas, etiamſi parvo admodum affectu, & ſine ullo ſapore ſenſibili mediteris, ac legas. Fieri nulla *Idem in Sacell. c. 11.*

Digitized by Google

la ratione poteſt, ut vel aſpicias tantum piis oculis imaginem Crucifixi ſine grandi utilitate, cum ibi ſalutis tuæ ſummam invenias.

ſ. Laur. Juſt. l. 6. c. 21. XXII. Line oculos tuos ſanguine illius, ſuoque livore tuis medere vulneribus. Nulla eſſe valet ægritudo tam valida, nullus mœror, nullaque tentatio, quæ non hujuſmodi medicamento curetur: eſt quippe in eo redemptionis cruor, & purgationis lavacrum.

ſ. Damaſ. l. 4. XXIII. Crux Chriſti clavis eſt Paradiſi, hæc infirmorum baculus, paſtorum virga, convertentium manuductio proficientium perfectio, animæ ſalus & corporis, omnium malorum averſio, bonorum omnium datrix.

ſ. Ber. ſ. 22. ſup. Cant. XXIV. Paſſio tua, Domine Jeſu, ultimum eſt refugium, ſingulare remedium: deficiente Sapientia, Juſtitia non ſufficiente, ſanctitatis ſuccumbentibus meritis, illa ſuccurrit. Cum enim defecerit virtus mea, non conturbor, non diffido. Scio, quid faciam. Calicem ſalutaris accipiam; ſcio quod merita mea non ſufficiant, ego vero fideliter, quando ex me mihi deeſt, uſurpo ex viſceribus Domini, quoniam miſericordia affluunt, nec deſunt foramina, per quæ effluunt: foderunt manus meas, & pedes meos, & latus lancea foraverunt. Et per has rimas licet mihi ſugere mel de petra, oleum de ſaxo, & videre, & guſtare, quam ſuavis eſt Dominus.

ſ. Auguſt. l. 3. contra hæreſ. XXV. Fuſus eſt ſanguis medici, & factus eſt medicamentum phrenetici.

Rabanus de laude Cruc. XXVI. Paſſio Chriſti cælum ſuſtentat, mundum regit, tartarum perfodit: in ea confirmantur Angeli, redimuntur populi, convertuntur inimici: ſtabiliuntur ſubſiſtentia, animantur viventia, conſentiunt ſentientia, illuſtrantur intelligentia.

ſ. Leo. in ſ. 7. menſ. XXVII. Effuſio ſanguinis juſti pro injuſtis, tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut, ſi univerſitas captivorum in Redemptorem ſuum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent.

ſ. Ber. ſ. 14. XXVIII. Nobis aſſumpſit, quæ pro nobis ſuſtinuit, naſci, lactari, mori, ſepeliri: mea eſt mortalitas nati, mea infirmitas parvuli, mea expiratio crucifixi, mea dormitio ſepulti.

ſ. Leo. ſ. 9. de quadr. XXIX. Audite ac percipite ſubtiliſſimum divinæ miſericordiæ Sacramentum; nam certa atque ſecura eſt expectatio promiſſæ beatitudinis, ubi eſt participatio Dominicæ paſſionis.

ſ. Laur. Juſt. XXX. Nulla ſalubrior ad mentis conſtruendum habitaculum cogitatio reperitur, quam Paſſionis Chriſti: per ipſam quippe humanæ ſalutis reſtauratio, & ineffabilis Dei ad homines agnoſcitur ſumma dilectio. Nemo aliunde divinæ charitatis æternum fontem deguſtat melius, quam in hujuſmodi attenta, ſedulaque meditatione.

Orig. ap. Fabr. con. 6. Dom. Paſſ. XXXI. Certum eſt, quia, ubi mors Chriſti animo circumfertur, non poteſt regnare peccatum. Eſt enim tanta vis Crucis, ut, ſi ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, ita ut in ipſam mortem Chriſti intentis mentis oculis inſpiciatur, nulla concupiſcentia, nulla libido, nullus furor, nulla ſuperare poſſit invidia, ſed continue ad ejus præſentiam totus ille peccati, & carnis fugatur exercitus.

XXXII. Multos Dei filios unicus fecit Dei Filius: ſibi acquiſivit Fratres ſuo ſanguine: approbavit illos, cum ipſe reprobaretur: redemit eos, cum ipſe caperetur: manumiſit eos, cum ipſe venderetur: condecoravit illos, dum ipſe dedecoraretur: reſuſcitavit eos, dum ipſe moreretur. *ſ. Aug. ap. cund. conc. 6. in Par.*

XXXIII. Quis tam irreligioſus, qui non compungatur: quis tam inſolens, ut non humilietur: quis tam iracundus ut non indulgeat? quis tam delicioſus, ut non abſtineat: quis tam flagitioſus, ut non contineat? quis tam malitioſus ut non pœniteat his diebus? merito quidem, nempe adeſt Paſſio Domini, uſque hodie terram movens, petras ſcindens. *ſ. Ber. ſ. 4. hebd. ſacr.*

XXXIV. Ante Crucem ſcala carebat cælum, nec Abraham, nec Jacob, nec David aſcendere valebant, nec ullus hominum: appoſita eſt ſcala, erecta eſt Crux, in cælum aſcenſus patet, ſcalam vides e terra in cælum uſque pertingentem, dum Crucem intueris. Scala cælos attingens Crucis figuram habet; Dominus innixus ſcalæ, Chriſtus crucifixus oſtenditur. *ſ. Aug. ſ. 70 de temp.*

XXXV. Certe & Crux ſpecioſa eſt, & Crux amari poteſt, & Crux habet exultationem. Ita eſt, fratres mei, ſi fuerit, qui colligat, ſemper lignum Crucis vitam germinat, fructificat jucunditatem, oleum lætitiæ ſtillat, balſamum ſudat ſpiritualium chariſmatum. Non eſt ſilveſtris arbor, lignum vitæ eſt, apprehendentibus eam, arbor frugifera, arbor ſalutifera eſt: alioqui quomodo Dominicam occuparet terram? *ſ. Ber. ſ. de ſ. Andrea.*

XXXVI. Crux facta eſt ſtatera corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia. Cum enim ipſe crucifigeretur, appenſa ſunt cum ipſo peccata, quæ commiſimus, calamitas, quam incurrimus. Ipſe erat innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus, & excelſior cælis converſatio illius; non enim peccatum fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus. Et quoniam talis ac tantus tam indigna dignatus in cruce pati, præponderare cœpit calamitas, & crimina levigari. Cum adhuc tamen in cruce erectus ſtaret, vacillare videbatur ſtatera, nec plane cognoſcebatur, quo cadere deberet; inclinato tamen capite emiſit Spiritum, ut calamitas præponderando caderet, & quaſi arena maris gravior appareret. *ſ. Ber. ſ. 3. Paſch. de duob. diſ.*

Jucunditas.

XXXVII. Quis non exultet in immenſum, cum cernit Deum ipſum in tantum diligere, ut tantæ vilitati & pœnalitati ſubjecerit ſemetipſum pro eo? quis Princeps in regno vel imperio alicujus Imperatoris, vel Regis, cernens ſe tantum a Rege vel Imperatore diligi, ut paratus eſſet mori pro ipſo, non gauderet? Quanto magis nos viliſſimi, & ſervi gaudere debemus, & exultare, cum videmus Regem Regum, & Dominum dominantium & Creatorem noſtrum Jeſum, nos ita continuo diligere, ut immolaverit ſeipſum pro nobis, in tam turpi, & viliſſima morte? *ſ. Rom. ap. Manſi diſ. 10. n. 5.*

Me-

Google

Meditatio.

S. Aug. in lib. de Virg. XXXVIII. Inſpice vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices reſurgeotis. Caput habet inclinatum ad oſculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extenſa ad amplexandum, totum corpus expoſitum ad redimendum. Hæc quanta ſunt, cogitate: hæc in ſtatera veſtri cordis appendite, ut totus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce.

S.Fer. in ſ. 4. Heb. Sacr. XXXIX. In Paſſione Domini tria ſpecialiter coovenit intueri, opus, modum, cauſam; nam in opere quidem patientia, io modo humilitas in cauſa charitas commendatur. Patientia ſingularis, humilitas admirabilis, ſed charitas ioæſtimabilis.

S.Bon. de Paſſ. XL. Si vis, o homo, de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de bono io melius proficere; quotidie, quanta potes devotione, mediteris Dominicam paſſionem; nihil enim in anima ita operatur univerſalem ſanctificationem, ſicut meditatio Paſſionis Chriſti.

S.Albert. Magn. tr. de miſſ. LXI. Simplex recordatio vel meditatio paſſionis Chriſti plus valet, quam ſi quis per annum jejuoaret in pane & aqua, qualibet ſexta feria, vel diſciplinaret ſe qualibet hebdomade uſque ad effuſionem ſanguinis, vel quotidie legeret Pſalterium.

Bern ſup. Cant. ſ. 47. XLII. Paſſiones Chriſti meditari ſapientia eſt, & ſublimis Philoſophia.

Id. ibid. ſ. 91. XLIII. Recordatio vulnerum Chriſti medicamentum eſt efficax.

Iſidoro de ſum. bon. XLIV. Si paſſio Redemptoris ad memoriam reducitur, nihil tam durum eſt, quod non æquo animo toleretur. Parva enim toleramus, ſi recordemur quid biberit ad patibulum, qui nos invitat ad cælum; Ille enim opprobria, irriſiones, contumelias, alapas, ſputa, flagella, ſpineam coronam crucemque ſuſtinuit, & nos miſeri ad noſtram confuſionem uno ſermone fatigamur, & uno verbo dejicimur.

Orig. Johan. XLV. Fratres, ut a peccato ſanemur, Chriſtum crucifixum iotuemur, quomodo qui intuebantur ſerpentem æneum in deſerto non peribant morſibus ſerpentum; ſic qui intuentur fide Chriſti mortem, ſanantur a morſibus peccatorum.

Compaſſio.

Ber. de Buſto ſ. 23. infer. XLVI. Magis meretur vel unam ſolum lacrymam emittens, ob memoriam Paſſionis Chriſti, quam ſi uſque ad terram promiſſionis peregrinaretur.

S. Hier. ſup. Mat. XLVII. Omnis creatura compatitur Chriſto morienti. Sol obſcuratur, terra movetur, petræ ſcinduntur, velum templi dividitur, ſepulchra aperiuntur; ſolus homo miſer non compatitur, pro quo ſolo Chriſtus patitur.

Imitatio.

S. Greg. Naz. or. 49. XLVIII. Per Paſſiones Paſſionem imitemur: Crucem alacres conſcendamus; Dulces ſunt clavi, tametſi valde acerbi: Prællat cum Chriſto, & pro Chriſto pati, quam cum aliis in deliciis verſari.

S. Ber. de dilig. Deo. XLIX. Et ut cætera taceam, hoc ſolo non immerito ſibi vendicat vitam noſtram, quia pro ea poſuit ſuam. Nemo igitur ſibi vivat; ſed ei, qui pro ſe mortuus eſt; cui enim juſtius vivam, quam ei, qui, ſi oon moreretur, ego non viverem.

L. Congruit noſtræ devotioni, ut, qui Domioi crucifixi Paſſionem celebraturi ſumus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipſis etiam faciamus. *S.Aug. in ſ. Quad.*

LI. Nolo, Domine, vivere ſine vulnere, quia te video vulneratum. *S. Ben.*

LII. Non pauci ſunt, qui cæleſtes delicias conſequi volunt, cum tamen ad te pervenire nemo ſit, qui nolit, hoc ſcieotibus cunctis, quia delectariones a dextera tua uſque in finem. Et propterea volunt omnes te frui, at non ita & imitari. Conregoare cupiunt, ſed non pati. Non curant quærere, quem tamen deſiderant invenire, cupientes conſequi, ſed non & ſequi. Non ſic illi quibus ajebat: Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tribulationibus. *S.Bern. ſ. de dilig. Deo.*

LIII. O Regem! o diadema! pudeat ſectari gloriam membra, quibus caput ſuum tam inglorium exhibetur. Pudeat ſub ſpinato capite membrum fieri delicatum. *S. Ber. ſ. 5. in feſto omnium SS.*

LIV. Dicit Chriſtus homini ægro: Bibe calicem tentationum & tribulationum, ut ſaneris, & vivas. Et ne reſponderet ei languidus: non poſſum, non ſero, non bibo, prior bibit Medicus ſanus, ut bibere non dubitaret ægrotus. Quid enim amarum eſt in tali poculo, quod ille non biberit? *S.Aug. ſ. 18. in Matth.*

LV. Super omnia te mihi amabilem reddit, o booe Jeſu, calix quem bibiſti, opus noſtræ redemptionis, hoc enim omnino amorem noſtrum ſibi vendicat, hoc, inquam, devotionem noſtram blandius allicit, juſtius exigit; arctius ſtringit, & vehementius afficit. *S. Bern.*

LVI. Cujus ſaxeum pectus non emolliant vulnera Salvatoris: quis pati renuet patiente Domino? Crucifixus ſiquidem reliquit exemplum, ut ſequamur ipſius veſtigia. Proinde nullus a doloribus Chriſti debet fieri alienus, nemo extraneus ſit a commuoione ſponſi, ſi gaudii illius cupit eſſe guſtator. Præceſſit Gigas ingens, & paſſiooibus ſubiit certamen, ut cæteri ei militantes ſimilia ſuſtinere non paveant. Verecundum quippe eſt, ut irrumpente Duce cuneos tribulationum, reliqui imitari dedignentor. Non eſt abjectum in ſervo, quod præceſſit in Domino. Dolorem ſervi dolor lenit Domini. Paſſio paſſione vincitur, & cruciatibus cruciatus ſuperatur. *S. Laur. Juſt. de caſt. con. nub. c. 8.*

LVII. Paſſio Chriſti & reſurrectio vitæ noſtræ figuræ ſunt. *Aug. de ſpir. & l.*

Æquitas.

LVIII. Extendit homo inobediens præſumptuoſas maous ſuas ad arborem vetitam: extendi ego manus meas innocentes ad arborem crucis. Per lignum commiſſum eſt peccatum: per aliud ligoum ablatum eſt peccatum. Peccavit homo guſtans ſuavitatem arboris prohibitæ; ſatisfactum eſt pro illo peccato felle & aceto, quod propter illud ebibi. Homo coodemnatus eſt propter ſuperbiam, affectans Deo ſimilitudinem; humiliata eſt mea divinitas pro- *Euſ. Emiſ. in ho. de Paſcha.*

Digitized by Google

propter culpam illius ſuperbiæ, & oblata eſt Majeſtas pro delicto in ipſam Majeſtatem commiſſo. Præter hæc omnia homo debitor erat mortis, & oportuit illud debitum exſolvi: ideo mortalem naturam aſſumpſit, & mortem meam pro morte illa obtuli.

S. Athan. l. d. Incar. LIX. Par erat, ut Dominus hoc modo mortem ſuſtineret, manuſque ejus extenderentur, ut hac quidem veterem populum; illa vero Gentiles attraheret, & ambos in ſe conjungeret. Id enim ipſe dixit, indicans, qua morte omnes redempturus eſſet: Cum exaltatus fuero, inquit, omnes ad me traham.

§. IV. EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Utilitas.

L. 1. c. 25. §. 6. I. REligioſus, qui ſe intente & devote in Paſſione Domini exercet, omnia utilia, & neceſſaria ſibi abundanter ibi inveniet: nec opus eſt, ut extra Jeſum aliquid melius quærat.

Ibidem. II. O ſi Jeſus crucifixus in cor noſtrum veniret, quam cito & ſufficienter docti eſſemus.

L. 2. c. 1. §. 4. III. Si neſcis ſpeculari alta, & cæleſtia, requieſce in Paſſione Chriſti, & in ſacris ejus vulneribus libenter habita. Si enim ad vulnera & pretioſa ſtigmata Jeſu devote confugis, magnam in tribulatione confortationem ſenties; nec multum curabis hominum deſpectiones, faciliterque verba detrahentia perferes.

L. 3. c. 19. §. 1. IV. Quid eſt, quod loqueris, Fili? Ceſſa conqueri, conſiderata mea & aliorum Sanctorum Paſſione. Nondum uſque ad ſanguinem reſtitiſti.

Imitatio.

L. 2. c. 12. §. 7. V. Tota vita Chriſti crux fuit, & Martyrium, & tu quæris requiem & gaudium?

L. 2. c. 12. §. 4. VI. Nemo ita cordialiter ſentit Paſſionem Chriſti, ſicut is, cui contigerit ſimilia pati?

§. V. EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Meditatio Paſſionis.

In revel. S. Birg. l. 2. c. 25. I. B. Virgo de ſeipſa olim dixit: In ſepulchro Filii mei ſemper cogitatio & cor meum verſabatur.

Ib. l. 2. c. 30. II. S. Catharina, filia S. Birgittæ ante dormitionem per quatuor horas continuas, in genuflexionibus, & pectoris tunſionibus, cum lacrymis multis, ob recordationem amariſſimæ paſſionis Chriſti, omni veſpere in holocauſtum Domini offerebat.

Ib. c. 26. III. De S. Laurentio M. B. Virgo S. Birgittæ dixit: Imprime tibi monile Paſſionis Filii mei, ſicut S. Laurentius impreſſit; Ipſe enim cogitabat quotidie in mente ſua ſic: Dominus ipſe eſt Deus meus, ego vero ſervus. Ipſe Dominus Jeſus Chriſtus fuit nudatus & deriſus, quomodo ergo decet, ut ego ſervus veſtiar delicatoribus veſtibus? ipſe fuit flagellatus & affixus ligno, non decet ergo, ut ego, qui ſervus ſum, ſim abſque dolore & tribulatione.

IV. S. Paulus tam aſſiduus erat in meditanda & prædicanda Chriſti Paſſione, ut dicere auderet, ſe nihil ſcire, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum. *1. Cor. 2. v. 2.*

V. Cum S. Maria Magdalena poſtquam ſe in Eremum contulerat, ſupplex a Deo petiiſſet, ut, qua in re potiſſimum ſe occuparet, oſtendere dignaretur; S. Michael Archangelus ei crucem pulcherrimam in aditu ſpeluncæ ſic conſtituit, ut oculos Magdalenæ ſemper incurreret, neque illam unquam myſteriorum patratorum oblivisci pateretur. *Sylve? in rel. aut. l. 6.*

VI. S. Franciſcus Seraphicus cum aliquando prope Portiunculam ſingultibus, ſuſpiriiſque indulgeret, cauſam hujus rogatus reſpondit: Quidni tam diris cruciatibus Domino meo Jeſu immerentiſſimo culpa noſtra illatis, quos videam in tanta omnium noſtrum oblivione jacere, illacrymem. *Chron. S. Franc. p. 6. l. 1. c. 26.*

VII. Quidam Eremita certior fieri cupiens, quibus maxime obſequiis divinum Numen demereri poſſet; ſemel Chriſtum nudum, plagis lividum, & cruce onuſtum conſpicuum habuit, qui ei dixit, rem ſibi gratiſſimam fore, ſi ejus cultores in cruce ferenda eum adjuvarent: hoc autem facturos, ſi recordatione ſuorum cruciatuum eum proſecuti, partem eorum in ſui cordis ſenſum derivarint. *Ludolph. de Sax. in vit. Chriſt.*

VIII. Captivus quidam ſemper triſtis, cum Tyranno triſtitiæ cauſam quærenti reſpondiſſet, ſe Paſſionis Chriſti ſtigmata in pectore ferre, quæ lætum eſſe non ſinerent. Tyrannus hoc experiri volens cor evelli juſſit, & in altera quidem parte poſt diviſionem, crucifixi Chriſti imaginem, in altera quaſi ſigillum ejus reperit. Unde credens & ipſe in Chriſtum, cum omnibus ſuis baptizatus eſt. *Th. Cantipr. l. 2. de apibus c. ult.*

IX. Quidam Peregrinus cum ſacra loca Jeroſolymis viſitaret, ubi ad montem Oliveti venit, tanto deſiderio patiendi cum Chriſto, & propter ipſum moriendi, incenſus eſt, ut ropro corde expiraret. *Spec. Ex. dist. 1. ex. 28.*

X. S. Edmundus cum adhuc puerulus Chriſtum Puerum vidiſſet, legiſſetque in ejus fronte titulum crucis ejus: Jeſus Nazarenus Rex Judæorum: ab eo tempore, nocte & die Paſſionem Chriſti animo verſare, in eaque meditanda medullitus delectari cœpit. *Surius in vita c. 3. 16. Nov.*

XI. S. Thereſia de ſeipſa ſic ſcripſit: Conabar mihi ſæpius repræſentare Jeſum, & optime habebam in meditatione myſteriorum, ubi ſolus erat; videbaturque mihi, quod ſic afflictus non poſſet me rejicere accedentem; ut ſolatio ei forem. Specialiter ejus conſortium quærebam in oratione in horto, ibi frequenter conſiderabam ejus afflictionem, & ſudorem, cupiebamque, ſi poſſibile foret, ejus faciem & ſudorem moleſtum abſtergere, ſed memini, me numquam id auſam, utpote peccatorum multitudine deterritam; interim ſtabam diu cum eo multis afflicta cogitationibus. Jam a pluribus annis maxima parte noctium poſtquam decubuiſ- *Riber. in vita.*

ſem,

Digitized by Google

ſem, ſolebam de hoc myſterio cogitare, etiam ante quam ſtatum Religioſum aſſumerem & exiſtimo, plurimum inde profectus ſpiritualis me conſecutam.

Surius in vita. XII. B. Clara de Monte Falco in Jeſu crucifixo ſive vigilans, ſive dormiens hærebat. Cum ſemel in hoc exercitio graviter confixa fuiſſet, apparuit ei Juvenis humeris crucem ferens, & dicens: Filia mea clara, quæſivi locum ſolidum, in quo hanc crucem plantarem, & inveoi cor tuum, ibi eam figere volo: oportet ergo, ut moriaris in hac cruce, ſi filia mea & hæres vis eſſe. Exinde adeo impreſſum cordi habuit Paſſionis myſterium, ut quidquid comederet, vel biberet, el amarum foret in memoria Paſſionis, & quidquid videret, intelligeret, & diceret, felle crucis Chriſti reſperſum crederetur. Unde poſt mortem omnia inſtrumenta Paſſionis cum ipſo crucifixo, cordi impreſſa cernebantur.

Marck. n. 8. lell. 30. XIII. B. Didacus Ordinis Mininorum Laicus Paſſionem Domini brachiis expanſis meditabatur, ſemperque in manibus ligneam crucem habebat, omni hora in ſe & aliis excitans memoriam Paſſionis Chriſti. Quam & morti vicinus amplexus, & deoſculatus dixit: Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ſerens pondera &c. & inter hæc verba animam exhalavit.

Ribad. in vita. XIV. S. Edmundus in agone crucifixi imaginem amplectens, lacrymis eam rigabat, & velut ſugens ex latere, magno Spiritu dicebar: Amodo haurietis aquas cum gaudio de fonte Salvatoris, & poſt hæc verba mortuus eſt.

S. Bern. ſup. Cant. XV. S. Bernardus de ſeipſo dicebat ad Fratres: Ego ab ineunte mea converſatione pro acervo meritorum, quæ mihi deeſſe ſciebam, faſciculum hunc colligare curavi collectum ex omnibus anxietatibus, & amaritudinibus Domini mei. Primum ſcilicet infantilium illarum neceſſitatum: deinde latorum, quos pertulit in prædicando: fatigationum in diſcurrendo: vigiliarum in orando: tentationum in jejunando: lacrymarum in compatiendo: inſidiarum in colloquendo: poſtremo periculorum in falſis Fratribus: convitiorum, ſputorum, colaphorum, ſubſanationum, exprobrationum, clavorum, horumque ſimilium.

Joa. Moſc. xvi. impr. Spirit. c. 44. XVI. Tres ſenes ad Stephanum Abbatem accedentes, loquebantur de ſalute animæ, illo autem tacente, dixeraot, cur nibil reſpondes, cum utilitatis gratia ad te venerimus? Reſpondens Stephanus, dixit: ignoſcite mihi, uſque modo non animadverti, quid locuti ſitis, veruntamen quod habeo, hoc dico vobis; Ego die nocteque nihil aliud aſpicio, niſi Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in ligno pendentem. Quod cum audiſſent, multum ædificati receſſerunt.

Apud. ſuo in vita ejus tom. 5. Octobr. 15. cap. 5. XVII. Hedwigis Duciſſa Polooiæ, mulier pientiſſima adeo meditatiooe, & devotione Paſſioois Chriſti delectabatur, ut etiam res minimas, quæ myſterium crucifixionis Chriſti repræſentarent, veneratione afficiebat. Nam ubicuoque humi conſpexit jacentes ſtipulas crucis imaginem referentes, genibus flexis adorabat, tollenſque eas & exoſculans, tali eas loco poſuit, ubi ooo poſſent pedibus conculcari.

XVIII. Religioſus quidam verba Chriſti in cruce peodentis, Ecce mater tua mente volvens totus in lacrymas diſſolvebatur, ita ut annos fere viginti lacrimis perpetuis conſumerer, quæ ſæpe in potum ei ſerviebant; uode quoties memoriam Paſſio Chriſti ſubibat, & pervenerat ad hæc verba obrutus lamentis, has matri dabat voces: Ecce Mater qualiter pendet Filius tuus, tum Filio; Ecce Mater tua lacrymoſa & doloroſa, vide Fili quomodo ſtat tota derelicta Mater tua. *Ludolph. a Saxonia 2. p. de vita Chriſti cap. 23.*

XIX. Frequentiſſime Jeſus Dominus noſter revelavit chariſſimis ſuis Sponſis Gertrudi, Birgittæ, Mechitildi, Catharinæ, quam ſit & ſibi acceptum, & homini fructuoſum, recolere Paſſionem Chriſti, pia ac humili, & ſincera attentione & devotione; Quod & ipſæ devotiſſime fecerunt; Nam & eandem Domini Paſſionem, (quæ licet amariſſima ac acerbiſſima fuerit, tota tamen charitatis dulcedine plena eſt,) adeo profunde viſceribus aoimarum ſuarum infixerant, & tam ardenti ſuavique affectu ruminare ſolebant, ut illa eſſet eis mel in ore, mel in aure, jubilus in corde. *Bloſ. cap. 3. Mon. Spir.*

Cultus.

XX. De S. Franciſca Romana in ejus vita legitur, quod dolores Chriſti patientis adeo vivaciter animo ſuo impreſſerit, ut, quotieſcumque crucifixionem pedum vel manuum Chriſti meditaretur, ipſa quoque in pedibus vel manibus ſuis acutiſſimos experiretur dolores; ſimiliter coronam meditando ſpineam, circa tempora ſua puncturas ſentiebat intolerabiles, hæcque intima illius compaſſio ad tantam uſque vivacitatem pertigit, ut ſanguinem ſæpius ſpueret, manus quoque & pedes vivo tingerentur ſanguine; ſicut & ob eamdem cauſam ex pectore ſuo diuturno tempore humor ſanguineus ſcaturivit, ut proinde de ipſa dici queat, quod de Seraphico Franciſco S. Bonaventura his verbis ſcribit: Memoria Paſſionis Chriſti viſceribus cordis ipſius impreſſa fuit medullitus. *Manſi diſ. 2. n. 4.*

XXI. De B. Henrico Suſone Bollandus ſic ſcribit: Præ aliis quibuslibet exercitiis cupide admodum trahebatur, ut aliquod ſuo in corpore geſtaret ſignum ſenſibile condolentiæ erga acerbiſſimam Crucifixi Domini Paſſionem. Effecit ergo ſibi crucem ligneam, longitudine palmi virilis: & congrua latitudine eique infixit clavos triginta in honorem vel memoriam omnium vulnerum Chriſti, quibus in nos ſuum eſt teſtatus amorem. Hanc crucem dorſo inter ſcapulas extendit in ipſa carne, & annis octo, dies atque noctes jugiter eam tulit, in laudem Crucifixi Domini ſui. Deinde extremo anno etiam acus ſeptem eidem impreſſit, quarum acies per mediam adegit crucem, cui firmiter cohærebant, reliquam partem acuum ſuperius reſecabat. Harum cruentatiooem acuum pertulit ob honorem acutiſſimi doloris, quo Virgiois Matris cor & anima in Filii morte confixa fuere. Quando hanc crucem primo ſuo corpori adſtrinxit, tenera ejus natura exhorruit; quamobrem ad ſaxum aciem clavorum pau- *Bollandus 21. Jan. f. 662.*

xil-

xillum retudit, ſed illico hac nentiquam virili mollitie victum ſe dolens, denique eos omnes lima exacuit, & ad corpus applicavit.

Ib. f. 607.

XXII. Idem qnoque Bollandus, tenerrimos matris Beati Henrici erga Paſſionem Domini affectus refert, dicens: Conſuetudinem ſibi fecerat omnes ſuas perpeſſiones in Chriſti Paſſionem demergendi, atque ita eas ſuperabat: narravit filio ſuo ante obitum ſuum, triginta annis numquam ſe Miſſæ Sacrificio interfuiſſe, quin ex intima compaſſione erga Chriſti cruciatus, & Matrem ejus condolentiſſimam, acerbe fleret. Aliqnando ſubineuntem Quadrageſimam ad templum quoddam abiit, ubi Chriſti de Cruce depoſitio exſculptis figuris in altari quodam expreſſa erat; coram his imaginibus ſenſibili quodam modo nonnihil percepit acerbiſſimi doloris illius, quem pertulit Virgo Mater ſub Crnce: atque ex hac anguſtia pia hæc mulier præ condolentia tantos ſenſit dolores, ut cor illius propemodum creparet, adeoque ut præ defectu in terram collabens nec videret quicquam, nec diceret. Sic igitur in domum relata, uſque in ſanctam Paraſceven, qua die cum Paſſio in Templo caneretur, circa horam nonam expiravit. In eadem igitur hora ex hac vita tranſiit, in qua Redemptor noſter æterno Patri Spiritum conſignavit, filioque ſuo apparens, ſe in cælum abire, jucundo vultu affirmavit.

Jo. Rho l. 1. c. 2. n. 6.

XXIII. Alexander Cardinalis Urſinus ſigilium Chriſti e Cruce pendentis in ſinu ita geſtavit, ut obverſis in pectus clavis, cum liberet apprimere (libebat autem ſæpiſſime) quinis illud compungeret vulnuſculis, & amori, ne incomitatus aut erubeſceret, aut dilaberetur, dolorem comitem adjungeret, cujus in ſinu pulcherrime, ac molliter illum didicerat conquieſcere.

Menſ. diſ. 4. n. 11.

XXIV. Pater Mendoza in concione quadam de Nativitate Chriſti, in Luſitania præcellentem quamdam raræque virtutis Principiſſam fuiſſe refert, quæ, cum in Monaſterio Jeſus appellato viveret, hanc habebat conſuetudinem, quod veſperis, priuſquam ad quietem concederet, Crucifixi imaginem manibus apprehenſam fixis oculis intueretur, adeo ut eos minime clauderet, donec a ſomno victa crucem dimiſiſſet. Nimirum Crucifixum totius diei terminum, & finem eſſe cupiebat; mane pariter ſubito apertos oculos in eadem dirigebat Crucifixi imaginem, ut per ejus in mente ſua impreſſionem, diei daret principium & finem.

Surius in vit. 2. Ap.

XXV. Apud Surinm de S. Franciſco de Paula legnntur ſequentia: Die Veneris Sancto, cum tempns migrationis adeſſe cognoſceret, circa horam, qua Chriſtus Dominus paſſus eſt, ligno Sanctæ Crncis devote conſignatus, Paſſione Dominica coram eo perlecta, junctis manibus erectiſque oculis in Cælum Crucis trophæum amplectens, & oſculans, ac ſæpius, *in manus tuas comendo ſpiritum meum* iterans, abſque doloris & mortis ſigno, feliciter migravit ad Dominum.

Chr. Aug. l. 2. c. 11.

XXVI. In Chronicis Eremitarum Ordinis S. Auguſtini ſcribitur de Hermanno de Allis, quod, dum mortis ſuæ horam imminere ſentiret, a convocatis ad aſſiſtendum morti ipſius Patribus, Paſſionis Dominicæ ſeriem ſibi prælegi petierit, & primo quidem, prout illa a S. Matthæo, ac demum prout a S. Marco conſcripta fuit, ſemperque lectorem monuerit, quando vel facienda pauſa, aut ſacer textus repetendus eſſet; cumque lector ad hæc perveniſſet verba: *Jeſus emiſſa magna voce expiravit:* ipſe quoque animam ſuam Creatori reddidit.

Parvi p. 1. c. 8 devot. 10. ex. l. 4. Hiſt. Minim.

XXVII. B. Joannes de S. MARIA Oblatus (ut vocant) Ordinis S. Franciſci de Paula, peculiariter afficiebatur erga *Ecce Homo*. Is per totum ſuum Oratorium nihil habuit, niſi hanc unam imaginem Chriſti, a Pilato populo oſtenſi: ſingulis annis Dominica Paſſionis peculiariter hoc feſtum coluit publiceque exponens ſuam imaginem portæ Eccleſiæ affixit, ut populus coram eo oraret: fuitque cauſa, ut ſenſim illud feſtum fuerit ſolemniter cultum; cum infinita multitudo accurreret ex pluribus locis ad honorandum hoc eo die myſterium; Ipſe vero ſemper hanc ſuam pietatem continuavit, ut nihil ei frequentius in ore eſſet, quam hæc duo verba: *Ecce Homo*.

Rho l. 1. c. 2. n. 4.

XXVIII. Eleonora a Spiritu S. Ordinis Minorum, cum audiſſet, imbrem illum ſanguinis, quo Chriſtus Dominus totam hanc noſtram adimplevit mortalitatem, guttarum omnino millibus quadraginta, & octies centum fuiſſe, id illa perſuaſum certo habebat; itaque non ante deſtitit, quam totidem egregias de animo ſuo, deque corpuſculo, & has non incruentas victorias rependit.

Ibid. n. 24.

XXIX. Henricus Rex Luſitaniæ, cum ignis Almerinas Luſitanorum Regum ædes vaſto depaſceretur incendio, & fuga Henricus, qui tum illas incolebat, cum domeſticis omnibus ſibi conſuleret, ſubiit animum, domeſtico in ſacello Crucifixi ſignum vetuſtiſſimæ venerationis aſſervari; quod niſi periculo ſubtraheretur, flamma corrumperet, ac devoraret. Ergo quamquam domeſticorum fidiſſimi non deeſſent, ratus, Regium ſanguinem pietatem illam decere, per medias furenteſque flammas irrumpens, ſacrum ſecum extulit ſignum, illæſus illæſum; ut intelligamus, Religionis cauſa præclare audentibus, nihil eſſe formidandum.

Utilitas.

Bolland. 4. Jan. f. 202.

XXX. In vitæ Beatæ Angelæ Fulginienſis ſequentia leguntur, prædictæ Virginis ore tradita: Dum ſic ſtarem abſorta ab illo dolore, & quaſi in dolores Crucifixi transformata, audivi, Crucifixum ſuper devotis ad ſuam Paſſionem, & imitantibus ipſam, & ſuper ſibi compatientibus dulciſſimas benedictiones ingeminantem, & dicentem: Benedicti vos a Patre meo, qui mihi compaſſi, & mecum ſimiliter contribulati, & viam meam ſecuti, ſtolas veſtras in meo ſanguine lavare meruiſtis.

Vit. l. 1. c. 6. n. 4.

XXXI. Sanctus Philippus Nerius in ſacrarum litterarum ſtudio dum apud Patres Auguſtinianos Theologiæ operam daret, magnos & inſignes faciebat progreſſus; nec mirum; quia cum ibidem imago quædam Crucifixi val-

Digitized by Google

xi valde devota proſtaret, quotieſcumque eamdem aſpiciebat, & ſuſpiriis ſe continere non poterat; ac proinde in capite ſequenti ejuſdem vitæ omoia ex hoc libro didiciſſe, ſibique comparaſſe dicitur, relictis omnibus aliis libris, quos vendidit, ut illorum pretio pauperibus ſubveniret, orationique, & quibus aliis exercitiis ſpiritualibus majori cum fervore applicare ſe poſſet.

Surius 14. April. XXXII. De S. Lidvvina Surius ſic ſcribit: Ejus vulnera, & dolores accutiſſimi (de Crucifixi doloribus loquitur) animam Virginis adeo penetrarant, ut, quamvis ipſa in ſingulis membris ſuis omnis generis cruciatus vehementiſſimos pateretur, ita ut omnes, qui eam cernerent, non poſſent non multa commiſeratione affici; eos tamen cruciatus quaſi pro nihilo putaret. Tota vita ejus in Chriſti rebus geſtis, tamquam in viridario amœniſſimo verſabatur, iis meditandis trahebat ardentiſſima ab imo pectore ſuſpiria, & ab oculis lacrymarum fundebat imbres, iiſque deficientibus guttas ſanguiguineas; illas autem lacrymas Crucifixi amore fuſas, apud familiariores appellabat roſas ſuas.

Idem in Vit. XXXIII. Idem de S. Eliſabetha in hæc verba ſcribit: Cum Eliſabeth pretioſis ornata veſtibus, auream capite geſtans coronam, ac familia frequenti ſtipata, rebus divinis interſutura templum intraſſet, primo intuitu Crux Dominica occurrens, & ex ea pendens imago Salvatoris eam compunxit, compunctæ lacrymas excuſſit, lacrymanti talia ſuggeſſit: En Creator, & Redemptor meus, nudo corpori, brevi dumtaxat præcinctus tegmine, mea cauſa ingnominioſam in cruce mortem oppetiit; at ego miſera gemmis, auro, byſſo, & purpura contecta, vitam cæleſtibus indignam beneficiis, perdo magis, quam ago. Illius caput intra Pilati ædes ſpinea corona diſpunxit, meum vero aurea venuſtat, illum ab amicis, & diſcipulis deſertum, Judæorum vallarunt opprobria, me numeroſa circundatam familia cuncti mirantur, ſuſpiciunt, & honorant. Cumque hæc meditaretur, effervéſcens in ſpiritu, in terram velut mortua corruit, adeo ut domeſtici ejus, myſterium ignorantes, eam aliquo accidente lethifero correptam fuiſſe exiſtimarint. Hocque Sanctitatis illius fuit exordium: nam immediate poſt Mundi vanitatibus, & deliciis regalibus ſpretis, hirſuto ſe induit cilicio ac ſemetipſam contemnens, corpus ſuum auſteriſſimis pœnitentiis maceravit.

XXXIV. De S. Margarita pariter Ungariæ *Idem 18. Jun.* Regis filia, Idem Surius refert, quod, cum quadriennis eſſet, Crucifixum quemdam conſpiciens, ſororem ſuam interrogarit; quidnam imago illa ſignificaret? ipſaque reſpondente, quod Filium Dei repræſentaret, qui pro ſalute, & redemptione noſtra in Crucem ſuffixus fuit; confeſtim ipſa expanſis tenellis brachiis ſuis accurrit, ut illum pectori ſuo firmiter adſtringeret, & coram Crucifixo proſtrata, eumdem adorans, & oſculans exclamavit, dicendo: Domine mi, me tibi committo. Et ab inde fervor, quo Mundi deliciis valedicentis, vitam aggreſſa eſt pœnitentem, perfectam ſuam traxit originem.

XXXV. Cum Alexander Alenſis Religionem Sancti Franciſci ingreſſus, auſteram illam vitam continuare non poſſet, priuſquam probationis annum finiret, Religionem deſerere ſtatuit. Quia vero Patres Ordinis propoſitum ipſius intelligentes magnopere de illo dolerent, non ſolum propter ſalutem ſpiritualem Novitii, verum etiam ob jacturam viri adeo ſcientifici, inceſſantes ad Deum orationes effundebant, ut huic viro, cœpto Religionis inſtituto concederet conſtantem perſeverantiam. Neque irritæ fuerunt hæ preces; ſiquidem nocte quadam in ſomno ſcala quædam ei repræſentata fuit, quæ pedibus terram, vertice autem cælos tangebat; hunc autem ſenex quidam ſanguine madens, ponderoſaque cruce onuſtus, ac S. Franciſcus fuiſſet, aſcendere parabat; unde & ipſe repetitis quidem vicibus aſcenſum illum meditabatur; at vero Sanctus Franciſcus ad illum cum indignatione quadam ſe convertens, repulit ipſum, dicendo: Non poſſes hanc magnam crucem portare mecum, qui non potes hanc levem cappam pro nomine meo portare. Et his dictis confeſtim viſio diſparuit. Alenſis autem deſuper ſe reflectens, erubuit, quod per gravem illam crucem deterritus, ad ſæculum redire ſtatuiſſet, ac proinde deinceps in Ordine perſeverare firmiter ſtatuit, quemadmodum ad extremum uſque vitæ ſuæ ſpiritum fecit. *S. Anton. p. 3 hiſt. c. 8 §. 1. tit. 24.*

XXXVI. In vita S. Philippi Nerii de ſanctimoniali quadam legitur, quod, cum ſe damnatam eſſe reputans, magnis angeretur deſperationis tentationibus, multique ſuam in hoc collocaſſent operam, ut eam in ſtatum ſalutis denuo perducerent, licet caſſo, & irrito eventu, tandem ſanctus Philippus eamdem quoque conveniens, ut conceptam deſperationem penitus deponeret, hoc eam convincit argumento, dicendo: Dic obſecro pro quo Filius Dei in Cruce mortem oppetit? Cui ipſa reſpondit: Pro peccatoribus: Et tu quænam es? ſubjunxit Philippus. Cui Religioſa reſpondit: Gravis ſum peccatrix; Ergo, ſubintulit Sanctus Philippus: Paradiſus tuus eſt. Hæcque verba, Paradiſus tuus eſt, tuus eſt, adeo tenaciter cordi ejus remanſerunt impreſſa, ut non ſolum omnis deinceps ceſſaverit tentatio, verum inſuper ad ultimum uſque ſpiritum, vivaciſſimam æternæ ſalutis ſuæ conceperit fiduciam. *Manſi diſ. 7. n. 4.*

XXXVII. In ſpeculo Exemplorum de juvene quodam, & divite ruſtico legitur, quod exercitium ſe quotidie Crucifixo recommendandi adeo ſibi familiare reddiderit, ut quotieſcumque ad lectum concederet, vel inde reſurgeret, ſigno Crucis in fronte, & pectore ſe communiendo, hæc verba proferre ſolitum fuerit *Jeſu Nazarene, miſerere mei, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti;* ſimulque Chriſtum Crucifixum rogarit, ne ſine Confeſſione moreretur. Accidit autem, quod morte repentina diem ſuum clauſerit extremum: cumque dæmones advolantes ani- *Idem n. 8.*

Digitized by Google

animam ipſius ſecum ad infernum raptare niterentur, ſplendidus quidam juvenis eoſdem abigens, prædictam animam in locum quemdam tenebroſum eduxit, deductam ibidem dereliquit; cumque anima more ſuo conſueto Cruce ſe ſignaret, & prædicta verba ſæpius repeteret, quidam lucis radii hinc inde ſcintillantes obſcuritatem loci illius nonnihil illuſtrarunt; unde redeuntes dæmones, ut animam ejus ſibi prædam facerent, a luce illa perterriti ad eamdem appropinquare haud præſumpſerunt; comparuit autem de novo juvenis ille, qui Angelus cælitus miſſus fuiſſe creditur, eique dixit, quod, tametſi ad inferni pœnas condemnari mereretur, Judex tamen propter merita devotionis erga Paſſionem ſuam, & Crucis ſuæ titulum exhibitæ, hanc ei largiretur gratiam, ut in vitam denuo redire, ſuaque peccata per Confeſſionem Sacramentalem expiare poſſet; qua peracta, demum in pace quievit.

Pratum ſpir. ca. 9. l. 3. XXXVIII. Cum Monialis quædam a ſpiritu fornicationis diuturno tempore erga Juvenem quemdam Clericum vehementer tentata, ardenti, quo eum deperibat, amori reſiſtere non potuiſſet, tandem illicitis laſcivi illius Clerici deſideriis conſentire parata, eumdem ut certa quadam noctis hora in deſtinato loco adeſſet, requiſivit: cum enim utpote Sacriſtana claves Eccleſiæ penes ſe haberet, euſque donec aliæ ſanctimoniales obdormiſſent, præſtolata, demum ad fores Eccleſiæ aperiendas ſe recepit, ut beſtiali appetitui ſuo ſatisfaceret; cumque ad primam portam acceſſiſſet, Chriſtum brachiis in cruce expanſis hærentem invenit, qui eam ne ulterius progredi poſſet, impediebat; veruntamen quia nihil aliud meditabatur, quam ut carnalem ſatiare poſſet concupiſcentiam, ad aliam ſe portam recepit, ubi pariter Redemptorem in ſpecie Crucifixi ſibi occurrentem, & exitum quaqua verſum prohibentem invenit; vehemens autem amor, quo agitabatur adeo eam excæcaverat, ut oculos mentis aperire nequiret, ab iterata vice ſibi recurrens tam manifeſtum divinæ pietatis miraculum: tandem vero cum omnes tentando Monaſterii portas in cunctis obvium habuiſſet grande hoc Crucifixi apparentis ſpectaculum, ad pedes ſtatuæ cujuſdam Beatæ Virginis proſtrata, quod nuſquam exitum invenire poſſet, coram eadem lamentata fuit. A qua imagine alapam adeo fortiter ſibi impactam recepit, ut velut mortua in terram corruerit, ibidemque ad horam uſque Matutini celebrandi permanſerit, vocibus autem reliquarum ſororum cantantium expergefacta, ac de errore ſuo reſipiſcens, ſuum amaris cum lacrymis confeſſa eſt peccatum, atque immenſum agnovit Chriſti beneficium, qui per aſpectum crucifixionis ſuæ eidem objectum, ab hac carnalitatis abyſſo, in quam ſe præcipitare decreverat, miſericorditer retraxit, & eripuit.

Panegu. Iſag. p. 2. c. 36. XXXIX. Neapoli non ante multos annos contigiſſe memorant Annales noſtri, quod nobilis, & prædives ab adoleſcente paris nobilitatis in conjugem petebatur, & jam in id conſenſerant utrimque parentes, & pro conoubialibus pactis communiter ſtabiliendis in aliquod conclave convenerant; cum puella in ſuo cubiculo ante pendentem e Cruce Chriſtum proſtrata, altioribus cogitationibus agitari cœpit, & divinioribus flammis accendi: Quid, ajebat, quid ago, Jeſu Fili Dei, & hominum amator? ſiccine, dum tu carnem tuam innocentiſſimam tam atrociter tractas, ego voluptates, licet in conjugio licitas conſectabor? ſiccine, dum tu vulneribus, & ſanguine deformaris, ego formæ excolendæ, & ego gemmis, & monilibus ornando corpori operam dabo? non fiet; & continuo ſibi comam reſcindit, eaque ad pedes Crucifixi appenſa, illam ipſam effigiem manu gerens, e cubiculo egreditur, & ad conclave, in quod omnes convenerant, ſe confert, ibi ad matrem converſa: Non eſt, inquit, domina, quod de conjugio meo ulterius agatis: Ecce ſponſus iſte meus eſt, quem elegi, & cujus pedibus crines meos, ut arrhas appendi. Mira hic inter omnes turbatio! admirantur aliqui, fremunt, & indignantur alii; ſed tamen penes Chriſtum novamque ejus ſponſam ſtetit victoria.

XL. Vivebat Romæ anno ducenteſimo vigeſimo primo ſupra milleſimum, puella, quam ob ſpeciei præſtantiam, vulgo pulchram Catharinam appellabant. Hæc tametſi Romanæ Juventutis eſſet non leve offendiculum, eo tamen S. Dominico, pro concione, exhortationibus, boni moris adducta eſt, ut Roſario de manu S. Viri accepto uteretur, ſæpe illud in templo, ad Dei Matris Imaginem, precando evolvens. Huic ergo tali mulieri, neſcio quo eunti, in platea ſe offert obviam Chriſtus juvenili habitu, forma elegantiſſima, beneque illi precatus quonam pergeret, ubinam habitaret, ſciſcitatus eſt? Non defuerunt Catharinæ urbanitatis officia, reſalutatum, ac domum ſuam invitatum adoleſcentem excepit perhumaniter, & ad menſam haud vulgariter inſtructam adhibuit; Hic, cum quidquid ille eduliorum tangeret, iſta infici cruore videret, mirata quærit, an fors læſus, vel an eſſet ea oculorum faſcinatio? neutrum, reſpondit ille; Sed heus! neſcis, hominis Chriſtiani cibum, potumque Chriſti ſanguine tinctum eſſe debere? Proh! inquit iſta, quam tu mihi ſerius es! quam ſuperſtitioſus! Equidem ſubjicit adoleſcens, & experiere tu quidem brevi: age modo ad cubile pergamus: nihil moratur, provolat, lectum ſubit, amicum invitat blande. Sed, o Dei bonitatem! ecce tibi Juvenis ille in alterum mutatus, coccinea ſe veſte talari indutum, ac gravi onuſtum Cruce exhibet meretriculæ, atque perforatum latus, manus, pedes, totumque adeo vulneribus conciſum corpus; tum ex ſingulis plagis emicantem lucem ſtellis rutilatiorem oſtentans, ſic amice querens, affatur; Eja! noſtin' me jam Catharina? agnoſcis eumdem illum, qui pro te olim paſſus ſum? quouſque in ſordidus *Pedag. Chriſt. 10. p. 1. c. 4. ſect. 2. pag. 302.*

volutari juvat, ac me iterom cruci affigere, & ſanguinem meum reddere inutilem? ergo peccandi finem nullum facies? Ad hæc Catharioa immenſo pudore ſuffuſa, in lachrymas abit, ad Chriſti pedes toto corpore proſternitur, veniam poſtulat, meliora in futurum pollicetur; Quod deinceps ita præſtitit, ut cum affligandi ſui modum non ſervaret, fuerit ab ipſa Dei Matre, quam in ſingularem ſibi Patronam adſciverat, corripienda, & præſeribenda pœnitendi moderatio.

Engelgr. in Dom. Quinq. §. 1. XLI. Dum S. Joannes Evangeliſta adhuc in terris exiſtens arderet videre Deiparam glorioſam, illa ipſi apparens bene longum cum eo de cruciatibus Chriſti ſermonem texuit, & inter alia dixit: Filium ſuum ei, qui jugiter Paſſionem ejus recoleret, tres prærogativas conceſſurum. 1. Ut ante mortem ferventis contritionis actum exercere poſſit. 2. Ut Deipara in agone ipſum ſpecialiter defendat. 3. Ut per ipſam quidvis impetrari poſſit.

Bleſ. c. 2. monil. XLII. S. Gertrudis divinitus dicebat, quoties quis Chriſti Crucifixi imaginem animo pie commoto aſpexerit, toties divinæ pietatis oculum ei adverti.

Vincent. in ſpec. hiſ. Surius in. vit. XLIII. S. Edmundo adhuc puerulo Chriſtus apparens ſuaſit, ut quotidie aliquod myſterium vitæ aut Paſſionis ſuæ meditaretur; id enim ei contra quaſvis tentationes, ad comparandas etiam, conſervandaſque virtutes, & tandem ad mortem feliciter obeundam, ſingulare præſidium fore.

Spec. Ex. diſt. 6. ex. 101. XLIV. Paſſionis Chriſti merito, Frater quidam ſine purgatorio ad cælos tranſivit, quia, quoties prope Crucifixum tranſierat, rogavit Chriſtum, ut propter amaritudinem in cruce toleratam, in egreſſu animæ ſuæ miſereatur.

Ib. diſt. 9. ex. 159. XLV. Cuidam Juveni Religioſo apoſtatare volenti apparens Chriſtus, latuſque diſcooperiens, & ſanguinem effluentem oſteodens, juſſit reverti ad Monaſterium, & omnia rigoroſa Ordinis ſui intingere in latus iſtud, & mox in dulcedinem vertenda dixit. Quod iile audiens rediit, ſancteque vixit.

Ludolph. de Saxon. p. 2. c. 58. XLVI. Cum quidam Religioſus initio ſuæ converſionis aliquando graviſſima deſperatione oppreſſus, in cellula ſua triſtis ſederet, audivit vocem dicentem: Surge: & meam paſſionem devote pertracta, & in amaritudine mea tuum dolorem vinees. Surrexit, & liberatus eſt.

Sur. 27. Sept. c. 23. XLVII. S. Elzearius Comes conſideratione Paſſionis Dominicæ ad tantam in omnibus adverſis patientiam pervenit, ut licet graviſſimis affectus injuriis fuiſſet, numquam impatienter aliquid dixiſſe vel egiſſe ſciretur. Unde, & eamdem in agone ſibi prælegi jubebat: & licet terribilem ab initio vultum tunc oſtenderit, paulo poſt tamen dixit: Magna eſt dæmonum vis, ſed eam penitus enervarunt virtus, & merita SS. Paſſionis.

Mar. ter. 1. lect. 18. prop. 1. XLVIII. Godefridus Bullonius, cum electus eſſet primus Rex Jeroſolymæ, numquam voluit uſurpare titulum Regis, nec coronam ſibi imponi permiſit, indignum exiſtimans, ut ſervus coronaretur auro in eo loeo, ubi ſummi Regis caput ſpinis coronatum eſt.

Ib. lect. 2. XLIX. S. Hieronymas de ſe dixit: Cum graviſſimis urgerer tentationibus, ſedebam ad pectus Jeſu, & pectus percutiens ſæpe ibi multos dies, & noctes tranſegi, donec rediret animæ tranquillitas. Ibi quoque ſapientes animæ ſederunt, ut ſapientiam haurirent.

Ibid. L. S. Bonaventura rogatus a S. Thoma Aquinate, ut bibliothecam oſtenderet, ex qua tam ſublimem ſcientiam hauſiſſet, Crucifixi imaginem oſculis, & lachrymis detritam oſtendit.

Jucunditas.

Thomas Cantip. l. 2. apium c. 57. §. 36. LI. Thomas Cantipratanus de quodam milite, qui factus Monachus Ciſtercienſis, a memoria voluptatum, & deliciarum, quibus in ſæculo gaviſus fuerat, ſeductus, in vita religioſa continuanda vacillabat, refert ſequentia: Cum graviſſime a diabolo ad exitum tentaretur, & de nocte io noctem meditaretur apoſtatare per fugam, ſemel parato ad exitum, & quaſi commodiorem horam noctis in lectulo præſtolanti, & ſemivigilanti, Chriſtus apparuit in forma perſonatiſſimi viri, & cum ex illo quæreret, quid ſic jacens haberet mali, reſpondit ille: Dolorem cordis habeo, & magnum defectum debilitatis in membris; cui Domious groſſum panem hordeaceum offerens, dixit: Surge, & comode panem iſtum, quem ille turbatus intuitus, quomodo, inquit, groſſum panem iſtum comederem, qui paoem monaſterii ſimilagineum manducare non poſſum? Tum Dominus detecto latere, vulneri pectoris, ſanguinem profluenti, hordaceum panem admovit, & tali profluvio madeſactum jubet comedere languentem, mox ille cum horrore membris diſſiliens: Heu, inquit, Domine, quomodo taliter pollutum comederem, qui prius ſaltem mundum, ſed aſperum comedere recuſabam? Et Dominus, quaſi minaei vultu eum intuens, reſutanti inquit: oportet ut guſtu ſaltem attentes, quid ſapiat panis iſte. Cumque ille diffugium non haberet, & ſuſceptum panem tremebundus ſummis vix labiis attigiſſet, ſenſit in pane ſuper omnem ſuavitatem dulcorem mirabilem, quem hianti quidem ore contrectans, totum ſubito cum mira aviditate comedit. Nec mora, Domino diſparente, tentatus ille ad ſe reverſus eſt, & quid vidiſſet, ſenſiſſetque, ſiocero corde retractans, ab omoi dolore mentis, & carnis tentatione convaluit, & io magoa tranquillitate ſpiritus uſque in finem permanſit. Quid mirum! hordeaceus panis auſteri Ordinis mellea Chriſti lateris perfuſione linitus eſt.

Surius 16. Jun. LII. S. Ludgardis quoties corpore aut ſpiritu afflictam ſe videbat, toties ad Crucifixi imaginem ſeſe conferens, illum aliquando cum magna animi intentione contemplabatur, donec toto corpore viribus deſtituta, ſpiritu extra illud raperetur, in quo quidem raptu Chriſtum præſentem cernebat, & ore proprio ad cruentum latus ejus applicito, tantum inde dulcedinis, tantum conſolationis hauriebat, ut nulla poſtmodum adverſitate concuti poſſet.

Imi-

Digitized by Google

Imitatio.

Chr. min. l. 1. cap. 205. LIII. S. Franciſcus petens a Deo, quo exercitio maxime Deo placere poſſet, ter Miſſale aperuit, ſemperque paſſionem reperit.

Annua Soc. 1599. f. 21. LIV. Florentiæ cum Virgo quædsm ad puteum, ſe præcipitatura, pergeret, ne Sodalis ſuæ aſperitatem diutius ferre cogeretur, Chriſtus ei apparens dixit: Redi ad te mulier parvi animi, & cogitans, quos ego, quantoſque cruciatus amore tui pertulerim, ſororis tuæ voculas inſuper habere diſce.

Surius 30. Apr. LV. S. Catharina Senenſis cum Chriſtus ei cum corona aurea in dextra, & ſpinea in ſiniſtra apparuiſſet optionemque alterutrius reliquiſſet, illa magno fervore ſpineam elegit, capitique ſuo tam firmiter impreſſit, ut longo tempore gravem inde dolorem ſenſerit.

Surius 10. Dec. LVI. S. Eulalia cum toto corpore ferreis pectinibus dilacerata fuiſſet, exultans ad Chriſtum dixit: Nunc, o mi Sponſe, & Redemptor, quam bene reſplendet in me per vulnera iſta viva tui imago: & characteres iſti in corpore meo per ſanguinem meum exarati, quam ad vivum mihi exprimunt, & repreſentat ipſam paſſionem tuam.

Surius 18. Aug. LVII. S. Agapitus per quindecim annorum virgis, nervis, igne, fumo, aqua bulliente, & aliis tormentis excruciatus, cum in capite ejus carbones congererentur, gratias agens Deo dixit: Parva res eſt, ſi caput coronsndum in cælo, prunis coronetur in terris. O quam decorabit corona gloriæ plagas, & vulnera excepta pro Chriſto.

§. VI. EXEMPLA DOMESTICA.

Lyræus l. 2. apoph. 87. I. S. Ignatius tanto recolendæ Paſſionis ardore ſuccenſus fuit, ut ordinarie in Miſſa, quam in converſionis ſuæ primordio audiebat, Paſſionem legeret. Eumdem in finem palmarem Crucifixi effigiem circumgeſtare in pectore ſolebat. Cumque poſtea ab Amicis nulla ratione perſuaderi potuiſſet, ut paternam domum viſeret, per Paſſionem Domini tandem rogatus conſenſit. Sed & in Gallia Ciſalpina ab Hiſpanis pro exploratore habitus cum inſignibus contumeliis exciperetur, Chriſtum ab Herode illuſum ſibi proponeus, ſumma cum patientia tulit injuriam.

Vita l. 8. c. 3. II. S. Franciſcus Xaverius ad omnem ſanctitatem incitabatur præcipue crebra vitæ mortiſque Domini noſtri meditatione, ex qua exardeſcebat in illo humanæ ſalutis, & Martyrii cupido, totumque ſe ad illius imitationem pro illius gloria, & ſalute hominum devovendi. *L. 4. c. X.* Tanto vero affectu Japonenſibus adhuc Ethnicis Chriſti Paſſionem explicabat, ut lacrymas illis excuteret.

Orland. l. 3. n. 17. & Lyræus l. c. III. P. Petrus Faber in inchoandis horis Canonicis, in acerbiſſimos Chriſti cruciatus figebat aſpectum, & ut in pſalendo progrediebatur, ita in reputandis acrioribus ejus pœnis atque doloribus procedebat. Valliſoleti cuidam viro primario modum orandi, & meditandi petenti, hæc quatuor puncta præſcripſit. 1. Chriſtus Dominus noſter fuit omnium rerum egenus, & ego omnium dives. 2. Chriſtus eſuriit, & ego laute vivo. 3. Chriſtus Servator meus in cruce nudus pendet, & ego ſplendide veſtibus incedo. 4. Jeſus doloribus, & laboribus oppreſſus fatiſcit, & ego delicatus pati nihil valeo. Quæ quidem capita vir ille ab initio nou magni fecit, ſed poſtea inter convivium verſanti adeo inhæſerunt, ut, quo lacrymis, & affectibus liberius indulgeret, e menſa ſurgere, & in conclave ſeccedere fuerit coactus.

Hiſt. Soc. p. 4. l. 7. n. 246. IV. P. Simon Rodericius, ne Crucis obliviſceretur, ejuſdem imaginem palmarem pectori inſculpſit. Quem ipſum in finem etiam prægrandem e ligno crucem in cubiculo habebat, ad quam, lucente ante eam lampade noctu evigilans animum oculoſque elevabat.

H. S. p. 2. l. 12. n. 96. V. P. Claudius Inius quotidie unum e ſacris Chriſti cruciatibus retractabat.

Ib. p. 2. VI. P. Franciſcus Villanova in ſuis meditationibus non aliam ſumebat materiam, quam vitam, & Paſſionem Chriſti, dictitans, ſublimiores materias ſe in cælum ſervare.

Annua 1610. VII. P. Thomas Sanchez die Veneris ad honorem S. Paſſionis flagello ſe cæcidit, cilicium tulit, & toto pene die illam cogitavit.

Vita c. 9. §. 2. VIII. P. Baltaſſar Alvarez rogatus, quem modum in orando teneret, cum adhuc junior eſſet, reſpondit, ſibi ſtatim in ipſo ingreſſu offerri ſanctiſſimos Chriſti crucifixi pedes, quos ipſe primum adorabat, & ad eos conſtitutum: ſe meditari altiſſimam omnium virtutum lectionem, quam ex Cathedra ſupremus ille Magiſter docuit; ex quo valde accendebatur ad ſe mortificandum, crucique affigendum; ad juvandos quoque proximos, pro quorum amore tantus Magiſter tot labores ſuſtinuit. Hortabatur vero omnes incipientes ad meditaudam Chriſti paſſionem tamquam ſpiritualis eorum profectus fontem, & in ordinariis ſuis exhortationibus frequenter hoc repetebat: Ne exiſtimemus, nos aliquid feciſſe, donec eo perveniamus, ut ſemper Chriſtum crucifixum in corde habeamus. Semper Chriſti crucifixi imaginem in cubiculo habebat, in quem frequenter aſpiciebat. Præcipuo tamen ſtudio in Chriſto crucifixo tres ejus comites, ſcilicet paupertatem, & contemptum, & dolores conſiderabat, & in ſe transferre ſtud:bat.

Lyræus l. 2. apoph. 97. IX. P. Gaſpar Paranymphus ad memoriam Paſſionis inter populares ſuos in Sicilia excitandam effecit, ut Feria ſexta ſub meridiem ære campano ſignum daretur; ſed & paſſim ædiculæ parvæ excitarentur.

Ibid. X. P. Didacus Martinus, ut memoriam Paſſionis Chriſti, quam interdiu ſemper fovebat, etiam de nocte conſervaret, caput aſperrimo cilicio obvolvebat.

Ibid. XI. P. Joſeph Anchieta fideli Amico ſuo narravit; ſe cum in ſeceſſu annuo de cruciatibus Chriſti meditaretur, magnam eorum partem cum acerbiſſimo dolore ſenſiſſe.

Ibid. XII. P. Ferdinandus Suarez totum cubiculum ſuum crucibus inſtruxit, quas perpetuo amplecteretur.

Ibid. XIII. P. Joannem Gondinum quacumque noctis hora conveniſſes, coram crucifixi Servatoris imagine deprecantem inveniſſes.

Digitized by Google

Vita p. 2. ſ. 118. XIV. Joannes Berchmannus dicere ſolebat, in rebus adverſis non eſſe tutius aſylum, quam ſinum, plagaſque Chriſti, & pallium B. V.

§. VII. EXEMPLA PROFANA.

I. Pilato ſedente ad tribunal, miſit ad eum Uxor dicens: Nihil tibi, & juſto illi: multa enim ſum paſſa hodie per viſum propter eum. Cujus rei S. Ignatius Epiſcopus cauſam aſſignat his verbis: Cum paranda eſſet crux, diabolus tumultuabatur, & pœnitentiam immiſit proditori, & laqueum illi monſtravit, & ſuſpendium, quo ſtrangularetur, edocuit; & mulierculam turbans eamdem in ſomniis, ut a crucifigendo ceſſarent, inducere moliebatur, qui prius omnem lapidem moverat, ut eadem Crux pararetur, non quod pœnitudine duceretur, ob tantum malum (hac enim parte ſuiſſet minus ſceleratus) ſed quia propriam ſuam perniciem ſentiebat. *S. Ign. Ep. ad Philip.*

Daurolt. c. 1. tit. 21. §. 2. II. Pilatus, qui ſententiam damnationis in Chriſtum dixerat, & Ipſe Viennæ perpetuum in exilium relegatus eſt, tantiſque (irrogante Cajo) languoribus coarctatus, ut ſua ſe manum tranſverberans, multorum malorum compendium mortis celeritate quæſierit.

Ibid. tit. 45. §. 1. III. Ad Proceres Francos in bello captivos olim Saracenus acceſſit, quæſivitque, num in Chriſtum pro ipſis crucifixum, & reſurgentem crederent; quibus ita ſe credere affirmantibus, addidit, eos nec fracto, nec mæſto animo eſſe debere, ſi tantulam calamitatem ſubirent ejus nomine, qui extrema ſupplicia pro ipſis exantlaſſet, nondum enim ad mortem uſque ipſos decertaſſe. Quod ſi tantæ ſit poteſtatis, ut propria virtute a mortuis reſurgere potuerit, dubitandum non eſſe, quin ipſos etiam brevi ex ſuis calamitatibus eximeret; id quod eventus probavit.

Spec. ex. diſt. 9. ex. 201. IV. Cum quidam Peregrinus cum Saraceno in die Paraſceves, per ſilvam iter faciens, omnes aves quaſi mortuas in arboribus ſuſpenſas hærere vidiſſet, poſtea vero in feſto Paſchatis rediens iterum redivivas, & ſuaviter canentes audiviſſet, quærens cauſam ex Saraceno, intellexit, ſingulis annis eo tempore id accidere, atque adeo illas patienti Chriſto condolere collegit.

Matt. 27. V. Dum Chriſtus emiſit Spiritum, velum templi ſciſſum eſt in duas partes a ſummo uſque deorſum, terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt; & exeuntes de monumentis venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis.

Fab. conc. 3. in Paraſceve. VI. Regulus quidam Gentilis, Obo nomine, cum audiſſet Dei Filium tam indigna morte mulctatum fuiſſe, ita accenſus dixit: Ecquis tam immane facinus perpetrare auſus eſt? quæ gens? quæ natio? quibus in terris habitat? quo nomine vocatur? Cumque aliqui placare eum conarentur, dicentes: Deum ultro ſe morti obtuliſſe, ſubjecit ille: an vero Deum, vera prædicantem, occidere debuerunt?

§. VIII. SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut viator non bibit de flumine aut torrente, niſi magno æſtu calens; ſic Chriſtus non bibiſſet de torrente paſſionis, niſi ipſum accenſa erga nos charitas impuliſſet. *Fab. l. c. conc. 2. R. 1.*

II. Sicut Patrefamilias moriente, tota ejus domus turbatur, omnis familia plangit, & nigris ſe veſtibus operiunt; ſic humano genere, propter quod omnia fuerant creata, circa exitum conſtituto, & moriente capite illius Chriſto; totus contriſtatur mundus, univerſa cæli miniſteria lugent, & candore depoſito, tenebroſis nubibus velut veſtibus veſtiuntur. *S. Chryſ. hom. 40. in Matt.*

III. Sicut Veſpa, cum impetit petram, non eam lædit incurſu, ſed proprium perdit aculeum; ita mors incurrendo Chriſtum, non hunc, ſed ſe ipſam læſit; unde inſultans illi dicit: Ubi eſt, mors, victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus? *1. Cor. 15. v. 55.*

IV. Sicut Leo non ſolum vigilans, ſed etiam dormiens terribilis eſt; ſic Chriſtus non ante crucem tantum, ſed etiam in cruce terribilis erat, magnaque deſignabat miracula. *Procop. in Gen. c. 49.*

V. Sicut hamum eſca conſeptum ſi piſcis rapiat, non ſolum eſcam cum hamo non removet, ſed & ipſe de profundo, eſca aliis futurus educitur; ita is, qui habuit mortis imperium, rapuit quidem in mortem corpus Jeſu, non ſentiens in eo hamum divinitatis incluſum, ſed ubi devoravit, hæſit continuo, & diſruptis inferni clauſtris, velut de profundo tractus traditur, ut eſca cæteris fiat. *S. Cypr. de ſingul. Cleric.*

Utilitas.

VI. Sicut Medicus non habens neceſſitatem cibi, qui ægroto paratus eſt, prægustat, ut & ægroto ſumptionem perſuadeat; ſic & Dominus, quoniam omnes homines mortem timebant, perſuaſit illis, ut fiducialiter ad mortem accederent, ideoque ipſe illam guſtavit, licet nullam ejus neceſſitatem haberet. *S. Chryſ. hom. 4. in c. 2. Hebr.*

VII. Sicut per unius hominis delictum, tranſiit in omnes homines condemnatio; ita per unius juſtitiam in omnes juſtificatio derivata eſt; ſicut enim per unius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi; ita etiam per obedientiam unius juſti conſtituentur multi. *Theodor. dial. 3.*

VIII. Sicut olim, qui intuebantur ſerpentem æneum in deſerto, non peribant morſibus ſerpentum; ſic qui fide intuentur Chriſti mortem, ſanantur morſibus peccatorum. *S. Aug. in Joan.*

IX. Sicut impoſſibile eſt, ut aliquis farinam tractet, & inde pulverem non contrahat; ſic fieri non poteſt, ut aliquis cum devotione etiam parva, Dominicæ intendat Paſſioni, & nullum inde fructum percipiat. *S. Gertr. l. 3. in fin. c. 41.*

X. Sicut aquæ amaræ factæ ſunt dulces, poſtquam Moyſes lignum a Domino oſtenſum in eas miſit; ſic lignum Crucis in aquas tribulationum miſſum, eaſdem ſuaves, & gratas facit. *Exod. 15.*

XI. Sicut panis durus, ſi aqua maceretur, facile, & cum voluptate ſumitur; ita dolores noſtri, & labores, licet duri ſint, leves, & ſuaves *S. Cath. Sen.*

Digitized by Google

ves efficiuntur, ſi per meditationem ſanguini, & paſſioni Chriſti immergantur.

S. Franc. Salef. l. 11. de amor.

XII. Sicut purpura ſuum pretium non a lana, ſed a tinctura habet; ſic opera noſtra ſuum valorem non ex ſeipſis, & ſua bonitate, ſed a tinctura ſanguinis Chriſti accipiunt.

Ibid.

XIII. Sicut Virga Aaronis prius tota arida, ubi ſummi Sacerdotis nomen ei inſcriptum fuit, florere, & germinare cœpit; ita & anima noſtra ex ſe ſterilis, quam primum ſummi Sacerdotis Chriſti nomen ac Paſſio inſcripta fuerit, uberes fructus producet.

Manſi d. 12. n. 3.

XIV. Sicut ſi quis redemptionis ſuæ pretium in ſua haberet poteſtate poſitum, illud autem in ſcrinio ſuo teneret recluſum, eique a quo captivus tenetur, non extraheret, aut numeraret, ad nihilum utique eidem redimendo profuturum eſſet; Chriſtus gratis nobis ſanguinem ſuum dedit, ut inde a ſervitute peccati, & inferni redimamur; at vero pretium hoc inutile nobis erit, niſi illud pro redemptione noſtra adhibeamus; Ac proinde ſanctus Apoſtolus ſubdit, inquiens: *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.*

S. Chryſ. in Exod.

XV. Sicut regiæ ſtatuæ quamvis inanimatæ ſint, eos tamen, qui ad ſe confugiunt, ſervare ſolent, non quia ſtatuæ ſunt, ſed quia regem repræſentant; ſimiliter, & Agni ſanguis, homines ſalvos faciebat, non quia ſanguis erat, ſed quia Sanguinem Chriſti referebat.

Bloſius in Inſtruct. Vit. aſcet. f. 1690.

XVI. Sicut ille, qui opobalſamum vel leviter contingit, neceſſario ſuavem odorem retinet; ita is, qui Paſſionem Dominicam pie recolit, licet permodico affectu id faciat, non poterit non referre augmentum gratiæ divinæ, ſed nec effigiem quidem crucifixi Redemptoris homo Chriſtianus orthodoxæ fidei unquam reverenter aſpexit, aut aſpiciet, ſine grandi utilitate.

Meditatio.

Rodriq. p. 2. tr. 7. c. 2.

XVII. Sicut matri diviti plus placeret, ſi filius peregre profectus aſſiduo de ipſa cogitaret, & materna beneficia, & amorem erga ſe conſideraret, quam ſi neſcio quas divitias ei ſubmitteret; ita Chriſto præ aliis operibus placet, ſi ſanctiſſimam ejus Paſſionem, & beneficia per hanc collata animo ſæpe volvamus, & apud alios commemoremus.

Templer. 12. 1. in Dom. Quinq.

XVIII. Sicut inſanus haberetur, qui accepto a Rege litterarum faſciculo, in quo certo ſciret incluſum deferri regium chirographum de ingenti aliquo reditu, differret illum reſignare, & legere uſque ad mortem; ita ſeipſos mirabiliter fallunt, qui circa mortis articulum de Domini pro ipſis paſſi morte devote ſe cogitaturos exiſtimant.

Applicatio.

XIX. Sicut, ſi amicus aliquis, te pro meritis ad ſupplicium quæſito, veſtes tuas indueret, & teipſum pro te capi, damnari, & in crucem agi fineret, tu vero vicem ejus non doleres, ſed contra poſt illum vociferareris, quin carnifices in ipſum concitares, & teipſum pro tali offerres, mille mortes promeritus cenſereris; ita, cum hoc ipſum faciat peccator gravis, merito etiam gravi pœna dignus videbitur.

Fab. conc. 6. in Dom. Paſſ.

XX. Sicut ſigillum non exprimit in cera ſui ſimilitudinem, niſi ceræ cum impetu impreſſum; ſic non poteſt in nobis efformari Chriſtus, ejuſque meritum, niſi adhibito aliquo voluntatis, & operum conatu. Et ideo ſponſus ſe velut ſigillum ſuper cor, & brachium poni jubet.

Ibid.

XXI. Sicut Paterfamilias jubet in domo ſua ad omnes januas appendi vaſculum aquæ benedictæ, ut egredientes moneamur, ea ſe munire; ita Eccleſia ubique cruces, aliaque inſtrumenta Paſſionis proponit, ut ea venerando nobis applicemus.

Ibid.

XXII. Sicut fons aquarum hauriri, & bibi debet, ut effectus ſuos exerat; ita Chriſti merita nihil nobis proderunt, niſi per fidem vivam, & Sacramentorum religioſam uſurpationem applicetur.

§. IX. MOTIVA.

S. Aug. man. c. 21.

I. *Utilitas ad peccata vitanda*, nam, ut recte S. Auguſtinus dixit, non poſſum terreri multitudine peccatorum meorum, ſi mors Domini in mentem venerit, quoniam peccata mea illum vincere non poſſunt. Clavi, & lancea clamant mihi, quod vere reconciliatus ſum Chriſto, ſi eum amavero. Longinus aperuit mihi latus Chriſti lancea, & ego intravi, & ibi requieſco ſecurus. Quod ipſum etiam Chriſtus S. Gertrudi revelavit, dicens: Quilibet poterit reſpirare in ſpem veniæ (quamlibet etiam gravi pondere peccatorum ſe ſenſerit depreſſum) offerendo Deo Patri meam innocentiſſimam paſſionem, & mortem. Credat peccator, ſe per hoc obtinere ſaluberrimum fructum indulgentiæ; quia nullum tam efficax remedium contra peccata poterit in terris haberi, ſicut devota memoria meæ paſſionis.

Bloſ. in conclav. c. 1. n. 2.

Orig. in c. 6. Joan.

II. *Utilitas ad carnem ſubjugandam*, uti Origenes indicavit, dicens: Certum eſt, quia ubi mors Chriſti animo circumfertur non poteſt regnare peccatum; eſt enim tanta vis crucis Chriſti, ut ſi illa ante oculos ponatur, nulla concupiſcentia, nulla libido ſuperare poſſit, ſed continuo ad ejus præſentiam totus ille peccati, & carnis fugatur exercitus. Quod confirmans Manſi, ſic ait: Nulli ignotum eſt, quod in hæmorrhoiſſa contigit miraculum, quæ poſt perpeſſum duodecim annis continuis acerbum ſanguinis fluxum, qui multis medicinarum, & Medicorum diſpendiis haudquaquam curari potuit; tandem ad veſtem Redemptoris acceſſit, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus. Hujus autem infirmitatis myſterium Sanctus Thomas Aquinas exponit, dicens: Patitur fluxum ſanguinis, propter fluxum carnalium delectationum. Ad hunc vero fluxum ſiſtendum, & exſiccandum, unicum, & potens eſt remedium, ſi quis per ſeriam meditationem mortem, & paſſionem Chriſti tangat, & ruminet; ſiquidem ut Sanctus Antonius de Padua exponit: Veſtimentum Chriſti ipſius eſt caro, de qua Iſaias cap. 63. *Quare rubrum eſt indumentum tuum?* Jeſus torcular, id eſt, preſſuram Crucis ſolus ſu-

Manſi d. 10. n. 8.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſtinuit, in quo veſtimentum ſanguine rubricavit; Hujus veſtimenti fimbria eſt ipſa paſſio, quæ animam liberat a ſanguinis profluvio; contra enim carnis vitia ſumme valet memoria paſſionis Chriſti.

III. *Utilitas ad dæmonem vincendum*; id quod Deus ipſe judicaſſe videtur, dum olim Moyſi ſerpentem quemdam æneum in palo quodam erigere, & ſuſpendere præcepit, ut, quiſquis ab ignitorum deſerti ſerpentum morſibus ſauciatus fuiſſet, ſerpentem illum firmiter reſpiciens a veneno contracto liberaretur. Sed omnia in figura contingebant illis. Hic namque ſerpens Chriſtum in Cruce hoc fine ſuſpenſum, ut infernalis ſerpentis venenum aboleret, præfigurabat. Chriſtus enim ſerpens erat, quia omnia peccata noſtra, quorum dæmon auctor fuerat, in ſe aſſumpſerat: At vero quid tandem evenit? Chriſtus reſurrexit; at vero ſerpens infernalis diabolus, ibidem confixus remanſit, atque inſuper increata Sapientia effecit, ut, quiſquis deinceps mentis ſuæ oculos in myſticum hunc ſerpentem, Chriſtum ſcilicet crucifixum, elevaret, ab omni tentationis, & ſuggeſtionis pravæ veneno liber evaderet. Unde Sanctus Bernardus in Epiſtola quadam, ad quemdam Novitiorum ſuorum exarata, ſcribit: Si tentationum ſentis aculeos, exaltatum ſerpentem æneum intuere, & fuge non jam ad ubera, quam vulnera Crucifixi. Apud Bloſium quoque legitur, quod diabolus aliquando volens decipere, & ad nimiam puſillanimitatem, ſive ad deſperationem adducere Sanctam Virginem Catharinam, nitebatur ei perſuadere, quod vita ipſius falſa, inutilis, & perverſa eſſet. Illa igitur a Dei bonitate (quæ vere pœnitenti numquam ſe negat) edocta, humiliter elevavit mentem ſuam ad miſericordiam Divinam; dicens: Ego aperte confiteor Creatori meo, me quotidie in tenebris fuiſſe, maleque vixiſſe, verumtamen fiducialiter latitabo in plagis Domini mei Jeſu Chriſti, & omnium iniquitatum mearum maculas pretioſo ſanguine ejus abluam. Poſt hæc verba diabolus in fugam verſus eſt. Sed & Surius de S. Elizeario Ariani Comite, in hæc verba ſcribit: Sumpta Euchariſtia, & ſancto perunctus oleo, cum diceretur poſtea: *Per ſanctam crucem, & paſſionem tuam, libera eum Domine*, ipſe eumdem verſum tertio repetivit, addens: Hæc eſt ſpes mea, in hac volo mori. Ad extremum jam in agone poſitus, vultum præ ſe tulit valde terribilem, unde colligi potuit, in magno eum tunc verſari labore, ob aliqua ſibi objecta; Exclamavit autem, dicens: Magna eſt dæmonum vis, ſed eam penitus enervarunt virtus, & merita ſacroſanctæ Paſſionis Chriſti. Poſt paululum exclamavit, dicens; Plane vici. De Sancta Birgitta in tenera etiamnum ætate conſtituta, refert idem Surius, quod viderit diabolum, tamquam centimanum, aut centipedem, horrenda ſpecie deformem; Perterritaque cucurrerit ad lectulum ſuum, humiliter ſe Chriſto commendans, ubi rurſus ille teter ſpiritus ei apparens dixit: Nihil poſſum, niſi permittat Crucifixus. Unde merito dixit S. Auguſtinus: Cum me pulſat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Chriſti; cum me reprimit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei reſurgo; cum diabolus mihi parat inſidias, fugio ad viſcera miſericordiæ Domini mei, & recedit a me. Quin & S. Edmundo diabolus faſſus eſt, paſſione Chriſti ad iſtius inſidias, & vires infringendas nihil dari efficacius.

S. Bern. 331.

Bloſius in conclav. c.1. n.19.

Surius in vit.

S. Aug. c.22. Man.

IV. *Utilitas ad adverſitates fortiter tolerandas*; nam ſi paſſio Chriſti ad memoriam revocatur, ait S. Gregorius, nihil adeo durum eſt, quod non æquanimiter toleretur. Unde Beatus Laurentius Juſtinianus ſalubriter monet, dicens: Erigamus omnes nos, qui Domino Jeſu elegimus militare, mentis oculos in Crucem Domini, cum tentamur, & læve exiſtimabimus, quod toleramus, in comparatione illius. Sic martyres confortabantur, inquit S. Auguſtinus (qui, & idipſum ſua experientia teſtatus eſt) ad omnia, quæ perſecutores libuiſſet facere, perferenda. Sic paulisper occultata tremenda potentia, commendabatur prius imitanda patientia. Sic regnum, quod de hoc mundo non erat, ſuperbum mundum, non atrocitate pugnandi, ſed patiendi humilitate, vincebat. Sic illud granum multiplicandum ſeminabatur horribili contumelia, ut mirabili pullularet in gloria.

S. Greg. in epiſt. & ap. Manſ d. 6. n. 2.

S. Laur. Juſt c.11. de Monaſt. diſc.

S. Aug. tr. 116. Joan.

V. *Utilitas ad virtutes addiſcendas, & vitia extirpanda*; uti Author a Manſi citatus indicavit, dicens: Horrebant homines, quicquid aſperum, quicquid humile, & abjectum erat; colebant, ſuſcipiebant, & laudabant ſolum gloriam, divitias, voluptates: & ecce dum Dei Filius Crucem aſcendit, dum contemptum, paupertatem, & dolores amplexus eſt, vaniſſima illa Gentium dogmata omnia corruerent; Effecit Chriſtus, ut Mundus coleret humilitatem, & contemptum vitæ, paupertatem, obedientiam, patientiam, caſtitatem. Et Sanctus Laurentius Juſtinianus ait: Munitiſſima ſunt hic præſidia, & inimicis inacceſſibilia; ubi reparantur vires, recaleſcit animus, reviviſcit ſpiritus, renovatur mens, redintegratur, quod diſſipatum fuerat, quod amiſſum, quod debilitatum, quod fuerat periturum. De virtutibus adhuc clarius id indicans S. Bonaventura: Si vis, inquit, o homo, de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de bono in melius proficere, quotidie, quanta potes, devotione mediteris Domini Paſſionem, quia hæc mentem alienat, & non ſolum reddit Angelicum, ſed Divinum.

Manſi d. 1. n. 2.

S. Laur. Juſt. de caſt. conn. c.6.

S. Bon. apud Lyr. l.3. apoph. 17.

VI. *Utilitas ad mortem feliciter obeundam*, uti facto ipſo S. Bernardinus declaravit, dum in extremo mortis articulo inimico infernali, eum graviter tentanti, ejuſque vitam nihil aliud, quam meram hypocriſim fuiſſe affirmanti, reſpondit; Probe idipſum cognoſco; Scio enim, quod nihil unquam boni præſtiterim; verumtamen in Redemptoris mei Sanguinem ſecurus confido, in eoque omnem ſpem meam collocatam habeo. Unde idem mellifluus Doctor in ſermone quodam hoſce pariter exprimit affectus: Peccavi peccatum grande, turbatur conſcientia, ſed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor,

S. Bern. ſer. 61. in Cant.

Digitized by Google

Vita S. Cathar. l. 1. c. 3. bor: S. Catharina Senenſis, quæ Paſſioni Dominicæ meditandæ devotiſſima fuit, omnes a ſe exaratas epiſtolas, a Sanguinis Jeſu Chriſti commemoratione exordiebatur; cumque morti proxima eſſet, vocem ſuam, quanta potuit cum animi contentione, extulit, dicendo: Sanguis; Sanguis Jeſu. De eximio quodam Dei ſervo legiſſe me memini, quod dum morti vicinus eſſet, viſum ei fuerit, ſe coram tremendo Judicis tribunali aſſiſtere, in cujus conſpectu libra adducta fuit, in cujus una lance ejus ponebantur opera; cumque eorum conſpiceret modicitatem, ſiquidem demerita, & ab ipſo commiſſa peccata ex altera parte longe magis præponderabant, hoc uſus eſt conſilio, ut ſcilicet in alteram libræ lancem collocaret merita, Paſſionem, & Sanguinem, a Salvatore in cruce effuſum, nec non amorem, quo tempore vitæ ſuæ eamdem Dominicam Paſſionem meditatus fuerat: Quo facto, lanx illa, in qua merita ſua ſimul cum Sanguinem Chriſti trutinabantur, longe prævalens præponderavit, ipſeque æternæ perditionis evaſit periculum.

VII. *Utilitas ad Purgatorium evitandum*; uti Chriſtus ipſe B. Henrico Suſoni revelavit, *Bleſiut in conſlav. c. 2.* dicens: Anima, quæ ſe multis obſtrinxit peccatis, poterit ipſius paſſionis meæ theſaurum adeo ad ſe adjungere, ſibique applicare, ut etiam, ſi vel mille annis punienda ſit in purgatorii locis, brevi tempore, & culpam, & pœnam omnem diſſolvat, ita ut abſque purgatorio libera commigret in cælum.

VIII. *Utilitas ad beatitudinem certius procurandam*; de qua ſic diſcurrit Manſi: Quiſnam, *Manſi diſ. 8. n. 4.* obſecro, primus fuit fructus, qui in conſpectu totius populi Hebræi, ad acquiſitionem Palæſtinæ, quæ typus erat terræ promiſſionis cæleſtis, propetantis apparuit? Botrus quidem uvæ e vecte dependens: Hæc autem omnia in figura contingebant; nam, ut Taulerus de Paſſione Redemptoris diſſerens ait: Botrus in vectem appenſus eſt, ut nos de promiſſionis terra certos redderet, & ſecuros. Unde, & Apoſtolus ad Hebræos ait: *Habentes, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum, in Sanguine Chriſti*. In libro Joſue legitur, quod, licet adverſus civitatem Jericho irrevocabilis ultimi exterminii ſententia a divina Juſtitia fulminata fuiſſet, ab hac tamen univerſali ruina Rahab, ejuſque familiam in præmium hoſpitalitatis, qua populi ſui electi emiſſos exploratores, gravi cum periculo, hoſpitio exceperat, eximere voluerit. Sed quonam ſigno Rahab notari voluit, ut eo viſo a devaſtatoribus illi parceretur? ſignum fuit funiculus coccineus. Hic autem funiculus coccineus, ut gloſſa interlinearis exponit, Sanguis eſt Chriſti; ubi enim hic ſanguis Agni immaculati, pro nobis in monte Golgotha ſacrificati rutilat, ibi indubitatum eſt pignus æternæ ſalvationis: Unde Leo Magnus ex infallibili cathedra Petri ſtipulatam nobis offert promiſſionem, dicens: Secura eſt expectatio promiſſæ beatitudinis, ubi eſt participatio Dominicæ Paſſionis. *Bollandus 4. Jan. f. 202.* Quod ipſum etiam cæleſtis Sponſus confirmavit, dum Beatæ Angelæ de Fulginio dixit: O vos vere beati, & omnino benedicti! Si enim in cruce pro meis crucifixoribus, cum lacrymis, & fletu rogavi Patrem meum, & excuſavi, dicens: *Pater, dimitte illis, quia neſciunt, quid faciunt*; Quid pro vobis, qui mihi compaſſi, devoti, & conſocii fuiſtis, dicturus ſum, cum non in cruce, ſed in gloria feliciſſimus orbem judicabo? Quos omnes hactenus recenſitos fructus idem dulcis Sponſus cuidam amico ſuo revelavit, dicens: Quiſquis *Bleſius in ſacell. anim. c. 21. n. 6.* bona voluntate præditus Paſſionis meæ lectioni aut meditationi humiliter, & ſtudioſe, ut oportet, inſiſtit, novem inde utilitates conſequitur. *Prima eſt*, quod de peccatis omnibus emundatur, & quidquid neglexit, ex meritis meis reſtituitur. *Secunda*, quod ad reſiſtendum hoſtibus ſuis ita conſortatur; ut nullum ex eo triumphum teferre queant; nam tametſi ipſe ex infirmitate nonnunquam labitur, dexteram tamen meam ſuppono, ne colliſdatur, & pereat. *Tertia*, quod ad bona quæque opera, diverſaſque virtutes peragendas vires accipit. *Quarta*, quamlibet brevi cogitatione eamdem Paſſionem meam revolvat, ſemper anima ejus in gratia mea renovatur. *Quinta*, quod devote illam commemoranti libenter ipſe commoror. *Sexta*, quod arcana mihi a Deo Patre manifeſtata, illi ſimiliter aliquando pandam. *Septima*, quod eum ante mortem mihi placentem reddam, & defunctum eum cum charis amicis meis remunerabor. *Octava*, quod nihil eorum, quæ ſerio, & rationabiliter, convenienterque petit, illi negabo. *Nona*, quod in morte illi adverſus hoſtes ejus aſſiſtam, & de vita æterna illum faciam certum atque ſecurum.

IX. *Utilitas ad meritum augendum*; nam, ut B. Albertus ait, ſimplex recordatio vel meditatio Paſſionis Chriſti, plus valet, quam ſi quis per annum jejunaret in pane, & aqua, qualibet ſexta feria, vel ſe uſque ad ſanguinem cæderet, vel quotidie Pſalterium legeret. *B. Alb. Magn. tr. de ſacriſ. Miſſ.* Cujus rationem addit Ludovicus de Ponte his verbis: Quia prædicta opera, etſi bona valde, & utilia, non habent tantam vim ad purificandum cor a ſuis vitiis, illudque veritatibus, & virtutibus illuſtrandum, & inflammatia amoris divini affectibus perficiendum, atque attenta, & profunda Paſſionis Chriſti meditatio; quæ omnia hæc efficit, additque etiam ſpiritum, & vitam pœnitentiis ipſis, & operibus externis, permovendo efficaciter ad ferventem eorumdem exercitationem. *Lud. de Pont. 4. p. intro ad med.*

X. Quia *Chriſto* nil *gratius*, & *jucundius* eſt, quam ſi ſanctiſſimæ ſuæ Paſſionis frequenter memores ſimus, uti ex variis revelationibus ab eo factis patet.

XI. Quia nihil *æquius* eſt, quam ut, unde omne ſalutis noſtræ pretium fluxit, eo totum amorem, & cogitationes convertamus, fluminum inſtar, quæ ad locum, unde exeunt, revertuntur.

Digitized by Google

§. X. MEDIA.

Ad fructum ex Paſſione Chriſti referendum.

I. F*Requenter meditari de SS. Paſſione*; ex hac enim meditatione exardeſcet igni, ſeu deſiderium compatiendi, & condolendi.

II. *Exempla rerum inanimatarum Chriſto in morte condolentium perpendere*; ſic enim vel pudore victus quis ad ſimilem compaſſionem movebitur.

L. 1.c.12. §. 4. III. *Peccati gravitatem, ſtatum Peccatoris cæleſtis præmii magnitudinem ponderare*; ex his enim diſcet animus, magnitudinem beneficii, per paſſionem collati, æſtimare.

IV. *Patiendi occaſiones prompte, avideque arripere*; nam, teſte Thoma Kempenſi, nemo tam cordialiter ſentit Paſſionem Chriſti, ſicut is, cui contigerit ſimilia pati.

V. *Creſcere in amore, & familiaritate Chriſti*; ſic enim ultro nobis ſuos dolores tamquam ingentis favoris indicia communicabit, & imprimet, uti non paucis ſanctis præſtitit.

VI. *B. Virginem rogare, ut tenerum affectum erga Paſſionem impetret*; quem in finem illa S. Bonaventuræ verba ſervire poſſunt: Eja Mater fons amoris, me ſentire vim doloris fac, ut tecum lugeam.

§. XI. ASCETICA.

I. I*N primis noſſe debet Aſceta, quæ fuerit præcipua cauſa Paſſionis*; quam breviter *S. Chryſ. ſ. 4. in fer. 5. Paſch.* S. Chryſoſtomus indicavit, dicens: Hæc prima cauſa eſt Dominicæ Paſſionis, quia ſciri voluit, quantum amaret hominem Deus. In vita Sanctæ Catharinæ Senenſis legitur, ipſam dicere ſolitam fuiſſe, quod, ſicut Filius Dei nos ſine menſura amavit; ita quoque dolores Paſſionis ipſius ſine nulla menſura, aut modo fuerint. Eadem ſancta Virgo Divo Petro Mediolanenſi Carthuſiano dixiſſe legitur, meliorem de Paſſione Chriſti inſtitui non poſſe meditationem, quam ſi quis ſerio ſe ad amorem reflexerit, cum quo Chriſtus pro nobis eſt paſſus. Id quod ipſemet Salvator eamdem Virginem docuerat. Cum enim ipſa die quodam Sponſum ſuum more ſibi conſueto amabiliter interrogaſſet, quamobrem ſibi poſt mortem latus ſuum aperiri, tantamque ſanguinis copiam effundere voluerit, Chriſtus eidem reſpondit; multas quidem hujus fuiſſe rationes, hanc vero eſſe præcipuam, ut per lateris aperturam ſecretum cordis ſui homini manifeſtaretur, indeque ediſceret, amorem ſuum erga homines majorem eſſe illo, quem forinſecus demonſtrabat; ſiquidem pœna, quam deforis ſuſtinebat, finita ſit, amor vero, quo hominem diligit, ſit infinitus.

II. *Noſſe debet convenientiam Paſſionis*, quæ quidem ex quintuplici reſpectu colligi poteſt; Nam 1. fuit convenientiſſima *reſpectu Dei*, cujus Juſtitiæ ſatisfieri non poterat, niſi per Paſſionem Filii, ſanguiniſque illius effuſionem. 2. *Reſpectu Chriſti*: qui condignum pretium pro ſua & hominum gratia offerre debebat; hinc Iſaias Dei nomine prædixerat: Si poſue- *Iſ. 53. v. 10.* rit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur, ideſt, quidquid circa homines in vitam æternam ſupernaturaliter perducendo fieri conſtituit Deus, meritis Chriſti executioni mandabitur, ut interpretatur Ludovicus Molina, 3. *Reſpectu Adami*, ut ipſius peccatum, quod fuit fons & origo cæterorum, debita proportione plecteretur; id quod præclare Euſebius Emyſſenus per ſententiam §. 3. nu. 38. citatam oſtendit. 4. *Reſpectu Diaboli*: qui meliori modo confundi ac vinci non poterat, quam ſi propriis armis Chriſtus eum vinceret, &, ſicut ipſe per lignum & mulierem in Mundum invexit mortem, aliaſque miſerias; ita Chriſtus per lignum Crucis & Mariam Matrem ſuam Mundum iterum redimeret, & ſalvaret. 5. *Reſpectu Hominum*: quos efficacius non poterat a vitiis abſtrahere, atque ad virtutes exercendas excitare, quam ſi tali modo pateretur, & moreretur. Quæ omnia fuſius a P. Fabro conc. 5. in Dom. Paſs. explicatur.

III. *Noſſe debet fontes, ex quibus gravitas dolorum ac cruciatuum Chriſti tam externorum, quam internorum profluxit*, quorum quatuor aſſignat Faber conc. 2. in Paraſceve. Primus eſt *Charitas Chriſti*, tum erga Deum, tum erga homines, quæ, ſicut fuit infinita, ita copioſiſſime ſatisfacere volebat. Secundus eſt *Puritas dolorum*: jam olim in veteri le- *Levit. 2. 11.* ge præfigurata, ubi vetatur quidquam mellis adoleri in ſacrificio, quia in ſacrificio crucis omnis ſuavitas defutura erat. Tertius eſt *tenerrima complexio Corporis Chriſti*: cum enim anima nobiliſſima præditus fuerit, merito debebat etiam ſenſus longe vivaciores habere, atque adeo & ſentire magis dolores. Quartus *duratio & continuatio Paſſionis, tamque variorum & multiplicium tormentorum*; decretum quippe erat dæmoni, omnibus eum viribus invadere, ut, quem iſta non poterat vincere, gravitate tormentorum ſuperaret.

IV. *Noſſe debet utilem modum colendi debite SS. Chriſti Paſſionem*, qui quidem in tribus præcipue capitibus conſiſtit, nempe 1. *In aſſidua memoria*. 2. *In cordiali & firma fiducia*. 3. *In liberali & amoroſa compaſſione*, quæ non in affectu dumtaxat ſiſtat, ſed ad effectum etiam progrediatur, ideſt, ad crucem cum Chriſto ferendam incitet. Qua ratione autem hanc ferre debeamus, pulchre oſtendit S. *S. Greg. in homil.* Gregorius, dum ait: Crux a cruciatu dicitur; & duobus modis crucem bajulamus, cum aut per abſtinentiam carnem affligimus, aut per compaſſionem proximi, neceſſitatem illius noſtram putamus. Hunc modum etiam breviter indicavit Sanctus Bonaventura, dum ver- *S. Bonav. in c. 1. Thren.* ba illa, *Attendite & videte* ſic exponit: *Attendite*, diligenter conſiderando, & *videte* compatiendo. Hinc valide, teſte Sancto Bernar- *S. Bern. & S. Bonaventura cl. 1. 2. Paraſcev.* do, clamavit, ut audiretur ab hominibus, clamoribus lacrymas addidit, ut homo compateretur.

V. *Noſſe debet modum applicandi ſibi Paſſionem Chriſti*: id quod Drogo Hoſtienſis ſic declarat: *Drogo de Sac. Dom. Paſ.* *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus!*

Atten-

Attendite dolorem meum, ut in dolore meo videatis dolorem veſtrum: dolor meus non imago doloris veſtri aſt; Quod attanditis in corpore meo, atiendita & vos; ſi ſimilis dolor non eſt in corde veſtro, tranſitis a vobis ad me; tranſita a me in vos, & videte, ſi ſimilis dolor in vobis ſit, ſicut dolor meus: *Nolite flere ſuper me: ſed ſuper vos ipſas flete, filiæ Jeruſalem*; nam ille dolor, quem tranſitis, & non attenditis, magis eſt flendus, quam dolor meus: *Propter ſcelus* enim *veſtrum percuſſus ſum*. Quod confirmans S. Auguſtinus: Agnoſca, inquit, homo, quantum valeas, & quantum debeas; & dum tanta redemptionis iuæ perſpicis dignitatem, ipſe tibi indicito peccandi pudorem. Id quod in alio quodam Sermona magna cum ſollicitudine repetit, dum ait: Agnoſcat homo, quantum ab illo expectet Deus, & quem tanta dignatione habuit charum, quam velit aſſe in converſatione pratioſum; Agnoſcat homo, quantum valeat, & quantum debeat, & dum pratium ſuum cogitat, vilis ſibi eſſet deſinat. Profecto ſi quis ad curandum infirmum quendam, pro remediis inæſtimabilis valoris comparandis, integrum axpenderet auri millionem, facila utique forei, inde comprehendera morbi enormitatem, & periculum. Et ideo S. Bernardus ait: Ex conſideratione remedii, periculi mei æſtimo quantitatam: neſciebam, ſanus mihi videbar, & ecca mittitur virginis Filius, Filius Dei Altiſſimi, & jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioſo ſanguinia illius balſamo medeatur. Ideo ſignantur, juxta S. Iſidorum, ſigno Dominicæ Paſſionis in fronte fideles populi, ad tutelam ſalutis, ut hi ſoli ab interitu liberentur, qui cruore Dominicæ Paſſionis corde & fronta ſignati ſunt, qui etiam opere loquuntur. S. Gregorius ſimiliter ait: Qui ſanguis ſuper utrumque poſtem ponitur, quando non ſolum ore corporis, ſed etiam ore cordis hauritur; in utroque enim poſte ſanguis agni eſt poſitus. Quando Sacramentum Paſſionis illius ore ad Redemptionem ſumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur. P. Bollandus in vita B. Angelæ de Fulginio, ſponſum cæleſtem ab eadam ſic ralatum, hunc cum prædicta ſponſa refert miſcuiſſe ſermonem: Dictum eſt mihi a Chriſto crucifixo mihi apparente, ut in cruce fuit pro nobis appenſus: Nullus homo, nulla perſona poterit habere excuſationem ſuæ ſalutis, quia ad ſuam ſalutem procurandam non oportet plus facere, niſi ſicut facit infirmus medico, qui volens ſalutem, oſtendit ei infirmitatem, & ſe diſponit ad faciendum, quæ medicus dicit. Ita nunc non oportet, quod aliquis plus faciat, nac aliquod in medicinis expendat, niſi quod oſtendat ſe medico per peccati recognitionem & confeſſionem, & diſponat ſa ad illa, quæ ſibi dicit medicus, & caveat a contrariis. Comprehendebat autem anima mea, quod medicina erat Sanguis Chriſti, & ipſe ſine pretio hanc dat medicinam, & non conſtar plus infirmo peccatori, niſi quod diſponat ſe, & medicus Chriſtus dat ſibi ſalutem, & ſanat infirmitatem. Enim vero non ſufficit, quod quis amarum Paſſionis calicem deſideret, laudet, ejuſque virtutem ſibi perſpectam habeat; ſed qui infirmitates ſuas ſpirituales curari deſiderat, illum ut labiis ſuis admovaat, & axhauriat, neceſſum aſt. Obſarvandum quoqua, quod poſtquam cæleſtis ſponſus cruci ſuæ mentionam feciſſet dicendo: *Sub arbore malo ſuſcitavi te, ibi corrupta eſt mater tua; ibi violata eſt genitrix tua*, immediata ſubjunxarit: *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum*; Ubi, ut videtis, ſignaculum hoc non ſolum cordi, ſed atiam brachio imprimi deſiderat; per brachium autem opera deſignantur. Unde S. Ambroſius ait: Signaculum Chriſtus in fronte aſt, ſignaculum in corde; in fronte, ut ſemper confiteamur; in corda, ut ſemper diligamus; ſignaculum in brachio, ut ſamper operemur. S. Auguſtinus ſupar illa verba Pſalmi 62. *In nomine tuo levabo manus meas*; ita ſcribit: Leva manus tuas in oratione: Levavit pro nobis Dominus Deus noſter manus in cruce, & extanſæ ſunt manus ejus pro nobis.

S. Aug. ſ. 45. in append. — *S. Iſidor. in cat. Lippom.* — *S. Greg. apud Manſi diſ. 19. n. 2.*

VI. *Noſſe debet utilem modum meditandi paſſionem Chriſti*: qui quidem duplex aſſignatur a Ludovico de Ponte. Primua eſt, ut ſingula myſteria ſeorſim conſiderentur, perpendendo, quod ſive in perſonis, ſive varbis, ſive operibus conſidaratione dignum eſt. Secundus eſt, ut dolor aut virtus aliqua particularis pro materia meditationis aſſumatur, & perpendatur, quid circa illos in omnibus Paſſionibus partibus contineatur. Uterque autem, ut efficax & fructuoſus ſit, curandum eſt, ut ſequentibus fere affectibus condiatur; 1. *Gratitudinis*. 2. *Doloris*. 3. *Fiduciæ*. 4. *Amoris*. 5. *Patientiæ*; de quorum potioribus ſic loquitur Thomas Kemp. In Chriſti Paſſione quatuor cogitanda ſunt, ſcilicet dilectio ejus redamando: amaritudo ejus compatiendo: fortitudo ajus adverſa patienter ſuſtinendo: & utilitas ejus gratias agendo.

Lud. de Ponte. — *Thom. Kemp. in opuſc. de venerab. Sacram.*

VII. *Noſſe debet finem, qui in ejuſmodi conſideratione præfigendus eſt*: qui itidem juxta diverſitatem ſtatuum varius eſt; nam tyrones quidem efficaciſſima reperient media, ad ſuas paſſiones mortificandas: proficientas, ad creſcendum in omni genare virtutum: perfecti, ad conſequendam ardenti amore unitionem cum Deo; cum, taſte S. Laurantio Juſtiniano, hoc ſit ſummum beneficium, in quo divinæ miſerationis reſeratur abyſſus, cælorum aperitur janua, charitatis latitudo oſtanditur, & quantus ſit homo, apertiſſime monſtratur; vila anim eſſe non poteſt, quod Filii Dei ſanguine comparatur.

S. Laur. Juſt. de triumphali agone Chriſti c. 20.

VIII. *Noſſe debet, quomodo quiſque totam Chriſti Paſſionem ſibi attribuere debeat*; uti ſat clare Bloſius indicavit, dicens: Singula, quæ pertulit Jeſus, ita conſidera, & recipe, quaſi pro te ſolo illa pertuliſſet; neque enim ea tibi minus proſunt, quam ſi tu ſolus per Chriſtum redimendus fuiſſes; ſed, & ſi ſolus redimi debuiſſes, ille pro ta uno promptiſſime, & incarnari, & pati, & mori voluiſſet: & confirmavit S. Chryſoſtomus, dicens: Declarat hoc par eſſe, ut quiſque noſtrum non minus

Bloſius in conclav. c. 10. §. & n. 2. — *S. Chryſ. in cap. 2. Gal.*

agat

agat gratias Deo, quam ſi ob ipſum ſolum adveniſſet; neque enim recuſaturus erat, vel ob unum tantam exhibera diſpenſationem, adeo ſingulum quemque hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem univerſum. Sed & Salvianus: Totum, ait, ſe dedit univerſis, & ſingulis totum, ac per hoc quicquid paſſione ſua Salvator præſtitit, totum ei debent univerſi, ſicut totum ſinguli.

Salvian. l. 5. ad Eccl.

IX. *Noſſe debet, cur Chriſtus tam cito mori, & non diutius in hoc mundo vivere voluerit:* quod honorificentius illi futurum fuiſſe creditur; ad quod dubium reſpondet Salmeron: Chriſtum Dominum in cruca, in tam ſupremo atque heroico gradu virtutum ſe omnium exibuiſſe exemplar, ut major inde in Deum gloria, & ad nos meriti, & axempli redundarit beneficium, quam ſi ſemper una nobiſcum vixiſſet, & nos vitæ axemplo, verboque docuiſſet, præterea Chriſti charitatem morte tam acerba detactam atqua manifeſtatam, tanti eſſe ſplendoris, & afficaciæ, ut nulla vitæ etiam longiſſimæ marita illam æquare poſſint; denique mortam Crucis tanta patientia a Chriſto toleratam, ad vitii fugam, virtutiſque amorem in nobis excitandum, plus attuliſſe ſtimuli, atque momenti, quam vita illius innocentiſſima, & variis virtutum luminibus, & documentis referta, & multis annorum millibus nobiſcum traducta, adferra potuiſſet. Qui doctiſſimi hominis ſenſus, ad poſteros atiam litteris commendatus, quantum ad patientiæ cum charitate conjunctæ ſupra cæteras virtutes præſtantiam faciat, nemo eſt, qui non videt.

Pexmequ. liag. p. 5.

§. XII. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Matth. 27. v. 31.

I. EX occaſione thematis: *Duxerunt eum, ut crucifigerent:* poteſt oſtendi, quomodo Auditores profeſſionem ſpiritualem inſtituere debeant. Et 1. quomodo *flagellantis* perſona ſuſcipienda, emittendo inordinatum amorem per generoſam ſui victoriam, ſicut per flagella ſanguinem alicimus. 2. Quomodo *crux bajulanda ſit*, per implationem propriæ cujuſqua vocationis: nam, ut S. Maximus ait, tota vita Chriſtiani, ſi ſecundum Evangelium (& propriam vocationem vivat) crux eſt ac Martyrium. 3. Quomodo *expanſis brachiis* cundum. Se ipſum cum Chriſto crucifigendo, & patienter ſuſtinendo inopiam, dolores, contemptus, velut tres comites Chriſti. 4. Quomodo, ut hæc omnia faciiius executioni mandentur, Crucifixi, vel flagellati Chriſti imago præferenda, ideſt, Chriſti patientis exemplum ob oculos ſtatuendum ſit, uti S. Paulus monuit, dicens: Per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in authorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem.

S. Maxi. in ſer.

Hebr. 12. v. 1.

Ibid.

II. Ex occaſione thematis: *Per patientiam curramus ad propoſitum certamen, aſpicientes in Authorem Fidei, & conſummatorem Jeſum:* Poteſt Paſſio Chriſti myrothecio ſpirituali (*einem geiſtlichen Balſam Bulchſlein*) comparari. Et 1. oſtendi, ex quibus rebus conficiatur, ſcilicet divinitate, humanitate, cruciatibus, virtutibus, meritis, ſanguine, morte Chriſti. 2. Quantopere hoc balſamum ſit commendatum a Deo, Chriſto ipſo, Angelis, Apoſtolis, SS. Patribus &c. quorum teſtimonia ſupra citata videri poſſunt. 3. Quam diverſa balſama pro diverſis perſonis, & morbis ſpiritualibus reperiantur in hoc myrothecio, præcipue pro triſtibus peccatoribus, falſo judicatis vel accuſatis, contemptis, pauperibus, labore gravi oppreſſis, inimicitias gerentibus, mori timentibus &c. Qui omnes, quomodo variis Paſſionis myſteriis ſolari ſe debeant, ſuſius oſtendendum erit, uti facit libellus Germanicus, *das geiſtliche Balſam Buchſslein* vocatus, & Lucernæ impreſſus.

Cant. 1. v. 12.
Cant. 2. v. 11.

III. Ex occaſione thematis: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi; inter ubera mea commorabitur:* vel, *jam hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit: flores apparuerunt in terra noſtra.* Poteſt Paſſio Chriſti horto comparari, & inde flores variis colligi, qui per modum verni faſciculi Auditoribus offerantur. Primus itaque floſculus eſſe dicatur Triſſago ſeu *vergiſſ meinnicht*, per quem intelligitur affectus gratitudinis ob paſſionem ſpecialiter debitæ. Secundus viola ſeu *Beielin*, per quam dolor peccati indicatur, utpote ad quem eliciendum ſpecialiter conducit Paſſio. Tertius eſt origanum ſeu *wolgemut*. Vel Euphroſynon ſeu *Ragen Troſt*, per quem ſpes & fiducia, quam Paſſio ſingulariter exaltare ſolet, innuitur. Quartus eſt roſa ſeu *Noſen*, per quam patientia ſignificatur, cui præ aliis Paſſio Chriſti copioſam materiam, & motiva ſubminiſtrat. Quintus eſt Flos Echii, ſeu, *je langer (je lieber)* per quem amor ab amore Chriſti patientis ſingulariter provocatus indicatur. Videantur hic affectus ſuſius explicati in Auctario Fabri in Feria Paraſceves them. 5.

Pſal. 73. v. 20.

IV. Ex occaſione thematis: *Reſpice in teſtamentum tuum.* Poteſt teſtamentum a Chriſto in Cruce factum, recitari, & explicari. Et 1. quidem dicatur, quomodo *corpus* terræ vel Joſepho & Nicodemo legarit. 2. Quomodo *animam Deo Patri*. 3. Quomodo dolores ſuos ægris. 4. Quomodo injurias ſuas iis, qui ſimiles patiuntur. 5. Quomodo imagines virtutum filiis ſuis, in cordis cubiculo ſuſpendandas. 6. Quomodo Bibliothecam ſuam, ideſt, crucifixum, S. Bonavent. pro Bibliotheca habitum, in doctis. 7. Quomodo ſuum Pharmacopolium, peccatoribus. 8. Quomodo coronam ſpineam obedientibus. 9. Quomodo linteum renes circumdans, & ſanguine purpuratum, luxurioſis. 10. Sacroſancta quinque vulnera afflictis. 11. Theſaurum meritorum Eccleſiæ. 12. Arma crucis militibus, ſub auſpicio ſuo militantibus. Quæ omnia facile ſuſius proponi, commendari, & apto Epilogo claudi poſſunt.

Cant. 5. v. 9.

V. Ex occaſione thematis: *Dilectus meus candidus, & rubicundus:* poteſt oſtendi, quomodo colores Chriſto conveniant, ſcilicet quomodo fuerit. 1. Candidus ob puritatem & innocentiam; rubicundus ob effuſum ex charitate ſanguinem. 2. Candidus in nativitate,

utpo-

Digitized by Google

utpote virginea earne circumdatus; rubicundus in circumciſione, utpote cruore ſuo aſperſus. 3. Candidus in transfiguratione in nivea veſte; rubicundus in monte Oliveti, ſudore ſanguineo perfuſus. 4. Candidus in Herodis aula, veſte alba eireumdatus; rubicundus in atrio Pilati, veſte purpurea cinctus. 5. Candidus in Cruce ob aquam a latere fluentem; rubicundus in ſanguine effuſo. 6. Candidus in Sacramento ob panis ſpeeies; rubieundus ob ſpecies vini, & ſanguinem ſub iis lateotem. 7. Candidus ob miſericordiam; rubicundus ob juſtitiam. 8. Candidus in eorpore myſtico ob virgines; rubicundus propter martyres. Excitentur proinde Auditores, ut & ipſi conentur eſſe candidi per vitæ innocentiam, rubicundi propter patiendi deſiderium & ſtudium.

Joan. 12. v. 32. VI. Ex occaſione thematis: *Ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum*. Oſtendi poteſt, quomodo Chriſtus omnia ad ſe traxerit. Nempe 1. res inanimatas, Solem, Lunam, petras, quæ extraordinaria ſigna triſtitiæ dederunt. 2. Peccatores, præcipue latronem, aliosque percutientes pectora ſua. 3. Mortuos ex ſepulchris prodeuntes. Deinde oſtendatur, quibus inſtrumentis traxerit, nempe funiculis Adæ, ideſt, charitate, qua erga Adamum & omnes poſteros ejus ferebatur, quæque ipſum tantopere ad talia patienda, & agenda impellebat. Excitentur proin Auditores, ut & ipſi elament cum ſponſa: Trahe me poſt te: curremus in odorem unguentorum tuorum, ideſt, exemplorum in Cruce relictorum, quorum aliqua proponi, & ad praxim explicari poſſunt.

Geneſ. 6. v. 9. VII. Ex oeeaſione thematis: *Noe vir juſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis*. Poteſt Chriſtus cum Noe comparari. 1. Quia ſignificatio nominis, qua Noe idem ſignificat, ac *ceſſatio*, vel *requies*, ſpecialiter Chriſto convenit, ut qui vere eeſſare fecit miſeriam humanam, & requiem æternam ſua Paſſione Mundo præparavit. 2. Quia ipſe ad humanum genus ab interitu vindicandum, propter innocentiam, & juſtitiam ſuam electus eſt. 3. Quia Arcam, ideſt, Eccleſiam, ædificavit, optimeque contra aquas Diluvii, ideſt, peccata & hæreſes, inſtruxit, ac munivit. 4. Quia per charitatem inebriatus, & in Cruce nudatus eſt. 5. Quia ſicut Cham Noe patrem irriſit, ideoque maledictionem ab eo obtinuit, Sem & Japhet vero nuditatem operuerunt, ac propterea benedici meruerunt; ita Chriſtus ab infidelibus, & malis Chriſtianis irridetur & contemnitur, a bonis autem honoratur, & amatur, unde illi quidem audient: Ite maledicti, hi autem: Venite benedicti. Oſtendatur proin fuſius, quomodo eum in praxi colere & honorare poſſint, ac debeant, & quas benedictiones ab eo ſperare queant.

§. XIII. ALII CONCEPTUS.

Qualitas.

I. QUidnam, obſecro, Paſſionis Salvatoris noſtri (de qua Pſalmiſta ait: *Copioſa apud eum redemptio.*) Quidnam, unquam, huic deeſſe poterat, ut S. Paulus ſe hunc defectum ſupplere, his verbis dicere non dubitarit: *Adimpleo ea, quæ deſunt Paſſioni Chriſti?* Theophylactus ait: Videtur oſtentatoris atque arrogantis hic ſermo eſſe, atqui non eſt: Idipſum quoque Doctor Angelicus confirmat dicens: Hæc verba ſecundum ſuperficiem malum poſſunt habere intellectum, ſcil. quod Chriſti Paſſio non eſſet ſufficiens ad Redemptionem, ſed addendæ ſint ad complendum Paſſiones Sanctorum: ſed hoc eſt hæreticum: quia Sanguis Chriſti eſt ſufficiens ad Redemptionem etiam multorum Mundorum. Ac proinde hujus textus interpretationes variæ adducuntur: In quibus noſtro propoſito quam maxime ſequens deſervit, ſcilicet quod Paſſioni Chriſti ſola deſit noſtra cooperatio. Unde idem S. Thomas ait: Hoc deerat, quod ſicut Chriſtus paſſus erat in corpore ſuo, ita pateretur in Paulo membro ſuo, & ſimiliter in aliis. Porro expoſitio iſta ex eodem Sancto Thoma (ut exiſtimo) deſumpta fuit, ait enim: Sentit igitur Apoſtolus, ſe patiendo afflictiones in carne ſua, quadam parte ſupplare ea, quæ Chriſto adhuc patienda ſuperſunt, non quidem in ipſo, ſed in membris.

Coloſſ. 1. 24.

S. Thom. lect. 5.

II. S. Gregorius ex actione Samuelis Prophetæ, Saulem ſpeciali Dei juſſu ad regnum Iſraeliticum eligenti, ſequentem ad propoſitum noſtrum deducit aliam moralitatem, ſuper illa namque verba: *Dixit Samuel coquo: Da partem, quam dedi tibi, & præcepi, ut reponeres ſeorſim apud te; levavit autem coquus armum, & poſuit ante Saul, dixitque Samuel: Ecce quod remanſit, pone ante te, & comede, quia de induſtria ſervatum eſt tibi.* Super hæc, inquam, verba ita ſcribit: remanſit quidem, quia non omnia Chriſtus noſtra explevit: per Crucem quidem ſuam omnes redemit, ſed remanſit, ut qui redimi & regnare cum eo ooitur, crucifigatur. Hoc profecto reſiduum viderat, qui dicebat, *ſi compatimur, & conregnabimus*; quaſi dicat, quod explevit Chriſtus, non valet, niſi & qui id, quod remanſit, adimpleat. Hinc B. Petrus Apoſtolus dicit: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Hinc Paulus ait: *Adimpleo ea, quæ deſunt; &c.*

S. Gregor. in lib. 1. Reg. c. 6.

III. Chriſtus Redemptor noſter Paſſionem ſuam exorſurus primo in hortum Gethſemani egreſſus fuiſſe legitur. Unde Hugo Cardinalis ſequentem deducit moralitatem, inquiens: Interpretatur Gethſemani torcular, quia ſicut in torculari ex compreſſis uvis vinum exprimitur; ita in pœnitentia compreſſis peccatis, intus in corde per veram contritionem, vinum compunctionis exterius per oculos eliquatur. Unde Redemptor noſter, uti exiſtimo, per hunc in hortum Gethſemani ingreſſum docere nos voluit, quod, ut Chriſto Crucifixo compatiamur, ſuæque Paſſionis reddamur participes, neceſſum ſit, ut exemplo ipſius, ſi non ſanguinem e venis, ſaltem lacrymas ab oculis in veræ pœnitentiæ ſignum dimanare faciamus.

Hugo Cardin. ap. Manſi diſc. 13. n. 7.

IV. Narrat Servius de Hercule illo, tot monſtrorum domitore, quod adeo adamarit Jolen,

Ibid. diſc. 19. n. 2.

len, ut ea jubente clavam, & leonis exuvium deponeret, & neret, & ſcuticas ſibi infligi ab ea pateretur. Fœdus amor mirabilis! Mirabilior Dei amor, qui, cum verberum capax non eſſet, talem induit naturam, ut verberari poſſet. Depoſuit clavam, & exuvium leonis, ideſt, Divinæ Majeſtatis & impaſſibilitatis amictum, & ideo in dorſo ſuo pertulit innumera verbera.

Ib. n. 3. V. Quod ſi inter nos homo aliquis reperiretur tanta ardens charitate, ut, ſi quando latro aliquis in flagranti crimine, cum furto in manibus deprehenſus duceretur ad furcam, hic ſe rei veſtimentis clam induens, factumque latrocinium ſibi vendicans, honoris & propriæ vitæ ſuæ prodigus, pro eo liberando properaret ad patibulum, quid obſecro de tam heroica charitate, diceres? Hæc autem charitas, quæ in puro homine vix eſt imaginabilis, in Filio Dei excellentiſſime emicuit. At vero in cujus beneficium eximiam hanc charitatem impendit? nimirum ad ſalvandam alicujus propudioſi, ingrati, ſibique inobedientis, & rebellis hominis, non ſolum formam ſervi accepit, verum inſuper furtum primi hominis, ideſt, peccatum originale, & ſimul cum illo omnia alia ab humano genere commiſſa; & deinceps ad finem uſque ſæculorum committenda peccata ſibi vindicavit, ſuiſque humeris impoſuit, ut pro illis per probroſam mortem ſuam ex toto rigore juſtitiæ ſatisfaceret.

Ib. n. 4. VI. An unquam reperibilis eſſet Medicus quiſpiam adeo charitativus, qui, ut eidem ad ſubeundas medicinas animam adderet pro ſalute talis infirmi ſemetipſum omnibus ferri inciſionibus, aduſtionibus, rigidis diætis, potionumque amaritudinibus, immo & ipſimet morti, cum acerbiſſimis doloribus conjunctæ ſubjiceret. Hoc autem præſtitit Proto-Medicus Cæleſtis, qui de ſe ipſo ait: *Non eſt opus valentibus Medicus, ſed male habentibus.* S. Bernardus ſalutarem unicuique Chriſtiano tradit doctrinam, quæ tamquam potens peccati frænum ſeriam meretur conſiderationem; ait enim: Agnoſce, o homo, quam gravia ſunt vulnera, pro quibus neceſſe eſt, Chriſtum Dominum vulnerari.

Phil. Harroeck. Domin. 1. Quadrag. S. 6. VII. Dilectam animam alloquitur Cæleſtis Sponſus, Cant. 8. verſ. 6. *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum.* In Chaldæo verba prædicta ſic habent: obſecro te: *Pone nos ſicut ſculpturam annuli ſuper brachium tuum.* En quantum divini amoris ſit deſiderium, ut perpetuo nobis verſetur in memoria, & ſignaculum ſeu ſculptura vulnerum ejus, in cogitatione, & opere noſtro eluceſcat.

Ibid. VIII. Vidit Apocalyptica Aquila ante Thronum Regis gloriæ quatuor animalia, plena oculis ante, & retro. Apocal. 4. v. 6. quæ animalia cum ſint eadem, quæ Ezechiel vidit c. 1. v. 6. merito quæritur, quare apud Ezechielem videantur ſine oculis, apud Joannem vero oculis plena? Nimirum Ezechieli apparuit Chriſtus in gloria, & majeſtate, Joanni vero exhibuit ſe crucifixum, Agnum ſtantem tamquam occiſum, & ideo animalia hic plena oculis; deſiderat enim, quam maxime Chriſtus Paſſionem ſuam omnium obſervari oculis, & in vegeta ſemper memoria converſari. Nec unus ſufficit oculus, una, inquam, de Paſſione cogitatio atque recordatio, ut copioſior ex Paſſione illius in nos fructus redundet! *Super lapidem unum ſeptem oculi ſunt: ego cælabo ſculpturam ejus*, inquit Dominus Zachar. 3. v. 9. cælatus iſte lapis Chriſtus eſt, quem Pater flagris, ſpinis, clavis, lancea cælavit: *Ego cælabo ſculpturam ejus*, ſive, ut in Syro & Arabico legitur: *Ego aperiam portas ejus.* Portæ corporis, & cordis, fuerunt plagæ, & vulnera, quæ ideo aperiuntur, ut quam oculatiſſime incipiamus, & cum dolorum multitudinem, tum amoris magnitudinem penitiſſime contemplemur: Per oculos ſeptem, oculi omnium intelliguntur, ex mente Chryſoſtomi: utilius occupari non poſſunt, quam accurata Paſſionis Dominicæ inſpectione.

Æquitas.

IX. Rogavit aliquando Cyrus Rex Perſarum virum Principem, quem cum conjuge captivum tenebat, quid pro conjugis libertate daturus eſſet: vitam, inquit ille. Hanc deinde captivitate exemptam liber etiam Maritus rogavit, quid ipſi de Cyri pulchritudine videretur: ego, inquit, in Cyrum oculos non conjeci; ſed in illum, qui pro me in libertatem afferenda vitam ſe daturum, eſt proteſtatus. Si tantum potuit, ad animum mulieris captivæ devinciendum, unica, & quidem verbo facta de morte pro ipſius libertate ſubeunda proteſtatio, quid non faciet mors ipſa, a Deo pro hominibus ſceleratis amantiſſime obita? Pentecq. p. 2. Uſa. cap. 16. n. 11.

Utilitas.

X. Nota eſt omnibus illa Sirenarum fabula, quæ dulcibus, & blandis cantibus ſuis, navigantes in cantando efficiebant, ut iidem dulci quodam ſomno abſorpti, voracitatis earum prædam efficerentur; Ulyſſes autem obturatis cera auriculis ad navis malum ligari ſe fecit, ut periculum iſtud evadaret. Ex qua fabula S. Maximus opportunam propoſito noſtro moralitatem deducit, inquiens: Si ergo de Ulyſſe illo refert fabula, quod eum arboris religatio de periculo liberavit, quanto magis prædicandum eſt, quod vere factum eſt, hoc eſt, quod hodie omne genus hominum de mortis periculo Crucis arbor eripuit? Ex quo enim Chriſtus Dominus religatus in Cruce eſt, ex eo non mundi illecebroſa diſcrimina, velut clauſa aure tranſimus, nec curſum melioris vitæ deflectimus in ſcopulos voluptatis. Mans diſc. 1. n. 7.

XI. In libris Machabæorum dicitur: *Elephantis oſtenderunt ſanguinem uvæ, & mori ad accendendos eos in prælium.* Ratio autem, cur feris illis ſanguineum hunc colorem ob oculos poſuerit, ab inſigni quodam authore his verbis tangitur: Multarum gentium opinione conſtat, pugnaces feras intuitu rerum rubrarum irritari. S. Antoninus, poſtquam ſupradictum Epiſtolæ S. Petri textum citaſſet, ſub- S. Anton. p. 4. tit. 1. c. 7. §. 4.

Digitized by Google

ſubjungit: In hujus figuram mandavit Antiochus Rex elephantibus, qui erant in bello, ut oſtenderetur ſanguis uvæ, & mori, ut acrius accenderentur ad prælium. Similiter ad aſpectum, & conſiderationem Sanguinis Chriſti, qui ad modum uvæ dicitur calcatus in torculari Crucis, bellantes contra adverſitates, & mundi tentationes, carnis, & diaboli, accenduntur ad reſiſtendum, & bellandum.

Taulerus de vit. & paſſ. c. 30.

XII. Cum demeteretur ager Booz (qui ſymbolum eſt carnificinæ Martyrum, qui, ut granarium cæleſte adimpleretur, perſecutionis ferro reſciſſi fuerunt) Ruth, Eccleſiam præfiguranti, ſequens datum fuit ſalutare conſilium: *Intinge bucellam tuam in aceto*. Per hoc autem acetum præfiguratur acetum felle mixtum, quod in monte Calvario Chriſto propinatum fuit; hoc enim innumeros fideles in cunctis ſæculis ſuis in adverſitatibus, vel perſecutionibus confortavit, reſtauravit, erexit: Quis enim non ad humilitatem, ad patientiam, ad amorem accendatur (verba ſunt exhortatoria Joannnis Tauleri) ubi advertit, quam humiliter Dominus Dominorum, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, coram vili aſtiterit homuncione, condemnandus ab eodem, tantaque cum patientia omnem illam injuriam, probra, confuſionem, contemptum, & ignominiam perpeſſus ſit? Et tamen nos miſeri vix verbulum amore Dei ferre valemus. Tu doles, te ab amicis, parentibus, filiis, cunctiſque aliis eſſe derelictum, ac deſolatum? Ipſemet Salvator ab ipſis quoque Apoſtolis derelictus fuit; *omnes relicto eo fugerunt*: imo Chriſtus de proprio ſuo Patre æterno lamentatur, dicens: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Confolantem me quæſivi: & non inveni*. Unde merito S. Antoninus in hæc verba ſcribit: Qui intra ſe ipſum fluctuat, adverſitate preſſus, ut ad meliora conſurgat, & boni operis greſſum in veritate figat, Chriſtum paſſum ante mentis oculos ponat.

Lyran. in eit. loc.

XIII. In lib. 4. Reg. c. 4. ſequens exprimitur figura; dicit enim ſacer Textus: *Erat autem fames in terra, & filii Prophetarum habitabant coram Eliſeo, dixitque uni de pueris ſuis: Pone ollam grandem, & coque pulmentum filiis Prophetarum: & egreſſus eſt unus in agrum, ut colligeret herbas agreſtes, & collegit colocynthidas agri, & reverſus concidit in ollam pulmenti: neſciebat enim quid eſſet. Infuderunt ergo ſociis ut comederent, cumque guſtaſſent de coctione, clamaverunt, dicentes: Mors in olla, vir Dei; & non potuerunt comedere. Tunc Eliſeus farinam ſibi afferri juſſit, quæ ollæ immixta, non ſolum amaritudinem a pulmento ſuſtulit, ſed eximio illud ſapore imbuit*. Lyranus per hoſce Prophetarum filios Religioſos intelligit auſtere viventes; hi enim non ſolum in menſa, verum etiam in veſtitu, in habitatione, & in converſatione magnam ſenſualitatis amaritudinem experiuntur. Ut igitur hæc omnia libenter, imo & hilariter ſufferant, hac opus eſt farina, ideſt, frumento electorum ab ipſis per feriam quandam meditationem contrito: unde Dionyſius Carthuſianus ait: Studeamus dulcorare admiſcendo farinam, ideſt, Dominicæ Paſſionis acerbitatem, quæ ſi recte penſetur, omnis afflictio mitigatur.

XIV. In Parabolis Salomonis Deus ita loquitur: *Beatus homo, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtii mei*. Et quidem certiſſimum eſt, per haſce fores aliud intelligi non poſſe, præterquam Chriſti ſacratiſſima vulnera; Ac proinde advertendum, S. Joannem non ſine myſterio in Evangelio ſuo in hæc verba ſcripſiſſe: *Unus militum lancea latus ejus aperuit*. Non dicit, vulneravit, percuſſit, ſed aperuit, quaſi enim latus ejus fauciando, quandam aperuit cæleſtis Paradiſi portam, intra quam beatitudinem, & vitam immortalem invenit, teſte Sapiente, qui ait: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem a Domino*. Merito igitur Doctor Seraphicus exclamabat, dicens: O cæcitas filiorum Adæ, qui per hæc vulnera in Chriſtum neſciunt introire! ſupra ſuas vires laborant in vanum, & aperta ſunt oſtia ad quietem. An ignoratis, quod Chriſtus eſt gaudium beatorum? Cur tardatis per ſui corporis foramina in illud gaudium introire; Beatitudo Angelorum patet, paries ejus confractus eſt, & vos introire negligitis.

S. Bonav. c. 1. ſtim. amor.

XV. Paulus de Palatio opportune quærit, cur eo tempore, quo Salvator in transfiguratione ſua in monte Thabor peracta, quoddam Mundo gloriæ ſuæ ſpecimen, & præludium exhibuit, & Pater cæleſtis eum dilectum ſuum Filium eſſe declaravit, Moyſes & Elias apparentes, de acerbiſſimis Paſſionis ſuæ tormentis, in monte Calvariæ ſuſtinendis inter ſe differere cœperint? Et reſpondet, id hoc præcipue factum fuiſſe myſterio, ut omnibus fidelibus hoc perhiberetur documentum, ſcilicet quod nemo poterit in gloria eſſe, niſi de Chriſti morte fuerit locutus; in fide enim ſanguinis Chriſti, ſaltem implicita, omnes ſalvantur, qui cælo fruentur.

Maut diſ. 2. n. 71.

XVI. Quæſtio eſt, quamnam diem incarnata, & increata ſapientia inter omnes totius ſeptimanæ dies pro conſummanda amara Paſſione ſua ſpecialiter ſelegerit? Nimirum inter omnes ſeptem dies, qui ſua a variis Planetis ſortiuntur nomina, ſolum ſibi elegit diem Veneris, qui a Venere ſortitus eſt nomen, quæ, ut Poetæ fabulantur, laſcivi amoris Dea & præſes exiſtit; Hoc autem eo præcipue myſterio fecit, ut per exceſſivam cruciatuum ſuorum pœnalitatem, veneream ſpecialiter in humano genere aboleret concupiſcentiam. Unde S. Bernardus alio in loco de Chriſto crucifixo ait: Et hæc intuens, qui dicitur Chriſtianus, propriis nihilominus voluptatibus indulgere, nullatenus erubeſcit?

S. Bern. in decl.

XVII. S. Paſchaſius ingenioſe inquirit: Cur corona ſpinea e vertice capitis Chriſti nunquam fuerit ſublata, cum tamen veſtimenta ejus, & arundo, ſæpius ab ipſo ablata fuerint? Et reſpondet: Idcirco ab Evangeliſta corona ſpinea non retracta, neque depoſita dicitur, quia conſumpta a capite Jeſu peccata, ut jam non ſint ſpinæ, recte creduntur. Suſtulit enim ea ſuper venerabile caput ſuum,

S. Paſchaſ. in Matt.

&

& aſtulit a nobis, ut non ſint, ac conſumpſit.

S. Chryſ. in cat. Diſp. 9. Le. S. 8. de Paſſ. XVIII. Deus olim Hebræis præcepit, ut occiſi Agni ſanguine portarum ſuarum limina tingerent, ut hanc tincturam videns exterminator Angelus, domus illas, omnibus incolis illæſis manentibus, pertranſiret. At vero quid opus erat, ut poſtes domorum hoc tingerentur ſanguine? Num forte ſine hoc ſigno Angelus domus reas ab innocentibus diſcernere non potuiſſet? Reſpondeo, potuiſſet utique; At vero Deus in hoc præcepto certum quoddam innuere volebat myſterium, videlicet, quod ſignati Sanguine Unigeniti Filii Dei, in monte Calvariæ ſacrificati, evaſuri ſimus omnem divinæ indignationis rigorem, Deoque plenarie reconciliandi. Unde D. Chryſoſtomus ſuper illa verba Exodi: Videbo ſanguinem, & tranſibo, nec erit in vobis plaga diſperdens; ita ſcribit: Vides, quod ſine ſanguine ſalus eſſe non poterat, neque iis, qui per id tempus, neque iis, qui in noviſſimis temporibus extiterunt. Quanto igitur magis & efficacius hunc effectum operabitur, non jam figura, ſed ipſummet figuratum, quod continuo ſine ulla intermiſſione in quotidiano Miſſæ ſacrificio ſanguinem ſuum in emolumentum noſtrum effundere non ceſſat? Unde S. Leo ait: Nunc carnalium ſacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum, una Corporis, & Sanguinis ſui implet oblatio; quoniam tu es verus *Agnus Dei*, *qui tollis peccata Mundi*. Confiteamur igitur, quod beatus Magiſter gentium Paulus Apoſtolus glorioſa voce confeſſus eſt, dicens: *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Jeſus venit in hunc Mundum, peccatores ſalvos facere*. Hinc enim mirabilior eſt erga nos miſericordia Dei, quod non pro juſtis, neque pro ſanctis, ſed pro iniquis & impiis Chriſtus mortuus eſt.

Manſi diſc. 13. n. 8. XIX. Deus olim in expugnatione urbis Hai Joſue præcepit dicens: *Leva clypeum*, *qui in manu tua eſt*, *contra urbem Hai*. At vero quid opus erat dicere: *Qui in manu tua eſt*. Quis unquam ſcutum in alia corporis parte, quam in manu portari vidit? ſufficiebat igitur dixiſſe: *Leva clypeum*, abſque eo, quod adderetur: *Qui in manu tua eſt*. Lyranus in moralitate hujus loci dubium hoc reſolvit inquiens: Clypeus iſte eſt memoria Dominicæ Paſſionis: ſi vero clypeus iſte conſtanter teneatur in manu bonæ operationis, debellatur inſultus carnis, vel fomitis, ideo dicit poſtea: *Joſue vero non contraxit*, *&c.*

Ibi. diſc. 18. n. 2. XX. Porro ad exprimendum nobis vivaciter immenſum erga nos Redemptoris amorem in Paſſione ſua exibitum, nihil adeo opportune in medium adduci poteſt, quam Pellicani exemplum, quamvis nec hoc, ut audietis, integram cum amore Chriſti habeat proportionem, licet Chriſtus per os Pſalmiſtæ prædixerit: *Similis factus ſum Pellicano ſolitudinis*. Etenim quia Pellicanus in terra nidum ſuum conſtruit, frequenter pullos ejus a ſerpentibus lethaliter morderi contingit. Quo facto Pellicanus, velut expertus quidam medicus, roſtri ſui cuſpide venas pullorum, a malignitate veneni illius infectas, aperit & poſtquam mortui ſunt, ſua quoque eadem cuſpide aperit viſcera, ſuumque ſuper illos ſanguinem copioſe effundens, eoſdem reviviſicat, cum tamen ipſe ex indicto ſibi vulnere moriatur. Et quidem tametſi hic dilectionis affectus in Pellicano magnopere ſit æſtimandus, cum charitate tamen Chriſti adæquate comparari nequit, quia Pellicanus moriens ſanguinis ſui balſamo pullos vivificat, vitamque illorum quaſi reduplicat; quia ſemper filii ejus manſerunt. At vero Filius Dei poſt donatam nobis vitam corporalem, & æternam, nos jam non filios ſuos, ſed filios iræ factos, & inimicos ſuos, proprio ſuo nos ſanguine reviviſicat. Eramus natura filii iræ, Deus autem, qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto (*cujus gratia eſtis ſalvati*) & conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Jeſu. Cum enim antiquus ille coluber per evomitum ſuper nos peccati venenum nos irreparabiliter æternæ mortis conſtituiſſet reos, ipſe ſuum pro nobis effundens copioſiſſimum ſanguinem, nos reviviſicavit, licet jam non filii ejus, ſed inimici & perſecutores ipſius eſſemus. Quis autem reperiri poterit, tam ſuperexceſſivo amoris affectu dementatus aut faſcinatus, ut ſponte mori eligat, ad hoc, ut morte ſua illis ipſis vitam donet, qui ſine cauſa, incredibili cum impietate, & ingratitudine deteſtabili ipſum actualiter trucidarunt, ipſoque ſint redempti ſanguine, quem ſuderunt.

Cooperatio.

XXI. Clemens IV. ad Jacobum Arragoniæ Regem ſequeos monitum tranſmiſit, quando hic ſe itineri ad Terram ſanctam recuperandam accinxit, nihil faciens, quod Berengarium, quocum ſcandaloſum & impudicum habebat commercium, nequaquam deſereret: Ita enim dictus Pontifex loquitur: *Tuæ ſerenitatis litteras recepimus*, *inter alia continentes*, *quod ad tranſfretandum in Terræ ſanctæ ſubſidium pro vindicanda Crucifixi injuria te diſponere proponebas &c. Quod licet cum gaudio receperimus*, *ſcire tamen te volumus*, *quod illius obſequium Crucifixus non recipit*, *qui inceſtuoſo contubernio ſe commaculans*, *in ſeipſo eum iterum crucifigit*. Et in progreſſu ejuſdem reſponſi ſubnectit: *Complacere non poteris Crucifixo*, *nec injurias ejus redimere; ſi alterius injuriis ipſe nolueris abſtinere*. *Raynal. an. 1169. n. 13.*

XXII. Quo in pretio Heraclius Imperator ſanctam Crucem habuerit, ex ſtipulatis cum Rege Perſarum Capitulationibus facile colligitur: Etenim harum prima hæc fuit, ut inæſtimabilis ille reſtitueretur Crucis theſaurus, tametſi idem ab eodem barbaro Rege ſummo quoque in pretio & honore haberetur. Et tamen, quia ſacram hanc reliquiam in montem Calvariæ portaturus, Crucifixi humilitatem & abjectionem minime fuit imitatus, utpote chlamyde imperiali pretioſiſſima amictus, ideo hoc accidit miraculum, quod ſcil. dictus Imperator *Manſi diſc. 13. n. 6.*

ne

ne pedem quidem movere potuerit, donec ſimplicibus & pauperculis pannis indutus, pedibus diſcalceatis, ad dictum Calvariæ montem procederet.

Imitatio.

Harrumak Conc. civil. in Dominic. Quadr. XXIII. Vana eſt compaſſio, ſi deſit patientis imitatio. Paſſus pro nobis Deus Homo eſt, non ut corde ſolo recogitemus dolores ejus, & vulnera, ſed ut ſequamur ejus veſtigia. Acriter ſenſit David, quod in fuga ſua, cum nudis pedibus aſcenderet clivum Olivarum, ſecutus non fuerit Miphiboſeth Regis commenſalis; quare acerbis eum verbis Rex perſtrinxit: *Quare non veniſti mecum Miphiboſeth?* Reg. 19. quaſi dic. Fidelis ad menſam comes es, cur non & fugæ exiliique ſocius? ſi umbra convivii: cur non & umbra convitii? ſi conſors felicitatis; cur non & contribulis in tribulatione? *Quare non veniſti mecum Miphiboſeth?* Claudus erat Miphiboſeth, & ſequi Regem commode non poterat, quod tamen ſecutus vel claudo pede non fuerit, fortunis ſuis excidit: Quanto ægrius ſentiet filius David ter benedictus Jeſus, ſi imitari patientem nolimus, qui ſocii menſæ, & gloriæ ejus fieri participes affectamus.

§. XIV. MISCELLANEA.

Qualitas.

Majol. t. 1. canic. coll. 4. I. MAjolus ſcribit, quondam duos homines eodem in carcere fuiſſe, reum alterum, alterum innocentem; cum autem reus a lictoribus ad mortem vocaretur, egreſſus innocens, ut qui idem cum reo nomen habebat, ad mortem ductus & occiſus eſt; nec apparuit error, donec de alterius judicio actum eſt. Applicatio facilis ad Chriſtum.

Bloſius in monil. ſpir. c. 1. II. Chriſtus S. Gertrudem docuit, quod homo aſpiciens Crucifixi imaginem exiſtimare debeat, ipſum ſimilibus verbis eum alloqui: En vides, quomodo tui amoris cauſa nudus in Cruce pependerim, deſpectus quoque, totoque corpore vulneratus, ac per ſingula membra diſtentus. Et adhuc tanto charitatis dulcore cor meum erga te afficitur, ut ſi ſaluti tuæ expediret, aliterque æternam felicitatem conſequi non poſſes, vellem pro te ſolo tolerare omnia, quæ ſuſtinui pro toto Mundo.

Ibid. III. S. Birgittæ quoque quondam dixit: Dilectio mea erga hominem modo æque graodis atque incomprehenſibilis eſt, ſicut erat tempore Paſſionis meæ. Etſi fieri poſſet, ut toties morerer, quot ſunt animæ in Inferno, promptiſſima voluntate & perfectiſſima charitate corpus meum traderem, eamdemque Paſſionem & mortem pro qualibet anima ſuſtinerem, quam ſuſtinui pro omnibus.

Cant. 1. v. 13. IV. Recte Chriſtus arbori myrrhæ a ſponſa comparatur, *myrrham animam* diſtillanti, quia ſicut myrrha ſolet ſuccum quendam amarum per corticem emittere, qui liquor myrrha prima ſeu electa vocatur, ad diſtinctionem illius, quæ cortice diſciſſo fluit; ita Chriſtus in horto ſanguinem velut myrrham primam ſudavit, non expectatis tortoribus, qui eum elicerent.

Marchantius tr. 1. lib. 10. prop. 3. V. Egeſippus ait, hortum Oliveti, poſtquam ſudore Chriſti ſanguineo maduit, flores produxiſſe, in quorum foliis ſcriptum erat: O mors, quam amara eſt memoria tua!

Utilitas.

Xenoph. VI. Tygranes Rex cum ſua conjuge a Cyro Rege Perſarum captus, cum interrogaretur, quid pro uxoris liberatione dare vellet? Reſpondit, ſe libenter vita pro uxoris redemptione oblaturum. Quæ reſponſio adeo Cyro placuit, ut mox ipſum cum uxore liberum dimiſerit. Cum vero in reditu Tygranes conjugem quæreret, quomodo ipſi vultus Cyri placuiſſet? Reſpondit illa, ſe id neſcire; ab eo enim tempore, quo ipſe pro ea vitam obtulit, ſe in nemine alium oculos conjeciſſe, quam in eum, a quo ſe tantopere amari advertiſſet. Quidni magis in Chriſtum oculos aſſiduo conjiciamus, qui actu vitam, & quidem tali modo dedit?

Eugeign. VII. Crotildis Regina eum peſſime a Marito tractarerur, ſanguinem ſtrophiolo exceptum Fratri miſit, & ex hoc ſanguine colligere juſſit, quomodo a Marito tractetur; quo accepto adeo Frater commotus eſt, ut mox conſcripto exercitu Maritum oppugnarit. Quidni ergo & nos viſis Chriſti veſtibus ſanguine cruentatis bellum contra peccata, quæ taliter Chriſtum tractarunt, aſſumemus?

Lanciz. opuſc. 11. n. 36. VIII. S. Magdalena de Pazzis divinitus edocta eſt, quod, quoties creatura offert ſanguinem Chriſti, quo redempta eſt, æterno Patri, tale donum offerat, ut ille quaſi non habeat pretium, quo ſolvat. Hoc donum eſſe tam magnum ajebat, ut Pater æternus ſe reputet obligatum creaturæ ſuæ.

S. Gertr. li. 4. inſin. div. piet. IX. Chriſtus quondam S. Gertrudi dixit: Quicumque quamlibet gravi pondere peccatorum oppreſſus reſpirare poterit in ſpem veniæ, offerendo Deo Patri innocentiſſimam meam Paſſionem & mortem. Et credat, ſe per hoc ſaluberrimum fructum indulgentiæ obtinere, quia nullum tam efficax remedium contra peccata poterit in terris haberi, quam devota memoria meæ Paſſionis, cum vera pœnitentia & fide recta.

Lanciz. opuſc. 11. cap. 10. n. 64. X. Idem Chriſtus B. Angelæ de Fulginio dixit: Quicumque vult invenire gratiam meam, non levet oculos a cruce; ſive concedam, ſive permittam eum in triſtitia, vel lætitia eſſe vel vivere.

Vita. XI. Annuæ a S. Bartholomæo ad choreas eunti Chriſtus ſe oſtendit, dixitque: Perge te vanitati dare, dum ego in tormentis hæreo. Sicque diſparens ita perculſam reliquit, ut mox in Monaſterium Carmelitarum ſe conferret.

Chronic. S. Franc. XII. Cum quidam Religioſus pertæſus diſciplinæ ex Monaſterio fugeret, in via obvius quiſpiam auſtero vultu, minacibus oculis, & acri voce dixit: Quo tu vadis? cumque is diceret: Quid tibi mecum? ille aperta veſte oſtendens vulnera recenti ſanguine conſperſa dixit: Poteris his teſtibus cognoſcere, quam mea interſit de hoc tuo itinere interrogare, quæ, ut te ab itinere æternæ damnationis abducerem, in cruce pertuli.

XIII. S.

Kiſel. l. 3. Ln. 3. §. 2. XIII. S. Gertrudis in raptu quondam vidit Chriſtum in menſa ſedentem, & S. Joannem aſſidentem, & ſcribentem alia attramento, alia coloribus, ſed in peculiari libro ſcripſit calamo in ſanguinem & vulnera intincto charactere, qui ut ſtellæ radiabant, &, ut Chriſtus eidem revelavit, ſignificabat opera SS. Paſſioni illius unita, & ab iis ſplendorem & efficaciam haurientia.

2. Reg. 11. XIV. Urias a Rege David invitatus, ut lavaret pedes, & in domum ſuam ſe reciperet, reſpondit: Arca Dei, & Iſrael, & Juda habitant in papilionibus, & dominus meus Joab, & ſervi domini mei ſuper faciem terræ manent; & ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam, & dormiam cum uxore mea? Per ſalutem tuam, & per ſalutem animæ tuæ, non faciam rem hanc. Quanto magis Chriſtianus recolens, quanta pro ſe paſſus Chriſtus, a ſuperfluis deliciis & peccato abſtinebit.

Sueton. in Aug. XV. Veteranus miles Cæſaris in jus vocatus, cum Cæſarem rogaſſet, ut ſibi adeſſe vellet, Cæſar autem mox e ſuo comitatu aliquem aſſignaſſet, vociferans dixit illi: At non ego te, o Cæſar, periclitante Actiaco bello, vicarium quæſivi, ſed pro te ipſe pugnavi, ſimulque aperta veſte cicatrices oſtendit; quibus viſis erubuit Cæſar, & in advotionem ipſe deſcendit. Quanto magis vulnera Chriſti ab homine, pro quo accepta ſunt, conſpecta, quidvis ab eo impetrabunt?

Vita p. 3. §. 1. XVI. Chriſtus S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis dixit: Dico tibi, ſi qualibet Feria ſexta attendas horæ, qua expiravi in Cruce, continuo recipies particulares gratias a Spiritu, quem reddidi Patri Æterno; & quamvis illas non ſenties, nihilominus ſemper requieſcet in te.

Ludovic. Gran. in ſua. com. ſ. 58. XVII. Qui diligenter & pie in humanitatis Dominicæ Myſteriis contemplandis verſantur, iidem Divinitatis quoque ejus deliciis mire paſcuntur. Via enim & veluti ſcala ad Divinitatis gloriam contemplandam humanitas Chriſti eſt, ipſo dicente: Ego ſum via, veritas, & vita. Hoc autem innuere ſponſa in Canticis videtur, cum ait: *Cant. 2.* Læva ejus ſub capite meo, & dextra illius amplexabitur me. Læva enim humanitatis, dextera Divinitatis Chriſti eſt. Eum enim, qui in humanitatis læva capite ſuperpoſito requieſcit: (dum omnia ſacræ humanitatis myſteria pia cogitatione revolvit,) illum divinitatis dextera molli ſinu fovet, & amplectitur, & cæleſtibus deliciis paſcit.

Nyſſen. Dom. ex §. 7. XVIII. Nyſſenus illud: Vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum deſpectum, & noviſſimum virorum: ait ex Hebræo verti *ceſſatio virorum*: quia ſicut duellantes ſervi ceſſant litigare conſpecto Rege; ſic homines ceſſabunt iraſci, vindicare, conſpecto Chriſto.

Id. Dom. quinqua. §. 1. XIX. Chriſtus, dum adhuc viveret, ſuavibus verbis invitavit ad ſe homines dicens: ſi quis vult venire poſt me &c. at de ſe morituro dicit: Et ego ſi a terra exaltatus fuero, omnia traham ad me ipſum; innuens mortem ſola conſideratione ſufficere ad movendum.

Ibid. XX. Sol Eclypſin patiens, omnia decolorat, Sic verus Sol Chriſtus, qui cognovit occaſum ſuum, eclypſin mortis in cruce patiens, omnes colores, omnes vanitates, omnes glorias fallaces, omnes honores debet decolorare. Ideo dicit anima pœnitentis: Nigra ſum, ſed formoſa, quia decoloravit me ſol, dum enim oculo fidei Deum meum, Sponſum meum Jeſum Chriſtum in cruce pendentem, clavis confixum, felle & aceto potatum, corona ſpinea coronatum video, omnis decor, omnis gloria, omnis honor, omnis potentia tranſitoria in pallorem vertitur; & a me nihili æſtimatur. *S. Anton. de Pad. Dom. 1. Quadr.*

Imitatio.

XXI. Sicut Duces erecto vexillo trahunt poſt ſe milites; ita ſponſus ſponſam immenſa ſua charitate in cruce potiſſimum oſtenſa trahit; cæteris namque beneficiis ad ſui amorem invitavit, at mortis beneficio compulit. *Gran. loc. com. ſ. 59.*

XXII. Cum D. Petrum Martyrem tres e cælo lapſæ virgines viſitaſſent, & ille ideo accuſatus, ac ad Eſinum Cænobium relegatus, Chriſto crucifixo ſuam injuriam quereretur, Chriſtus eidem de cruce reſpondit: Et ego quid feci, ut tot ac tantis onerarer opprobriis, & morte turpiſſima condemnarer? ex me diſce ignominias & opprobria patienter ferre. *Ribad. 29. Ap.*

XXIII. Chriſtus quondam S. Gertrudi dixit: Qui circa meam afficiuntur imaginem, & paſſionis meæ exempla non ſequuntur per imitationem, hos reſpicio, ſicut Juvencula a matre ſua poſſet acceptare, quod eam diverſimode veſtibus ornaret, ſecundum placentiam ſuam & honorem; nec tamen hoc, quod filia maxime deſideraret, perficeret, imo etiam quandoque durius negaret. *S. Gert. l. 3. in fin. c. 42.*

XXIV. Virgines Annunciatæ, dum Novitiam ſuſcipiunt, Prioriſſa, quæ apud eas Mater Ancilla nominatur, ei cum filiabus occurrens genuflexæ grandem crucem floribus ornatam, brachiis amplexandam offert, & offerendo canit: Veni, ſoror noſtra, aſcendamus in Palmam Chriſti, & apprehendamus fructus ejus. *Marcant. l. ff. 20. prop. 2.*

Meditatio.

XXV. Roſendus Epiſcopus pro inſigni ſpeculum cum circinio habebat cruci appenſum, ſignificare volens ſæpius nobis Chriſti paſſionem velut ſpeculum contemplandam, & juxta illam omnes actiones noſtras ordinandas, & velut circino menſurandas. *Amor. crucifixi.*

XXVI. Chriſtus S. Birgittæ quondam dixit: Conſulo tibi, cogitare duo continuo in corde tuo. Primo, quæ feci pro te, patiendo & moriendo pro te; hæc cogitatio excitat charitatem ad Deum. Secundo conſidera juſtitiam meam, & futurum judicium; hæc incuti timorem in animo. *L. 2. revel. c. 10.*

Compaſſio.

XXVII. Chriſtus B. Veronicæ virgini Auguſtinianæ dixit: Opto omnes homines fata- *Vita l. 6. c. 9.*

gere,

gere, ut corde affligantur ob paſſionis meæ venerationem velut mihi compatientes. Quod ſi vel ſola lacrymula egerint, magnum aliquid ſe egiſſe arbitrentur; nulla etenim lingua mortalium exploratum efficere poteſt, quantum jucunditatis mihi, & quantum commodi illi afferat illa lacrymula.

Vit. c. 14.

XXVIII. B. Joannæ ab Angelis revelatum eſt, divinam Majeſtatem cum tanto affectu amoris accipere planctum ob paſſionem, & illum adeo gratum eſſe ſacrificium, ac ſi ſpargeretur ſanguis, & afflictiones magnæ pro eo tolerarentur.

Vit. c. 6. n. 102.

XXIX. B. Angela de Fulginio inter alias benedictiones, quas Chriſtus pronuntiavit ſuper devotos ſuæ Paſſioni, etiam hanc audivit: Benedicti vos a Patre meo & Spiritu S., & vere benedicti benedictione, quam dabo in extremo judicio, quia me in propria mea venientem, ſicut mei perſecútores, non repuliſtis, ſed me deſolatum in cordis mei hoſpitio per compaſſionem hoſpitem recipere voluiſtis. Qui mihi in cruce nudo exiſtenti, ſitienti, fameſcenti, infirmo, clavis affixo, & morienti compati, & conſocii mei eſſe voluiſtis, in hoc vere miſericordiæ opera compleviſtis.

Fab. conc. 7. in Do. Paſſ.

XXX. S. Birgitta in ſuis revelationibus teſtatur, tempore paſſionis omnes, qui in orbe erant, homines interno dolore, ac pavore tactos fuiſſe, tametſi neſcirent, unde is provenerit.

XXXI. In Ezechiele jubentur omnes occidi, qui ſignum T. in frontibus expreſſum non habebant, quo docuit Propheta, eos omnes perire, qui in cordibus & ante oculos Paſſionis Dominicæ memoriam non circumferent.

§. XV. AUCTORES.

I. Alphonſus Rodriq. p. 2. tr. 7. toto.
II. C. Robertus Bellarminus de ſeptem verbis.
III. Euſebius Nierembergius l. 2. de adorat. c. 7. 6. & 11.
VI. Gaſparus Tuſch. in matre doloroſa.
V. Hieremias Drexelius in Chriſto patiente.
VI. Philippus D. Outreman in Pædagogo Chriſtiano p. 1. c. 8. §. 3.
VII. Jacobus Marchantius In Horto Paſtorum tract. 3. lect. 16. uſque ad 22.
VIII. Nicolaus Lancizius opuſc. 11. c. 6.
IX. Ludovicus Granat. in loc. comm. f. 54.
X. Mathias Faber in Feria Paraſceve; & Dom. Paſſ. per aliquot Concion.
XI. Hadrianus Lyræus in Apoph. S. Ignatii apoph. 17. l. 1.
XII. Thomas Stapletonus in Dom. Quinq. tex. 1. & 2.
XIII. Joan. Major in magno ſpec. Exempl.
XIV. Antonius Daurolțius in Catechiſmo Hiſtoriali c. 1. tit. 31. & ſeqq.
XV. Joſephus Langius in Polyanthæa V. eodem, & V. Crux Chriſti.
XVI. Leopoldus Mancinus de Paſſione Dominica.
XVII. Ludov. de Pont. p. 4. ſuarum Medit.
XVIII. Laurentius Forer. p. 4. vitæ Chriſti.

TITULUS CXI.

PATIENTIA.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

Jac. Alvar. t. 2. l. 3. p. 2. c. 8. §. 1. 2. Rhetor.

I. EST virtus, qua mala hujus ſæculi æquo animo ſuſtinemus, ita ut propter illa nec interius immoderate turbemur, aut triſtemur: nec exterius aliquid minus honeſtum aut decorum admittamus. Id quod brevius Cicero expreſſit, dicens, eſſe virtutem, qua contumeliarum & omnis adverſitatis impetus æquanimiter toleramus.

Beirlinck in theat. V. patien.

II. Materia ejus *proxima* ſunt triſtitia & afflictio animi, ex malis oriri ſolitæ: *remota* materia ſunt verba, actiones, & geſtus externi, quos ita regit, ut interna moderatio in eis eluceat: *remotiſſima* materia ſunt ipſa mala, quæ ſunt objectum & cauſa triſtitiæ.

Cap. 15. de pat.

III. Tertullianus ſic eam deſcribit, & imaginem ejus depingit: *Vultus* illi tranquillus & placidus: *Frons* pura, nulla mœroris aut iræ rugoſitate contracta: *Supercilia* in lætum modum remiſſa: *Oculi* humilitate, non infelicitate, dejecti: *Os* taciturnitatis rubore ſignatum: *Color*, qualis ſecuris & innoxiis: *Motus* frequens *capitis* in diabolum, & minax riſus: *Amictus* circa pectora candidus, & corpori impreſſus, ut qui nec inflatur, nec inquietatur: *Sedet* in throno Spiritus ejus mitiſſimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet, ſed eſt teneræ ſerenitatis, apertus & ſimplex, quem tertio vidit Elias: nam ubi Deus, ibi, alumna ejus patientia: cum ergo Spiritus Dei deſcendit, individua patientia comitatur eum.

Diviſio.

Lud. de Ponte in vita.
P. Balth. Alvar. c. 30.
Jobi 1. v. 21.

IV. Didivitur ratione materiæ varie a variis: commodiſſime in quinque ſpecies, quæ fere reſpondent quinque fontibus, ex quibus P. Balthaſar Alvarez materiam patientiæ & meritorium oriri dicebat. 1. Patientia *in damnis fortunæ*, puta divitiis, pecoribus, fundis, aliiſve ſimilibus poſſeſſionibus, in quibus, undecumque oriantur, illud S. Jobi effatum repeti oportet: Dominus dedit, Dominus abſtulit: Sicut Domino placuit, ita factum eſt: Sit nomen Domini benedictum. 2. Patientia *in malis corporis*: qualia ſunt fames & ſitis, frigus & æſtus, morbi aut tormenta, ſive a ſeipſo per voluntarias caſtigationes & defatigationes, ſive ab aliis juſte illata: quæ omnia velut a divina providentia ſive ad paternam caſtigationem, ſive ad amoroſam probationem, ſive ad copioſiorem præmiationem immiſſa cum ſumma promptitudine & æquanimitate accipi debent, ne alioqui, ſi queramur, illud audire cogamur, quod Deus olim B. Mariæ Diaziæ ob nimium frigus querenti dixit: Ego ſum cauſa hujus frigoris, & tu quereris? 3. Patientia *in malis famæ*: qualia ſunt, quæ vel fiunt *cogitatione* tantum, ut con-

tem-

Digitized by Google

temptus, ſuſpiciones, judicia temeraria, averſiones, odia: vel *verbo* dumtaxat, ut reprehenſiones, vituperationes, detractiones, convitia, contumeliæ, ſuſurrationes, accuſationes, delationes, informationes: vel ipſo *opere*, ut irriſiones, illuſiones, caſtigationes, humiliationes, negationes favorum, honorum, petitionum, perſecutiones, prælationes aliorum. 4. Patientia *in malis animi*: ut ſunt ariditates & deſolationes ſpiritus, ſcrupuli & anxietates, diſtractiones, obſcuritates, dejectiones, imperfectiones, tentationes, lapſus in peccata, exiguus profectus in ſpiritu, negatio favorum & donorum cæleſtium, probationes Confeſſariorum & Patrum Spiritualium. 5. Patientia *in malis proximi*: quæ vel oriuntur ex aliorum pravis moribus & factis, nec emendari aut averti a nobis poſſunt: vel certe ex caſibus ſiniſtris amicorum puta infortuniis, infamationibus, depreſſionibus, morbis, mortibus, aliiſve ſimilibus afflictionibus.

Actus.

L. 6. rev. c. 63.

V. *Suis peccatis imputare, quæ quis patitur*. Ita Chriſtus S. Birgittam docuit, dicens: Si quis vituperatur, non contriſtetur, ſed reſpondeat ſic: Dignum eſt, quia toties in conſpectu Domini peccavi, & non pœnitui, majoribus enim afflictionibus digna ſum. Ideo rogate pro me, ut tolerando opprobria temporalia, fugiam ſempiterna. Hinc recte S. Laurentius Juſtinianus, humilis, ait, ſemper arbitratur, ſe deteriora mereri, quam patiatur; quamobrem patienter aſpera ſuſtinet, gratias in tentationibus agit. Nec valet quis humano explicare ingenio, quantæ ſit utilitatis, quanti meriti, & quam ſit Deo gratum, non altum ſapere, tribulationes irruentes perferre fortiter, illatas contumelias tranquilla mente pati, & humiliter adverſantia quæque adverſa propriis peccatis adſcribere.

Pſal. 38. v. 10.

VI. *Silere, cum aliquod vel a Deo, vel proximo malum infertur*: ita S. David ſuo exemplo docuit, dicens: Obmutui, & non aperui os meum, quia tu feciſti. Plena certe, teſte S. Laurentio Juſtiniano, victoria eſt, ad contumeliam acclamanti non reſpondere, & tacere eo provocante. Nam ſicut nihil eſt deformius, quam reſpondere furioſis, ita nihil utilius, quam tacere nobis provocatis. Imo, ut quidam antiquorum Patrum dixit, omnis labor, quicumque evenerit tibi, taciturnitate ſuperabitur. Hinc ſapiens erat paradoxum Fr. Ægidii: Quando quis contendit tecum, ſi vis vincere, perde: ſi vincis teipſum, vincis omnes inimicos tuos. Magna virtus eſt, ſi quis permittat ſe vinci ab omnibus hominibus, quia talis eſt dominus totius mundi. Idcirco enim te quis lædit, teſte Tertulliano, ut doleas, quia fructus lædentis in dolore læſi eſt: ergo cum fructum ejus everteris, non dolendo, ipſe doleat neceſſe eſt amiſſione fructus ſui. Et alibi: Omnis injuria, inquit, ſeu lingua, ſeu manu incuſſa, cum patientiam offenderit, eodem exitu diſpungetur, quo telum aliquod in petra conſtantiſſimæ duritiæ libratum & obtuſum. Concidit enim ibidem irrita opera & infructuoſa, & nonnumquam repercuſſum in eum, qui emiſit, reciproco impetu ſæviet.

S. Laur. Juſt. c. 4. de pat.

Vit. PP. 1. libell. 16. n. 9.

Lanciz. opuſc. 9. n. 169. l. de pat. c. 9.

Ita Chriſtus, teſte S. Ambroſio, calumniis appetitus, ſilentium detulit triumphale.

Lanciz. opuſc. 9. c. 169.

In itiner. perfect. c. 16.

VII. *Non ſe excuſare*: magnum enim, ut S. Thereſia ajebat, humilitatis argumentum eſt, videre immerito & innocentes nos damnari, & ſilere. Quod qui faciat, ne ille Dominum Deum egregie imitatur. Licet enim id nobis peccatum non ſit, cujus inſimulamur, numquam tamen ita omnis culpæ expertes ſumus, ſicut bonus Deus erat. Numquam ullum aliquod malum de me loquentem audivi, quia liquido perſpicerem, minus illum dicere, quam revera id erat. Unde plus quam ſatis mihi favere videbantur, quod de aliis nihil dicerent. Hinc S. Auguſtinus, tacuit, inquit, Salvator, quia taceat lingua, neceſſe eſt, ubi veritas adeſt. Taceat lingua in bono negotio, quæ & in malis cauſis obticere conſuevit. Nolo ſic defendi juſtitiam, ſicut iniquitas ſolet excuſare. Scivit enim Salvator, quomodo tacendo vinceret, quomodo non reſpondendo ſuperaret; atque adeo cauſam ſuam mavult comprobare, quam dicere.

S. Aug. ſer. 1. 4. de temp.

Vit. c. 47.

VIII *A lacrymis abſtinere*: ita Chriſtus Suſonem docuit, dum ipſum propter dicteria & irriſione aliorum flentem corripuit his verbis: Proh pudor! viſne in fœminæ morem lacrymari? certe tibi ipſi apud omnes cæli cives ignominiæ notam inures. Terge oculos, & hilarem vultum exhibe, ut neque dæmones, neque homines animadvertant, afflictionis cauſa te plorare.

L. 5. libell. 7. n. 32.

IX. *Non diſcere a locis & perſonis, a quibus quis patitur*: ita olim antiqui Patres ſuadebant dicentes: Si tibi contigerit tentatio in loco, in quo habitas, non deſeras locum in tempore tentationis, quia ſi deſerueris, quocumque perrexeris, ante te invenies, quod fugiebas: ſed patiens eſto, donec tentatio tranſeat, ne diſceſſio tua aliis ſcandalum faciat: & ne forte aliis, qui circa ipſum locum habitant, tribulationem ingerat diſceſſio tua. Quam doctrinam ſtudioſe ſociis S. Franciſci obſervabant, utpote quos amor Evangelii adeo patientes fecerat, ut quærerent potius ibi eſſe, ubi perſecutionem paterentur in corpore, quam ubi cognita eorum ſanctitate, mundano poſſent gaudere favore.

Chron. p. 1. c. 4.

L. 3. Vit. c. 11.

X. *Non petere, ut auferatur tribulatio*: ſic S. Catharina Senenſis, cum eſſet inique accuſata, & infamata quaſi impura virginitatis jacturam feciſſet, & hanc ipſam ſuam infamiam Chriſto offerret, non petiit, ut innocentiam ſuam declaret, ſed tantum, ne a dæmone ſuperaretur, & a divino obſequio abſtraheretur. Quem in finem Epitectus ſaluberrimam doctrinam offert his verbis: Quemadmodum viator ex obvio ſciſcitatur, quanam via ſit incedendum, eam, quæ ad dextram eſt, non magis appetens, quam eam, quæ ad lævam dirigitur, utpote cum non velit alterutra iſtarum ingredi, ſed ea tantum, qua poſſit pervenire ad deſtinatum locum; ita ſane conveniebat nos quoque accedere ad Deum, ut ſolent facere viatores. At nunc tremebundi moramur aviculam, & Deum implorantes,

Lib. 2. Enchir. c. 7.

ro-

rogamus ipſum ſupplices: Miſerere mei Domine. Da ut poſſim evadere. Ignaviſſime homo, aliunde expetis, quam id, quod melius eſt, quam quod viſum Deo fuerit? Quare, quantum in te eſt, corrumpis Judicem? ſeducis conſiliarium?

Job 10. v. 24. XI. *Deſiderare afflictiones* S. Job exemplo dicentis: Quis det, ut veniat petitio mea, & quod expecto, tribuat mihi Deus? & qui cœpit, ipſe me conterat, ſolvat manum ſuam, & ſuccidat me, & hæc mihi ſit conſolatio, ut affligens me dolore non parcat? Porro utilitatem hujus deſiderii egregie declaravit S. *S. Laur. Juſt. de diſcipl. Monaſt. c. 6.* Laurentius Juſtinianus dicens: Quis hujus Sancti deſiderii valet profectum explicare? Animo quippe vires ſubminiſtrat, & pœnam exhibet leviorem, perſeverantiam præbet, Sanctitatem adducit, coæquat Martyribus, & cæleſti Patria dignum ſuum efficit poſſeſſorem.

Gradus.

XII. *Patienter* tolerare, quod ferendum eſt: *Idem de caſt. conn.* nam impudicæ & frigidæ mentis experimentum eſt, nolle pati; reprobæ vero, murmurare de verbere. Quid vero deformius, quam adverſus corrigentem & amantem iraſci Pa- *S. Laur. Juſt. c. 6. de pat.* trem? Atque hic gradus incipientium proprius in hoc ſitus eſt, ut, dum aliquid moleſti accidat, non offendatur Deus affectu, verbo, aut facto, ſignove, ſed patienter, licet pœnaliter, afflictio toleretur.

XIII. *Libenter* omnia ſufferre, ſeu ita, ut, ſi optio daretur, mallet quis pati, quam carere afflictione qui gradus proficientium eſt. *Pſ. 118. v. 71. Col. 1. v. 4.* Utpote qui dicunt cum S. Davide: Bonum mihi, quia humiliaſti me, & cum S. Paulo: Placeo mihi in infirmitatibus meis.

XIV. *Hilariter* pati afflictiones, juxta S. *2. Cor. 7. v. 4.* Pauli exemplam dicentis: Gaudeo in paſſionibus meis: & iterum: Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra. Nam ſic agunt, teſte S. Chryſoſto- *S. Chryſ. ep. 4. ad Epiſc. in carc. ho. 45. ad pop. Antioch.* mo, qui amant, cum pro iis, quos amant, aliquid patiuntur; cum gaudio enim hoc faciunt, tuncque videntur ſibi optatis perfrui, cum ea, quæ perferunt, ſint graviſſima. Hinc, ut alibi ait, flagellabantur Apoſtoli, & gaudebant: vinciebantur, & gratias agebant: lapidabantur, & prædicabant.

XV. *Gratias agere pro tribulationibus immiſ- *S. Hier. in c. 5. Eph. v. 20.* ſis*: nam, ut recte S. Hieronym. dixit, pro beneficiis gratias agere vel Idololatræ ac Judæi norunt; pro calamitatibus, ac miſeriis *S. Chryſ. c. 3. h. 8. in c. 3. ad Col.* ſoli Chriſtiani. Hinc S. Chryſoſt.: Hæc eſt voluntas Dei, gratias agere: hoc eſt animæ ſapienter inſtitutæ. Paſſus es aliquid mali? ſi velis, non eſt malum: gratias age Deo, & malum in bonum commutaſti. Certe, ut idem alibi ait, nihil eſt anima illa ſanctius, quæ in malis gratias agit. Revera illa nihil diſtat ab anima Martyris: ſimiliter & ipſe, & illa coronatur. Nam eam quoque urget lictor, qui Deum per blaſphemiam negare inſtat, & diabolus cogitationum urgens carnificinis, & tenebras offundens animi ægritudinibus. Verius *Sen. l. 3. de ira c. 33.* ergo talis dicere poteſt, quod Seneca, qui quæſitus, quomodo rariſſimam rem in aula conſecutus eſſet? Reſpondit, injurias ferendo, & gratias agendo.

XVI. *Adverſarium, qui videtur cauſa mali, velut ſingularem benefactorem agnoſcere*, ideoque 1. *Excuſare*: juxta illud S. Bernardi *S. Bern. ſ. 40.* monitum: Excuſa intentionem, ſi opus non potes: puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum. Ita ſane S. Ignatius fecit, qui omnia, quæ fiebat, uſque adeo bene interpretabatur, ut natum domi proverbium fuerit: *Interpretatione Patris*. 2. *Laudare* illum, jux- *1. Cor. 4. v. 12.* ta exemplum SS. Apoſtolorum; maledicimur, & benedicamus. Item S. Moyſis, de quo S. *S. Ambr. l. 2. offic. c. 7.* Ambroſius: Quantas, ait, Moyſes a populo Dei abſorbebet contumelias, & cum Dominus inſolentes vindicare vellet, ſe tamen pro populo offerebat frequenter, ut indignationi divinæ plebem ſubduceret: quam miti ſermone poſt injurias appellabat populum, ſolabatur in laboribus, deliniebat oraculis, fovebat operibus. Et quamvis cum Deo conſtanter loqueretur, homines tamen humili & grata appellatione affari ſolebat. Merito æſtimatus eſt ſupra homines, ut vultui ejus non poſſent intendere. 3. *Orare*: nihil enim, ut S. Agnes S. Birgit- *L. 4. revel. c. 124.* tæ olim dixit, eſt pulchrius aut acceptius Deo, quam lædentem ſe diligere, & pro perſequentibus orare. Hinc S. Chryſoſt. hortatur: Læ- *S. Chryſ. ſ. de laude Dei.* ſit te quiſpiam, aut contumelia inſectatus eſt, Deum precare, ut mox illi reconcilietur, & parcat. Frater enim eſt, tuum membrum eſt, eodem, quo tu, patre genitus, ad eamdem vocatus eſt menſam: Dicet aliquis: At ſi id egero, majorem mihi in modum inſultabit. Ergo & majora te, & plurima manebunt præmia.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. QUi timent Dominum, cuſtodiunt mandata illius, & patientiam habebunt uſque ad inſpectionem illius. *Eccl. 2. v. 24.*

II. Obſecro vos ego vinctus in Domino, ut *Eph. 4. v. 1.* digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes invicem in charitate.

III. In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſic- *2. Cor. 6. v. 4.* ut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis.

IV. Non ceſſamus orantes pro vobis, & po- *Coloſſ. 1. v. 9.* ſtulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus: ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia Dei, in omni virtute conſortati ſecundum potentiam charitatis ejus: in omni patientia & longanimitate, cum gaudio gratias agentes Deo & Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum.

V. Nos ergo non ulciſcamur nos pro his, *Judith. 8. v. 26.* quæ patimur, ſed reputantes peccatis noſtris hæc ipſa ſupplicia minora eſſe flagella Domini, quibus quaſi ſervi corripimur, ad emendationem, & non ad perditionem noſtram eveniſſe credamus.

Digitized by Google

Qualitas Patientiæ in damnis fortunæ.

Job 1. v. 21. VI. Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc. Dominus dedit, Dominus abſtulit. Sicut Dominn placuit, ita factum eſt. Sit nomen Dnmini benedictum.

Hebr. 10. v. 14. VII. Rapinam bonnrum veſtrnrum cum gaudin ſuſcepiſtis, cngnoſcentes, vns habere meliorem & manentem ſubſtantiam.

Luc. 6. v. 29. VIII. Ab eo, qui auſert tibi veſtimentum, etiam tunicam, nnli prohibere.

Qualitas Patientiæ in morbis.

Pſal. 15. v. 9. IX. Multiplicatæ ſunt infirmitates enrum, poſtea acceleraverunt.

Eccl. 31. v. 2. X. Infirmitas gravis ſobriam facit animam.

Ibid. 38. v. 9. XI. Fili, in tua infirmitate ne deſpicias temetipſum, ſed ora Dominum, & ipſe curabit te.

2. Cor. 5. v. 1. XII. Simus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cælis.

Ibid. 12. v. 9. XIII. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti.

Ib. v. 10. XIV. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus. Cum enim infirmor, tunc potens ſum.

Joan. 11. v. 4. XV. Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dai: ut glorificetur Filius Dei per eam.

Qualitas Patientiæ in contemptu.

Matt. 5. v. 11. XVI. Beati eſtis, cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos mentientes propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. Sic enim perſecuti fuerunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.

1. Pet. 4. v. 14. XVII. Si exprobramini in nomine Chriſti, beati èritis, quoniam, quod eſt honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui eſt ejus Spiritus, ſuper vos requieſcit.

Qualitas Patientiæ in afflictionibus animæ.

Joan. 16. v. 6. & 20. XVIII. Triſtitia implevit cor veſtrum; ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.

Ib. v. 22. XIX. Vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet a vobis.

1. Pet. 2. v. 19. XX. Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei ſcientiam ſuſtinet quis triſtitias patiens injuſte.

Thren. 1. v. 13. XXI. Poſuit me deſolatam, tota die mœrore confectam. Idcirco ego plorans, & oculos meus deducens aquas. Juſtus eſt Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi.

Ibid. 3. v. 19. XXII. Recordare paupertatis & tranſgreſſionis meæ, abſynthii & fellis: memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea. Hoc recolens in corde meo ideo ſperabo. Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti: quia non defecerunt miſerationes ejus.

XXIII. Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Marc. 15. v. 34.

Qualitas Patientiæ in morte charorum.

XXIV. Modicum plora ſuper mortuum, quoniam requievit. Eccl. 22. v. 11.

XXV. Fili, in mortuum produc lacrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare, & fac luctum ſecundum meritum ejus uno die vel duobus propter detractionem, id eſt, ne alii calumnientur te propter mortem lætari. Eccl. 38. v. 16.

XXVI. Nolumus autem vos ignorare, fratres, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent. Si enim credimus, quod Jeſus mortuus eſt, & reſurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt per Jeſum, adducet cum eo. Theſſal. 4. v. 12.

Neceſſitas.

XXVII. Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem. Hebr. 10. v. 35.

XXVIII. Quos preſcivit, hos & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit Primogenitus in multis fratribus (id eſt, ut Vaſquez & Cornelius a Lapide interpretantur; quos Deus præſcivit ſibi amicos & dilectos per gratiam ſuam futuros,) hos etiam prædeſtinavit ad hoc, ut paterentur, & fierent conformes Filio ſuo in patientia, utpote qui pro nobis tot labores & ærumnas ſuſtinuit. Rom. 8. v. 29. Vaſq. t. 1. p. 22.

XXIX. Nemo moveatur in tribulationibus iſtis; ipſi enim ſcitis, quod in hoc poſiti ſumus. 1. Theſſ. 3. v. 3.

XXX. Omnes, qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur. 2. Tim. 3. v. 12.

Æquitas.

XXXI. Patientes igitur eſtote, fratres, uſque ad adventum Domini. Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & ſerotinum. Jac. 5. v. 7.

XXXII. Ecce Judex ante januam aſſiſtit. Exemplum accipite fratres, exitus mali, & longanimitatis, & patientiæ, Prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt. Sufferentiam Job audiſtis, & finem Domini vidiſtis, quoniam miſericors Dominus, & miſerator. Ib. v. 10.

XXXIII. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus. 1. Petr. 2. v. 21.

XXXIV. Si Mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit. Joan. 15. v. 18.

XXXV. Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum, & argentum, homines vero receptibiles (id eſt, acceptabiles) in camino humiliationis. Eccl. 2. v. 4.

XXXVI. Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit a peccatoribus adverſus ſemetipſum contradictionem, ut ne fatigemini animis veſtris deficientes. Hebr. 12. v. 3.

XXXVII.

Digitized by Google

Luc. 23. v. 41. XXXVII. Nos quidem juſte, nam digna factis recipimus; hic vero nihil mali geſſit.

Joan. 15. v. 20. XXXVIII. Non eſt ſervus major domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.

Utilitas.

Apoc. 3. v. 10. XXXIX. Quoniam ſervaſti verbum patientiæ, & ego ſervabo te ab hora tentationis, quæ ventura eſt in orbem univerſum tentare habitantes in terra.

Luc. 21. v. 19. XL. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.

Rom. 5. v. 4. XLI. Gloriamur in tribulationibus, ſcientes, quod tribulatio patientiam operatur: patientia vero probationem: probatio vero ſpem: ſpes autem non confundit.

Prov. 15. v. 18. XLII. Vir iracundus provocat rixas: qui patiens eſt, mitigat ſuſcitatas.

2. Cor. 4. v. 17. XLIII. Quod in præſenti momentaneum eſt & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

1. Cor. 2. v. 9. XLIV. Exiſtimo, quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

Dignitas.

Hebr. 12. v. 5. XLV. Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini: neque fatigeris, cum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, caſtigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit.

Apoc. 3. v. 19. XLVI. Ego, quos amo, arguo, & caſtigo.

Prov. 3. v. 11. XLVII. Diſciplinam Domini, fili mi, ne abjicias: nec deficias, cum ab eo corriperis; Quem enim diligit Dominus, corripit, & quaſi pater in filio complacet ſibi.

Tob. 12. v. 13. XLVIII. Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te.

Prov. 16. v. 32. XLIX. Melior eſt patiens viro forti: & qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium.

1. Pet. 2. v. 20. L. Si benefacientes patienter ſuffertis, hæc eſt gratia apud Deum.

Philip. 1. LI. Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum ut credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini.

Jucunditas.

Jac. 1. v. 4. LII. Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, ſcientes, quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet.

1. Pet. 4. v. 13. LIII. Communicantes Chriſti paſſionibus gaudere, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.

Eccl. 1. v. 29. LIV. Uſque in tempus ſuſtinebit patiens, & poſtea redditio jucunditatis.

2. Cor. 1. v. 5. LV. Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis; ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.

Pſal. 93. v. 19. LVI. Secundum multitudinem dolorum, conſolationes lætificaverunt animam meam.

§. III. EX SS. PATRIBUS, ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

I. NOn bona patientia eſt, cum poſſis eſſe liber, ſervum te peccati permittere fieri: Vera patientia eſt, pati vel agere contra, quod libeat, ſed non præter quod liceat. *S. Bern. l. 3. de conſid.*

II. Patientia vera eſt, quæ & ipſum amat, quem portat; nam tolerare, ſed odiſſe, non eſt virtus manſuetudinis, ſed velamentum furoris. *S. Greg. ho. 3. ſup. Ezech.*

III. Numquam eſt patientiæ virtus in proſperis. Ille autem vere patiens eſt, qui & adverſis conteritur, & tamen a ſpei rectitudine non curvatur. *Idem l. 22. mor.*

IV. Tribus modis virtus patientiæ exerceri ſolet. Alia namque ſunt, quæ a Deo; alia, quæ ab antiquo Adverſario; alia, quæ in proximo ſuſtinemus. A proximo namque perſecutiones, damna, & contumelias ſuſtinemus, ab antiquo vero Adverſario tentamenta, a Deo flagella toleramus. Sed in his omnibus modis vigilanti oculo ſemetipſam debet mens circumſpicere, ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali: ne contra tentamenta Adverſarii ſeducatur ad delectationem: ne contra flagella opificis proruat ad exceſſum murmurationis. *Idem ho. 6. ſup. Evang.*

V. Triplicem hic conſiderare licet gradum; incipientium, proficientium, perfectorum. Qui initiatur a timore, crucem Chriſti ſuſtinet *patienter*: qui proficit in ſpe, portat *libenter*: qui vero conſummatur in charitate, amplectitur jam *ardenter*. Solus etenim iſte eſt, qui dicere poſſit: Amator tuus ſemper fui, & deſideravi amplecti te. Felix anima, quæ ad hunc pervenerit gradum. *S. Bern. ſer. 1. de S. Andr.*

VI. Igitur quando bene eſt, lauda miſericordiam: Quando male eſt, lauda juſtitiam. Tu, qualis filius es? Quando pater te emendat, tunc tibi diſplicet. Non emendaret, niſi tu illi diſpliceres. At ſi ſic diſpliceres, ut te odiſſet, non ille te emendaret. Gratias age ergo emendatori, ut accipias hæreditatem a Deo, qui te emendat. *S. Aug. in Pſ. 48.*

VII. Chriſtianorum propria virtus, etiam in his, quæ adverſa putantur, gratias agere Creatori. Juxta Apoſtolum, hæc virtus eſt maxima, ut in ipſis periculis, atque miſeriis gratiæ Deo referantur, & ſemper dicamus. Benedictus Deus, minora me ſcio ſuſtinere, quam merear; hic animus Chriſtiani eſt. *S. Hier. in c. 5. Eph.*

VIII. Si vis probare, qui ſunt in Eccleſia Dei granum, vel palca, adhibe oris indicem, id eſt, perfla aliqua convitia; ſi ſteterit, granum eſt; ſi palea, recedit in altum; & quanto minor & levior, tanto magis in altum aſcendit, id eſt, magis movetur, & ſuperbe reſpondet. *Manſ. t. 13. tr. 62. n. 6.*

IX. Manet diſſimilitudo paſſorum, etiam in ſimilitudine paſſionum; & licet ſub eodem tormento, non eſt tamen idem virtus & vitium. Nam ſicut ſub uno igne aurum rutilat, & palea fumat, & ſub eadem tribula ſtipulæ comminuuntur, frumenta purgantur; nec ideo oleum cum amurca confunditur, quia eodem *S. Aug. l. 1. de civit.*

præli pondere exprimitur. Ita una eademque vis irruens bonos probat, purificat, obliquat: malos vaſtat, damnat, & exterminat: unde in eadem afflictione mali Deum deteſtantur, atque blaſphemant: boni autem precantur, & laudant; tantum intereſt, non qualia, ſed qualis quiſque patiatur. Nam pari motu exagitatum, & exhalat horribiliter cœnum, & fragrat ſuaviter unguentum.

S. Bern. epiſt. 12. X. Sanctis & electis tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non confundit. Sic damnandis & reprobis tribulatio parit e contrario puſillanimitatem, puſillanimitas perturbationem, perturbatio deſperationem, & illa interimit. Ne ergo hæc te tam horrenda, quod Deus avertat, demergat tempeſtas aquæ &c.

Caſſian. collat. 18. c. 13. XI. Non eſſet laudabilis, nec admiranda patientia, ſi nullis inimicorum jaculis impetita, tranquillitatis propoſitum retineret, ſed in eo eſt præclara, atque glorioſior, quod irruentibus in ſe tentationum procellis, immobilis perſeverat; Nam in quo vexari, frangique adverſitatibus creditur, in eo potius roboratur, & in eo magis acuitur, in quo putatur obtundi; a paſſionibus enim & ſuſtentatione patientiam dici, nullus ignorat; ideoque conſtat, patientem neminem pronunciari poſſe, niſi eum, qui univerſa, quæ ſibi fuerint irrogata, abſque indignatione toleravit.

Greg. in ho. ſuper Evang. XII. Plerumque ideo patientes videmur quia retribuere mala non poſſumus; ſed qui idcirco malum non retribuit, quia nequaquam valet, procul dubio patiens non eſt, quia patientia non in oſtenſione inquiritur, ſed in corde.

Qualitas Patientiæ in damnis fortunæ.

S. Chryſ. ſ. 10. XIII. Faciamus de neceſſitate virtutem ſeu voluntatem: exempli gratia proprium quis amiſit filium, ſubſtantiam alius omnem & fortunæ bona; ſi noveris, quod pactum eſt ſemel, nec deberi amplius, nec ſolvi poſſe, licebat inſanabili calamitate utilitatis aliquid comparare, ſi magno ac virili animo adverſos toleraris fortunæ caſus, proque maledictis Domino laudem referas? hoc pacto, quæ præter ſpem obvenerint mala, in voluntatis officium commutabis.

Qualitas Patientiæ in morbis.

Ambr. ſ. 74. XIV. Infirmitas corporis, ſobrietas mentis eſt; infirmitas, virtutum officina eſt.

S. Greg. ho. 19. in Ev. XV. Divina diſpenſatione agitur, ut prolixiora vitia ægritudo prolixior exurat.

S. Greg. p. 1. paſt. admo. 3. XVI. Admonendi ſunt ægri, ut conſiderent, quanti ſit muneris ægritudo corporalis, quæ & admiſſa peccata diluit, & ea, quæ admitti poterant, compeſcit.

S. Aug. l. de viſ. infirm. c. 3. XVII. Tuſſi laboras, pulmone deficis, cibum ſtomachus reſpuit, phthiſi decoqueris, vinum faſtidis, dyſenteria ſauciaris, multimodo morborum genere afficeris? Sed & hæc ſi oculum habes, ſi cordatus es, Dei tota ſunt, diſciplinam ne abjicias, fili.

S. Greg. l. 9. ep. 23. XVIII. Podagræ doloribus torqueor, qui & mihi, & vobis non diſpariliter nocivi, dum apud nos vehementer excreſcunt, nos decreſcere a vita fecerunt. Inter quos quid aliud debemus niſi ſemper delicta noſtra ad memoriam revocare, atque omnipotenti Deo gratias agere. Quoniam qui ex carnis blandimento multa peccavimus, ex carnis afflictione purgamur. Curandum igitur nobis eſt, & in fletibus tota mentis converſione vigilandum, ut ne de tormento ad tormenta tranſeamus.

XIX. Morbi ſæpe peccatorum flagella ſunt, quibus nihil aliud agitur, niſi ut vitam in melius commutemus. Quare qui ejuſmodi ſunt, hi omiſſis Medicorum auxiliis, invectas ſibi acerbitates ferre ſilentio debent, quandocumque ſe peccaſſe animadverterint, atque illum imitari, qui dixit: Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei; nec non vitæ ſuæ prava ſtudia emendare, & dignos pœnitentiæ fructus edere. *S. Baſil. in reg. interr. 55.*

Qualitas Patientiæ in injuriis.

XX. Inter verba laudantium, ſive vituperantium ad mentem ſemper recurrendum eſt; & ſi in ea non invenitur bonum, quod de nobis dicitur, magna triſtitia generari debet. Et rurſum ſi in ea non invenitur malum, quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus lætitiam proſilire. Quid enim ſi homines laudant, & conſcientia accuſet? aut quæ debet eſſe triſtitia, ſi omnes accuſent, & ſola conſcientia nos liberos demonſtret? *S. Greg. l. 8. ep. 42.*

XXI. Inſidiis & calumniis injuriam non patimur, ſed illi, qui faciunt. *S. Chryſ. ho. 68. ad pop.*

XXII. Qui vere cupit eſſe homo Chriſti, paupertatem divitias cum gaudio exiſtimare debet; aſperitatem victus delicias; improperium honorem; & contumelias gloriam ducere. Hæc enim vera ſervorum Dei gloria eſt. *S. Eph. t. 2. de fide.*

XXIII. Tunc omne fidei robur expenditur, tunc credulitas comprobatur, cum in ſermones vulgi, atque in opprobrium veneris: cumque te contra illos populares infamia firmaveris, convincens ſcilicet, ac repugnans, quidquid ſuper perſona tua in injuriam Chriſti profanus ſermo jactaverit. *S. Cypr. l. de laud. Mart.*

XXIV. Perſacile eſt veſtem contemptam habere, inclinato capite incedere, velum ſuper humeros dimittere; ſed verum humilem patientia oſtendit injuriæ. *Aug. ad Probam.*

XXV. Vere magni animi eſt, quaſdam injurias negligere, nec ad quorundam convitia aures vel linguam habere. *Chryſ. ſup. Ep. ad Heb. ſ. 30.*

XXVI. Pulchrius eſt alienam petulantiam ferre, quam referre. *Ibid.*

Qualitas Patientiæ in malis animi.

XXVII. Grata mens, & vere charitatis jaculo vulnerata, nihil quod ad ſe pertineat, percipere negligit. Eadem virtutum exercitia, idem orationis ſtudium peragit, cum ſpiritualis penuriam lætitiæ patitur, ſicut cum divino calore repletur, licet id non eodem agat guſtu. Scit namque ſapientiæ erudita magiſterio, quod majorum donorum dignior efficitur poſt labores & certamina. *S. Laur. Juſt. de diſcipl. l. c. 18.*

XXVIII. Revocationis verbum *Reverte* eſt. Et forte ideo ſubtraxit ſe, quo avidius revocaretur, teneretur fortius. Nam & aliquan- *S. Bern. ſ. 74. in Cant.*

do

Digitized by Google

do ſimulabat ſe longius ire, non quia hoc volebat, ſed volebat audire: Mane nobiſcum, Domine, quoniam adveſperaſcit. Præteriens teneri vult, abiens revocari. It, & redit pro beneplacito, quaſi viſitans diluculo, & ſubito probans. Et ſicut ait: Vado, & venio ad vos. Habes utrumque in Propheta: Si moram fecerit, inquit, expecto eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Quomodo non tardabit, ſi moram fecerit? Niſi quia ad meritum ſatis eſt, ſed non ſatis ad votum. Porro anima amans votis fertur, trahitur deſideriis, & cum fiducia repetit delicias ſuas, ſolita libertate vocans non Dominum ſed dilectum: Revertere dilecte mi.

S. Laur. Juſt. de Caſto con. c. 14.

XXIX. Hæc viciſſitudo amantibus eſt, quidem laborioſa; ſed exercitatis perutilis. Parit enim humilitatem, cuſtodit innocentiam, offenſam mundat, accendit ſpiritum, dolorem inducit, prudentiam perficit, commendat perſeverantiam, cuſtodiæ adhibet diligentiam, torporem excutit, concupiſcentiarum flammas extinguit, ad inquiſitionem provocat, qualiterque reperiri valeat, ſufficienter edocet.

Clim. Grad. 28.

XXX. Charitatem militis ad Imperatorem eum indicat bellum; Monachi vere charitas ad Deum, maxime eo tempore, quo aſtat orationi, reprehenditur, ſcilicet in ea ariditates & deſolationes patiatur.

Qualitas Patientiæ in morte, & afflictione charorum.

S. Baſil. ho. 4. de grat. act.

XXXI. Neque mulieribus, neque viris permittit decori & honeſtatis oratio, ut vel luctum ſtudio affectent, vel immodicis ſe conficiant lacrymis, tantum ſinuntur rebus minus lætis eſſe quadantenus mæſti, leneſque fundere lacrymas, idque cum ſilentio, citra ullum ejulatum, veſtitum lacerationem, nec pulvere caput aſpergant, nec alio quovis pacto indecore ſe gerant, eorum exemplum imitati, qui humanarum rerum prorſus ſunt rudes. Nonne Job adamantino erat corde; cum momento temporis plaga una eademque obtriti ſunt liberi decem?

S. Ambr. vat. 2. de morte Fratris.

XXXII. Depone mœrorem, ſi potes. Si non potes, include. Aut abſorbendus omnis, aut premendus eſt dolor. Cur enim mœſtitiam tuam non ratio potius, quam dies leniat? nam quod obliteratura eſt temporis ſeries, prudentia melius mitigabit. Quin etiam hoc ipſum irreligioſum puto, erga ipſorum memoriam, quos dolemus amiſſos ut oblivisci eorum maluimus, quam conſolatione mulceri, aut cum horrore reminiſci, quam meminiſſe cum gratia: recordationem timere, quorum imago debeat eſſe voluptati.

S. Hier. epiſt. 25. ad Paulam.

XXXIII. Deteſtandæ ſunt lacrymæ, plenæ ſacrilegio, incredulitate pleniſſimæ, quæ non habent modum, quæ uſque ad viciniam mortis accedunt. Ululas, & exclamitas, & quaſi quibuſdam facibus accenſa, quantum in te eſt, tui ſemper homicida es. Sed ad talem clemens ingreditur Jeſus, & dicit: Quid ploras? non eſt mortua puella, ſed dormit. Irrideant circumſtantes. Infidelitas Judæorum eſt. Te quoque ſi volueris ad ſepulchrum filiæ volutari, Angelus increpabit: Quid quæris viventem cum mortuis?

S. Chryſ. ho. 69. ad pop. Antioch.

XXXIV. Migrantes lugeamus, non prohibeo. Lugeamus, ſed non indecenter. Amare plora domi, ubi nemo te ſpectet: hoc eſt miſericordiæ: hoc & tibi prodeſſe poteſt.

S. Ber. ſ. 26. in Cant.

XXXV. Chriſtus certe ad tumulum Lazari, nec flentes arguit, nec a fletu prohibuit, inſuper & flevit cum flentibus. Fuerunt lacrymæ illæ teſtes profecto naturæ, non indices diffidentiæ. Denique & prodiit mox ad vocem ejus qui erat mortuus, ne continuo putes fidei præjudicium dolentis affectum. Sic nec fletus noſter utique infidelitatis eſt ſignum, ſed conditionis indicium. Nec quia percuſſus ploro, arguo ferientem, ſed provoco pietatem, ſeveritatem flectere ſatago. Unde & verba mea dolore ſunt plena, non tamen & murmure.

S. Chryſ. ſuper dictum Ap. Nolo vos, &c.

XXXVI. At conſuetudinem defuncti deſideras, & propterea lamentaris, ſed hoc vehementer abſurdum eſt. Si enim ſponſo aliam filiam in matrimonium copulaveris, deinde ille eam abducens in longinquam diſceſſerit regionem, atque ibi in omnium rerum abundantia vivat, nequaquam hoc moleſte feres, ſed dolorem, quem ex abſentiæ ejus diuturnitate capis, proſperitatis illius communi fama mitigas. Nunc autem non homine, non ſervo aliquo accipiente, ſed Domino requirente, quem debet, mœres ac lamentaris.

S. Hier. in ep. ad Paul.

XXXVII. Bonus eſt Deus, & omnia, quæ bonus facit, bona ſint, neceſſe eſt. Mariti orbitas irrigatur, plango, quod accidit. Sed quia ſic placet Domino, æquo animo ſuſtinebo. Unicus raptus eſt filius, durum quidem ſed tolerabile, quia ſuſtulit ille, qui dederat.

S. Chryſ. ho. 6. in ep. ad Theſſal.

XXXVIII. Quamobrem luges maritum? quod ſperabas forte, te ſecuriorem in hac vita futuram? at hoc ipſum quantæ eſt incredulitatis, te de illo id ſperare, & non de Deo. Quomodo putas Deum non irritari? nam plerumque ob id ipſum eos aufert, ne ſpem in iis colloces. Æmulator enim eſt Deus, & vult a nobis omnium potiſſimum adamari, idque ea ratione, quod eos vehementer amet. Nam cujus gratia, dic, quæſo, olim non ita immaturæ fiebant viduitates & orbitates. Quamobrem Abraham, & Iſaac multum temporis vivere permiſit? Eo quod ille vivo etiam filio Deum prætulit. Nunc vero quoniam adeo ad libidinem intemperanter ferimur, & mariti uxores plus amamus, quam Deum, & uxores maritos ſuos Deo præferunt, horum gratia nos & invitos quoque ad amorem ſuum trahit. Ne virum plus ames, quam Deum, & viduitatem non ſenties unquam. Imo, ſi acciderit viduitas, nullum tamen ejus ſenſum capies. Quare? Quia habes, qui te magis amet. Tutorem immortalem.

S. Chryſ. in verb. Ap. Nolo vos ignorare.

XXXIX. Cum cognoveris aliquem tibi conjunctum ex hac vita diſceſſiſſe, ne moleſte feras, ſed cum dolore punctus fueris; te collige, in conſcientiam tuam inquire, conſidera, quod te idem paulo poſt manebit exitus. Moderare tibi, & ex alterius morte timorem cape, ſocordiam omnem præcide, facta tua

Digitized by Google

animo repete, errata corrige, quam optimam facito mutationem. Hoc enim diſcamus ab infidelibus, quod judicia de rebus alia, quam illi habeamus. Videt cadaver ille, & cadaver putat eſſe. Video cadaver ego, & puto ſomnum eſſe, & partem mortis. Cogita, anima ad quem obiit, & cape conſolationem. Ubi Petrus & Paulus, ubi Sanctorum cœtus omnis eſt, Cogita, corpus quomodo reſurget, quanta cum gloria & ſplendore? Cogita, quod lugendo & lamentando, quod lacrymis nihil proficies, & ad extremum te ipſum lædes.

Qualitas Patientiæ in Martyrio.

Tert. l. ad Marc. c. 2. XL. Chriſtianus extra carcerem ſæculo renuntiavit, autem etiam carceri.

Lact. Fir. l. 3. div. inſtit. XLI. Beatus eſt igitur ſapiens in tormentis, ſed eum torquetur pro fide, pro juſtitia, pro Deo: illa patientia doloris beatiſſimum faciet.

S. Greg. ho. 35. in Evang. XLII. Sine ferro & ſanguine Martyres eſſe poſſumus, ſi patientiam veraciter in animo cuſtodimus. Mori a perſequente, Martyrium eſt in aperto opere; ferre vero contumelias, odientes diligere, Martyrium eſt in occulta cogitatione.

S. Clim. grad. 4. XLIII. Beatus, qui propter Deum quotidie maledictis & conviciis laceſſitus, ſibi vim fecerit: hic enim Martyribus tripudiantibus, & Angelis parem confidentiam, & gloriam merebitur.

S. Chryſ. ho. 4. ad pop. XLIV. Credite mihi, pejora ſunt, quæ nunc patiamur, his, quæ Paulus paſſus eſt. Eum illi lapidibus cædebant, ſed nunc accidit, ut verbis, lapidibus durioribus feriamur.

Neceſſitas.

S. Maxim. hom. 33. XLV. Ea eſt Chriſtianæ Religionis, via, ut, ubi eſt Spiritus Sanctus, ibi ſtatim ſequatur conflictus & perſecutio.

S. Laur. Juſt. XLVI. Intelligamus, quanto ſtudioſiores pro noſtra ſalute fuerimus, tanto vehementius ab Adverſariis impetendos. Hinc Pſalmo tertio dicitur: Detrahebant mihi, quoniam ſequebar bonitatem.

S. Greg. l. 6. ep. 37. XLVII. Ego fidenter dico, quia minus pie vivis, ſi minus perſecutionem pateris.

S. Chryſ. ho. 64. ad pop. XLVIII. Cogita, quod ſive velis, ſive nolis, calamitatem patieris: quod ſi grate, maxime lucraberis: ſi vero ægre & impatienter feres, neque illam ita minorem facies, ſed majorem reddes procellam. Cogitantes ergo quod neceſſitatis eſt, hoc noſtræ voluntatis eſſe faciamus.

S. Cypr. de perfect. vit. Chriſ c. 20. XLIX. Tolle charitati patientiam, & deſolata non durat. Tolle patiendi & tolerandi ſubſtantiam, & nullis radicibus & viribus perſeverat.

S. Aug. in Pſ. 20. L. Nemo ſibi promittat, quod Evangelium non promittit. Fratres mei, obſecro vos, attendite Scripturas noſtras, ſi aliquid ſe fefellerunt, & ſi aliquid dixerunt, & aliter accidit, quam dixerunt. Non promittunt nobis Scripturæ noſtræ in hoc ſæculo, niſi tribulationes, preſſuras, anguſtias, tormenta, dolores, abundantiam tentationum. Ad iſta nos præcipue paremus, nec imparati deficiamus.

S. Laur. Ju. in ligno vit. l. 1. LI. Univerſum vitæ noſtræ tempus quædam eſt vigilia ſolemnitatis æternæ. Vigilia utique non eſt tempus delitiarum, ſed fletus.

S. Chryſ. hom. 67. ad pop. LII. Nullus Athleta generoſus in ſtadio balnea quærit, aut menſam cibis & vino redundantem. Hoc non eſt Athletæ, ſed delicati: Athleta namque pugnat pulvere, oleo, ſolis, ardore, ſudore longo, tribulatione, & anguſtia. Hoc eſt certaminis tempus & pugnæ, igitur, & vulnerum, & cruoris, & dolori.

S. Laur. Juſt ſaſc. am. c. 8. LIII. Nullus reperitur ab ipſo mundi exordio palmes verus, qui non tribulatione purgatus ſit. Purgari non valet, niſi mundetur prius. Mundatur aqua baptiſmatis, tribulatione purgatur.

S. Chryſ. in Pſ. 25. LIV. Quid dicis, o homo, quid agis? cælum paras aſcendere, & regnum cæli invadere? & interrogas, ne quæ tibi difficultas occurrat in itinere, ne quid aſperum tibi in via accidat aut laborioſum, & non erubeſcis? non pudore oppreſſus ſub terra temetipſum, defodis? Quidquid agas, ad cælum non evades, niſi probe contuſus.

S. Aug in Pſ. 21. LV. Nemo ſibi dicat: fuerunt tribulationes apud Patres noſtros, apud nos non ſunt. Si putas, te nondum habere tribulationes, nondum cœpiſti eſſe Chriſtianus. Et ubi eſt vox Apoſtoli: Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patientur. Si ergo non pateris pro Chriſto ullam tribulationem, vide, ne nondum cœperis in Chriſto pie vivere.

S. Greg. l. 20. mor. c. 11. LVI. Nullus perfectus eſt, qui inter proximorum mala patiens non eſt, qui enim aliena mala æquanimiter non tolerat, ipſe ſibi per impatientiam teſtis eſt, quia a boni plenitudine longe diſtat.

Ven. Beda to. 7. ho. 2. LVII. Idcirco poſſeſſio animæ in virtute patientiæ ponitur, quia radix omnium, cuſtoſque virtutum, patientia eſt. Per patientiam vero poſſidemus animas noſtras, quia cum nobis ipſis dominari diſcimus, hoc ipſum incipimus poſſidere, quod ſumus. Sic enim conditi mirabiliter ſumus, ut ratio animam, & anima poſſideat corpus; Jus vero animæ a corporis poſſeſſione repellitur, ſi non prius anima a ratione poſſidetur. Cuſtodem igitur conditionis veſtræ patientiam Dominus monſtravit, qui in ipſa nos poſſidere noſmetipſos docuit.

S. Bernardinus t. 3. ſ. 6. art. 1. c. 4. LVIII. Terra bona fructum per patientiam reddit, quia ſcilicet nulla ſunt bona, quæ agimus, ſi non æquanimiter proximorum mala toleramus. Quanto enim quiſque altius profecerit, tanto in Mundo invenit, quod durius portet, quia cum præſentis ſæculi mentis noſtræ dilectio deficit, ejuſdem ſæculi adverſitas creſcit. Hinc eſt enim, quod pleroſque cernimus bona agere, & tamen ſub gravi tribulationum faſce deſudare, terrena namque deſideria fugiunt, & tamen flagellis gravioribus fatigantur; ſed juxta vocem Domini, fructus per patientiam reddunt, quia nimis humiliter flagella ſuſcipiunt; ſic ova calcibus tunditur, & in vini ſaporem liquatur; ſic oliva contritionibus expreſſa, amaritudinem ſuam deſerit, & in olei liquorem pingueſcit;

ſic

ſa per trituram areæ a paleis grana ſeparantur, & ad horreum purgata perveoiunt.

Æquitas.

S. Bonav. l. 2. de perf. Rel. c. 36. LIX. Patientia tolerabil… reddit præſentis vitæ incommoda, qu… adverſitas, quando cum impatientia eſt, triplex incommodum dat. Extrinſecus homo affligitur, & iotrinſecus per impatientiam amaricatur, & inſuper mala conſcientia rodit mentem pro reatu culpæ.

S. Aug. l. de patient. LX. Dominus ait: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*: oon ait, villas veſtras, laudes veſtras, luxurias veſtras, ſed animas veſtras. Si ergo tanta ſuffert anima, ut poſſideat, unde pereat, quanta debet ſufferre, ne pereat? Deinde ut illud dicam, quod culpabile non eſt; Si tanta ſuffert pro ſalute carnis ſuæ, inter manus ſecantium ſive urentium medicorum, quanta debet ſufferre inter furores quorumlibet ioimicorum, cum Medici, oe corpus moriatur, per pœnas corpori conſulant, inimici autem pœnas & mortem corporis comminando, ut anima & corpus in gehenna excidatur, impellant, quamquam & ipſi corpori tunc providentius conſulatur, ſi temporalis ſalus pro juſtitia contemnatur, & pœna vel mors ejus patientiſſime pro juſtitia ſufferatur.

S. Iſid. lib. de Synonym. LXI. Ordinata eſt Dei providentia, quæ prius per flagella homines hic emendat, & poſt eos ab æterno ſupplicio liberat, nequaquam enim delinquentibus parcit Deus, quoniam peccatorem aut hic ad emendationem ferit, aut in æterno judicio æternaliter puniendum relioquit.

S. Cypr. in lib. de bono patient. LXII. Inveniemus Patriarchas & Prophetas, & juſtos omnes, qui figuram Chriſti imagine præeuntem portabant, … nihil magis cuſtodiſſe in laude virtutum ſuarum, quam quod patientiam forti & ſtabili æquaoimitate tenerunt. Tot Prophetæ interfecti, tot Martyres glorioſis mortibus honorati, omnes ad cæleſtes coronas patientiæ laude venerunt.

Utilitas.

Bloſius in Saecel. animæ c. 12. LXIII. Nihil unquam quantumvis parvum pro Dei honore patimur, quin longe nobis ſit utilius: quam ſi totius mundi dominio potiremur. Quamlibet enim exiguum ſit, quod ad Dei perpetimur gloriam, pro illo tamen non minus Deus retribuet nobis, reſtituetque quam ſeipſum.

Bell. v. ſpe. mor. lib. 1. diſt. 22. LXIV. Patientia eſt mercatrix prudentiſſima, quæ mirabiliter, & copioſe magnis meritis animam locupletat, nec mirum; quia multam & magnam invenit in mundo materiam ſpirituales divitias acquirendi, omnes adverſitates, tribulationes, deſolatiooes, injurias & contumelias. Item fames, ſitis, æſtus, frigora, iofirmitates, & mors, ſunt nobis materia merendi, & merita cumulandi.

S. Chryſ. ep. 7. LXV. Hanc naturam habet patientia, ut eam nec arma mota, nec inſtructi exercitus, nec adhibita tormenta, nec arcus, nec lanceæ emiſſæ, nec ipſum Dæmonum agmen, nec terrificæ adverſarium poteſtatum phalanges, nec denique Diabolus ipſe cum omnibus copiis ſuis, machiniſque in aciem prodiens, detrimento ullo afficere poſſit.

S. Greg. in mor. LXVI. B. Job quot voces patientiæ in laudem Dei percuſſus reddidit, quali tot in adverſarii pectore jacula intorſit, & acriora multo, quam ſuſtinuit, inflexit.

S. Chryſ. ho. 14. in 2. ad Cor. LXVII. Eſt patientia ſcutum inexpugnabile, turris firma, magna omnia repelleos: & quemadmodum in abyſſum maris ſcintilla delata, huic quidem nihil obeſt, ipſa vero extinguitur, ſic io animum tolerantem, quidquid iocidere maximarum etiam rerum poteſt, facile quidem abſumitur ipſum, ille cooturbabitur prorſus nihil. Quando rebus omnibus ſolidior patientia eſt.

S. Clim. gr. 8. LXVIII. Ipſa tibi vox plebeja perſuadet, probrum & contumeliam lavacrum eſſe vitiorum animæ. Solent enim ſæculares, cum aliquem in faciem ignominiis & contumeliis reſperſerint, gloriantes ad alios dicere: Lavi illum: Quod profecto verum eſt.

Z. Veron. ho. 11. de patient. LXIX. Non enim virtutes poſſunt eſſe virtutes, niſi rerum diſciplinarumque converſionem, quaſi quædam ſollicita Mater patientia cuſtodiret.

S. Bern. ſ. 1. de S. And. LXX. Semper lignum crucis vitam germinat, balſamum ſudat Spiritualium chariſmatum. Non eſt ſylveſtris arbor, lignum vitæ eſt apprehendeotibus eam. Arbor frugifera, arbor ſalutifera eſt.

S. Cypr. de bono patient. LXXI. Non invenio, Fratres, inter cæleſtis diſciplinæ vias, quibus ad conſequenda divinitus ſpei ac fidei noſtræ ſerta dirigitur, quid ſit utilius, quam ut patientiam tota obſervatione tueamur.

S. Chryſ. ſ. in verba, ſi eſurierit. LXXII. Quanto graviora mala intulerit inimicus, tanto majoribus afficit beneficiis. Quod enim alii jejunio, planctibus, precibus, ſacco, cinere, ac diverſis pœnitentiæ auſteritatibus vix perficiunt, ut nimirum ſua peccata deleaot, hoc nobis ſioe ſacco, & cinere, ac jejunio facile licet præſtare, ſi modo ex animo iram deleamus, eiſque, qui nos læſerint, ſincere dimittamus.

S. Leo ſ. 9. de quadr. LXXIII. Certa atque ſecura eſt expectatio futuræ beatitudinis, ubi eſt participatio Dominicæ paſſionis.

S. Aug. ſ. 20. in appendic. LXXIV. En deſes equus ſcutica excitatur: en veſtis a pulveribus inter verbera purgatur: en arbor percuſſa copioſiorem nucum ſegetem proferre ſolet: haud ſane diſſimili modo, & nos ad frugem erudimur verberibus. Plagæ jubent ſapere, & quæ nocent, docent. Gaudeat ergo Chriſtianus in adverſis, quia aut probatur, ſi juſtus eſt: aut ſi peccator eſt, emendatur. Timeat, quem Deus corrigere non vult in ſeculo, quia eum ſupplicio deſtinavit poſt ſeculum.

Dignitas.

Hugo l. 3. de anim. LXXV. Magna virtus eſt, ſi non lædas, a quo læſus es: magna gloria, ſi cui nocere potuiſti, parcas: Nobile vindictæ genus eſt, ignoſcere victis.

S. Aug. in l. de pat. LXXVI. Virtus animi, quæ patientia dicitur,

Digitized by Google

citur, tam magnum Dei donum eſt, ut etiam ipſius, qui nobis eam largitur, patientia prædicetur.

S. Greg. in moral. LXXVII. Nullus perfectus eſt, qui inter mala proximorum patiens non eſt. Qui enim æquanimiter aliena mala non tolerat, ipſe ſibi per impatientiam teſtis eſt, quia omni plenitudine longe diſtat. Abel quippe renuit eſſe, quem Cain malitia non exercet.

S. Chryſ. in ep. ad Philip. LXXVIII. Quando Deus dat alicui, ut mortuos ſuſcitet minus dat, quam cum dat donum patiendi. Pro miraculis enim debitor ſum Deo; at pro patientia debitorem habeo Chriſtum. O rem admirandam! & donat mihi, & ſuper hoc debet ipſe mihi.

S. Cyril. Catech. 13. LXXIX. Gloriatio Eccleſiæ Catholicæ eſt omnis Chriſti actio; Gloriatio vero gloriationum eſt crux.

S. Baſil. mon. c. 11. LXXX. Tentationis, & probationis cauſa aliquid pati, rarorum admodum hominum eſt, & Abrahæ ſimilium.

S. Chryſ. l. 2. de pro. LXXXI. Examina diligentius eos, qui fuerunt nominatiſſimi, videbis omnes primo adverſitatibus probatos, ita demum Divina familiaritate dignos habitos fuiſſe, maximamque ad eum habuiſſe confidentiam.

Idem l. 1. de prov. LXXXII. Eos, qui ſibi intentius ac devotius obtemperant, veluti fortiſſimos Athletas, hujuſmodi laboribus exercet.

Idem h. 8. in Epiſt. Epheſ. LXXXIII. Nihil eſt æque præclarum, atque vincula propter Deum. Vinctum eſſe propter Chriſtum, præclarius eſt, quam eſſe Apoſtolorum, quam eſſe Doctorem, quam eſſe Evangeliſtam. Si quis amat Chriſtum, novit, quod dicitur: Si quis Deum inſanit, & ejus amore utitur; novit vim vinculorum. Maluerit eſſe vinctus propter Chriſtum, quam habitare cælos.

Ibid. LXXXIV. Etiamſi res (pati) nullam aliam haberet mercedem, hoc ſolum eſt magna merces, & ſufficiens remuneratio, gravia pati propter Deum, qui amatur. Sciunt, quod dicitur, qui amant.

Ibid. LXXXV. Si quis mihi daret totum cælum, aut Pauli catenam, ego illam præferrem. Si quis me apud Superos collocaret cum Angelis aut cum Paulo vincto, eligerem carcerem, & vincula. Nihil eſt melius, quam mala pati propter Chriſtum. Non tam beatum exiſtimo Paulum, quod raptus ſit in tertium cælum, quam eum cenſeo beatum propter vincula. Mihi eſt optabilius, male pati pro Chriſto, quam honorari pro Chriſto. Hoc eſt gloria, quæ omnia exuperat.

S. Laur. Juſt. l. 3. de guber. Dei. LXXXVI. Qui putantur crucem portare, ſic portant, ut plus habeant in crucis nomine dignitatis, quam in paſſione ſupplicii.

Idem de diſcipl. c. 10. LXXXVII. Perfectæ charitatis eſt argumentum notiſſimum, in adverſis fiduciam non amittere: & virtutes uniformiter ſemper operari, atque ſub Dei diſciplina eodem animo eodemque vultu perſeverare.

S. Valer. h. de bono conſ. pat. LXXXVIII. Duplex patientiam manet victoria, hominem viciſſe proprios animorum motus, & temperaſſe motus alienos.

S. Bonav. in Diæt. ſal. 7. c. 7. LXXXIX. Homo patiens Rex dicitur, quia habet regale dominium in omnibus, nam patienti ſerviunt omnia, quæ aliis ſunt nociva, ut ſterilitas agrorum, quæ implet ſibi cellarium: Hoſtes fabricant ſibi coronam; vepres parant ei medicinam; Mors aperit ſibi carcerem ad evadendum miſerias; Ignis, qui domos incendit aliis, ſibi confert pabulum, vel conſtituit in cælis palatium: & ſic verificatur illud Apoſtoli: *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

XC. Joannes nequaquam Martyrio vitam finivit, ſed tamen Martyr extitit, quia paſſionem, quam non ſuſcepit in corpore, ſervavit in mente; & nos ergo, hoc exemplo, ſine ferro eſſe poſſumus Martyres, ſi patientiam veraciter in animo cuſtodimus. *S. Greg. ho. 11. in Ev.*

XCI. Hæc noſtræ Chriſtianitatis ſumma eſt, ut amantibus viciſſitudinem, lædentibus patientiam rependamus; qui ergo fuerit patientior ad injuriam, potentior conſtituetur in regno. *S. Max. ho. de S. Mich. rel.*

XCII. Non reſpondeas, tamquam ſurdus; colligit enim in ſinu patientiæ contumelias quaſi lapides pretioſos, quibus ornabitur corona ſua, de qua ſancta canit Eccleſia: *Corona aurea ſuper caput ejus, expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis.* *Hugo Car.*

XCIII. Etſi miracula facias, & mortuos excites, & quid vis agas; numquam te adeo admirabuntur gentes, ut, quando te viderint moribus mitibus, placidis, & jucundis. *S. Chryſ. ho. 11. in ep. 1. ad Corinth.*

XCIV. Rerum omnium regina patientia; Scio, quia libentius in tuis moribus, tuis fundamentis, tuiſque conſiliis, quam in alienis, nudiſque ſermonibus conquieſcis, neque tantam in multiplicandis virtutibus laudem ponis, quantam in finiendis. Tu virginitati præſtas, ne flos ejus ullo morbo, ullo tempore deflorefcat. Tu variarum ſemper in tempeſtatum crebris turbinibus conſtituta, fidiſſimus miſerandæ viduitatis es portus. Tu ſanctiſſimo conjugali jugo rudi cervice ſubeuntis innifum laboris, vel amoris æqualem retiaculis blandis, quaſi quidam peritus auriga componis. Tu amicitiam, idem velle, atque idem nolle docuiſti. Tu ſervituti unica ac fortiſſima conſolatio ſæpe libertatem paris. Tu paupertati præſtas ut habeat totum, ſui contenta, cum ſuſtinet totum. Tu Prophetas provexiſti; Chriſto tu Apoſtolos glutinaſti; Tu quotidiana martyrum mater es, & corona; Tu murus fidei, fructus ſpei, amica charitatis. *S. Zenoſ. de pat.*

XCV. Patientia ſola eſt omnium virtutum probativa, quia dicit Gregorius: Qualis unuſquiſque apud ſe lateat, illata contumelia probat. *S. Bon. ſ. 3. de Ap.*

Jucunditas.

XCVI. Nec ſudantibus, & laborantibus poſſunt alia magis, quam patientiæ ſubvenire ſolatia. *S. Cyp. de bono pat.*

XCVII. Prorſus ei, qui ſe Deo perfecte reſignavit, afflictio dulcis eſt, quia in Deo, per quem illa ipſi evenit, conditur, & divina fit, & Deiformis. Cum talis nihil quærat, nihil diligat, nec quicquam illi ſapiat, niſi Deus, ita hunc in amaris atque contrariis capit, ſicut *Bloſius in ſacello an. c. 11. n. 4.*

in

Digitized by Google

in ſumma dulcedine; Neque enim fieri poteſt, ut aliquis pro Dei gloria quicquam ſuſtineat, quin in eo ſaporem quemdam Divinitatis percipiat.

Bello. ſpec. mor. l.1.diſt.88. XCVIII. Amara facit dulcia, aſpera ſuavia, gravis levia, patientes enim ad modum piſcium marinorum inundationes maris quaſi lac ſugunt: ut legitur Deuter.

Did. Niſſ. in Phan. l. 7. c. 4. XCIX. Si jejunamus, perinde exultemus, ac ſi in luxu verſaremur; ſi contumelias accipimus, non ſecus tripudiemus, ac ſi laudes noſtræ prædicarentur. Si corpus abſtinentia emaciamus, ſi carnem cilicio cicuramus, abſtinentiam, & cilicium tanta voluntate ferre debemus, quanta voluptate perfunderemur, ſi gratiſſimis lautitiis veſceremur, aut veſtiremur byſſo, & indueremur purpura. Si famæ noſtræ macula inuritur, ſi exiſtimatio noſtra probrorum vel convitiorum tenebris obnubilatur, ea tam avidis auribus excipere debemus, quam admitteremus verba Ciceronis, nos in publico theatro pro frequenti concione magnifice dilaudantis, & in cælum efferentis. Hæc enim eſt ſinceriſſima tolerantia, hæc integerrima patientia, ſi non æquanimiter tantum, ſed etiam lætanter, & ſumma cum voluntate feramus ærumnas omnes, & adverſitates, & ſic gaudeamus pœnis in inculta ignominiarum eremo, ac ſi eſſent gloriæ in amœno, & delicioſo applauſus horto.

Ibid. C. Si ſponſam dulcis ſponſus invitat ad pœnas, ad amaritudines, ac gelidam perſecutionum hyemem, quomodo dicit, ut ad amœnam horti ſtationem, & ſuavem ejus temperiem, apricamque manſionem veniat? *Veni in hortum meum*: Reſpondet Gilbertus; Quod ſponſa invitata fuit ad hortum, & quod vocat ad tolerandas paſſiones, hæc idem ſunt. Quod illi propinatus calix pœnarum, perinde eſt, ac ſi ad gloriam vocata fuiſſet. Quod illi perſecutiones oblatæ, tantumdem eſt, quantum quod invitata fuit ad hortum. Nam qui ſunt maxime ſinceri ſervi Dei, qui illius patiendi veram, integerrimamque cupiditatem imitari prorſum ſtudent, non ſolum magna voluntate excipiunt labores, & ferunt perſecutiones, ſed etiam inter virentia horti amœna verſari æſtimant, cum adverſa tolerant, eodemque loco habent ſubjacere infirmitatibus, & morari in gratis viridarii deliciis. Itaque ſponſa, dum in craticula erat, & inter aculeatas probrum ſpinas, non ſecus ac intra viridantes arbores degebat, amaraque myrrha illi nectare, vel ſaccharo dulcior erat.

Ibid. CI. Hoc abſque dubio docere voluit cæleſtis Magiſter, quando nos exhortatus fuit ad excipiendam humeris noſtris Crucem Evangelicam, ita inquiens: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*; Luc. 9. v. 32. Doctus Pater Didacus Stella preſſit iſta, *Tollat crucem ſuam*, & ſic dicit: Expende, quod non dicit: ferat, ſed tollat. Ponit differentiam Baſilius inter ferre crucem, & tollere, quia ferre crucem, eſt labores a Deo delatos vel æquo, vel iniquo animo ferre; ſed tollere, eſt animo læto, & avido non ſolum accipere, ſed rapere crucem libenter & gratanter. Qui ergo monuit crucem tollere, voluit, ut eam amanter & benevolenter amplecteremur, & avidis manibus cupide raperemus, promptiſque humeris, & ſereno vultu exciperemus; hoc enim eſt inclytiſſimum, inſigniſſimumque, & maxime heroicum patientiæ facinus, rapere crucem libenter & gratanter. Id nobis conſulit acerrimus noſter defenſor, & illuſtris pugil in ſua Catholica Epiſtola dicens: *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in varias tentationes incideritis*. Jacobi 1. v. 2. velut dixiſſet: Hanc ſupremam animi voluptatem reputate, cum tentationibus vexari contigerit, cum ærumnarum pro Dei honore tolerandarum occaſiones ſeſe obtulerint. Gilbertus ſerm. 32. in Cant. monet advertere, quod Apoſtolus non dixit: omnem: omnem patientiam exiſtimate: ſed omne gaudium; Quamobrem iſtud? quia minus eſt, quod dolore excluditur, quam quod lætitia ſuadetur, inquit venerabilis ille Pater. Patientia in adverſis, fugat ex animo Chriſtiani, & excludit dolorem & cruciatum, quem tormenta, perſecutiones, calumniæ illi adferre poſſunt: Verum ad eum modum non videtur homo pervenire in illam celſitudinem gaudii & exultationis inter ærumnarum tolerantiam. Dicit ergo nunc Apoſtolus, cum in plures diverſaſque miſerias prolapſi fueritis, omne gaudium exiſtimate, quia non ſolum volo vos patientes, ſed etiam hilares & lætabundos, quia opto vobis, quod præcipuum, quod præſtantiſſimum patientia habere poteſt, ut non ſolum volentes, verum etiam gaudentes feratis ærumnas.

CII. Si ignominia affectus fueris, gaude: Si injuſte, merces tua copioſa erit: Si vero juſte, & reſipueris, jam liberatus es a flagello. *S. Nilus Paran. n. 122.*

CIII. Utriuſque lætitiæ ingens eſt cauſa, & perſequi pro Chriſto, & conformari Chriſto. *S. Laur. Juſt. faſ. am. c.11.* De perſecutione quidem merces, & de conformitate provenit honor. Molleſcet utique dolor, & amaritudo dulceſcet, ſi mediatoris paſſionibus coaptetur.

CIV. Una dumtaxat res moleſtas eſt, nempe peccatum: Reliqua omnia pulveris inſtar & fumi ſunt. *S. Chryſ. ep. 24. ad Olymp.* Quæ moleſtia, carcere claudi, ac catenis vinciri? Quæ moleſtia, calamitatibus premi, cum calamitas tantarum opum cauſa ſit? Quæ moleſtia, bonorum proſcriptio? Mera verba hæc ſunt, rerum acerbitate vacua, verba mœroris expertia. Nam ſive mortem dixeris, naturæ debitum dicis, quod quidem omnibus ſubeundum eſt, etſi a nemine inſeratur. Sive exilium dixeris, nihil aliud dicis, quam regionum ac multarum civitatum proſpectum: ſive bonorum proſcriptionem dixeris, libertatem dicis, ac ſolutum & expeditum eſſe.

CV. Si lætitiam cupis, non pecunias, non corporis ſanitatem, non gloriam, non potentiam, non delicias, non lautas menſas, non ſericarum veſtium amictum quæris; *Id. ho. 18. ad popul. Antioch.* noli pretioſos agros, domoſve ſplendidas & illuſtres, aut aliud hujuſmodi quidquam ſectari, ſed Philoſophiam, quæ eſt ſecundum Deum, tracta, & apprehende virtutem, & nihil eorum, quæ ſunt, aut expectantur, te poterit contriſtare. Quid dico contriſtare? additio nempe

tibi

tibi fient voluptates, quæ alios contriſtant. Etenim flagella, & mortes, & mulctæ, & accuſationes, & male pati, & omnia talia, quando propter Deum inferuntur, & hanc habent radicem, multam nobis afferunt voluptatem. Nos miſeros facere poterit nemo, niſi noſmetipſos faciamus, ſicut ſcilicet nec beatos, niſi nos efficiamus cum Dei gratia.

Ibid. CVI. In Domino gaudens, hac voluptate numquam excidere poterit; alia quippe cunctatim quibus gaudemus, mutabilia ſunt, & tranſitu facilia; nec hoc ſolum, ſed etiam apud nos manentia, naſcentem ex aliis rebus triſtitiam repellere non poſſunt.

S. Baſil. ep. Stapl. them. 1. in Dom. 4. poſt Paſc. CVII. Anima, quæ ſemel ſe modis omnibus, deſiderio ſui aſtrinxerit Conditoris, jamque inſuevit oblectare ſe tantæ illius pulchritudinis contemplatione, prorſus non ſinet vehemens illud gaudium, animique ſui jucundiſſimam effuſionem intercipi aut immutari per multiplicem & ſuccedaneam carnalium affectuum mutationem. Quia ea potius, quæ aliis mœrorem afferunt & triſtitiam, in cumulum ſibi vertet, & acceſſionem lætitiæ.

§. IV. EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas.

L. 1. c. 19. §. 2. I. NOn eſt verus patiens, qui non pati vult, niſi quantum ſibi viſum fuerit, & a quo ſibi placuerit. Verus autem patiens non attendit, a quo homine, utrum a Prælato ſuo, non ab aliquo æquali, aut inferiori; utrum a bono & Sancto Viro, vel a perverſo & indigno exerceatur.

L. 2. c. 11. §. 2. II. Qui autem Jeſum propter Jeſum, & non propter ſuam conſolationem aliquam diligunt, ipſum in omni tribulatione & anguſtia cordis, ſicut in ſumma conſolatione benedicunt.

L. 1. c. 21. §. 2. III. O quam multas & graves tribulationes paſſi ſunt Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, & reliqui omnes, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti; nam animas ſuas in hoc mundo oderunt, ut æternam vitam poſſiderent.

Neceſſitas.

L. 2. c. 12. §. 4. IV. Neceſſe eſt, te ubique habere patientiam, ſi internam vis habere pacem, & perpetuam promereri coronam.

Ib. §. 3. V. Diſpone & ordina omnia ſecundum tuum velle & videre, & non invenies, niſi ſemper aliquid pati debere aut ſponte, aut invite, & ita crucem ſemper invenies. Aut enim in corpore dolorem ſenties, aut in anima Spiritus tribulationem ſuſtinebis. Interdum a Deo relinqueris, & interdum a proximo exercitaberis, & quod amplius eſt, ſæpe tibimetipſi gravis eris, nec tamen aliquo remedio vel ſolatio liberari, ſeu alleviari poteris, ſed donec Deus voluerit, oportet, ut ſuſtineas.

Ib. §. 4. VI. Crux ſemper parata eſt, & ſemper te expectat: non potes effugere, quocumque cucurreris, quia quocumque ieris, teipſum tecum portas, & ſemper teipſum invenies. Converte te ſupra, converte te infra, converte te extra, converte te intra, & in his omnibus invenies crucem.

VII. Nemo aptus eſt ad comprehendendum cæleſtia, niſi ſe ſubmiſerit ad portandum pro Chriſto adverſa. *Id. §. 14.*

VIII. Ecce in cruce totum conſtat, & in moriendo totum jacet, & non eſt alia via ad vitam & ad veram internam pacem, niſi via ſanctæ crucis & quotidianæ mortificationis. *Ib. §. 2.*

IX. Eſto itaque expeditor ad pugnam, ſi vis habere victoriam. Sine certamine non potes pervenire ad patientiæ coronam. Si pati non vis, recuſas coronari. Si autem coronari deſideras, certa viriliter, ſuſtine patienter. Sine labore non pervenitur ad requiem, nec ſine pugna pervenitur ad victoriam. *L. 3. c. 19. §. 4.*

Æquitas.

X. Credis tu evadere, quod nullus mortalium potuit præterire? Quis Sanctorum in mundo ſine cruce & tribulatione fuit? Nec enim Deus Chriſtus Dominus noſter una hora ſine dolore paſſionis fuit, quandiu vixit. Et quomodo tu aliam viam quæris, quam hanc regiam viam, quæ eſt via ſanctæ crucis. *L. 2. c. 12. §. 6.*

XI. Intuere SS. Patrum vivida exempla, in quibus vera perfectio refulſit, & religio, & videbis, quam modicum ſit, & pene nihil, quod non agimus. Heu quid eſt vita noſtra, ſi illis fuerit comparata? Sancti & amici Chriſti Domino ſervierunt in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in labore & fatigatione, in vigiliis & jejuniis, in orationibus & meditationibus, in perſecutionibus & opprobriis multis. Ceſſa conqueri conſiderata mea & aliorum Sanctorum paſſione. Nondum uſque ad ſanguinem reſtitiſti. Parum eſt, quod tu pateris in comparatione eorum, qui tam multa paſſi ſunt, tam fortiter tentati, tam graviter tribulati & exercitati. Oportet te igitur aliorum graviora ad mentem reducere, ut levius feras tua minima. *L. 1. c. 18. §. 1.*

XII. Merito deberes libenter modicum pati pro Chriſto, cum multi majora patiantur pro mundo. *L. 2. c. 13. §. 15.*

XIII. Si dixeris, te non poſſe multa pati, quomodo tunc ſuſtinebis ignem Purgatorii? de duobus malis minus eſt eligendum. Ut ergo æterna futura ſupplicia poſſis evadere, mala præſentia ſtudeas pro Deo æquanimiter tolerare. *L. 1. c. 12. §. 2.*

Utilitas.

XIV. Nihil Deo acceptius, nihil tibi ſalubrius in mundo iſto, quam libenter pati pro Chriſto. Si quidem aliquid melius & utilius ſaluti hominum fuiſſet, Chriſtus utique verbo & exemplo docuiſſet. *L. 2. c. 12. §. 14. 15.*

XV. Quandiu pati tibi grave eſt, & fugere quæris, tandiu male habebis, & ſequetur te ubique fuga tribulationis. Si ponis te, ad quod eſſe debes, videlicet ad moriendum & patiendum, fiet cito melius, & pacem invenies. *Ib. §. 11. & 12.*

XVI. Qui modo libenter audiunt & ſequuntur verbum crucis, tunc non timebunt ab auditio- *Ib. §. 1.*

Digitized by Google

ditione æternæ damnationis. Hoc ſignum crucis erit in cælo, cum Dominus ad judicandum venerit. Tunc omnes ſervi crucis, qui ſe Chriſto conformaverunt in vita, accedent ad Chriſtum cum magna fiducia.

Ib. §. 2. XVII. Quid igitur times tollere crucem, per quam itur ad regnum? In cruce ſalus, in cruce vita, in cruce protectio ab hoſtibus, in cruce infuſio ſupernæ ſuavitatis, in cruce robur mentis, in cruce gaudium Spiritus, in cruce ſumma virtutis, in cruce perfectio ſanctitatis. Non eſt ſalus animæ, nec ſpes æternæ vitæ, niſi in cruce. Tolle ergo crucem tuam, & ſequere Jeſum, & ibis in vitam æternam.

Dignitas.

Ib. §. 13. XVIII. Utinam dignus eſſes aliquid pro nomine Jeſu pati, quam magna gloria remaneret tibi! Quanta exultatio omnibus Sanctis Dei! Quanta quoque ædificatio eſſet proximi! Nam patientiam omnes recommendant, quamvis pauci tamen pati velint.

XIX. Si eligendum tibi eſſet, magis optare deberes pro Chriſto adverſa pati, quam multis conſolationibus recreari, quia Chriſto ſimilior eſſes, & omnibus Sanctis conformior; non enim ſtat meritum noſtrum, & profectus ſtatus noſtri in multis ſuavitatibus & conſolationibus, ſed potius in magnis gravitatibus & tribulationibus perferendis.

L. 2. c. 3. §. 1. XX. Qui melius ſcit pati, majorem tenebit pacem. Iſte eſt victor ſui, & Dominus mundi, amicus Chriſti, & hæres cæli.

Jucunditas.

L. 3. c. 32. §. 2. XXI. Quis eſt, qui melius habet? Utique qui pro Deo aliquid pati valet.

L. 2. c. 12. §. 8. XXII. Quanto altius quis in Spiritu profecerit, tanto graviores ſæpe cruces invenit, quia exilii ſui pœna magis ex amore creſcit. Sed tamen iſte ſic multipliciter affectus non eſt ſine levamine conſolationis, quia fructum maximum ſentit accreſcere ex ſufferentia ſuæ crucis. Nam dum ſponte ſe illi ſubjicit, omne onus tribulationis in fiduciam Divinæ conſolationis convertitur.

Ib. §. 11. XXIII. Quando ad hoc veneris, quod tibi tribulatio dulcis eſt, & ſapit pro Chriſto, tunc bene tecum eſſe exiſtima, quia inveniſti Paradiſum in terra.

L. 3. c. 47. §. 2. XXIV. Fili, non te frangant labores, quos aſſumpſiſti propter me, nec tribulationes te dejiciant uſquequaque, ſed mea promiſſio te in omni eventu roboret & conſoletur. Ego ſufficiens ſum ad reddendum ſupra omnem modum & menſuram.

§. V. EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Qualitas.

Lyræus in axiom. 5. Ign. c. 1. §. 41. I. Chriſtus quondam viro ſancto apparens dixit, ſe tantum patiendi deſiderium habere, ut etiamnum ad dexteram Patris reſidens, animas quærat pias atque benevolas, quæ ſua ei corpora velut commodato donent, ut ipſe in eis multa pati, & deſiderium glorificandi Patrem ſuum per crucem amore plenam continuare poſſit.

II. Sanctus Job petebat a Deo: Quis det, ut veniat, petitio mea, & quod expecto, tribuat mihi Deus? & qui cœpit, ipſe me conterat, ſolvat manum ſuam, & ſuccidat me. Et hæc mihi ſit conſolatio, ut affligens me dolore non parcat. *Job 10. v. 24.*

III. Sanctus Paulus de ſe ipſo fatetur: Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis in Chriſto. Cum enim infirmor, tunc potens ſum. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti.

IV. S. Andreas conſpecta cruce, cui affigendus erat, exclamavit: O bona crux, diu deſiderata, ſollicite amata, ſine intermiſſione quæſita, & jam concupiſcenti animo præparata, ſecurus & gaudens venio ad te; ſuſcipe me ad hominibus, & redde me Magiſtro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit. *Surius in vita 30. Nov.*

V. S. Chryſoſtomus tanto ardebat patiendi deſiderio, ut diceret: Si quis mihi dixiſſet: elige, utrum velis: Vis eſſe Angelus Petrum ſtimulans ac ſolvens, an Petrus ſervatus in vinculis? Petrus utique maluiſſem, propter quem Angelus deſcendit. Vinculis iſtis potiri licuiſſet? *Lyræus in axiom. 3. l. 3.*

VI. S. Catharina Senenſis oblata a Chriſto corona aurea & ſpinea hanc elegit, atque ab eo tempore adeo delectata eſt afflictionibus, ut nihil ei in hac vita tantum ſolatii & refrigerii afferret, quantum afflictiones & cruces; ſine quibus, ut ipſa ajebat, vita hæc ei moleſta foret; propter eas autem libenter ferret beatitudinis dilationem, non ignoraos, illam afflictionibus non parum augeri. Hinc fœminam cancro laborantem, & horridam, ſui infamatricem, numquam domo, etſi ad id urgeretur a matre, expellere voluit, ſed omnia ei obſequia inſtar ancillæ promptiſſime exhibuit. *Sur. 29. Apr. c. 24 vit.* *L. 1. vit. c. 7.*

VII. De S. Gertrudis patientia, Chriſtus ipſe teſtimonium tulit, dum Virgini cuidam devotæ dixit: Tanta hujus animæ delectatione afficior, ut ſæpenumero, dum ab iis hominibus offendor, me ipſum in ea quieturus infinuem, atque preſſuram cordis, aliamve moleſtiam eidem tunc temporis deſtinem, quam dum tanta, ut ſolet gratiarum actione ſuſcipit, tanta ſuffert humilitate ac patientia, tanta denique devotione, in unione paſſionis meæ mihi offert, omnino me reddit placatum, facitque, ut innumeris ſæpe hominibus ejus amore parcam. *Vit. l. 1. c. 4.*

VIII. S. Thereſiæ quondam Chriſtus apparuit, dicens: Ille Patri meo cæleſti omnium eſt gratiſſimus, qui quam plurimis, maximiſque afflictionibus exercetur. Et vide, filia mea, vide & animitius perpende vulnera mea, & fatere, quam nulli tui dolores cum meis vel conferri poſſint. A quo tempore tantum illa deſiderium patiendi concepit, ut ſem- *Vit. l. 4. c. 18.*

per

Lyræus in axiom. 1. S. ign. per dicere ſoleret: *Aut pati, aut mori*, fatereturque, ſe afflictiones cum omnibus mundi theſauris non commutaturam. Hinc octodecim ſibi ſpinas eligebat, quibus aſſiduo amore ſponſi vellicaretur; nempe ſex exteriores, puta dolores & fatigationes corporis, famem & ſitim, frigus & calorem, paupertatem ſive inopiam, injurias & dedecora, perſecutiones & minas. Sex interiores, ſcilicet triſtitiam, timorem, ſcrupulos, tentationes, paſſiones vehementes, ſpiritus blaſphemias. Sex divinas, videlicet impetum amoris, deliquium amoris, ignem accendentem cor, horrorem & nauſeam rerum creatarum, zelum animarum, atque honoris Dei. Ob quæ omnia poſt mortem viſa eſt, quaſi de ſepulchro exire cum cruce pulchra, & eleganti arte facta, velut ſymbolo patientiæ. *Nadaſi in hebd. æter. 43.* Alias vero nonnemini conſpecta dicebat, ſe in cælo pro nulla alia re tantum præmii accipere, quantum pro moleſtiis, quas perpeſſa fuerat, dum inter mortales degeret, & ſi quid eſſet cauſæ, ob quam deſideraret in terras redire, id ſe non alia cauſa deſideraturam, quam pati poſſet. *Lyræus l. c.* Hinc prædivit Mercatori, qui petierat illius precibus commendari, in terris adhuc exiſtens reſcripſit: Domine, cum intellexerim, quantopere meas ſorores juves, deſidereſque meis viciſſim precibus juvari, quanta potui, animi mei contentione id feci. Quare ſcire te velim, cælitus cognoviſſe me, nomen tuum ſcriptum eſſe in libro vitæ. In ſignum autem, quod tibi vera ſcribam, ſcias ab hac hora, qua litteras has accipies, nihil in hac vita proſpere tibi ſucceſſurum. Et ita evenit, nam exiguo poſt tempore ob navium jacturam foro cedere coactus fuit. Quod cum amici reſciviſſent, ſortem ejus miſerati, ſuis cum pecuniis juverunt, ut de novo fortunam tentaret; ſed cum altera vice res ei male ſucceſſiſſet, acceptis ſecum rationum libris, carcerem ſponte ingreſſus eſt, & vinculis ſe tradidit, quod Mercatores intelligentes, cognita viri probitate, noluerunt illi moleſtiam ciere. Pauper itaque & rebus ſuis exutus, ſolo Deo contentus finivit vitam.

Lyræus l. c. IX. B. Maria Magdalena de Pazzis dicere ſolebat, non deſiderare ſe brevem vitam aut celerem mortem, cum in cælis nulla ſit cruciatuum perpeſſio; deſidero, inquiebat, vivere diu, quia deſidero amore ſponſi ac Domini mei diu pati, non tantum breve aliquod martyrium, ſed & morborum examina, calumnias, infortunia, & quæcumque in me aſſurgere poſſunt, adverſa.

Vita c. 30. X. S. Catharina Genuenſis inter extremos & acerbiſſimos dolores dicebat: Sunt anni ſex ſupra triginta, ex quo amor me illuminaſti: ab illo tempore nihil deſideravi, niſi pati intus & foris.

Vit. l. 1. c. 18. XI. S. Philippus Nerius per triginta annos multa in domicilio S. Hieronymi a quibuſdam domeſticis perpeſſus, nunquam adduci potuit, ut ad domicilium Patrum Congregationis Oratorii a ſe fundati tranſiret, donec authoritate ſummi Pontificis ad hoc coactus eſt.

Vita PP. l. 3. n. 74. XII. Quidam ſenex in morte apprehendens manum Fratris, victum ſibi furantis dixit: Gratias ago manibus iſtis, quia per illas arbitror, me nunc in regnum cælorum intraturum.

XIII. B. Eliſabetha Regia ſtirpe oriunda, Thuringiæ Principis uxor; defuncto conjuge, cognatis Provinciam occupantibus, cum liberis ejecta, inops, vaga, exul, ærumnis omnibus preſſa, ab iis etiam, in quos olim benefica fuerat, deſerta & contempta, tam conſtanti animo omnia ſuſtinuit, ut eo ipſo tempore, & in hac mendicitate hymnum Ambroſianum cantari a Franciſcanis voluerit. *Drexel. in Roſis p. 2. c. 2. §. 6.*

XIV. Religioſa quædam fœmina cum patientiæ exercendæ cauſa Viduam alendam a S. Athanaſio petiiſſet, eamque mitem admodum, ac tractabilem obtinuiſſet, aliam ſibi aſperiorem aſſignari petiit, a qua cum peſſime tractata, mille moleſtias perpeſſa fuiſſet, hanc tandem ſibi optatam dixit, ideoque S. Athanaſio pro ejus aſſignatione ſummas gratias egit. *Prat. Sp. c. 206.*

Qualitas Patientiæ in damnis rerum temporalium.

XV. S. Job cum omnibus ſuis fortunis ſpoliatus liberorum etiam ſubita & miſerabili morte oppreſſorum nuntium accepiſſet, nihil his commotus, in has credo digniſſimas voces erupit: Dominus dedit, Dominus abſtulit: Sicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. *Job c. 1. v. 21.*

XVI. Sanctus Euſtachius Dux Exercitus Trajani Imperatoris, per peſtem quidem omnibus ſervis & ancillis, per ſerpentem vero gregibus ſuis univerſis ſpoliatus, dum in Ægyptum abire parat cum uxore & liberis, etiam hanc in portu amiſit, poſtea dum fluvium cum filiorum altero trajicere parat, alterum a leone abreptum & dum huic quoque ſuccurrere conatur etiam priorem a lupo dentibus ablatum videns, omnia cum ſumma animi æquitate ac conſtantia tolerans, diu manuum labore victavit, donec poſt aliquot annos omnia recuperare meruit. *Sur. 2. Nov.*

XVII. S. Joannes Eleemoſynarius cum tredecim naves mille & tercentas auri libras continentes naufragio periiſſent, nihil aliud dixit niſi illud Jobi: Dominus dedit, Dominus abſtulit. Cauſamque infortunii ſuis peccatis adſcripſit. *Sur. 28. Jan.*

XVIII. S. Stephanus cum quidam ex odio omnem meſſem in arca pro ſe & fratribus collectam igne ſubjecto deſtruxiſſet, nuntianti ſibi tam triſtem caſum, placida mente reſpondit, ſibi nihil mali accidiſſe, ſed ei potius, qui id feciſſet, ſe condolere, veniamque & gratiam a Deo ex animo precari. *S. Greg. l. 4. dial. c. 19.*

XIX. S. Remigius, cum ſecuturam annonæ charitatem prævidens, ingentem frumenti copiam in pauperum ſubſidium collegiſſet, camque malevoli aliquot igne abſumpſiſſent, audito nuntio equum conſcendit, & ut inimicorum inſaniam compeſceret, accurrit. Sed cum omnia jam ardere videret, de equo deſcendit, & quia tum ob ætatem, tum ob frigus veſpertinum frigebat nonnihil, ad ignem ſe calefaciens tranquillo corde & ore dixit: Semper bonus eſt focus. *Sur. 10. t. ap. Dunrol. cap. 9. tit. 3.*

XX.

Digitized by Google

M. Marul. l. 5. XX. S. Bernardus Claravallenſis Abbas cum ducenta argenti pondo ſibi ad impenſas conſtruendi Monaſterii miſſa, a graſſatoribus intercepta fuiſſent, gratias Deo egit, quod magno ſe onere liberarint.

Qualitas Patientiæ in contemptu.

1. Reg. 6. v. 22. XXI. S. David a Michol uxore ſua irriſus & contemptus, quia quaſi in modum ſcurræ coram arca Dei ſaltaſſet, patientiſſime id ferens dixit: Ludam, & vilior fiam pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis: & cum ancillis, de quibus locuta es, glorioſior apparebo. Convitiis vero a Semei appetitus, cum ſervi eum vindicare vellent, dixit: Dimitte eum, ut maledicat; Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David, & quis eſt, *2 Reg. 16. v. 10.* qui audeat dicere, quare ſic fecerit?

Act. 6. v. 4. XXII. Apoſtoli cæſi a Judæis, vetitique, ne loquerentur in nomine Jeſu, ibant gaudentes a conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.

Vit. PP. l. 7. c. 7. p. 4. XXIII. Quidam Frater erat, qui, quanto plus eum aliquis injuriabat, tanto magis ad eum recurrebat dicens: Iſti ſunt, qui nobis occaſionem præbent ad perfectionem noſtram; qui autem beatificant nos, decipiunt nos, & ſemitam pedum noſtrorum ſubvertunt.

Corn. in epiſt. ad Cor. ſer. 226. XXIV. Beatus Jacoponus vir nobilis & litteratus rogatus a Chriſto apparente, cur ſtultitiam ſic amaret? pia ſimplicitate reſpondit: Quia tu ſtultior me fuiſti, Domine.

Lyraus in apoph. 2. l. 1. XXV. Joannes Crucius primus Carmelitarum excalceatorum parens, dum multis exhauſtis laboribus, & ærumnis Segobiæ cum Deo familiarius loqueretur, ſeque ab eo interrogari perſentiſceret, quod præmium pro his laboribus peteret? reſpondit: Domine, pati & contemni pro te.

Lauriz. opuſc. 9. n. 97. XXVI. S. Joannes Chryſoſtomus a Theophilo Alexandrino Epiſcopo adjuto ab aliis triginta ex Epiſcopis ad Concilium Chalcedone coactum citatus ob falſas accuſationes, inter quas erat, quod adverſus Clerum librum edidiſſet Sycophantiis & calumniis plenum, qood mulieres reciperet, ſoluſque cum illis ageret, vitam Cyclopis turpiter ac voluptuoſe duceret, redditus Eccleſiæ in malos uſus impenderet, blaſphemias varias commiſerit in Chriſtum, populum ſeduxerit, & adverſum Synodum concitarit, alienas Eccleſias invaſerit, & ſimiles, ob quas etiam S. Cyrillus eum Judæ Chriſti traditori compararat, & poſt mortem in Epiſcoporum Catholicorum album referri vetuerat, donec ab hac mente viſione cæleſti abductus eſt, non ſemel damnatus & in exilium pulſus, & in eodem denique omnino mortous, omnia admiranda conſtantia tulit.

Ibid. XXVII. Sanctus Cyrillus Alexandrious a Synodo quadraginta trium Epiſcoporum publico decreto, ut inſignis iniquitatis Author, & Eccleſiaſticarum Sanctionum contemptu hæreticum ſe pleniſſime profeſſus, Epiſcopatu abdicatus, æquiſſimo animo ſententiam accepit.

Ibid. XXVIII. S. Athanaſius uſque adeo contumeliis & perſecutionibus fuit obnoxius, ut de eo ſcribat Ruffious in ejus perſecutiones, univerſum Orbem conjuraſſe, & commotos Principes terræ, Gentes, Regna, exercitus adverſus ipſum coiviſſe, ſed & Metaphraſtes ait, omnem ei locum fugam factum eſſe, quia uſque adeo quærebatur, ut præmia proponerentur iis, qui ubicumque terrarum eum inventum indicaſſent; accuſabatur autem de hæreſi, magia, ſeditione concitata, adulterio, ob quæ tandem omnino damnatus & in exilium pulſus eſt.

XXIX. S. Baſilius Epiſcopus factus, a multis tamquam Hæreticus, & Hæreticorum conſortio pollutus vitabatur, ideoque coactus fuit, nemini propemodom ſe crederet, omniſque pariter vereri. Imo & apud S. Damaſum Papam ob ejuſmodi accuſationes parum gratioſus effectus eſt, ita ut ne reſpondere quidem ad ejus epiſtolas dignaretur. *Ibid.*

XXX. S. Hieronymus de ſeipſo ſcribit: Me ſceleſtum quidam putant, & omnibus flagitiis obrutum. Ego probroſus, verſipellis, & lubricus. Ego mendax & Satanæ arte decipiens. Alius inceſſum meum calumniabatur, & riſum. Imo, teſte Baronio, adeo frequens fuit turba in Hieronymum obloquentium & obtrectantiom, ut vix ediderit ſcriptum aliquod, in quo oon opus fuerit prætexere Apologiam, & in alios iovectivam, quod ipſe variis in locis, præcipue vero in præfatione in Michæam teſtatur. *Ibid.* *An. 391.*

XXXI. S. Franciſcus a proprio Generali Fratre Elia tanquam turbator & deſtructor Ordinis habitus, maleqne tractatus, immo & libris impreſſis infamatus eſt, quaſi in adoleſcentia laſciviæ juvenilis ardoribus deditus multorum gravium peccatorum ſordibus corpus animumque maculaſſet. *S. Anton. Spec. l. 29. c. 97.*

XXXII. S. Romualdus Fundator ſui Ordinis accuſatus ab impuro Juvene, diſciplinam ejus non ferente, quaſi nefandum ſcelus ſecum perpetraſſet, a ſuis ſubditis in poblico Conventu damnatus eſt tanquam laqueo & igne dignus, adeoque & Sacra celebrare Myſteria prohibitus eſt, quæ omnia, licet jam centenarius, æquiſſimo tulit animo. *Pet. Dam. c. 49. vit.*

XXXIII. S. Thereſia incredibilia paſſa eſt ab omni genere hominum etiam bonorum & valde ſpiritualium. Habebatur enim a multis pro illuſa a Diabolo: ejus oratio & revelationes irridebantur: aliqui tanquam obſeſſam a Dæmone exorciſmis curare volebant: alii eam ad Tribunal Inquiſitionis detulerunt, præter illas adverſitates, quas paſſa eſt a propriis Superioribus in propriorum Monaſteriorum fundatione. *Vit. lib. 4. c. 17.*

XXXIV. S. Petrus Martyr cum tres eum de cælo virgines viſitaſſent, accuſatus, quod poellas in cellam admiſiſſet, in publico Conventu damnatus, in exilium eſt abiegatus ad remotum aliquod Monaſterium, forti animo ferens tantam ignominiam. *Vit. p. 4. poſt.*

XXXV. Marina Virgo cum veſtibos virilibus induta, & in virorum Monaſterium recepta fuiſſet, ibidem accuſata a muliere quapiam, quod eam imprægnaſſet, patientiſſime pœnam & infamiam, excluſionis a Monaſterio tulit, donec poſt mortem ejus innocentia detecta eſt. *Sur. 6. Febr.*

XXXVI.

Dautolt. c. 7. tit. 25. §. 1. XXXVI. Lydıtvina a ſurente mnliere convitiis primum & contumeliis proſciſſa, dein etiam fœdiſſime conſputa, non modo immota perſtitit, ſed etiam munuſculum clam ei ſubmiſit, dicens, illis ſe multum debere, qui ad viam mandatorum Dei currendam compellunt. Alias a quatuor militibus invaſa in lecto, nudata, turpiter contrectata, non modo indignata non eſt, ſed etiam accuſare eos volentes cohibuit, ne facerent.

S. Chryſ. ho. 20. ad popul. XXXVII. Conſtantinus M. licet reportarit in tot bellis & prælíis diverſos & glorioſos triumphos, D. Chryſoſtomus tamen majoris facit aliam quandam per ipſum obtentam victoriam longe celebriorem, magiſque glorioſam; Nam in homilia quadam ad populum ſuum Antiochenum de præfato Imperatore ita ſcribit: Fertur Beat. Conſtantinus, effigie ſua quandoque lapidata, multis ipſum inſtantibus, ad ſupplicium de Authoribus contumeliæ ſumendum, & dicentibus, quod omnes ipſius faciem ſaxis convulnerarint, manu faciem palpans, & leniter ridens dixiſſe: Ego vero nuſquam vulnus in fronte factum video, ſed ſanum quidem caput, ſana vero & facies tota. Illi vero reveriti, & confuſi ab hoc iniquo deſtitere conſilio, & hoc verbum hactenus canunt omnes, nec tantum temporis labeſecit, aut hujus ſapientiæ memoriam extinxit. Queis non ſit hoc trophæis ſplendidus? Multas urbes ille condidit, & multos barbaros ſuperavit, ſed ne minimus illorum nihil, hoc autem verbum uſque in præſentem diem canitur, & poſteri noſtri, & poſteri illorum, omnes idipſum audient.

Rho. l. 6. c. 2. n. 17. XXXVIII. De Joanne Sanctio, ſupra citatus Rho ſic ſcribit: Hominem, quem Avilæ diſciplina lucris animarum maxime intentum reddiderat, quum, quod illi proprium erat, e lupanari ad pœnitentiæ caſtra mulierculam eo transſugio ſervanda perduceret, obviam factus amator impurus, rabieque, quam libidinis aſſe clam eſſe ſcimus, percitus, convitiis oneratum in ipſo foro luce palam colapho verberat. Sed ſtetit immota Sacerdoti patientia, quæ ſenio robuſtior humi poſito genu, genam alteram verberanti obtulit. Nulla re magis frangitur ira, quam patientia; Accidit, qui injuriam fecerat, Sanctio ad genua, & veriſſimis perfuſus lacrymis, veniam, pacemque precatus; geminæ perturbationi, libidini, atque iræ, quarum utraque eſt impotentiſſima, ab una venerandi ſenis patientia ſenſit ſibi factam eſſe medicinam.

S. Greg. l. 1. dial. c. 2. XXXIX. Quadam die Abbas Monaſterii Fundenſis contra venerabilem virum Libertinum exarſit gravi iracundia, ita ut eum manibus cæderet. Et quia virgam, qua eum ferire poſſet, minime invenit, comprehenſo ſcabello faciem ei, ac caput tutudit, totumque illius vultum tumentem lividum reddidit. Qui vehementer cæſus ad ſtratum proprium tacitus receſſit. Die vero altera erat pro utilitate Monaſterii cauſa conſtituta. Expletis igitur hymnis Matutinalibus, Libertinus ad lectum Abbatis venit, orationem ſibi humiliter petiit. Sciens vero ille, quantum a cunctis honoraretur, quantumque diligeretur, pro injuria, quam ei ingeſſerat, recedere eum a Monaſterio velle putabat atque requiſivit, dicens: Ubi vis ire? cui ille reſpondit: Monaſterii conſtituta eſt cauſa, Pater, quam declinare nequeo, quia heſterno die me hodie iturum promiſi, illuc ire diſpoſui. Tunc ille a fundo cordis conſiderans aſperitatem & duritiem ſuam, humilitatem atque manſuetudinem Libertini, ex lecto proſiliit, pedes Libertini tenuit, ſe peccaſſe, ſeque reum eſſe teſtatus, qui tanto talique viro tam crudelem facere contumeliam præſumpſiſſet. At contra Libertinus ſeſe in terram proſternens, ejuſque pedibus provolutus ſuæ culpæ, non illius ſævitiæ fuiſſe referebat, quod pertulerat. Sicque actum eſt, ut ad magnam manſuetudinem perduceretur Pater, & humilitas diſcipuli magiſtra fieret magiſtri. Cumque pro utilitate Monaſterii ad conſtitutionem cauſæ egreſſus fuiſſet, multi viri noti, ac nobiles, qui eum valde honorabant, vehementer admirati, ſolliciti requirebant, quidnam hoc eſſet, quod tam tumentem ac luridam haberet faciem. Quibus ille dicebat: Heſterno die ſero, peccatis meis exigentibus, in ſcabello ſuppedaneo impegi, atque hoc pertuli. Sicque vir ſanctus ſervans in pectore honorem veritatis, & Magiſtri, nec Patris prodebat vitium, nec falſitatis incurrebat peccatum.

XL. Caſſianus de Juvenis cujuſdam patientia ſic ſcribit: Poſt dies admodum paucos, majoris doctrinæ deſiderio pertrabente, rurſus ab Abbatis Pauli cœnobium ſumma ſpiritus alacritate perreximus: Ubi licet pluſquam ducentorum fratrum numerus moraretur, in honore tamen ſolemnitatis, quæ id temporis agebatur, infinita quoque de aliis cœnobiis Monachorum turba confluxerat. Nam prioris Abbatis, qui eidem cœnobio præfuerat, anniverſaria depoſitio ſolemniter curabatur. Cujus conventus idcirco facimus mentionem, ut patientiam cujuſdam fratris, quæ ſub præſentia totius Congregationis hujus immobili ejus claruit lenitate, breviter perſtringamus. Nam licet alio ejus operis tentat intentio, ut ſcil. Abbatis Joannis, qui derelicta eremo, illi ſe cœnobio ſumma humilitate ſubdiderat, proferamus eloquia: Nequaquam tamen putamus abſurdum, ſi abſque ulla circuitione verborum, magna, ut credimus, ſtudioſis virtutum quibuſque ædificatio conſeratur. In ingenti itaque atrio ſubdiali, illa multitudine Monachorum per duodenarium numerum diſtinctis Orbibus conſidente, cum quidam fratrum ſuſceptum ferculum paulo tardius intuliſſet, occaſione iſtius tarditatis, prædictus Abbas Paulus, qui inter turbas miniſtrantium fratrum diſcurrebat, exerta manu palma eum ſub omnium percuſſit intuitu, ita ut ſonitus etiam adverſorum, vel longius conſidentium auribus reſultaret: Hoc autem ab eo factum eſt idcirco, ut cunctis, qui aderant, patientiam juvenis pateſaceret, & omnes, qui *Jo. Caſ. Ran. coll. 19. c. 1.*

in-

Digitized by Google

interfuiſſent tali ſpectaculo, modeſtiæ erudirentur exemplo. Quam maturo autem ſenior fecerit conſilio, res probavit. Nam memorabilis patientiæ juvenis tanta id animi benignitate ſuſcepit, ut non modo nullus fuerit ex ejus in ore ſermo prolapſus, vel tenuiſſimum murmur tacita labiorum agitatione ſignatum, ſed ne ipſa quidem oris modeſtia, atque tranquillitas, aut color ſaltem quantulumcumque mutatus.

Ap. Sur. 24. Dec. XLI. Cum S. Spiridion ad Imperatorem, a quo evocatus erat, profectus admodum vili habitu regiam ingrederetur, quidam indecorum ratus, tam abjecta ſpecie virum intrare palatium regium Sacræ ejus maxillæ colaphum infregit. Tulit id non modo patienter Vir Sanctus, ſed & alteram prompto patiendi animo percuſſori exhibuit; Quæ res inſolentem illum tanto pudore affecit, ut repente ei ſupplex fieret, & inconſideratæ audaciæ veniam peteret: quam libens conceſſit, & hominem paterne introduxit, ut ab inferenda injuria ſe contineret. Quo factum eſt ut a Viris principibus honore haberetur, qui eum ſumma reverentia ad imperatorem deduxerunt.

Marul. lib. 2. XLII. Alexius Patricius Romanus ſicut paupertatis voluntariæ perpetuus obſervator, ita ad tolerandas injurias patientiæ extitit aſſiduus cultor. Mendicus, ut Chriſtum lucraretur, ſponte factus, cum in Syria de eleemoſynis vixiſſet, Romam rediit, & in Paterna domo pro inope ſuſceptus, annos decem & ſeptem nulli cognitus manſit, eo tempore a ſervis patris indigna paſſus, durεque acceptus, non ſe prodidit, neque de aliquo conqueſtus eſt: Rideri, verberari, fœda colluvione perfundi a mancipiis patienter ſuſtinuit, ut Chriſtum ſuum (cujus paupertatem ſecutus fuerat) tolerantiæ quoque humilitate exprimeret.

Ibid. XLIII. Euphraxia virgo coram illa a qua contumeliam indigne acceperat, ad genua procidens, veluti quæ offendiſſet, veniam petiit. Abbatiſſæ etiam in illam animam vertere volenti, ut miſſam faceret, ſupplicavit: nihil ei mali referre cupiens, a qua paſſa injuriam fuerat, ut patientiæ remunerationem a Deo ſperare poſſet.

Ibid. XLIV. Eliſabetha Panoniæ Regis filia, poſtquam amiſſo viſo diſtractiſque fortunis Deo in paupertate ſervire cœpiſſet, forte per ſemitam pergens hinc inde laciniοſis in cilibus voraginoſam, notæ cuidam fœminæ & in quam non pauca quondam beneficia contulerat, facta eſt obviam. Quæ contemptim admodum ſuperbeque incurrens ipſam, quam antea coluerat, tunc per injuriam adverſo impulſam latere evertit in lutum, atque præteriit. Multo ergo deturbata cœno Chriſti ancilla, nihil indignationis præ ſe tulit, ſed tacita tantum ſubriſit, gaudens, ſe ab hominibus deſpici ut placeret Deo.

Qualitas Patientiæ in morbis.

Marul. l. 2. c. 4. XLV. Servulus mendicus toto vitæ ſuæ tempore paralyſi laboravit, ita ut movere ſe non poſſet, ſemper in novis morbi acceſſionibus gratias Deo agebat, unde & Angelorum cantus in morte audivit, & odore ſuaviſſimo fragravit.

Sur. in vit. 12. Jul. XLVI. S. Clara per viginti octo annos afflicta graviſſimis morbis, nullum ſibi dolorem gravem eſſe confeſſa eſt, poſtquam Chriſti gratiam cognovit.

Id. to. 7. f. 277. XLVII. S. Lyduvina continuis triginta octo annis extraordinariis morbis & doloribus lecto ſic affixa, ut nec ſurgere, nec pede terram tangere potuerit, maximos eo tempore favores a Deo accepit.

Rodr. p. 2. tract. 8. c. 18. XLVIII. S. Bona Monialis cancro laborans, cum ubera vermibus ſcaterent illorum unum, licet ægre, S. Dominico petenti porrectum in gemmam primo, deinde vero, ubi redditus eſt, in vermen iterum converſum vidit.

Ibid. XLIX. S. Gertrudis cum Chriſtus ei apparens, & una manu infirmitatem, altera ſanitatem portans, opinionem eligendi feciſſet, reſpondit. Unicum cordis mei deſiderium eſt, ut non mea, ſed tua voluntas fiat.

Ibid. L. Abbas Beniamin etſi ſolo tactu alios curabat, ſe tamen numquam a graviſſimo hydropis morbo curare voluit, id unicum accedentibus dicere ſolitus: Orate Deum pro anima mea, de corpore nihil ſolliciti, quando illud & ſano mihi in re nulla unquam commodavit.

Prat. Spi. c. 10. LI. Barnabas Monachus cum iter faciens præacuti ligni particulam pedi infixiſſet; numquam eam extrahere voluit, viſitantibus dicere ſolitus, quod, quanto plus mortificaretur homo exterior; tanto amplius interior, qui ſecundum Deum formatus eſt, vivificaretur.

Vit. PP. l. 5. c. 7. n. 41. LII. Senex quidam frequenter ægrotare ſolitus, cum quodam anno liber ab omni morbo fuiſſet, graviter affligebatur, & dicebat: Dereliquit me Deus, & non viſitavit me.

Chron. f. Dom. c. 2. §. 41. LIII. S. Dominicus cum graviter ægrotans a Socio moneretur, ut ſolatium a Deo poſceret, primo ipſum increpuit dicens: Niſi de tua ſimplicitate mihi conſtaret, te protinus hinc expellerem, quod hæc dicere non ſis veritus; dein in humum ſe abjiciens gratias, inquit, tibi ago mi amantiſſime Deus, pro iis, quæ mihi dediſti perferenda. Auge dolores, multiplica cruciatus, da centum morbos; dabis etiam, ſat ſcio, ſimul patientiam.

Lyreus l. 2. apoph. 1. LIV. Simili modo Margarita Auſtriaca Philippi tertii Hiſpaniarum Regis olim conjux, cum gravibus afflicta morbis oſteoſa Chriſti crucifixi effigie moneretur, ut ab eo mali remiſſionem flagitaret, apage, inquiebat; neque enim decet, Chriſtum plagis & ærumnis confectum in Cruce pendere, & me a minoribus malis liberari velle: ac mox ad Chriſtum oculos convertens, auge, dicebat, Domine dolores & da patientiam.

Nadaſi in anno Eucher. hebd. 37. n. 7. LV. Nicolaa Virgo in Picardia omnes Chriſti cruciatus, ſola morte excepta, & Matris dolorum Reginæ dolores volebat ſentire. Et videtur partem non infimam impetraſſe, Quinquaginta annis jacuit inter dolores, quaſi jubilæum doloris & mortis. Intumeſcebat, detumeſcebatque quotidie, flammaſque videbatur ſpirare tenerum corpus. Cancer illi pectus omne, ac linguam depaſtus eſt. Acceſſere pertina-

Digitized by Google

ces ſtomachi lapidiſque dolores. Et quidem Feſtis majoribus, ut in Eccleſia duplex officium, ita ipſi duplex dolor. Videbatur in ſolemnitatibus Feſtorum totis viginti quatuor horis, quaſi in hora mortis, fuiſſe in agone poſita. Et tamen quaſi cæleſti quodam dolorum hydrope plena, petebat avidiſſima inſatiabilitate febrium genera, & dolores omnes, punctūras, tumores &c. At vires ad hæc ab altari ſumebat, nam & Sacris interérat, & cæleſti pane reficiebatur quotidie devotione admirabili. Ita poſt quinquaginta dolorum annos pulla corporis laceri ac mortalitatis veſte exuta, quadraginta totis horis, clauſis oculis, jacuit, & paſſionem ſibi legi poſtulavit, flens acerbiſſime, quod durum haberet Deum, qui illi non plures, nec majores dediſſet dolores; nihil enim ſe hucuſque paſſam fuiſſe.

Manſi d. 12. n. 4. LVI. In Prato ſpirituali de quadam nobiliſſimæ proſapiæ raræque pulchritudinis fœmina legitur, quod, cum adeo facta fuiſſet leproſa, ut omnibus eam aſpicientibus horrori eſſet, cunctis de familia ſua aliiſque cognatis ipſam deplorantibus, ſola ipſa hilaris & jucunda manebat; cumque Epiſcopus quidam oculis lacrymas ex compaſſione manantibus, ipſam conſolationis cauſa acceſſiſſet, mulier hæc per evidentia internæ hilaritatis ſigna omnem a Prælato illo novit depellere triſtitiam, dicendo: Cur hoc in me donum & ſpecialem gratiam, quam dilectus meus Chriſtus Jeſus mihi præſtitit, admiraris? Dic ſodes, ſi aliquis tali cum conditione carceri eſſet incluſus, uti inde egredi numquam poſſet, donec carceris muri & parietes & fundamentis corruerent: in hunc vero carcerem condemnatus videret, quod prædicti muri paulatim corruerent, & totalem minarentur ruinam pro ejus liberatione, numquid merito talis lætificaretur? Ita quoque anima Chriſtiana in mortalis corporis carcere conſtituta videns corporis ſui vitam & ſalutem paulatim terminari, ſeque ex captivitate carnis mortalis brevi liberandum eſſe, juſtam habet cauſam lætandi.

Joan. Rho l. 2. c. 4. n. 1. LVII. P. Joannes Rho de inclyta Dei ancilla Urſula Benincaſa Virgine Neapolitana ſequentia ſcribit: Quam acres & vehementes ſint calculi dolores, ut neminem experimento ſcire velim, ita unum aliquem eſſe, qui non aliquando audierit, non opinor, itemque neminem tam duræ atque horridæ virtutis, qui laborantibus, ſin minus clamores atque ejulatus, quales plerumque viris etiam fortibus expreſſit doloris immanitas, gemitum tamen aliquem, aut ſaltem levem vocis ſignificationem, non permittat. Vix igitur credi poſſet, niſi poſt mortem ſecto corpore id factum fuiſſet palam, prægrandem calculum eam tandiu cruciaſſe, quandiu quotidianis dolorum incrementis, ad eam evaſerit magnitudinem; quos illa dolores adeo diſſimulavit, ut nemo querentem, nemo leviter ingemiſcentem audierit, nemo, ut verbo dicam, ſciverit. Quantum hic licuit patientiæ, quæ ſibi ex illo calculo ſuper Erythræas gemmas illuſtriorem coronam efformavit?

Qualitas Patientiæ in afflictionibus animi.

LVIII. Chriſtus in Cruce pendens magna voce clamavit: Deus meus, ut quid dereliquiſti me? *Marc. 15. v. 34.*

LIX. S. Catharina Senenſis per multos dies omni conſolatione ſpirituali deſtituta, & fœdiſſimis inſuper cogitationibus impugnata, majori cum fervore orabat, ſeque ipſam ſic colloquebatur: Tu viliſſima peccatrix non mereris ullam conſolationem. Quid? non eſſes tu contenta, ſi damnationis æternæ ſententiam evaderes, etiam tenebras has atque tormenta, tota vita tua pati cogereris? certa es, neo velle, nec debere te ſervire Deo pro recipiendis conſolationibus hujus vitæ, ſed ut eo gaudeas in æterna vita. Erige teipſ m igitur, & orationem proſequere, in fidelitate Domini Dei tui perſeverando. *Rod. p. 2. tract. 8. c. 29.*

LX. Quidam eximius Dei ſervus cum extraordinariis, quas a Deo acceperat, illuſtrationibus indignum ſe ratus, eas a Deo auferri petiiſſet, & ideo, integro quinquennio in ſummis deſolationibus relictus fuiſſet, tandem duobus Angelis eum conſolari volentibus dixit, non petere ſe ullam conſolationem, ſed ſufficere, quod Dei voluntas in ipſo adimpleatur. *Ib. c. 29.*

LXI. Cum S. Birgitta quondam Chriſto queſta eſſet, ſe a vanis & inutilibus cogitationibus, timoreque judicii tantopere vexari, reſpondit Ille: Hæc eſt conſummata perfectaque juſtitia, ut, ſicut tu olim in ſæculo contra voluntatem meam talibus vanitatibus te delectabas, nunc contra voluntatem tuam vanis & mundanis cogitationibus vexeris. *Bloſius in monili c. 10.*

LXII. Quidam eximius Dei ſervus dicebat: Quadraginta jam annis ſervio Deo in multa oratione, ſine ullo guſtu & conſolatione, eo tamen die, quo eam facio, ſuave mihi experior & expeditum virtutum exercitium, at quando ipſi in hoc deſum, ſentio meipſum totum flavidum ac pœne exareſcentem. *Rodr. p. 2. tract. 8. c. 29.*

LXIII. Joannes Taulerus refert, multos ad ſe veniſſe dicentes, male ſibi eſſe, multiſque & gravibus tribulationibus ſe agitari, quibus ipſe reſponderit: Imo bene tibi eſt, & belle procedit negotium, gratiaque eſt, quam tu pœnam arbitraris; cumque inſtarent ipſi; ſed hoc culpa mea accidit: ipſe iterum dixerit: demus ita eſſe. Tu tamen Crucem quam Deus tibi imponit, libenter amplectere, ipſique te plene reſigna. Cumque illi rurſus replicarent, ſe ariditate ſpirituali, ac tenebris vexari atque conſumi: ipſe rurſus quoque dixerit: Et hoc ipſum æquanimiter feras, majorem enim tibi accerſet gratiam, quam ſi multa ſenſibili devotione perfunderéris. *Bloſius in conſol. puſil.*

Qualitas Patientiæ in jactura charorum.

LXIV. De S. Job dicit S. Baſilius: Nonne Job adamantino corde erat? non impacta ipſi erant ex lapide viſcera? momento temporis una & eadem plaga obtriti liberi decem conciderunt in perquam amœna domo. Non ejulavit, non ſibi divulſit comam, vocem inge- *S. Baſil. hom. 4. de grat. act.*

ne-

neroſam nullam emiſit, magis vero celebrem illam, & omnium ore decantatam gratiarum actionem deprompſit? Dominus dedit, Dominus abſtulit.

Ibid. LXV. Abraham cum unicum haberet filium, cumque manu ſua interficere juberetur, non reſtitit imperanti, non rationem facti popoſcit, ſed tanta cum alacritate paruit, ut plura quoque ſi imperata fuiſſent, facturus fuiſſet.

S. Ambr. in or. de obitu Valent. Imp. LXVI. S. David, teſte S. Ambroſio, moriturum filium flebat, mortuum non dolebat. Flebat, ne ſibi eriperetur; ſed flere deſiit ereptum, quem ſciebat eſſe cum Deo. Et ut ſcias, verum eſſe, quod aſſero, incautum Ammon filium flevit occiſum: parricidam Abſalon doluit interemptum, dicens. Filius meus Abſalon, filius meus Abſalon. Innocentem filium non putavit eſſe lugendum, quia illos ſibi periiſſe lugebat pro ſcelere, hunc pro innocentia credidit eſſe victurum.

Idem l. 1. offic. c. 41. LXVII. Mater Machabæorum ſpectabat læta filiorum, quot funera, tot trophæa, & morientium vocibus tamquam pſallentium cantibus delectabatur, pulcherrimam ventris ſui citharam in filiis cernens, & pietatis harmoniam omni lyræ numero dulciorem.

S. Hier. ep. 25. LXVIII. S. Melania calente adhuc Mariti corpuſculo, & necdum humato, duos amiſit filios. Et tamen lacrymæ gutta non fluxit, ſtetit immobilis, & ad pedes Chriſti advoluta quaſi ipſum teneret, arriſit. Expeditius, inquit, tunc tibi ſervitura ſum, Domine, quia tanto me onere liberaſti.

Qualitas Patientiæ in Martyrio.

Baron. to. 2. Annal. ſub an. 109. LXIX. S Ignatius Martyr ad beſtias damnatus dicebat: Utinam fruar beſtiis, quæ mihi paratæ ſunt, quas & opto veloces eſſe ad interitum. Quod ſi venire noluerint, ego vim faciam, ego me ingeram. Ignoſcite, filioli, quid mihi proſit, ego ſcio. Nunc incipio eſſe Chriſti Diſcipulus, nihil de iis, quæ videntur, deſiderans, ut Jeſum Chriſtum inveniam. Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diviſio, & totius corporis contritio, & tormenta diaboli in me veniant, ut tantum Chriſto fruar.

Marulus l. 2. c. 3. LXX. S. Dionyſius M. jubente Diocletiano foſtibus plumbatis, dein equuleo ſuſpenſus, & virgis cæſus, admotis etiam lampadibus miſerabiliter uſtulatus, pro ejulatu clamorem edebat, quo ſe Chriſtianum eſſe aſſeveraret. Etſi millies, inquit, occidi poſſem, Dominum meum Jeſum confiteri non ceſſarem.

Ibid. LXXI. S. Martinus Martyr tenellus Martiani Præfecti juſſu bubulis loris flagellatus, in equuleo ungulis laceratus, ad machinam applicitus, arbori ad medium uſque ſciſſæ infertus, in ferrea crate toſtus, plumbo liquato perfuſus, in frixorio coctus, in cacubum pice bullientem conjectus, feris immanibus objectus, in fornacem miſſus, ubique ſalvus evaſit, donec tandem capite truncatus obiit.

Ibid. LXXII. S. Vincentius Martyr cum in equuleo ſublatus a Diacono Præſide per ludibrium quæreretur, ubinam eſſet? in ſublimi, inquit, unde te poteſtate terrena tumentem aliter deſpicio. Graviora minitanti, non minari mihi videris, inquit, ſed, quod votis omnibus concupieram, offerre. Igitur cum ungulas, faces, prunas, toto corpore dilacerato conſtanter exciperet, dixit: Fruſtra fatigaris, Daciane; non potes tam horrenda excogitare tormenta, quam ipſe paratus ſum ſuſtinere. Carcer, ungulæ, candentes laminæ, morſque ipſa ludus, jocuſque Chriſtianis ſunt, non tormentum.

LXXIII. Duo Adoleſcentes cum ad immolandum cogerentur, petierunt ad altare duci, quo ubi pervenerunt, ſuper prunas manus impoſuerunt, quæ in altaribus erant, & dixerunt: Si manus hinc amovebimus, ſacrificaſſe nos exiſtimate: & ita perſeverarunt, quoad omnis caro conſumpta eſt. *Granat. in Timb. fid. l. 2. c. 30.*

LXXIV. S. Ladmundus Rex Angliæ cum ſe ab hoſtibus undique vallatum cognoſceret, de conſilio Humberti Epiſcopi ad Eccleſiam fugit, ubi a Miniſtris impiis extractus, & ad arborem ligatus diutiſſime flagellatur, dein ſagittis tam multis velut meta transfoditur, ut vulneri jam non locus ſupereſſet, quouſque denique & caput ei avulſum eſt. *Baron. to. 10. an. 870. n. 4.*

Utilitas.

LXXV. S. Jacobus, cum ei dæmon minaretur, ſe eum infamia obruturum, ut nemo illum aſpiciat, reſpondit ille: Agam tibi gratias, invitus enim tuum inimicum beneficio afficies, ut qui efficies, ut magis verſetur in Deo recordatione. *Theod. re. hiſt. rel. c. 32.*

LXXVI. S. Cyprianus audita mortis ſententia, Deo gratias, & ſpiculatori viginti quinque aureos numerari juſſit, ſignificans ſe beneficium ab eo accipere, non interitum. *Pelec. l. 3. de off. rel. c. 4.*

LXXVII. B. Gulielmus Roſchildenſis in Dania Abbas nonageſimum agens annum, vidit per noctis quietem Angelos coronam auro gemmiſque diſtinctam affabre texentes, cumque obſtupeſcens quæreret, cui eam appararent? reſpondentes audivit, ſibi parari, & tunc perficiendam eſſe, cum ſatis paſſus eſſet. *Lyræus in apopht. S. ſen. l. 3. c. 1.*

LXXVIII. Patientiſſimus Libertinus ſcabello ſuppedaneo percuſſus, dum humiliter ſuſtinet, & quæſitus, quis eum in facie tam fœde deformaſſet, ſe in ſcabellum incurriſſe reſpondit, ſævitiam ſui Abbatis, quo percuſſus fuerat, mitigavit. *Spec. ex. d. 1. ex. 1.*

LXXIX. S. Magdalena de Pazzis cum adverteret, ſe ſine cruce eſſe, ſuaviter cum Sponſo ſuo expoſtulabat dicens: Heu, mi Domine, ut quid a pactis inter nos conventis diſcedis? pepigi nullum mihi mel aut dulcedinem dari, niſi fel tuum & acetum, nullas delicias, niſi tua ſupplicia, nullam aliam vitam, niſi in perfectiſſima conformitate cum tua vita. *Kiſſel. to. 2. conc. 10. §. 17.*

LXXX. Quidam frater quæſivit ab Abbate Iſaac, quare dæmones eum tantum timerent? Reſpondit: Ex quo factus ſum Monachus, ſtatui apud me, ne impatientiæ, vel iracundiæ verbum extra guttur meum exiret. *Manſ d. 34. n. 2.*

LXXXI. Evocatus eſt aliquando P. Baltaſſar Alvarez ad Monialem Carmelitanam cum ſu- *Pen. quin. in Iſagog. p. 1. c. 6.*

Digitized by Google

ſuprema ægritudine colluctantem, ivit ipſe, licet febri tertiana laboraret, & cum ægra agens, vires illi deſecere, vel potius, ut aſtantium Sanctimonialium quædam opinatæ ſunt, mens illi in arcanorum cognitionem, quaſi a ſenſibus abalienata, rapta fuit, quod facies ejus, ad inſtar Seraphini ardore cæleſti ſuccenſa, teſtari videbatur; Is ergo ad ſe reverſus dixit, Deum illi Moniali magnam in cælo apparaſſe gloriam, qua paulo poſt potiretur, & octo menſibus, quos cum morbo conflictans patienter exegerat, plus accumulaſſe meriti, quam nonnullæ aliæ bene ſanæ pluribus annis congregaſſent, ita patientia amori conjuncta, & in hac vita cæteris virtutibus quæſtuoſior eſt; & in altera apud Judicem ad coronam & præmium illuſtrior & fructuoſior.

Ibid. LXXXII. Joannes Avila Sacerdoti morbo laboranti per litteras reſpondit, ne inſpiciat, quid agere poſſet, ſi ſanus eſſet, ſed quomodo in illa ſua ægritudine plurimum placere poſſit Deo: In quo bonorum noſtrorum ſumma conſiſtit: utque jumentum molam verſatilem oculis clauſis circumagens, & a molæ centro nunquam ſejunctum, per diem integrum bonæ farinæ plurimum molit; ita patiens animus voluntati divinæ, tamquam centro ſuo per amorem ſemper inhærens, mirum, quantos faciat in virtute progreſſus, quantumque mercedis pro altera vita exaggeret. Unde ſatis mirari non poſſum, querulas animas, quæ quaſi per morbi occaſionem ab omni ſpe promovendæ Dei gloriæ deciderint, non tam de ægritudine, ejuſque incommodis conqueruntur, quam iſtam jacturam ſentire ſibi videntur, quaſi Deus earum egeret opera, & de utilioribus operariis providere ſibi non poſſet: vel potius quaſi ipſæ pro operariis preces fundendo, & in eum finem moleſtias doloreſque Deo offerendo, plus ad lucrum animarum, divinæque gloriæ augmentum momenti adferre non poſſent, quam dum in ſimiles querelas abeunt, & a pacifica morbi tolerantia, per inutilia deſideria, non ſine amoris divini diſpendio, miſerabiliter divagantur.

Rho l. 6. c. 3. n. 4. LXXXIII. P. Rho de Duce Giojoſa, qui Religionem Capucinorum profeſſus fuit, aliud æterna memoria dignum narrat exemplum, quod veriſſimum eſſe confirmat, patientiæ virtutem ejus eſſe energiæ, ut fidem noſtram Chriſtiano Catholicam, veriſſimam, & a Deo eſſe, firmiter omnibus perſuadeat. Ait enim: Franciſcus Giojoſæus ex Duce tota Gallia celeberrimi nominis, jam Chriſti pauper Capucinorum diſciplinam ſecutus, pedes de more cum peregrinaretur, divertit ad pagi dominum, clientem olim ſuum. Homo hæreticus, ut adeſſe Capucinos intellexit, juſſit internuncio famulo, ut abirent in malam crucem, atque illico faceſſerent, vix ab eodem famulo ſummis precibus impetratum eſt, ut clam domino, quietis atque incœnatis in ſtabulo nocte illa eſſe liceret, & jucundiſſime illi quidem noctem traduxere, illius charitate & recordatione, quæ Chriſtum Deum in ſtabulo naſci voluit, moxque albente cælo abiere. Haud multum confecerant viæ, cum Franciſcus idoneum nactus hominem Dynaſtæ denuntiare jubet, Giojoſæum Ducem pro hoſpitio gratias agere. Perculit hominem inopina denuntiatio, admiſſoque equo Dei ſervum aſſecutus, ad pedes deſiliens & genua amplectens, dum officii atque humanitatis excuſat errorem, fidei exuit, nam ab Giojoſæo leniter increpitus, admonituſque, ut Chriſti Domini humilitatem, ac paupertatem in illius ſervis agnoſceret, meliorem mentem induit, pro omnibus diſputationibus, omnibuſque argumentis incredibilis illa ſui deſpicientia.

LXXXIV. Vir quidam probus per integrum laboraverat triennium ſimul eum ſene quodam, qui totum laboris lucrum pro vino in potum ſuum expendebat; hic autem tametſi vix haberet, unde famem ſuam ſicco pane compeſceret, ſemper laborabat; eumque quaſi nudus factus eſſet, eidem diſcedere volenti Angelus Domini apparuit, eique dixit: Patientiam habe, quia die ſequenti in cælum mecum conſcendes, de qua promiſſione vir ille patiens aſſecuratus, ſeniori dixit: Non diſcedas hinc alicubi, quoniam advenient hodie mei tollere me; cum hora facta fuiſſet, qua ſolebat deſidere ad vicum, dixit fratri: Non venient hodie filii, jam enim tarde eſt. Et ille dixit ei modis omnibus, quia venient, & cum loqueretur cum eo, dormivit in pace. Senex autem flebat dicens: Heu me fili, quia multis annis ſub negligentia vivo, tu autem parvo tempore ſalvaſti animam tuam per patientiam, & ex illo die factus eſt ſenex ſobrius & probatus. *Vit. PP. l. 5. lib. l. 6. n. 14.*

LXXXV. Idem Author ulterius progreditur, aliud narrando exemplum de quodam, qui ſancto cuidam Eremitæ inſerviebat; hic enim quicquid invenire poterat, maxime de rebus comeſtilibus, hoc totum clam & abſcondite rapiebat: diſſimulabat idipſum ſervus Dei, at vero longo tempore magnam coactus eſt pati famem. Cum autem mori cœpiſſet ſenex ille, circumſteterunt eum fratres, & reſpiciens in eum, qui furabatur, dixit ei: Junge te huc ad me, & tenuit, & oſculatus eſt manus dicens: Gratias ago iſtis manibus, quia propter iſtas vado in regnum cælorum. Unde vides, quod pro cæleſti gloria, quæ Protomartyri crudelem adeo lapidationem conſtitit, Laurentio ignitam craticulam, Ignatio leones, & tot aliis ſanctis Martyribus horrenda ſupplicia, bonus hic ſenex aliud nihil expendit, quam ſolum patientiæ continuum exercitium. Hic ei ſola fuit, per quam conſcendit in paradiſum, potuitque poſt adeo pœnoſam famem vere dicere: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* *Ibid.*

LXXXVI. Annales Eccleſiaſtici ex reſponſo quodam S. Ludovici Regis Franciæ evidenter oſtendunt, quanto majus ſit lucrum, quod per patientiam acquiritur, omni eo, quod ex omnibus aliis actionibus heroicis comparatur. Cum enim hic Rex ex Ægypto & Aſia, ubi belli illius, quod ad Dei gloriam, & to- *Mang. d. 3. n. 2.*

Digitized by Google

totius Chriſtianiſmi commune beneficium adorſus fuerat, infauſtum ſortitus fuerat exitum, innumeraſque ærumnas ſuſtinuerat, reverſus fuiſſet, in familiari ſermone cum Henrico Rege Anglorum de initis a ſe periculis, ac de toleratis ad proferendam ad divinam gloriam in Aſia & Ægypto laboribus loquebatur, dicens: Si omnia mihi evenerunt adverſa, grates tibi refero Altiſſime: reverſus ad me ipſum, & ad cor meum regreſſus, & ingreſſus, plus gaudeo de patientia, qnam mihi Dominus per ſui gratiam conceſſit, quam ſi totus mundus ſubderetur.

Surius in vit. to. 1. LXXXVII. Caupo quidam civitatis Alexandriæ multis injuriis & contumeliis affecerat juvenem quemdam, Joanni Eleemoſynario Patriarchæ Alexandrino ſanguine conjunctum. Juvenis apud Epiſcopum graviter conqueritur. Epiſcopus fingens etiam ſe commoveri, ut juvenis animum mitigaret: Itane, inquit, auſus fuit te vel verbo violare? Faciam in eo rem, quam tota Alexandria mirabitur. Moxque vocato ad ſe vectigalium Magiſtro, jubet, ut nihil amplius vectigalis, aut aliquid aliud Eccleſiæ debitum ab illo caupone exigat: ſed immunem illum ab omni ſolutione, quæ quidem ipſi, vel Eccleſiæ ejus deberetur, relinquat. Hoc videlicet ejus factum tota Alexandria mirata eſt; caupoque non ſolum a maledictis ceſſavit, ſed omni Epiſcopum & juvenem cognatum officio coluit.

Sulpitius in vita l. 2. c. 4. LXXXVIII. Cum S. Martinus Turonenſis Epiſcopus Diœceſes viſitaret, in rhedam fiſcalem per aggerem publicum venientem, militantibuſque viris incidit. Sed ubi Martinum in veſte hiſpida, nigro & pendulo palliolo circumtectum, contigua de latere jumenta viderunt, paululum in partem alteram paveſacta ceſſerunt. Deinde funibus implicatis, protenſos illos, quibus miſera illa animalia conglobantur, ordines miſcuerunt: dumque ægre expediuntur, moram fecere properantibus. Qua permoti injuria militantes, præcipitatis in terram ſaltibus ſe dederunt: Deinde Martinum flagris ac fuſtibus urgere cœperunt: cum quidem ille mutus, & incredibili patientia terga præbens cædentibus, majorem inſaniam infelicibus commoveret, ex hoc magis furentes, quod ille quaſi non ſentiens verbera illata contemneret. Comites illico eum conſecuti (aliqua enim neceſſitate remorati fuerunt) fæde cruentum, atque univerſa corporis parte laniatum, cum exanimis in terram procubuiſſet, invenerunt: ſtatimque eum aſello ſuo impoſuerunt, ac locum cædis illius execrantes, raptim abire properaverunt. Interea illi regreſſi ad rhedam ſuam, furore ſatiato, agi, quo ire cœperant, jumenta præcipiunt. Quæ cum omnia ſolo fixa, ac ſi ænea riguiſſent, tollentibus altius vocem Magiſtri, flagris hinc atque inde reſonantibus, nihil penitus movebantur. Conſurgunt deinde omnes pariter in verbera, conſumit Gallicas multorum pœna maſtigias: tota rapitur ſylva de proximo, trabibus jumenta traduntur: ſed nihil penitus ſævæ manus agebant, uno eodemque loco ſtabant fixa ſimulacra. Quid agerent infelices homines, neſciebant; nec jam ultra diſſimulare poterant, quin quamlibet brutis pecoribus, agnoſcerent, divino numine ſe teneri. Tandem ergo in ſeſe reverſi, cœperunt quærere, quis ille eſſet, quem in eodem loco paulum ante cæcidiſſent. Cum percunctantes cognoſcunt ex viantibus Martinum a ſe tam crudeliter verberatum. Tum vero apparere omnibus cauſa manifeſta, nec ignorare jam poterant, quin ob viri illius injuriam tenerentur. Igitur omnes eum rapidis conſequuntur paſſibus, conſcii audacis facti, ac merito pudore confuſi, flentes, & pulvere, quo ſe ipſi fœdaverant, capita, atque ora conſperſi, ante Martini ſe genua provolvunt, veniam precantes, & ut eos abire ſineret, poſtulantes: ſatis ſe vel ſola conſcientia dediſſe pœnarum, ſatiſque intellexiſſe quod eoſdem ipſos vivos abſorbere terra potuiſſet, vel ipſi potius, amiſſis ſenſibus, in immobilem ſaxorum naturam rigeſcere debuiſſent, ſicut affixa locis, quibus ſteterant, jumenta vidiſſent. Orare ſe, atque obſecrare, ut indulgeret ſceleri veniam, & copiam præſtaret abeundi. Senſerat enim, priuſquam accurrerent, vir beatus, illos teneri, ſuiſque comitibus id ante jam dixerat. Veruntamen clementer indulſit, eoſdemque abire permiſit, animalibus reſtitutis.

LXXXIX. Duo ſenes Monachi cum uno fratre iter agente, & errantes de via, inter ſata inventi ſunt, & aliqua de ſatis volentes nolenteſque pedibus conculcaverant. Quod cum vidiſſet agricola, (erat enim in agro operans) cœpit contra illos multa maledicta proferre, cum iracundia dicens: Vos Monachi eſtis? vos Deum timetis? Si timorem Dei ante oculos veſtros habuiſſetis, profecto hoc non feciſſetis: Tunc ait unus ſenior ſociis ſuis: Per Dominum, nullus ei reſpondeat. Converſuſque ad illum dixit: Recte dixiſti, fili mi. Ille rurſum furens, contumeliis impetebat eos. Rurſumque dixit ſenior ad illum: Vera proſequeris, fili; Nam ſi veri Monachi eſſemus, iſtud non feciſſemus: Sed per Dominum indulge nobis, quoniam peccavimus. Stupefactus ille ad tantam ſenis humilitatem, acceſſit propius, proſtravitque ſe ad pedes ſenis, dicens: Peccavi, indulge mihi, & per Dominum aſſumite me vobiſcum. Ruſticus ergo ſecutos illos, accepit habitum. *Pratum ſpir. c. 3.*

XC. Accidit eo tempore, ut diſputatio ſolemnis deberet cum Hæreticis ventilari, ad quam cum Epiſcopus loci cum multa ſe pompâ præpararet iturum, dixit ad eum Præco Chriſti: Non ſic, mi Domine Pater, non ſic eſt contra filios ſuperbiæ procedendum, humilitatis ac patientiæ, Religionis, aliiſque virtutum exemplis convincendi ſunt veritatis adverſarii, non faſtu elationis, & oſtentatione gloriæ ſæcularis. Diſcalceati contra Goliath procedamus. Aſſentit Epiſcopus, diſcalceati ſunt omnes; cumque de via dubitarent, ob- *Manſi d. 2. n. 7.*

obviam habuerunt Hæreticum, quem Catholicum exiſtimabant, qui eos ad locum recto itinere, ut ſpoponderat, non perduxit, ſed ad nemus quoddam perfidus malitioſe ſeduxit, ubi inter vepres & ſpinas pedes eorum vulnerati ſunt, & crura ſanguine reſperſa. Tum pugil Dei, cum omni patientia ſuſtinens, & in jucundam Dei laudem prorumpens, ad collaudandum, & ſuſtinendum cum patientia omnes hortatus eſt dicens: Confidite in Domino chariſſimi, quia de cælo vos manet triumphus, jam enim peccata veſtra ſanguine expiantur. Cernens malignus ille miram eorum, & lætam patientiam, optimiſque ſermonibus Sancti compunctus, malitiam confeſſus, hæreſim abjuravit; venientibus autem ad locum rectis corde orta eſt lætitia, perverſis vero confuſio & triſtitia.

Ib. diſc. 20. n. 1. XCI. Contigit, ut quidam puerulus in ſchola, Fulbertus nomine, a ſocio ſuo tabula percuſſus ad mortem uſque perductus ſit. Appropinquante exitu iſtius, vir Domini forte ſopori deditus lectulo incubabat, cum ecce vidit in ſomnis ipſius animam a corpore ſublatam angelico miniſterio ad cælum deferri, ſe quoque miro & ineffabili miniſterio, Deo diſponente, pariter comitari; cumque cæli ſecreta penetraſſent, pueri præfati animam in quamdam perpetuam manſionem conſpexit introduci, & inter agmina Martyrum collocari: Ibique ei datum eſt agnoviſſe, quod, quia ipſe puer vulnus ſibi illatum ſatis patienter, & animam fratris uſque ad mortem diligens, pro percuſſore ſuo nimium benigne interceſſit, patientiam & benignitatem ejus Deus divina remunerante pietate, inter Martyrum choros deputatus ſit.

Ribl. 6. c. 3. n. 1. XCII. Dominico Anadono Ord. Prædic. ad Valentini cænobii fores excubanti de more, mendicabuli habitu pannoſus lacera in veſte Satanas ſe obtulit, ac ſtipem infimis precibus inſtitit eblandiri. Anadonus & ſuopte ingenio in pauperes facilis, & importunis precibus impulſus, quamquam conſuetæ liberalitatis hora jam abierat, juſculi patinam tamen dedit. Hic vero proprius bonorum hoſtis, patinam ipſam in os benefici ſenis adeo violenter eſt jaculatus, ut annis ac laboribus imbecillum humi, affligeret quidem, ſed tamen victoriam, quam ea petebat injuria, non reportaret; nam Anadoni patientia contumeliam diſſimulantis, ſuperbiſſimam belluam in fugam egit. Beate cum religioſis Dominus ageretur, ſi ea præ foribus virtus pervigil excubaret.

Manſ. d. 41. n. 7. XCIII. Bellovacenſis de S. Antonio refert, quod, cum dæmones verberaſſent B. Antonium uſque ad mortem, & ipſe immobilis perſeveraret in bono propoſito ſuo, Deum invocans, lux emiſſa a Deo dæmones fugavit, Antonium ſanavit, Jeſum Chriſtum ſibi aſſiſtentem ei demonſtravit. Cui Antonius: Ubi eras, bone Jeſu, cum dæmones ita male me tractarent? Ego, ait Deus, eram juxta te, cernens, & gaudens de victoria patientiæ tuæ: *juxta eſt* enim *Deus his qui tribulato ſunt corde*.

Neceſſitas.

XCIV. Frater quidam erat in Congregatione inquietus & frequenter movebatur ad iram: Dicit ergo in ſemetipſo: Vado, & ſolus alibi habitabo, & cum non habeam, in quo dicam, vel audiam, ero quietus, & quieſcet a me paſſio iræ. Egrediens ergo manebat in ſpelunca ſolus. Una autem die implens ſibi ſuriſculam aquæ, poſuit illam in terra. Contigit autem, ut ſubito verſaretur, ille vero implevit ſecundo, & iterum verſata eſt, deinde tertio implens poſuit eam, & rurſum verſata eſt, qui commotus furore, tenuit vaſculum illud, & fregit. In ſe autem reverſus cognovit, quia ab eodem dæmone iracundiæ ſit illuſus, & dixit: Ecce ego, & ſolus ſum, & vicit me: Revertar ergo in Congregationem, quia ubique labore & patientia opus eſt. Vit. PP. l. 5. libell. 7. n. 33.

Dignitas.

XCV. S. Antoninus factum quoddam mirabile refert fœminæ cujuſdam magni ſpiritus, Bona nomine, quæ pœnitens S. Dominici exiſtens in turri quadam juxta portam S. Joannis Lateranenſis ſolitaria agebat: cum enim hæc per infirmitatem quamdam a Deo viſitata fuiſſet, quæ totum pectus in continuum quaſi vulnus redegerat, indeque ſcaturirent vermes, eoſdem tanto cum cordis jubilo excipiebat, adeoque charos & gratos habebat, ut, ſi fortuito aliquis horum vermium in terra cecidiſſet, ipſa ſubito magna cum diligentia illum recolligere, & in vulnus pectoris cum aliis reponere ſolita fuerit. Accidit autem, quod cum ad illam accedens S. Dominicus vermes illos videret, unum ex illis ſibi donari magna cum inſtantia petierit, at vero poſtquam id ſæpius denegaſſet, tandem repetitis inſtantiis ſuperata, unum ex vermibus ei conſignavit cum hoc tamen pacto, ut mox ſibi reſtitueret, quem cum S. Dominicus vix manibus attigiſſet, in lapidem pretioſum converſum vidit; cumque S. Viri comites eum multa cum efficacia obteſtarentur, ne illum ei reſtitueret, eamque ob cauſam V. Bona amare plangens, promiſſionis adimpletionem exigeret, tandem gemma illa præfatæ mulieri reſtituta, in ſpeciem vermis denuo rediit, ſicut prius fuerat. S. Antonini in 3. p. Chr. tit. 23. c. 4.

XCVI. Senex quidam habens probatum diſcipulum, quem aliquando contriſtatus expulit foras, ille vero diſcipulus expectabat ſedens foris, & aperiens ſenex invenit eum, & pœnitentiam egit ſenex apud eum dicens: Tu pater meus es, quia humilitas & patientia tua vicit puſillanimitatem animi mei. Veni intus, amodo enim tu ſenex & pater, ego autem juvenis & diſcipulus, quoniam opere tuo ſuperaſti meam ſenectutem. Vit. PP. l. 5. libell. 16. n. 15.

XCVII. Quidam Martyr ſub Juliano Apoſtata toto corpore lacerato, ubi aliquam corporis partem illæſam ſpectavit, carnifices ut contumelioſos accuſavit, nec totum corpus decoriantes, hortans, ut ne illi quidem parcerent. S. Naz. orat. in Jul.

XCVIII. S. Secunda, cum Ruffina ſoror In Vit.

vir-

Digitized by Google

virgis cæderetur, & non ipſa, ad Judicem dixit: Cur ſororem meam honore, me ignominia afficis?

L. 3. inſin. c. 10. XCIX. Cum S. Gertrudis peteret a Deo, cui rei intendere deberet? reſpondit Dominus: Volo ut addiſcas patientiam. Cumque illa iterum peteret, quomodo eam addiſcere deberet? ſequentia tria ei propoſuit, quæ deberent ad patientiam animare. 1. Perpende, quanta familiaritate notetur a Rege, qui ſibi in omnibus præ aliis maxime aſſimilatur. Et inde æſtima, quantum affectus meus creſcat erga te ex eo, quod propter ſimilem mihi contumeliam pateris. 2. Perpende, quid familiariſſimus Regis, & in omnibus ſibi ſimillimus, reverentiæ obtineat a familia; & inde æſtima, quid tibi gloriæ in cælis pro patientia præparetur. 3. Conſidera, quid Amico conferat ſolatii, fideliſſimi Amici blandiens compaſſio; & inde æſtima, quam ſuaviſſima blanditate ego ipſe te ſim leniturus in cælo pro minimis etiam cogitationibus, quæ te hic gravant. Alias eidem dixit: Singula detrahentium verba ſume tibi loco virtutum, quibus exornata pervenias ad me, & ego compaſſiva pietate mea compulſus benigne ſuſcipiam te. Et quanto plus converſatio tua ſine culpa reprobatur, eo amplius cor meum amatoria blanditate tibi condeſcendit; quia per hoc efficieris mihi ſimillima, qui in operibus meis ſemper habui perverſorea.

Lincig. opuſc. 5. c. 8. n. 165. C. B. Baptiſtæ Veronæ dixit Chriſtus. Recordare, magis me tibi oſtendiſſe ſignum amoris, dum te afflixi, quam dum te tenerem arcte in dulciſſimis brachiis meis. Magnum beneficium eſt, non peccare: majus, poſſe facere bene: maximum eſt in ſuperlativo gradu, pati malum.

Vit. c. 10. CI. B. Angela de Fulginio dixit: Scio, filioli mei, quod nobilitas & valor, qui exit de tribulatione, non eſt nobis cognitus, alioquin enim eſſe de ea magna rapina, & quilibet raperet ab alio, de quo tribulari poſſet.

Lyraus l. 1. apop. 1. CII. S. Henrico Suſoni quidam Juvenis a Deo miſſus ocreas, ſcutum, & haſtam offerebat, dicens: Noveris, haſtenus te inter pedites meruiſſe, modo vero ad Equeſtrem Ordinem vocari; prius enim, ut lubuit, te caſtigaſti, nunc flagello iniquæ linguæ cæderis: haſtenus uberibus Chriſti lactatus, tunc felle potaberis, Hactenus hominibus gratus eras, licet tibi inimicus, nunc homines contra te calcaneum levabunt. Cumque hæc poſtridie a Sacrificio Miſſæ ſecum tacitus ruminaret, jubetur per feneſtras proſpicere; paret, & videt canem per aream cœnobii lacerum panni ſegmentum ore ſpumeo raptantem, & lacerantem. Tum vox eadem cœlitus miſſa ei prædixit, fore, ut deinceps inſtar illius ſordidi panniculi aliorum dentibus laceretur. Aſſenſus eſt ſtatim Suſo, & mox è cubiculo deſcendit, & ſegmentum illud velut crucis ſuæ teſſeram tulit, ac diu ſecum ſervavit. Et initio quidem præ infirmitate humana titubare viſus eſt; verum die purificatæ Virgini ſacro propter Chriſtum Infantem edoctus, non tantum ferendam crucem fortiter, ſed aliam atque aliam expectandam eſſe didicit. Perſtitit ergo, & deinceps inter mille cruces conſtans perſeveravit.

§. VI. EXEMPLA DOMINICA.

Qualitas.

Vit. l. 1. c. 10. I. S. Ignatius tanti æſtimabat perſecutiones & vincula, quibus pro Chriſto fuerat vexatus, atque conſtrictus eoque numero ponebat, ut aperte diceret: Si, quæ a Deo creata ſunt, omnia altera in parte ſtateræ collocarentur, in altera carcer, catenæ, probra, vix illa omnia præ iſtis momentum ullum habitura apud ſe, neque vero creatam ullam naturam poſſe talem in animo lætitiam creare, quæ æquare poſſit gaudium illud Spiritua, & puriſſimam alacritatem, quam eorum mentibus infundit Dominus, qui multa pro illius amore, magnaque pertulerunt.

Nad. anno crucif. hebd. 15. II. S. Franciſcus Xaverius tantum habebat pro Chriſto patiendi deſiderium, ut, ſicut abundabat divinis ſolatiis, identidem clamabat: *Satis eſt, ſatis eſt*: ita in adverſis non minori contentione: *Amplius, amplius*: clamaret. Sed & illud frequenter repeteret: Domine, ne auferas a me hanc crucem, niſi des majorem. Hinc dicere ſolebat, videri ſibi noſtros nequaquam fideliter militare, ſi diu nullis exſectatoribus exercereotur.

Hiſt. Soc. p. 1. l. 4. n. 14. III. P. Andreas Oviedus prope Coloniam a latronibus viatico & veſtibus ſpoliatus, convitiis etiam, & quinis vulneribus affectus, ſemivivius relictus eſt. Coloniam nihilominus debilitata membra trahens ad Fabrum pervenit, ore lætus, animoque jucundus, quod totidem & ipſe ſuo corpore plagas, quot Chriſtus, obedientiæ cauſa excepiſſet.

Hiſt. Soc. l. 10. n. 218. IV. P. Joannes Nunnius cum Socio Pituani in Africa a Saracenis ſputis, lapidibus, verberibus crebro petitus, tanta patientia omnia excepit, ut vel ipſi Ethnici in admirationem raperentur.

Ib. l. 14. n. 111. V. In Braſſilia vivebant noſtrorum viginti in domuncula luto & lignis contexta, paleis cooperta, quatuordecim paſſus longa, decem lata. Ibi Schola, valetudinarium, dormitorium, culina, cænaculum erat. Vivebant tamen lætiſſimi.

Ib. l. 11. n. 94. VI. Brunæ cum Novitii ad Catechiſmum irent, ab Hæreticis graviſſima quæque ſunt paſſi. Minus erat contumeliis, probris, injuriis affici. Sæpe impudicas protervaſque mulierculas ad itinera intercipienda ſubmiſerunt, ſæpe ipſis ſclopeta ad latera, mucrones ſtrictos ad pectora admoverunt; lapidibus petere, commune erat. Vincere tamen, licet veterani milites, Tyrones non potuerunt.

Hiſ. Æth. VII. P. Antonius Monſarrate, & P. Petrus Paes, cum in Æthiopiam navigarent, a Turcis capti ſeptem annis in catenis hæſerunt, tanta cum ſuavitate, ut ſæpe alter alterius compedes oſcularetur.

Vit. c. 40. VIII. P. Baltaſſar Alvarez in tribulationibus animabat ſeipſum, & dicebat: Erras ſi cogitas, te integrum, & non bene contuſum perventurum ad cælum. Cælorum enim regnum

 eſt

Digitized by Google

eſt regnum detruncatorum, tentatorum, afflictorum, contemptorum, & qui has & ſimiles ærumnas experti ſunt. Quomodo igitur audeſes inter tot celebras ac decantatos Duces ac Capitaoeos comparere adeo timidus? Ut ſi Deus cauſam & litem tuam tibi ipſam decidendam committeret, eam contra teipſum decideres. Alias dicebat, arboris ſanctæ crucis nec ſolium permittere nos debere in terram decidere.

Rho. l. 6. c.3, n.12. IX. Hieronymus Platus, qui luculento opere religioſi ſtatus booa complexus, effecit, ut ſua ſi bona noſſe velint viri religioſi, felicibus eſſe licest. Eodem iogenio, atque eruditiona, de perfectione Chriſtiani Officii libros plures elaboraverat, jamque ad umbilicum perductos, ac typis paratos habebat, noo ſine magna eorum, qui viderant, approbatione, quum tyronis unius incogitantia perierunt, juſſerat Hieronymus chartas, quas io menſa offendiſſet, concerpere, atque auferre: ille obedientiæ properus, ac parum attentus, ut ea ætas ſolet, libros in eadem ſorte menſa jacentes invadit, ac temere conceptos, fœdius etiam diſpergit. Quam gravi petitiooe Hieronymi animum ea percuſſerit jactura, non eſt, opinor, interrogandum: ſed nihilominus ſuæ mentis ſuit, vocis ac vultus, ut etiam renidens exanimati adoleſcentis pudorem timoremque diſcuſſerit. Quam profunde de virtutibus, illis chartis diſputaret, uno loco palam factum eſt experimento.

Ibid.n.19. X. Franciſcus Lupius ter in exilium actus, inter feras, & (quod dirius eſt) inter latrones ſubterraneo in ſpecu vitam traduxit: qui ab hoſtibus captus, infinita, & cruenta io gladiorum licentia duram ſervivit ſervitutem: qui corpus ipſe ſuum flagello, ac ciliciis excruciatum in ſpectri ſormam extenuavit: qui vitam cibo propemodum nullo ſuſtentabat: qui inter acerbiſſimos Romanæ fidel hoſtes vitam ærumnoſiſſimam ita tranſegit, ut, quibus mortalitas poteſt exerceri omnibus ærumnarum modis toleratis, moreretur demum nudus, omnique ſolatio humsno deſtitutus, quippe cui ad pauciores abeunti, præter cadaver, ac triti corii fruſtulum, ſuperſuit nihil. O præclaram ad nos devolutam patientiæ hæreditatem! dignam profecto, cui adenndæ, Oceani ſævitiam, ac barbarorum immanitatem, (quod & ſtrenuiſſime factum eſt) ſocii experiantur.

Ibid.n.22. XI. Qui primi de Societate Braſſiliam ſunt ingreſſi, feraciſſimam dulcium arundinum regionem, tot ſunt ærumnis excepti, ut, quibus non decorum modo, verum etiam dulce pro Jeſu Chriſto eſt pati, invidiam moveant. Hi viginti numero quum eſſent, caſulam e luto, ac levi palea a ſe ipſis conſtructam, quatuordecim in loogum, decem in latum pedibus incoluerunt: hi veſtem ex navalium velorum fruſtis, quæ nautæ donabant, atramento utcumque infectis, ſibimet ipſi ſuebsot; hi ligneam illam Mandiocæ farinam, & oluſcula, in eſculenta, in potum decoctam ex milio ſrigidam habuere. Hi cæſs in ſylvis, atque humeris, quantum conniti poterant, convecta materia templum conſtruxerunt, cui qoantum deſuit elegantiæ, tantum ſuperfuit pietatis. Et hæc illis veluti domi naſcebantur decora, quæ quamquam ad patientiæ laudem ampliſſima eſſent, nullis tamen partibus cum iis, quæ pro aoimarum ſalute peregrinantibus obvcoiebant, poſſet comparari. Hujuſmodi enim olim fuere, aut atiam nunc alicubi ſunt, eæ peregrinationes, ut qui eas ingrediuntur, triomphalia mereri poſſe credam. Itur ad diſſitos, & ſilveſtres barbaros per alta nemora, feris atque ſerpentibus infeſta, & ab orbe coodito mortalibus inacceſſa. Itur autem? erravi, etenim ſecuribus cæduntur antiquiſſimæ ſylvæ ab ævo intactæ, atque in tranſverſum enatis truncis, aut caſu, atque ætate procumbeotibus implicatiſſimæ; quumque vix poſt ferrum pateat aditus, nivibus ſæpe, ſæpe glacie, aut ineluctabili camporum ac paludum uligioe excipiuotur. Itaque non ſemel factum eſt, ut iotegro anno labore maximo itineris rationem ſideribus metieotas quum apertæ ſilveſtris viæ paſſuum millia 300. perfeciſſent ſocii, omni rerum neceſſitate vexati, tum demum ſparſos io montibus barbaros indipiſcerentur, ipſis, quas io ſilvis evaſerant, feris immaniores. Ad hæc, quicumque militiæ nomen dedimus, erudiri fas eſt; patriam enim dubio procul ſic peregrinaotes obtioebimus.

XII. Henricus Henriquez ajebat, nemi- *Ibid.n.23.*
nem ſibi videri Religioſum, qui non aliquid lucri quotidie in patieotiæ rationes referat. Ille olim, qui nihil dederat, diem ſibi periiſſe dixit, & gentium plauſu beneficia hominum generi excepta vox eſt. Iſte diem ſe perdidiſſe credebat, in quo nibil tuliſſet adverſi; nam quia contraria cæli terrarumque eſt diſciplina, quæ nobis hic dextera ſunt, illic ſiniſtra accidunt, & cum intonuit lævum, ſoſpitamur.

XIII. Leo Henricus ibat longiſſima in ſup- *Ibid.n.36.*
plicatione prior homini parum attento, qui, ut erat corpore procerus, elatum ſupra Henrici puſilli, & calvi hominis vertice, ſunale cereum præferebat, ex qoo perpetuum ferventis ceræ in ejus caput ſtillicidium caderet, quod ſeptem ipſas horas, quot oimirum ea duravit ſupplicatio, patientiſſime diſſimulavit Henricus, domumque reverſus, hactenus queſtus eſt, ut diceret per jocum: Enim vero me, ut mancipium, egregie cereo mactaſti ſtillicidio. Qui hujus patieotiæ magnitudinem voluerit æſtimare, is aliquot ſtillis experiatur; vereor, ne ad illas tota defluat patientia.

Qualitas Patientiæ in Morbis.

XIV. Ignatium, quem natura præferocis, *Rho. l. 4. c. 3. noſtra n. 2.*
ardentiſque ingenii ſormaverat, longa virtutum exercitatio contrarium in habitum reformavit; nam patientiæ, indolentiæque quotidiana edens documeota, lentioris genii fidem Medici propemodum fecerat. Et paolo poſt *Ib.c.4.n.1.*
ſeribit idem: Crebris Ignatii virtus exercita eſt valetudinibus; ne quid in illo ad

per-

M.ſ.4.n.1. perfectum virtutis magiſterium poſſet requiri. Conſtans eoim ſemper, & tranquilla homini patientia fuit, oon modo morbis, ſed improbis curatinoibus inexpugnabilis: quod difficilius eſſe arbitror, quaſi, qui morbos aut Dei juſſu, aut naturæ labe, aut proprio errore contractos modeſte ferunt, hominum aut ignorantiæ, aut improbitati legitime iraſcantur. Adoleſcente Medico utebantur ſocii parum docto, oec multum attento: hic interno calore languenti Ignatio, adeo calida omnia medicamenta adhibuit, ut exiguo ac geoeroſiſſimo mero ad potum dato hepar incenderet, eorruptaque ſtomachi temperie dire cruciaret, multaque injecta veſte ad cootinendum calorem, haud dubie enecaret. Quo in periculo Ignatius, quamquam inſcitiam adoleſcentis ſentiret, ſeque ea curatione periclitari videret, nullum tamen verbum ea de re fecit, nec minimum queſtus eſt, præclaram ſibi patientiæ ſegetem oblatam tacite ſecum gaudens. Verum frementibus domeſticis, atque indignantibus, unius nec optimi Medici negligentia communem parentem perdi, Alexander Petronius evocatur, qui vociferans, hominem calidis fomentis ſuffocari, data affatim frigida apertoque auræ cubiculo, quum ſalutem reddidiſſet, interrogare auſus, inepta imperia, atque io non dubiam perniciem urgentia, exequi cur ſuſtinuiſſet, nobilem illum, & patientiæ tuendæ ab obedientia commodatum Laconiſmum elicuit: Obediendum eſt, oec in ea cauſa verbum amplius addidit Ignatius.

Vit. l.4.c. 31. n. 2. XV. S. Franciſcus Borgia dolores morborum non tantum conſtanter ferebat, ſed etiam augere ſtudebat, quo meriti uberior ſeges colligeretur. Hinc pharmaca ægrotans, quamvis amara, ſorbendo hauriebat, ut amaritie diutius cruciaretur. Catapotia quoque dentibus eamdem de cauſa mandere ſolitus, ut qui Miniſtri voluptatis olim fuerant, iidem pœna torquerentur. Cauſam aliquando rogatus modeſte reſpondit: Belluam iſtam (id eſt, corpus) plorare jubeo, ut, quam deliciis voluptatem cepit palatum, eandem abſtinendo amittat, expietque. Meminerim & ego, Chriſtum Salvatorem fel in cruce guſtaſſe.

An. Pr. Mexic. XVI. P. Joannes de la Placa tot tantiſque morbis excruciabatur ultimis annis, ut dicerent Patres, Deum voluiſſe alterum Job Societati dare. Præter alios morbos poſtremi ſexdecim annis chiragra graviſſime laborabat, ultimis vero tribus annis tantum in tergo ſupinus jacere cogebatur, quæ omnia ille invicto ferebat animo, ut nihil unquam dari ſibi permiſerit, ferens inſuper Socii ſui quotidianos in morbo tanto errores circa ſe patientiſſime. Inter ſummos dolores mentem ad Deum elevabat dicens: Tu, Domine, verbera ingere, ego *miſerere* percurram. Ajebat, plus aliquem in morbis mereri, quam cum ſponte mortificationem aliquam quis ſuſcipit, ob propriam ibi voluntatem, & periculum inanis gloriæ. Rogatus in tantis doloribus, num mori tandem cuperet, reſpondit, ſe cupere quidem Deum videre, ſed a dolorum impatientia tantum abeſſe, ut majores cuperet.

XVII. Cæſar de Novellis Novitius cum hepar fruſtratim excrearet, inter ſummos tamen dolores ſubridebat. Cauſam rogatus hujus riſus, ſubrideo, ait, & quia me pati gaudeo, & quia ſpem habeo cæleſtis patriæ, & quia dæmon hilaritate torquetur. *An. Prov. Neap. Nov. 1609.*

XVIII. P. Jacobus Laynes uſque adeo non frangebatur morborum vehementia, ut etiam morti vicinus ſe ad ſuggeſtum concionandi gratia ferri juberet, affirmans, Chriſti militem in vita otium ignaviamque peſtes animorum fugere, pugnantem vero & armatum occumbere debere. *Vit. 4.1.16*

XIX. P. Ludovicus de Ponte cum die Veneris ſancto vehementius exarſiſſet in cupiditate experiendi dolores Chriſti, articulari morbo, qui per totam vitam eum non deſeruit, correptus, tam ſerena ac læta fronte eum excepit, ut intenſiores ſemper optaret. Unde quærenti, quomodo valeret, ipſemet morbum ſuum deſcripſit diceos: O mi Pater, quomodo Deus huoc peccatorem caſtigat! præter caput, nullum habeo membrum expers mali proprii. Nam oculi ſunt quaſi tela obducti, dentes mihi dolent, ſive calido, ſive frigido utar potu ac cibo, dolent maxillæ, ſtomachus lien & latus, e quo movere me non audeo, os reſpiratio mihi difficillima fiat: humores adhuc minus: jecur & renes exuerunt me, humeri ſtringuntur arctiſſime, manus ac pedes ardens gutta inſedit. Deo ſint laudes. Fecit autem votum, nulli alteri manifeſtandi ſuos dolores, niſi quem celare fas non eſſet. Nihil admiſit, quod dolores & mala levaret, ne domeſticorum quidem alloquia. Plures errores miniſtrantium æquiſſimo tulit animo, multos eorum labores excuſando, & quantum poſſet, imminuendo. Nec delectamenta ab Amicis ſubmiſſa accepit, nec commiſeratione aliorum delectatus eſt. Lectus etſi ob carnis defectum ei cruciatus non leves cauſabat, ipſi tamen pro roſeo & florido lecto fuit. Imo nec oleum ex lampades S. Ignatii oblatum aliter accepit, niſi cum aperta proteſtatione, quod nolit ſanari, niſi majoris id gloriæ fuerit Domino noſtro. *Vit. l.2. c. 4. §.2. & 6.* *§. 7. & 8.*

XX. P. Leonardus Leſſius totos quadraginta quinque annos numquam ſine dolore fuit, & ita quidem, ut ſemper poſterior priore fuerit deterior. Ex lue, quam in diverſorio contraxerat, maculoſa ſcabies uſque adeo effecit certas partes, ut inde moleſtiſſima impetigo utramque tibiam aſſiduo pruritu, ceu edaci morſu corroſerit. Inde etiam natus ſtomachi languor, frigus, pituita, inteſtinorum tormina, ventorum ex ore flatus, prædura alvus, colicæ aculeus, hepatis vicinarumque partium affectio, adhæc hernia utrimque hinc pugni, inde pilæ magnitudine extuberans. Proximo ante mortem quadriennio duo calculi, ovo gallinaceo pares, nullo ante indicio cogniti, quaſi cælo lapſi, veſicam cruentarunt, & exulcerarunt uſque adeo, ut omnia mala præterita huic compoſita luſus viderentur. Et tamen eadem mala ſimul cum hoc eodem plerumque tempore ſeviebant, *Vit. c. 18.*

ita

ita ut bonus Pater ſubinde queritans exclamaret: Omnia excelſa tua & fluctus tui ſuper me tranſierunt, Domine. Solemne illi erat ſexagies quotidie a binis illis lapidibus, interdum etiam centies cruciari. Quibus tamen in cruciatibus omnibus laudabat Deum, gratias agebat, gaudebat, amplius petebat.

Annus Prov. Belg. 1608. XXI. P. Theodorus Ottonius Rector Collegii Luxemburgenſis aſthmate, podagra, calculo, vertigine, chiragra afflictus, ne minimum quidem unquam impatientiæ ſignum dedit.

Pr. Neap. Coll. N. I. 1695. XXII. P. Ambroſius Gerardus totus fere ulcus evaſerat, ex quo vermes maxima copia ſcaturiebant, maximo cum illius dolore; numquam tamen impatiens viſus eſt, quin ipſe viſitantes tranquilliſſimo vultu ſolabatur. Mortuus tandem in Julio cum ſummus æſtus eſt, nullum de ſe fœtorem emiſit, ſed ſuaviſſime olere cœpit.

Menolog. Ann. Belg. Coll. Lov. 1610. XXIII. P. Joannes Buſæus in graviſſimis calculi doloribus etiam religioſe jocari conſueverat.

XXIV. P. Joannes Thenenſis Coadjutor cum ob enormia ulcera omnis ei corpulentia vivo videntique difflueret, crebroque ſemimortuæ carnes reſecarentur, inter acerbiſſimos dolores ſemper ſibi conſtans, roſarium percurrebat, ac dicebat: Nunc demum ſentio, quam ſuave ſit pati.

Rhoe. c. 4. n. 3. ex noſtr. XXV. Gulielmum Fauchelium adoleſcentem Logicæ præceptis operam dantem invaſit, & plures per annos exercuit dira valetudo, quæ Medicis ignota, nullo ab his nomine inſignita eſt: concutiebatur violentiſſime totis artubus, & manus bis terque validiſſime complodebat, tunc pectus pugnis, quanta poterat, vi incuſſis plangebat, totumque ſe ita evibrabat, atque veluti tormento excuſſo ejaculabatur, ut binos ei perpetuo adeſſe, & manibus exceptum, ne ad ſolum affligeretur impetu ipſo, ſequi neceſſe eſſet: ubi in lectulum erat repoſitus, ingenti cum ſuſpirio animam trahebat. Hoc illi prope continuum erat: ſubinde vero contractus in globum, informem in modum ita torquebatur, ut vel ad volantes, inſidenteſque muſcæ accerrimum ipſo leviſſimo attactu dolorem afferrent. Acceſſit caſtaneæ inſtar, ſed magis exaſperatus acuminibus calculus, quo renes continenter configerentur, quem ſecto corpore videntes inhorruerunt Medici, dolorum immanitatem conjectantes. At nulla fuit tanta atrocitas, quæ adoleſcentis patientiam vinceret, animo ſemper ſupra valetudinis mala eminente, ac ſibi præclare conſtante, ſeque omni virtutum cultu diligentiſſime exercente.

Ibid. n. 7. XXVI. Immenſis angoribus æſtuare Stephanum Tuccium fuit neceſſe, cui enormis in cervice tumor (nattam vocant) continuo a-ctu excreſcens, lentiſſima in morte ad extremum, compreſſis faucibus, ſpiritum intercluſit. Nulla illi quies, niſi corpore genibus excepto, & in lectuli ſpondam acclinato, demum, quum nihil per anguſta faucium, ſine præſenti ſuffocatione, tranſmitteret pingui aſſæ, ac fumantis adhuc e furno panis dolore, vitam ultimis diebus, omnibus maſtam doloribus, ægerrime traxit. Hic diuturna maximarum virtutum exercitatione calidus, patientiam, pacemque animi nulla hoſtili turbatam impreſſione retinuit, atque amicis ſubinde rogantibus, qui tantam dolorum ferret acerbitatem, cum vix ſpiritum anguſtiſſime meantem poſſet in verba formare: libenter, libenter reſpondebat, & magnitudinem animi morbi immanitate majorem, vultu oculiſque præferebat.

Qualitas.

Patientia in injuriis.

XXVII. S. Ignatius dum loca ſacra viſitans a Saraceno qua injuriis, qua minis peſſime tractatur, Chriſti a Judæis contempti exemplo propoſito, ſumma cum patientia ac alacritate id tulit. Peregrinabatur per avia Lainio ſocio, quum accurens vicino a grege adoleſcentulus, ſive novo advenarum habitu, ſive qua alia cauſa effuſus in cachinnos irridebat: ſubſtitit Ignatius, ſeque procaci pucro affatim irridendum præbuit Lainium, qui ut gradum faceret monebat, docens non eſſe puero eam ſubtrahendam voluptatem. Habitabat Romæ modico in cubiculo, ex quo in vicini atrium erat deſpectus; id non ferens homo inurbanus, ut Ignatio ægre faceret, gallinas, anſeres, pavones in eam veluti caveam conjecit, quorum irrequieto cantu, atque clangore commentanti atque meditanti obſtreperetur. Hanc moleſtiam non jurgio, mutuiſque clamoribus, ſed perpetuo ſilentio ita demum vicit Ignatius, ut a ſcola patientiæ, quam ſilentii matrem dixere ſapientes, prodiiſſe nemo dubitaret. *Vit. l. 1. c. 1. & hiſt. Soc. l. 1. n. 19. Rho. l. 6. c. 3.*

XXVIII. Leo Henricus Novitius ædem ſacram ingreſſus, cum plenam tumultu, & immodeſtia repeririſſet, cathedram aſcendit, & ſuper verbis illis: Domus mea, domus orationis eſt: acriter intonuit. Movit ea res populum, & unum præcipue, qui, cum fruſtra Leoni ſilentium mandaſſet, tandem colaphum etiam concionanti impegit. Quo accepto Leo Deo gratias agens, & ad percuſſoris genua provolutus, manum, qua eum percuſſerat, ad oſculum petiit. *Noſtr. t. 1. Hiſt. Soc. p. 2 l. 6. n. 96.*

XXIX. Joannes Fernandius cum Amangu-zii verba ad populum faceret, & Japon prægrandem ſalivam iu eos illius expuiſſet, nihil tali injuria commotus, ſed ſtrophiolo extracto ſolivam abſtergens, concionari perrexit, effecitque, ut tam præclaro patientiæ exemplo quidam permotus Chriſtianam fidem ſuſciperet. *Ib. l. 11. n. 104.*

XXX. P. Ferdinandus Crendelius verus per omnia Societatis filius, ſi quando verbo eum quis læſiſſet, altero die ſacrum pro illo offerebat. *Jac. Caniſ. in vit.*

XXXI. P. Paſchaſius Proetus Lutetiæ juxta Meſſores tranſiens, cum ab iiſdem ut ſimulator illuderetur, aliiſque convitiis appeteretur, baculo innixus tamdiu ſubſtitit, donec illi pudore victi ceſſarunt, tum erigens ſe, ſuaviſſimeque illos intuitus, Deus, ait benigne vobis faciat, Filii, & benedicat, ſimulque crucis ſigno facto benedixit. Permoti illi viri ſan- *Hiſt. Soc. p. 2. l. 6. n. 95.*

ſanctitate, atque ad genua accidentes ſe, coovitiatores, illum Sanctum prædicabant.

Vit. c. 40. §. 1. XXXII. P. Baltaſſar Alvarez cum in congregatione Provinciali grave aliquid, licet falſo dictum de eo fuiſſet, ideoque graviter ibi in publico conſeſſu reprenderetur, nec publice, nec privatim ſe defendit, & ob id tam heroicum ſilentium magnos a Deo favores eſt
§. 2. conſecutus. Alias cum in Hiſpania & Romæ graviter fuiſſet infamatus, & quidam hoc ei retuliſſet, ſubriſit editis ſingularis lætitiæ ſignis. Cujus rei cauſam quæſitus reſpondit: Quia nunc video, Deum mihi bene velle, quoniam per Amicorum ſuorum viam me deducit; nam diu ſollicitus fui, quod videretur mei Dominus oblitus.

Rho. l. 6. c. 3. n. 4. XXXIII. Claudius Aquaviva in media Urbe, pluſquam Japoniam invenit, ut ſe patieotiæ alumnum comprobaret. Juraverat homo furioſus, atque iræ dementiſſimæ, quem primum poſſet, Jeſuitam ſe fuſte dedolaturum egregie; quam eſſent iniquæ cauſæ, quamquam ego ſatis novi, rei, quam agimus, parum intereſt. Ibat ergo Claudius ſub meridiem cûm ſocio oculis humi dejectis, totoque corporis habitu ad modeſtiam compoſitus, quum in eum involat importuous, & ſuſtuarid cædere aggreditur. Dum ſe inde Claudius proripere tentat, ortus prætereuntium clamor domeſticos Aquavivii Cardinalis e vicina excitavit, qui prope accurrentes; ut, quod ageretur, viderent, ſtrictis illico gladiis in ſceleratum invaſorem irruebant, de illata Cardinalis patruo, tam luculenta injuria vindictam repoſceotes. Verum Claodins quieſcere juſſit, hominemque dimittere, ipſe attrocem contumeliam, quaſi ad alium ſpectaret, ſilentio, atque diſſimolatione tranſmiſit.

Ib. n. 5. XXXIV. Simillima in Ægidio Gonzalio eſt laus, efferaverat in ultimam rabiem adverſa alea hominem de vulgi ſæce neſcio quem. Is a ludo amenti ſimilis digrediens, Gonzalo homini graviſſimo, ac tum totius Ordinis Aſſiſtenti, qui primus furenti occurrit, colaphum inſolentiſſime infregit, quod Ægidius Chriſtianæ memor diſciplinæ, adeo diſſimulanter habuit, tamque compoſito gradu, quo cæperat, ire perrexit; comes ut dubitaret, vere ne depalmatus fuiſſet, an ipſe falſus videndo. Verum clare id intellectum eſt, quum altera die, domum noſtram jam ſibi redditus percuſſor venit, crebroque gemito, ac ſingultu expiatus eſt.

Ib. n. 8. XXXV. Jacobus Miro, quem rerum geſtarum nobilitas Indicæ Xaverii famæ in Luſitania exequabat, aliam Evangelicæ ultionis viam ingreſſus eſt; interfuerat Miro concioni, ad quam qui dicebat, nec bonus civis, nec bonus orator, contumeliarum plauſtra, mirum, quam ingenti ſtomacho in Societatem effuderat; luculentior erat injuria, quam ut diſſimulari poſſet. Nec diſtulit vindictam Miro; deſcendenti e ſuggeſtu obviam factus, totus ad modeſtiam compoſitus, manum ad oſcula ſibi dari rogat, quod cum ille facere ſuſtinuiſſet, magna cum reverentia, & quodam animi ſenſu dimiſſiſſime oſculatur. Meroit egregia virtus ſpectantis concionis plauſum, quid lacrymæ fuerunt, quibus ſi quid importuoe dictis noſtro nomini maculæ adhæſiſſet, id totum potuit abſtergi. Id quod alibi ſic relatum lego: P. Jacobus Miro cum in Luſitania concioni intereſſet, in qua tota Societas mire exagitabatur, aliis indignitate rei permotis abeuntibus, ad finem uſque ſubſtitit, & ubi Concionator de cathedra deſcendit, manum illius accipiens demiſſe oſculatus eſt. *Hiſt. Soc. p. 1. l. 12. n. 69.*

XXXVI. Nicolaus Arnaja, graviſſimis calumniis, inimicorum arte, longe lateque Mexicana regione vulgo prociſſus ac vexatus, tanta egit patientia, ut rem totam Deo committeret, & tempeſtatis violentiſſimæ finem, domeſtico tranquillæ conſcientiæ in portu, nihil expoſtulans, nihil quærens, neminique ſuccenſens, ſecurus expectaret. Juvat ſæpius non timere; nam plerumque quamvis magno ſe murmure cælum miſceat, ſine ſulmine detonuit. *Rho. l. 6. c. 3. n. 10.*

XXXVII. Eadem patientia Baltaſſar Alvarez calumnias noverat refutare; moverant quoſdam eximia, quæ ad divina contemplanda, dona accepiſſe ferebatur, & ea erant tunc in Hiſpania tempora, ut oſtentantibus ſe per inſcitiſſimam ſuperbiam novæ illuminatorum ſectæ Magiſtris, extraordinaria hæc munera non immerito viderentur ſormidoloſa. Itaque cum ſuſpicionibus haud dubiæ audiebantur calumniæ, ac viri ſama undique carpebatur. Ad hæc in Patrum Conventu Proviociali accuſatus, parem ſe virtutum quod profitebatur, oſtendit magiſterio. Nam & accuſationem, amici uſus conſilio, ſilentio diſſimulatam diſjecit, & interiorem animi rationem libello comprehenſam ad eos, quibus jus erat inquirere, ita tranſmiſit, ut omnia patieotiæ libra expenſa videri poſſint, de re ageos, nemine ne leviter quidem læſo. Quas ipſa virius ſalſitatis arguit calumnias, oblocutioneſque patienter ferre, magnum eſſe non equidem negaverim! At ubi virtus ipſa læditur, longe difficilius vincimus; nam virtutem nobis detrahi, quam vitia affingi, impotentius dolemus; quia facilius eſt extra vitia vivere, quam cum virtutibus. *Ib. n. 12.*

Utilitas.

XXXVIII. S. Ignatius cuidam adverſa ægre ferenti dicebat: Si Deus te faciat multa pati, eſt ſignum, quod velit te facere magnum Sanctum. Si vero tu cupias fieri magnus Sanctus, roga eum, ut magnam tibi patiendi materiam donet; neqoe enim lignum aptius eſt excitando ſoco amoris Dei, quam lignum S. Crucis, quo uſus eſt Chriſtus ad Sacrificium charitatis immenſæ. Alias interrogatus, quæ omnium expeditiſſima via eſſet ad perſectionem, reſpondit? Qua Chriſti cauſa adverſis delectamur. Et ſtude tu, hanc ab eo gratiam inire, quam ubi acceptis, non ſane ſolam habebis, ſed multis aliis comitatam. *Bart. l. 4. vit. S. Ign. Lyr. l. 2. ap. 1.*

XXXIX. P. Petrus Faber magis alienis angoribus angebatur, & dolentibus condolebat, quod bonum ſui mali pauci perpenderent, nec calamitatem ſentirent a Deo eſſe invectam boni ſui cauſa. Totam autem lugentium fraudem *Vit. l. 2. c. 16.*

Digitized by Google

dem atque metum in eo ſolo verſari, quod Chriſti ſortem reformidant ac pavent, veriti, ne ſtatum illum, quem illi fortitus eſt in cruce fortiantur & ipſi, aut certe ne latronis boni, aut beatæ Dei Parentis, aut S. Joannis Evangeliſtæ ſimiles fiant. Veruntamen [quæ eſt cæcitas mortalium, illud potiſſimum vitari omnibus modis, ne quando ad ſtatum redigantur ſimilem, ad quem Chriſtus in cruce redactus eſt.

XL. P. Balthaſar Alvarez dicere ſolebat:
Vit. c. 25. Quando Deus alicui oculos aperit ad diſcernendum, quantum bonum in ipſo habeat, aperit etiam, ut eodem lumine videat, quantum valeant, & æſtimari debeant omnia pœnalia & adverſa, & agnoſcat ea eſſe inſtar velocium poſtarum, quibus ingentia, quæ inter animas, & ipſum interjacent, ſpatia velociſſime percurruntur, & eum, qui dicat, eſſe impedimentum, ac progreſſum retardare, injuria afficere divinam potentiam. Si quis enim proficere cupit, eique placere, quoniam merito eum debet plus quam ſeipſum amare, merito etiam occaſiones amabit, in quibus ei placere poſſit. Quæ occaſiones cum ſint eventus illi, quos cæcus mundus infelicitates, infortunia, & onera appellat, & ipſe talia non judicabit, ſed Dei ſtudia, favores in ſe reputabit, & quidem eo majores, quo graviores illi erunt. Alias ſe hoc diſcurſu ad patientiam animabat: Si cupidus ſumptuum, in ſua vinea
Vit. c. 40. §. 2. coleoda multas pecunias, & tempus expendiſſet, & poſt magna indicia copioſi fructus, videret, eam grandine confringi ac deſtrui, quid is animo ſentiret? Quod ſi grandines illæ aureæ eſſent, quantam acciperet conſolationem, multo ſiquidem magis eſſet illi lucrum, quam jactura vineæ. Aurei ſunt lapides, valdeque pretioſi contemptus; vehementer locupletant eos, qui noverunt eſſe patientes.

XLI. P. Coſmus Stella in Collegio Medio-
Anno 1588. lanenſi Profeſſor Theologiæ, raræ virtutis, rogatus in agone, ut diceret aliquid, quod prodeſſet, & præcipue quam judicaret compendiariam viam ad perfectionem; collectis animi corporiſque viribus, via crucis inquit, via mortificationis, via Inſtituti Societatis: & cum hæc dixiſſet, quievit.

Jucunditas.

XLII. S. Ignatius dicebat, univerſum mel
Lyræus l. 2. apoph. orbis tantam non habere dulcedinem, quantam habeat Domini Jeſu fel, & acetum.

XLIII. P. Joannes Baptiſta de Machado tres
Menolog. ſibi dies in vita jucundiſſimos fluxiſſe aſſerebat, quo receptus eſt in Societatem, quo captus pro fide, quo denique moreretur pro eadem. Ad hunc præcedentem titulum ſpectare etiam poſſunt pleraque exempla præſente §. narrata.

Patientia in Martyrio.

XLIV. P. Carolus Spinola, quatuor annos
Ann. 1622. in carcere Omurano magnas miſerias, famem,
In vita Maſtill. c. 33. n. 22. frigus & alia paſſus, tandem columnæ alligatus magno ſpiritu concionem habuit, ad concionem ſpectatorum pluſquam triginta millium, & magna cum lætitia pſalmos cantans ſpiritum Deo reddidit. Præparaverat ſibi vexillum, quo cum ad rogum volebat procedere, ſed Miniſtri e manibus eripuerunt.

XLV. P. Sebaſtianus Chimura Japon. pri- *Ibid. 21.*
mus ex ea Gente Sacerdos, poſt quadraginta annos illi vineæ excolendæ impenſos, eaſdem cum P. Spinola ærumnas carceris, & rogi tormentum, eodem modo inter pſalmos cantatos ſuſtinuit.

XLVI. P. Camillus Conſtantius Italus vi- *Ibid. n. 12.*
tam canendo, & concionando inter flammas finivit. 15. Septemb. anno 1622.

XLVII. P. Petrus Paulus Navarrus Italus poſt triginta ſex annos inter innumeros labores, moleſtia, & pericula exactos tandem & ipſe magna cum conſtantia & jucunditate vivus crematus eſt, 1. Nov. 1622.

XLVIII. P. Didacus Caravallis Luſitanus *Ibid n. 12.*
aquæ glacialis tormentum tribus primum horis, poſtea iterum aliis duodecim ſumma conſtantia, ad quam etiam Socios excitavit, toleravit. 24. Febr. 1642.

XLIX. P. Antonius Iſcida Japon., a qui- *Ibid. n. 37.*
buſdam Pintus vocatus, raræ virtutis, humilitatis ac charitatis, quadraginta tribus annis, quibus in Societate vixit, multa millia Gentilium convertit: tandem captus Nangaſachii, poſt triennalem carcerem arctiſſimum, per triginta dies bullientes aquas ſulphureas ſuſtinuit, vivuſque aſſatus eſt. 3. Sept. 1622.

L. Nicolaus Keyan Fucunanga poſt quadra- *Ibid. n. 60.*
ginta ſex annos culturæ Japonicæ impenſos, & primus ſuſpenſus pedibus, & medio corpori immiſſus in foveam arctam, clauſamque duabus tabulis exciſis ad captum corporis, omni luce & ſuſtentatione adempta, qua triduo hoc tormentum eſt paſſus fortiſſime, & interea Gentilibus Chriſtum prædicabat, aſſerens, Dominam noſtram ſecum in ſcrobe fuiſſe, aquamque & alia oblectamenta præbuiſſe. Et vero Cuſtodes ſcyphum cum aqua in illa invenere, manuſque Nicolai ſolutas: octu quoque aliquoties ſupra tabulas ſedentem viderunt; cumque eum interrogarent, num dolorem aliquem ſentiret, non alium; ajebat, quam quod Xogonum & totam Japoniam ad Chriſtum perducere non poſſet. Mortuus eſt anno 1633. 31. Jul.

LI. P. Paulus Saitus Japon. ſeptem diebus *Ibid. n. 67.*
tormentum foſſæ ſine omni cibo & potu ſuſtinuit, tamque diuturnum cruciatum non aliter ac blanditias riſit, mirantibus miniſtris, & carnificibus. Cum ejus & ſocii P. Benedicti Fernandez corpus ſuum cremaretur, colloqui, & quaſi adhuc ſpirarent, gratulare ſibi mutuo ſunt viſi; imo manifeſte auditi. Anno 1633. 2. Oct.

LII. P. Rochus Gonzalez cum ab impio *Bibl. Soc. Indice Martyr. n. 211.*
præſtigiatore, ne molitionibus ejus nefariis obſtaret, occiſus eſſet, cadaver illius vulneratum, dilaceratum, & circum Eccleſiam, quam excitarat, ignominioſe raptatum, voce e pectore formata Sicarios increpuit, ſuique celeris attonitos admonuit. Anno 1628. 15. Nov.

LIII. P. Joannes de Caſtillo Hiſpanus jacu- *Ib. n. 213.*
lis

lis confoſſus, & per aſpera montium fune raptatus, arborique expanſis brachiis illigatus, & poſt multa repetita vulnera, validiore ſaxo vertici impacto occiſus eſt, tertio ac trigeſimo ætatis anno, ſexta feria, hora poſt meridiem tertia. Anno 1628. 15. Nov.

Ib. n.249. & 250. LIV. P. Gaſparus Paez cum Socio P. Joanne Pereira in ſilva, ubi latebat, deprehenſus, mox ibi per multa vulnera Deo immolatus eſt, ſed ita ut ſanguis P. Gaſpari non defluxerit in terram, ſed tenues in auras illico evanuerit. Anno 1634.

Ib. n.237. LV. P. Chriſtophorus de Mendoza Hiſpanus a Paraquarienſibus Veneficis primum ſagittis eminus confoſſus, mox cominus gladiis appetitus, altera aure reciſa, labro ſuperiore eum dentibus revulſo, tum aure altera, nariburque reciſis, lingua a radice, & continente ductu, toto thorace, ventre, virilibus convulſis atque abſtractis confectus eſt, Chriſtum illis ad extremum uſque prædicans, Anno 1636. 24. Mart.

Ib. n.219. LVI. P. Marcellus Maſtrillus a S. Franciſco Xaverio mirabiliter ex vulnere ſanatus, & in Japoniam miſſus, ibidem primo diductis cruribus per contortum funem ſuſpenſus, capite in aquam demerſo, retexente ſe fune violenter rotatus eſt. Dein ſcalis ſupina facie alligatus, infuſa in faciem magna vi aquæ pœne ſuffocatus eſt. Tum candente ferro virilia uſtulatus, cum inverecundam barbariem deteſtatus eſſet, atque cruciamento rurſum admotus eſt. Demum prælata mortis cauſa, quia fidem exteram veniſſet prædicatum, jumento eductus, catenatus, os dentato conſtrictus lupato, capitis partem dextram raſus, lævam minio probroſe infectus, capite in ſcrobem genum tenus depreſſo pedibus ſuſpenſus in quartum uſque diem, poſt illa depoſitus, tertio acinace obtruncatus eſt. Anno 1637. 17. Octobris.

Ib. n.263. & ſeqq. LVII. P. Gerardus Paeſmam, & P. Jo. Baptiſt. Boddens Rector Trajectenſis Collegii, & Philippus Nottin, a Batavis hoc genere tormentorum excruciati ſunt. Humile ſcabellum, vel potius ferrea crux ducuſſata erat, nec omnino acuta, nec adeo obtuſa, quin reus nudus inſidens, apte eam, mole corporis gravante, admitteret. Manus pedeſque revinctus per extremos digitos ad tergum, manicis & compedibus aculeatis onuſtus ſedebat: collo injectum collare ferreum triplici aculeorum ordine, ſurſum deorſum, & directe obverſorumque, ne quo ſe miſer ſine dira lancinatione poſſet convertere: nam collare pendebat ab quatuor ergaſtulis illigatum. Tum vero ignis ſtruebatur luculentus, quo homo immotus torreretur. Pellis flammarum vi divulſa, ubi in puſtulas evaſerat, ferro ſecabatur, & acetum ſale & pyrio pulvere mixtum infundebatur. Sic noſtri uſtulati fœdiſſime, collum laceratum, pudenda ſemiambuſta, hiantia late vulnera. Omnes tandem gladio interrempti, P. Joannes Baptiſta tamen non prius, quam viginti duabus horis primo dein ad quaternas alteras diriſſime tortus, ita ut ſtare nequierit, poſt verenda abraſa, umbilicum virgis prolicitum, & inteſtinum ſecretius, genua diſſiſa, lævam manum emortuam, totumque corpus laceratum, demum ad ſupplicii locum portatus, & ſedens collo ſecurim excepit.

§. VII. EXEMPLA PROFANA.

I. DE Socrate ſic ſcribit Seneca: Si exemplum deſideratis, accipite Socratem per omnia aſpera jactatum: invictum fame & paupertate, quam graviorem illi domeſtica onera faciebant, & laboribus, quos militates quoque pertulit, & qoibus ille domi exercitus. Sive uxorem ejus ſpectes moribus feram, lingua petulantem, ſive liberos indociles, & matri, quam patri ſimiliores. Sic fere in bello fuit, aut in tyrannide, aut in libertate bellis & Tyrannis ſæviore. Viginti ſeptem annis pugnatum eſt: poſt finita arma triginta, Tyrannis noxæ dedita eſt civitas, ex quibus plerique inimici erant, poſt hæc carcer & venenum. Hæc uſque eo animum Socratis non moverunt, ut ne vultum quidem moverit. Non hilarem quiſquam, non triſtiorem vidit Socratem, æqualis fuit in tanta inæqualitate fortunæ. *Ep. 104.*

II. De Catone idem ait: Vis alterum exemplum? accipe hunc M. Catonem recentiorem, eum quo, & inferius fortuna egit, & pertinacius. Enarratis poſtea variis calamitatibus addit: nemo mutatum Catonem, toties mutata Republica, vidit: Eumdem ſe in omni ſtatu præſtitit, ſemper idem exiſtit. *Ibid.*

III. M. Attilius Regulus primi Punici belli gloria, ſuis ſe hoſtibus ſiſtit ex data fide. Illi Regulum in arcam ligneam infixis undique præacutis clavis, & extantibus conjecerunt, palpebris prius reſectis. Fixerunt autem clavi, & quocumque fatigatum corpus reclinaſſet, vulneri incumbebat, & in perpetuam vigiliam ſuſpenſa ſunt lumina. Ita virum fortiſſimum vigilantia pariter, & continuo doloris tractu necaverunt. *Gellius l. 7. n. 4. Att. c. 4. Valer. l. 9. c. 2.*

IV. Pericles ab homine improbo magnam diei partem convitiis laceratus ſiluit, & ſuſtinuit. Ubi vero ſub veſperam domum ſe recepit, ſecutus eſt impudentiſſimus convitiator, & velut moloſſus non dimiſſurus eum, quem faucibus ſemel prehendiſſet. Cum uterque ad januam domus pervenit, præcipitante jam nocte, Pericles unum e Domeſticis accerſens: Heus tu, inquit, facem mox expedito, & huic uſque in ſuam domum præferto. *Drex. in Rh. p. 1. c. 5. §. 4. n. 5.*

V. Cum Conſtantini Imper. ſtatua a furioſis hominibus ſaxi fuiſſet impetita, & Aulici eum ad vindictam incitarent, ipſe manu faciem oberrans, nihil, inquit, in vultu vulneris deprehendo, non ergo vindicta opus eſt. *Ib. §. 5.*

VI. Theodorus rogatus, cur neminem eorum, a quibus injuriam acceperat, ſecuti adduceret? O utinam, inquit, vel mortuos ad vitam revocare poſſim! cur vivos ob injurias mulctem. *Ibid.*

VII. Hanc rationem, inquit Seneca, ſequitur Deus in bonis viris, quam in diſcipulis ſuis Præceptores, qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior eſt ſpes; quam in militi- *l. de conſt. ſap.*

litibus Duces, qui optimos milites ad duriſſima mittunt. Sic ignem experitur in Mutio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormentum in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. Ut ſeveri parentes filios educant durius, ita Deus, ſuos, ut ex doloribus, & damnis colligant robur. Dicant hi ergo, digni viſi ſumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura pati poſſit. Ecce par Deo dignum, vir fortis, cum mala fortuna compoſitus. Ecce ſpectaculum Deo dignum.

[*Plut. in Lacon.*] VIII. Pueri apud Lacedæmonios in ara Dianæ, cui ab indicibili virtute cognomen Orthiæ, flagellis quotannis ſtato feſto ex more totum diem cædebantur, itaque frequenter durabant ad mortem uſque hilares ac læti, concertantes inter ſe de victoria, quis ipſorum diutiſſime fortiſſimeque toleraret verbera. Unde nec gemitum, nec vocem dabant, nec ſcapulas aut corpus contrahebant, tantum ut victoriæ hujus nomen, & decus obtinerent.

[*Ibid.*] IX. Ageſilaus cum arderet Podagræ doloribus, eumque Carneades inviſiſſet, atque exiret triſtis; mane, inquit, Carneades, nihil enim illinc huc pervenit, oſtenſis pedibus & pectore ſignificans, pedes quidem dolere, ſed animum dolore vacuum eſſe.

[*Polyant. Lang. f. 617.*] X. Poſſidonius cum interdum graviſſimis morbi doloribus cruciaretur, dixiſſe fertur: Nihil agis dolor, quamvis ſis moleſtus, numquam te confitebor eſſe malum.

[*S. Bon. ſ. 2. de S. And.*] XI. S. Bonaventura ſequens de quodam Alexandri M. Ephebo recenſet exemplum: Legitur, inquit, quod Alexandro Macedoni Regi immolanti puer nobilis cum incenſo aſtabat, ſuper cujus brachium ardens carbo delapſus eſt; Licet ergo ignis carnes adureret ita, ut dolor exuſtionis ad nares omnium adſtantium perveniret, puer tamen adeo patiens fuit, propter reverentiam domini ſui Regis, quod non ſolum dolorem ſilentio preſſit, ſed brachium omnino immobile tenuit, tamquam vilipenderet pœnam ignis. Ergo ſi tanta fuit patientia ob reverentiam Regis dæmonibus immolantis, quanta deberet eſſe in hominibus Chriſtianis ad ſuum Regem, qui ad hoc propter nos pati voluit, ut nos patientes eſſe doceret?

[*Beltovac. ſpec. mor. l. 2. diſt. 88.*] XII. Cujuſdam Philoſophi diſcipulus peccavit; dum ſibi peteret dimitti, dixit ei Philoſophus: Nec indulgeo tibi, niſi tribus annis aliis dederis mercedem his, qui te injuriis & conviciis affecerunt. Quo facto dixit ei Philoſophus: Veni modo, & ingredere civitatem Athenienſium, ut illic ſapientiam addiſcas. Ad portam autem urbis erat quidam ſenex ſapientiæ ſtudioſus, qui omnes ingredientes experiendi cauſa conviciis afficiebat & injuriis, quod cum dicto juveni faceret, ipſe riſit; cui ſenex: Quomodo, inquit cum ego injuriam tibi faciam, tu rides? Reſpondit juvenis, quod tribus annis mercedem dedi pro hoc, quod tu gratis impendis. Tunc ſenex ait: Ingredere civitatem, quia dignus es.

§. VIII. SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut nautæ non mox propter contrarium ventum exonerant, aut deſerunt navem, ſed paulum ſuſtinentes, aut pugnantes adverſus procellam, iterum rectum curſum inveniunt; ita & nos in contrarium Spiritum incurrentes, crucem pro velo erigamus, & ſine periculo ſæculi hujus navigium explicabimus. [*Vit. PP. l. 3. libell. 3. n. 18.*]

II. Sicut ſolis & lux & vis eſt integra, etiam inter oppoſita, nec, quoties inter nubila luxit, eſt ſereno minor, nec tardior quidem, ita oppoſita virtuti nihil detrahunt, non eſt minor, nec minus fulget. Nobis forſitan non æque apparet, ac nitet, ſi eadem eſt, & more ſolis obſcuri in occulto vim ſuam exercet. Hoc itaque adverſus virtutem poſſunt calamitates & damna, quod adverſus ſolem poteſt nebula. [*Senec. ep. 92.*]

III. Sicut pelles acceptas adſtringunt, extendunt, percutiunt, ac parietibus ac ſaxis alliduat Coriarii, & aliis innumeris artificiis ad ſuſcipiendam tincturam reddunt idoneas, ac deinde pretioſum colorem inducunt; ita quoque facit in hac vita Deus, dum animam ad virtutem aptam vult reddere, adſtringit, & affligit, ut idoneam magis ad bona ſuſcipienda reddat. [*Caſſian. coll. 6. n. 10.*]

IV. Sicut debilis ſtomachi ſignum eſt, duriorem cibum non poſſe concoquere; ita parum robuſtæ virtutis indicium eſt, adverſitates non poſſe æquanimiter ſuſtinere. [*Ariſt. l. 4. Eth. c. 3.*]

V. Sicut trituratur terra, & vomere ſcinditur, ut germinet: Univerſæ putantur arbores, ut fæcunditate ſua alimoniam hominibus ſubminiſtrent; in vite utiles purgantur racemi, ut uberiorem fructum exhibeant? ita ab Adverſariis Juſti opprimuntur, & tacent; damna temporalium patiuntur, & diligunt: calumniantur, & obſequia impendunt: benefaciunt odientibus, pro perſecutoribus orant, ſe Corporis Chriſti membra eſſe fatentur, conſortesque Sanctorum, qui mala perferendo gloriæ coronam percipiunt. [*S. Laur. Juſtin. de int. conſ. c. 2.*]

VI. Sicut oculus cæcutiens, etiam clariſſimo meridie tenebras intuetur, atque alia pro aliis objectis aſpicit; ſanus autem etiam veſpere poterit corpus ſine offenſione manuducere; ita ſi oculus mentis ſanus fuerit, non niſi materiam tenebris triſtitiæ, & perturbationis obnoxiam videbit. [*Chr. or. 2. de prov.*]

VII. Sicut ſi pinguis capo aut anſer aſſandus veru affigitur, non opus eſt multa pinguedine, ſed ſuo ſe ſucco illi perfundunt; aridus autem & exuccus nec affuſa pinguedine bonus & ſapidus efficitur; ita qui in ſagina ſpiritus fuerint, ſuo ſe ſucco perficiunt, & colorant in adverſis; ſecus vero ii, quibus pinguedo devotionis & Spiritus interni deeſt. [*Drex. in Gymn. patient. p. 3. c. 4. §. 4.*]

VIII. Sicut qui pilulas deglutire volunt, eas cruſtula, vulgo hoſtia involvunt, ut amaritiem minus ſentiant; ita quivis tribulatus adverſitates ſuas exemplo Chriſti, qui pro nobis hoſtia factus eſt, propoſito levius ferret. [*Ibid.*]

IX.

Idem. IX. Sicut equi, quando ſunt timidi, ſubditis calcaribus ad ea loca, quæ fugiunt, accedenda impelluntur, ut ſic videant nihil periculi ſubeſſe, & timere deſinant; ita quivis homo in mentem ſuam, ſi cruciatus & contemptus horreat, per meditationem, ei oſtendere debet, nihil in illis mali, ſed potius plurimum boni ineſſe.

Idem. X. Sicut ſitis corporalis tribus potiſſimum temporibus ſentitur, nempe quando valde laboravimus, aut ſanguinem multum fudimus, aut gravem æſtum paſſi ſumus; ita ſpiritualem ſitim ſeu deſiderium patiendi illi maxime concipiunt, qui vel multum in vinea Domini laborarunt, vel multum paſſi ſunt, vel per orationem ad ſolem Juſtitiæ, & ignem Divinæ charitatis appropinquantes, gravem Divini amoris æſtum conceperunt.

S. Aug. in Pſ. 66. XI. Sicut quadratus lapis, quacumque verteris, ſtat immobilis; ita animum Chriſtiani, omnes adverſus caſus, ſtantem inveniat, oportet.

S. Chryſ. epiſt. 207. XII. Sicut rupes, quo pluribus fluctibus verberatur, ipſa quidem clarior efficitur, ac ne tantillum quidem emovetur; aquarum autem, quæ illi alliduntur, tumorem nullo negotio diſſipat, ac delet, non jam percutiens eas, ſed ab illis percuſſa: eodem ſcilicet modo is quoque, qui patientia exploratus eſt, inſidias omnes ſuperat, quodque mirandum eſt, plus roboris hinc colligit, non inferendis, ſed perpetiendis malis, eos qui inferunt, mira facilitate frangens ac diſſolvens.

Bellov. ſpec. mor. l. 1. diſt. 88. XIII. Sicut latrones libenter invadunt loca, in quibus ſciunt eſſe theſaurum, & cum arcam fregerint, theſaurum rapiunt; ſic dæmones libentius, & vehementius impugnant viros juſtos, habentes theſaurum, id eſt, copiam meritorum, & cum cor fregerint per impatientiam, totus theſaurus virtutum, & meritorum amittitur, quia cor fatui quaſi vas confractum: Bene ſervantur viri juſti per patientiam, quia ſicut dicitur 1. Petri 4. *Qui patiuntur ſecundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendant animas ſuas.*

S. Anſel. ap. Manſ. diſ. 20. n. 2. XIV. Sicut luminaria cæli non curant, quomodo exerceant dies, & noctes, quamvis tanta mala videant fieri ſuper terram, & ſicut luminaria patienter ferunt, quicquid de eis homines fingunt; ita juſti debent patienter ferre omnes, etiam falſas de ſe criminationes; nam qui perdiderit tolerantiam, non eſt quaſi luminare clarum deſuper, ſed obſcuratus eſt, & de cælo cadit: Lucetis, inquit, ſicut luminaria in Mundo.

Neceſſitas.

S. Bern. ib. diſ. 1. n. 1. XV. Sicut Gubernator in fine navis exiſtens undique conſiderat pericula, ne incidat in ea, ne impingat in ſaxum, vel terram, vel ſabulum, declinando vitat ventum contrarium; ſic homo patiens debet undique eſſe circumſpectus, pericula declinando, ne navis animæ frangatur per impatientiam. Patientia eſt quaſi anchora mentis, firmans eam, & tenens immobilem in tempeſtate adverſitatis. Patientia ſimilis eſt cuidam piſci; qui dicitur Echinus, de quo legitur in hiſtoria traſmarina, quod ſi adhæſerit navi, reddit eam immobilem.

S. Zeno ſer. de patient. XVI. Sicut cera ut plurimum, niſi recaleſcat, aut præmolliatur, non facile in ſe recipit ſigilli impreſſionem; ita & homo, niſi laborum, & multifariæ infirmitatis probetur exercitio, neutiquam ſinet inſigniri ſe ſignaculo divinæ gratiæ. Ob quod Paulo reſpondit Dominus: *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.*

Manſ. diſ. 20. n. 3. XVII. Sicut granum, priuſquam granario inſeratur, in area flagellis percutitur, in aera ſublevatur, purgatur, & cribratur; ita quoque priuſquam inſtar grani in cælum deferamur, (*triticum autem congregate in borreum meum*) tolerata in adverſis patientia præcedere debet.

S. Aug. in Pſ. 11. XVIII. Sicut omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem ſuum; ita in quovis hominum ſtatu ſunt tribulationes, amori proprio diſplicentes, adeoque ſemper patientia eſt neceſſaria. Etiam unicus, qui fuit ſine peccato, non tamen fuit ſine flagello.

S. Greg. in Pſ. 1. pæn. XIX. Sicut nemo meſſem ſperare poteſt, qui prius terram aratro non proſcidit; ita retributionis æternæ gaudium nequaquam in cælo colligitur, niſi prius in terra cum fletu, & gemitu, & amaritudine ſeminetur, ſicut ſcriptum eſt: Euntes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.

L. 3. revel. S. Birgitt. c. 16. XX. Sicut vinum numquam ſervatur in bonitate ſua, niſi in fæce; ita nec boni & juſti ſtare in virtutibus, & proficere poſſunt, niſi probentur in tribulationibus, & iniquorum perſecutionibus, uti Chriſtus Sanctæ Birgittæ dixit.

S. Chryſ. hom. 30. quod nemo læditur niſi a ſeipſo. XXI. Sicut fabrica, quæ ſuper arenam fundata eſt, etiamſi flumina ventique non urgeant, ipſa tamen paulatim effluens inſtabilis arena, ædificii crepidinem ſubruit, & evertit: Adamas vero nec malleis cæſus infringitur; ita qui a ſemetipſo non læditur, ab aliis lædi non poteſt, qui vero animi ſui ignavia proditur, etiam nullo perurgente defluit, & reſolvitur.

Utilitas.

S. Chr. 66. S. in pæral. XXII. Sicut ignis auro admotus probius efficit; ita calamitas aureos animos ſubiens, puriores ac præſtantiores reddit. Hinc, ut alibi ait, quemadmodum cum in conflatoriam fornacem aurum aurifex injecerit, tamdiu illud ab igne examinari ſinit, quouſque purius viderit evaſiſſe; ita quoque Deus tamdiu hominum animas probari malis permittit, quouſque puræ fiant ac ſplendidæ, multamque ex illa exploratione utilitatem perceperint.

S. Aug. in Pſ. 21. XXIII. Sicut Matres fricant in balneo ad ſalutem filios, & licet vociferantibus non parent; ita Deus plenus charitate ideo clamantes in tribulationibus non exaudit, ut ſanet & parcat in ſempiternum.

L. 3. revel. c. 10. XXIV. Sicut optime lotrix ponens pannum inter procellas, ut ex motione aquæ fiat purior & candidior, diligenter cavet ictus unda-

darum, ac ſubmergatur pannus; ita Deus ponit in præſenti Amicos ſuoſ inter procellas paupertatis, & tribulationis, quibus ad æternam vitam purgentur, cuſtodiens eos diligenter, nec vel nimia triſtitia, vel tribulatione intolerabili demergantur, uti B. Virgo S. Birgittæ dixit.

S. Chryſ. ep. 1. XXV. Sicut arbores, quæ in umbris aluntur, majorem mollitiem contrahunt, atque ad fructuum procreationem minus commodæ redduntur; quæ autem aeris inconſtantiam experiuntur, ac ventorum impetus, ardenteſque ſolis radios excipiunt, plus roboris hinc colligunt, & foliis abundant, ac fructuum copia curvantur; ea eſt afflictionis natura, ut eos, qui eam ſtrenuo, ac placido animo ferunt, rebus acerbis ſuperiores, ac diaboli telis ſublimiores reddat, inſidiaſque aſpernari doceat.

S. Lau. Ju. de caſto con. c. 6. XXVI. Sicut ignis, quo plus agitatur, plus ſerpit; ita virtus, niſi exerceatur, langueſcit, laceſſita autem creſcit.

S. Diadoc. c. 94. XXVII. Sicut in cera, niſi multum tepefacta & mollita ſit, non poteſt ſigillum imprimi; ita animus virtutes recipere non poterit, niſi adverſitatibus, laboribus, & infirmitatibus probetur; Idcirco Dominus B. Paulo dixit: Sufficit tibi gratia mea, virtus enim in infirmitate perficitur.

L. 3. in ſin. c. 63. XXVIII. Sicut Mater habens puerulum teneriſſime ſibi dilectum, quem ſemper ſibi deſiderat adeſſe, cum puer ad contubernale, gratia colludendi vult diſcurrere, circa quælibet loca vicina larvas vel aliqua apponit horrenda; unde puer territus currat in ſinum ſuum; ſic ego deſiderans, te lateri meo numquam deeſſe, permitto, ut amici tibi in aliquo contrarientur, ut dum in nulla creatura fidelitatem reperis, eo ardentibus ad me recurras, quanto apud me omnium delectationum & fidelitatum abundantiam ſtabiliorem recognoſcas. Ita Chriſtus S. Gertrudem allocutus eſt.

S. Aug. in Pſ. 39. XXIX. Sicut uva, quamdiu preſſuram non ſentit, ſterilis manet, & nihil emanat; ita animus humanus, niſi in torculari adverſitatum poſitus, vinum præſtantium actionum, quo Deus non modice recreatur, non deſtillat.

L. 2. revel. c. 22. XXX. Sicut roſa eminus ſuaviter redolet, pulchra eſt viſu, lenis tactu, & tamen non creſcit niſi inter ſpinas, quæ ſunt aſperæ tactu, deformes viſu, nihil redolentes; ſic etiam boni & juſti homines licet lenes ſint patientia, pulchri moribus, ſuaves exemplo bono, non tamen probantur neque proficiunt, niſi inter malos, uti B. Virgo S. Birgittæ dixit.

Granat. in Duce peccat. f. 303. XXXI. Sicut, qui avem ſervare cupit, ei abſcindit alas, ne avolare poſſit; ita Deus ſæpe iis, quos prædeſtinavit, alas divitiarum, voluptatum, & honorum præſcindit, ne ab illo recedant, & ad priſtina pericula mundi revertantur.

S. Chr. h. 4. ad pop. XXXII. Sicut arbores firmas ventorum impetus irruens, & undique jactans, non evellit, ſed & ſolidiores, firmioreſque his incurſibus reddit; ſic & animam ſanctam, & hic viventem, tentationum incurſus & tribulationum non ſupplantant, atque etiam ad majorem patientiam præparant.

XXXIII. Sicut qui male agit, bona ſibi convertit in malum; ita qui bene patitur, mala ea ſibi vertit in bonum, nempe in perfereodis malis bonus evadit. *Marſil. Ficin. l. 5. ep. ad Bapt. Salvin.*

XXXIV. Sicut qui in litteris formandis tyrocinium ponit, plus proficit, dum ſolus ipſe magno labore & contentione litteras utcumque hinc inde lituris efformat, quam dum Magiſtro manum ejus ducente eleganter, & nullo propemodum ſtudio eas depingit; ita fit, dum in virtutum exercitatione, quodammodo deſtituti ſupremos conatus adhibemus. *Penr. p. 2. c. 37.*

Dignitas.

XXXV. Sicut Gubernatorem navis tempeſtas, athletam ſtadium, militem acies, magnanimum calamitas, ſic Chriſtianum hominem tentatio probat; & quemadmodum athletas certaminum labores coronis ad ſe alliciunt, ita etiam homines Chriſtianos probatio, quæ ex tentationibus deſcendit, ad perfectionem ducit, ſi modo cum decenti tolerantia, & omni gratiarum actione, quæ a Domino ordinantur, ſuſcepetimus. *S. Baſil. orat. 14.*

XXXVI. Sicut lilium eſfundit odorem acutum, qui non placet omnibus, ſed debilibus vehementem odore capitibus dolorem affert; ita boni bonitate ordinaria placent omnibus, qui vero excellunt ſanctitate, non Sanctis etſi bonis, non placent. *Vinc. Juſt. c. 25. in vit S. Lud. Bertrandi.*

XXXVII. Sicut aqua anguſtiis concluſa in altitudinem tumoris erigitur; ita ſæpe anima anguſta periculis exaltatur. *S. Clim. gr. 26.*

XXXVIII. Sicut palma inferius tactu aſpera eſt, & quaſi aridis corticibus involuta, ſuperius vero, & viſu, & fructibus pulchra; inferius corticum ſuorum involutionibus anguſtatur, ſed ſuperius amplitudine pulchræ viriditatis expanditur; ſic vita electorum deſpecta inferius, ſuperius pulchra, in imo quaſi multis corticibus involvitur dum innumeris tribulationibus anguſtatur: in ſummo vero illa quaſi pulchræ viriditatis foliis, amplitudine retributionis expanditur. *S. Greg. 19. mor. c. 26.*

XXXIX. Sicut annulus eſt ſignum deſponſationis; ſic adverſitas tam corporalis, quam ſpiritualis, veriſſimum ſignum eſt electionis divinæ, & quaſi deſponſatio animæ cum Deo, in tantum, ut gravatus quiſque veraciter, imo confidenter dicere poſſit illud: Annulo ſuo ſubarrhavit me Dominus Jeſus Chriſtus. *S. Gert. l. 3. inſin. c. 10.*

XL. Sicut ungenta, niſi commota, redolere latius neſciunt, & ſicut aromata fragrantiam ſuam non niſi, cum incenduntur, expandunt; ita viri Sancti, qui virtutibus redolent, in tribulatione innoteſcunt. *S. Greg. præfat. in mor. c. 2.*

XLI. Sicut non laudatur Gubernator, qui nullas procellas expertus eſt, ſed qui adverſus ventos renititur, inſurgit adverſus fluctus, non timet, vel cum elevatur undis navigium, vel cum ad profundi ima deprimitur; ita, & ille laudandus eſt gubernator ſui, qui ea, quæ adverſa ſunt, vincit ſapientia, virtute ſu- *S. Ambr. ſ. 8.*

Digitized by Google

ſuperat, ſecundis non extollitur, adverſis non frangitur. Rege ergo teipſum, quando turbatur animus, mens fluctuat.

Senec. l. de provid. XL. Sicut non eſt arbor ſolida, & fortis, niſi in quam frequens ventus incurſat, ipſa enim vexatione conſtringitur, & radices certius figit: fragiles ſunt, quæ in aprica valle creverunt; ſic ad ferenda adverſa fragiles ſunt, qui non fuerunt exercitati uſu malorum.

Plut. l. 1. de tranq. XLIII. Sicut apibus mel præbet thymus, acerrima, & aridiſſima herba; ita homines cordati e rebus adverſiſſimis conveniens aliquid, & commodum decerpunt.

S. Chryſ. hom. 2. in 2. Cor. XLIV. Sicut Pancratiaſtes admirandus eſt, & illuſtris, etiam cum artem intra ſe habet: ſed cum artem, & vires exerit, cum ictus tolerat, cum ferit adverſarium, tum vero maxime eſt clarus, & illuſtris; ſic veſtra ſalus tum maxime exeritur, augeſcit, cum tolerat, cum patitur, cum fortiter omnia ſuſtinet.

Jucunditas.

l. 4. in fin. c. 11. XLV. Sicut delicatæ fœminæ magis delectantur penes ſe habere olfactoriola delectabilia, quam alia xenia, quod in eorum fragrantia delectentur; ſic ego (dixit Chriſtus S. Birgittæ) valde delector in cordibus eorum, qui gravamina ſua cum humilitate, patientia, ex gratitudine fiducialiter committunt meæ propriæ pietati, quæ diligentibus ſe univerſa commutat in bonum.

Nier. l. 1. de ador. XLVI. Sicut amicus dum manus ejus ab amico in ſignum amoris arctius ſtringitur, jucundum ſibi potius, quam moleſtum, quem preſſio talis generat, dolorem eſſe fatetur; ita & tribulatio quævis lætitiam potius, quam mœſtitiam parit, ſi a Deo in ſignum ſui erga nos amoris immiſſa credatur.

Nier. l. c. XLVII. Sicut is, qui ad mortem crudelem damnatus eſſet, gauderet, ſi tale ſupplicium in unicum colaphum mutatum audiret; ita merito gaudere debet qui tribulatur, ſi meminerit, æternam pœnam ſibi in temporalem fuiſſe commutatam.

Anonym. XLVIII. Sicut ſi Princeps cuipiam crucem ligneam, ſed auro repletam oſtenderet, eamque donare ſe diceret, ſi in domum ſuam aſportaret, omnis labor in ea ferenda ſubeundus, utique jucundus potius, quam ingratus accideret; ita pari lætitia, & alacritate crucem ſpiritualem ſuſcipere debemus, utpote quam ſcimus auro nobiliſſimo cæleſtium meritorum plenam, nobiſque promiſſam, ſi eam in domum noſtram, id eſt, cæleſtem Patriam feramus.

Æquitas.

Anonym. XLIX. Sicut æquum eſt, ut, qui aliquot millia florenorum debet, libenter centum offerat, ſi hos pro toto debito acceptare velit creditor; ita non minus æquum, ut in hac vita libenter per patientiam temporalium, & tranſeuntium adverſitatum ſolvamus, quod in altera vita per æternarum pœnarum tolerantiam fuiſſet perſolvendum.

Nieremb. in l. de ador. L. Sicut ſi quis molem gravem, aut cancrum in pectore ſerpentem, graviterque affligentem ſine opera, & ſenſu in ſomno abſtuliſſet, utique magnum beneficium reputares, æquoque animo ſuſtineres; ita etiam ſi creaturas quaſcomque Deus auferat, gaudere potius, quam triſtari oportet.

Caſp. Taſch. in Martyrol. LI. Sicut ſi quis ob Martyrium conſequendum detineretur carcere, & per hoc impediretur a juvando proximo, non multum angeretur, ſed facile divinæ voluntati ſe reſignaret; & ita ſollicitus eſſe non debet, qui per morbum a conſuetis officiis impeditur, cum ab eadem Dei voluntate, a qua tormenta permittuntur, morbus etiam infligatur.

Anonym. LII. Sicut Urinatores propoſito præmio totos ſe in mare projiciunt, idque magna cum celeritate, & alacritate; ita & quivis homo conſiderans præmium a Deo propoſitum, magno cum gaudio in mare tribulationis conjicere ſe debet.

Menſ. l. 18. n. 5. LIII. Sicut viator ſecum portans quamdam litteram cambialem in pera ſua, virtute cujus v. g. Antuerpiæ triginta ſcutorum millia recepturus eſt, tametſi innumeris cum periculis, moleſtiis, ſudoribus, & anxietatibus, iter illud prolixum laborioſum Roma Antuerpiam uſque conficiat, propter certitudinem tamen, qua ſe Antuerpiæ divitem futurum eſſe novit, itineris moleſtiam æquanimiter ſuſtinet; eodem prorſus modo omnes nos, qui viatores ſumus, & ad cæleſtem patriam peregrinamur, omnes miſeræ hujus vitæ labores, & anguſtias libenter ſuſtinere debemus, confortati ſpe viva æternæ retributionis.

§. IX. MOTIVA.

Neceſſitas.

Act. 14. v. 21. I. QUia ſic requirit *ſtatus Chriſtiani*, juxta illud S. Lucæ: Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.

L. 3. de pro Grad. 8. II. *Status peccatoris*: Peccata enim a nobis ſeparant Deum, cruciatus vero illum nobis reconciliat, præparatque, proprium ac propinquum. Hinc S. Gertrudi revelavit Chriſtus: Quo univerſalior, & gravior eſt paſſio, eo puriorem clarificationem animæ præſtat. Et ſpecialius afflictio, vel exercitatio cordis in humilitate, patientia, & ſimilibus, tanto magis animæ candorem conferunt; quanto eam vicinius, efficacius, & proprius tangunt.

l. 2. in fin. c. 14. Vit. ejusd. III. *Status Religionis*: Quia, ut bene advertit P. Baltaſſar Alvarez, Religio eſt Scola mortificationis, & ad eam venimus, ut ſcientiam diſcamus faciendi Crucifixos: vel, *S. Thom. in opuſc.* ut S. Thomas dicebat, eſt, & ſtatus pœnitentiæ: vel, ut Climacus aſſerebat, perpetua naturæ violentia. *Clim. grad. 1.* Hinc memorato P. Baltaſſari Alvarez Chriſtus ipſe quondam dicebat: Si Religioni hujuſmodi fel deeſſet: quid tibi mei cauſa præferendum ſupereſſet? & tunc mihi occurrebat, inquit idem P. Baltaſſar, quod ſi *Vit. c. 40.* ego eſſem, qualis deberem, debuiſſem potius ſimiles fellis hauſtus, imo etiam amariores optare,

re, & ſi hujuſmodi difficilia, & ingrata vitæ juſti deeſſent, idem eſſet, atque ſi coronæ Chriſti ſpinæ deeſſent, aut auri cuſpides veſti pretioſæ.

IV. *Status Vitæ humanæ*: Qui nihil aliud eſt, quam militia ſuper terram, & lucta cum dæmone: quem quidem teſte S. Laurentio Juſtiniano nihil æque conſundit, quam ſi in carne paſſibili hominem intuetur inter tot Mundi diſcrimina Conditoris obedientiam cuſtodire, quam in cælo poſitus ſervare ipſe neglexit. Implacabili etiam livore tabeſcit, quoties illuc aſcendere homines conſpicit, unde turpiter ipſe ſuperbiendo deſcendit. Juſtorum igitur profectibus invidens, eorum aſcenſus ad gloriam impedire conatur. Hinc recte pius Aſceta, fili, ait, inter hoſtes verſaris, & a dextris, & a ſiniſtris impugnaris; ſi ergo non uteris undique ſcuto patientiæ, non eris diu ſine vulnere.

Utilitas.

[*Hom. 6. ad pop.*] V. *Ad vitia curanda*: nam, ut recte S. Chryſoſtomus advertit, peccatum eſt veluti ſanies, pœna vero vel tribulatio eſt ſicut ferramentum medici. Hinc recte S. Auguſt. [*In Pſ. 33.*] Intelligat, inquit, homo, medioum eſſe Deum, & tribulationem medicamentum eſſe ad ſalutem, non pœnam ad damnationem; ſub medicamento poſitus, ureris, ſecaris, clamas; non audit medicus ad voluntatem, ſed audit ad ſanitatem. Et ideo viri Sancti, teſte S. Gregorio, mentis ſuæ corruptionis vulnus ſine putredine non eſſe conſiderant, libenter ſe ſub manu medici ad ſectiones parant.

VI. *Ad Purgatorium evitandum*? idcirco [*In praef. ad ſuos tract.*] enim, ut ait S. Gaudentius Epiſcopus Brixiæ pudice converſantem Dominus nunc tribulationum, & ægritudinum flagello caſtigat, ne in illo ſordium aliquid futurus ignis inveniat: ſed ut per exiguas plagas breviſſimi temporis, ab omnibus purgatus maculis ſecurior ad æternam migrare requiem mereatur. Patiens itaque, [*L. de pat. c. 2.*] ut bene advertit S. Laurentius Juſtin. ſapienter agit, ut debita ſua ſolvat. Nihil enim de ſuo in ſolvendo expendit, ſed facit, ut hoſtes ſui pro ſe ſolvant. Illatis enim ab iis injuriis ditatur abunde, ſicqoe fit, ut contumeliis magis gratia, quam ira debeatur, cum earum interventu, Deo Judice, & pœna gravior declinari poſſe confidatur, & ingentes theſauri in conſcientia per patientiam recondantur. Patientia hominem Martyrem facit. [*Baron. to. 4. Ann. ep. Arrian. p. 3. nr. 9. c. 7.*] Hinc S. Eudoſius (quem alii S. Baſilium fuiſſe credunt) veluti exultans ex morbo exclamabat: Gratias ago tibi, o Conditor hominum tuorum, quod nos etiam invitos recte affligis, & per externum hominem internum purgas, per adverſa ad beatum nos finem perducis: Et B. Baptiſtæ Veranæ Ordinis S. [*Chron. ſ. Franc. p. 2. l. 9. c. 24.*] Franciſci Chriſtus dixit: Cognoſce, te magis obligatam eſſe illi, qui tibi malum fecit, quam ei qui bonum; illæ enim perſonæ ſunt, quæ purgant animam tuam, & pulchram faciunt, gratioſam, acceptam in conſpectu meo.

[*In Pſ. 23.*] VII. *Ad virtutes adquirendas, & augendas*; nam, teſte S. Auguſtino, ignis non eſt diverſus, at diverſa agit: paleam in cinerem vertit, auro fœces tollit. In quibus autem habitat Deus, utique in tribulatione meliores fiunt, tamqnam aurum probat: Hinc S. Jacobus, [*Jac. 1. v. 2.*] omne gaudium ait, exiſtimate Fratres mei cum in tentationes varias incideritis, ſcientes, quod probatio fidei patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet. Non enim poſſunt virtutes eſſe virtutes, niſi rerum diſciplinam, converſionemque quaſi quædam ſollicita mater patientia cuſtodiret, teſte S. Zenone Veronenſi. Ad virtutis quippe perfectionem [*Zeno ſ. de pat.*] via tentatio eſt, ut S. Laurent. Juſtinianus recte dixit, quæ non ſolum hominem perficit, ſed etiam divinæ Providentiæ theſauros pateſacit. [*S. Laur. de caſt. connub. c. 6.*]

VIII. *Ad ſalutem aſſecurandam*: neque enim, ut recte Bloſius dixit, ullum certius ſignum electionis divinæ habetur, quam ſi quis [*Bloſius inſtit. Spirit. c. 8.*] tribulationem humiliter patienterque propter Dei amorem ſuſtineat: illa enim eſt pretioſus annulus, quo Deus animam ſibi deſponſat; Hinc S. Chryſoſtomus, ſi flagellat, inquit, [*S. Chryſ. hom. 29. in ep. Heb.*] omnem filium, quem recipit; qui non flagellatur, ſine dubio non eſt in numero filiorum. Ideo Deus minatur populo ſuo: dimittam vineam meam, & non putabitur, neo fodietur. Ut adeo non immerito Sanctus Ambroſius dixerit: [*Iſa. 5. v. 6.*] Fortaſſe cum perſecutionem non patimur, tamquam condemnati habemur.

IX. *Ad juſtam, & honeſtam vindictam de lædente capiendam*: [*S. Iſid. l. 1. epiſt. 339.*] id quod breviter, & nervoſe S. Iſidorus Peluſiota ſequentibus verbis indicavit: Eos, qui acceptas injurias philoſophico ac patienti animo ferre minime volunt, hæc duo ad patientiam hortari debent. Alterum, quod eos, qui contumeliam inferunt, nihil æqoe diſcruciat, nt eorum, qui contumelia afficiuntur, patientia. Alterum, quod nulla ratione ipſos æque ulciſci queamus, quam virtutem colendo. Quod ſi minus fidei habendum putas, quidnam de hac re Veterum quidam pronuntiarit, audi. Rogatus enim a quodam qua ratione hoſtem ulciſceretur? reſpondit: Si ipſe probum atque honeſtum virum te præbueris.

Dignitas.

X. Quia *Martyribus ſimiles* facit: nam, ut S. [*Ep. 1. ad Jac.*] Petrus, teſte S. Clemente, dixit, triplex eſt homicidium, cædis, odii, detractionis. Hinc de S. Martino canit Eccleſia: O Sanctiſſima anima, quam, etſi gladius perſecutionis non abſtulit, palmam tamen Martyril non amiſit. Sed & S. Chryſoſtomus, S. Job infinitis Martyribus [*Hom. 39. ad pop. & ho. 33. in Matt.*] comparandum eſſe, & multiplici ac gratiore Martyrio per uxorem, & amicos ejus vitam carpentes, quam fuerint multi Martyres cruenti. Quia alia mala tolerantem multorum [*Hom. 33. ad popul.*] præconia conſolantur, in maledictionibus vero etiam conſolatio ſubdncitur: Sed, & alibi ait: Credite, mihi, pejora ſunt, quæ nunc patimur his, quæ Paulus paſſus eſt, Eum illi lapidibus cædebant, ſed nunc accidit, ut verbis, lapide durioribus feriamur. Vere ergo S. Climacus concludit: Beatus, qui pro-

Google

propter Deum quotidie maledictis, & conviтiis laceſſitus ſibi vim fecerit: hic enim Martyribus tripudiantibus Angelis parem confidentiam, & gloriam merebitur.

Lib. 10. mor. c. 26. XI. Quia *Deo magis appropinquare facit*: nam, ut bene notavit Gregorius, afflictionibus fit Deo tanto proximus, quanto eſt a gratia favoris humani alienus, qui, dum compunctus ſeſe in precibus accingit, inde intra ſe ſupernæ exauditioni jungitur, unde extra ſe ab humana laude ſeparatur.

De pat. c. 2. XII. Quia *Chriſto aſſimilat*; uti Sanctus Laurentius Juſtinianus teſtatur, dicens: Aſſimilatur Chriſto patiens, quod eſt glorioſiſſimum. Sicut enim glorioſum militi eſt deferre arma Regis, ſic eſt Chriſtiano, portare ſtigmata Chriſti. Quanta eſt gloria Sponſæ, aſſimilari *Vit. c. 20.* ſponſo? nihil glorioſius reputat, quam Chriſti portare opprobrium. Hinc ut B. Angela de Fulginio dixit, quod Deus Pater dilexit, & elegit, & dedit ſuo chariſſimo unigenito, hoc unigenitus diligit, & infigit, & dat chariſſimis filiis ſuis. Elegit autem Deus Pater ſuo Filio paupertatem, deſpectum, dolorem, perſecutiones, afflictiones exterius, & interius tædium, pavorem, timorem, anguſtiam, agoniam, quæ ſuſtinuit Dei Filius innumerabilia. Studeamus ergo ſuſtinere tribulationes temporales cum patientia, & gaudio. Id quod D. *Dreu. in Reſ. p. 2. c. 3. §. 3.* Bonaventura obſervavit, dicens: Nolo eſſe ſine vulnere, o bone Jeſu, cum te ſic vulneratum videam. Non convenit, Domine, ut ego gregarius miles cuticula non ſaucia, & & bene curata triumphem, tu vero Dux in oculis meis pene unum, ſed grande ac lacrymabile vulnus pendeas, & expires.

Hom. 20. in Matt. XIII. Quia *Deo ſimiles facit*: nam, teſte S. Chryſoſtomo, nihil eſt, quod ſic ſimiles Deo faciat, ut malignis atque lædentibus eſſe placabilem.

Jucunditas.

4. p. Chro. S. Franc. l. 7. c. 2. & 4. XIV. Quia eſt *ſignum amori divini erga nos*: ut Chriſtus ipſe quondam B. Baptiſtæ Veranæ dixit; Recordare, magis me tibi oſtendiſſe ſignum amoris, dum te afflixi, quam dum te tenerem arcte in dulciſſimis brachiis. Cui autem jucundum non accidat in brachiis Chriſti, & multo magis in pectore per amorem quieſcere?

Dial. c. 5. XV. Quia eſt *exercitium potiſſimum noſtri ergo Deum amoris*: nam, ut ipſe Deus olim S. Catharinæ Senenſi dixit, quanto ſuſtinetur amplius, tanto magis dilectionis meæ ſignum oſtenditur. Nihil autem tam præclarum ad *S. Chr. h. 74. ad popul.* gloriæ rationem, & fiduciæ, teſte Sancto Chryſoſtomo, quam a Deo diligi, & ipſum diligentem tamquam Deum diligere.

S. Chr. h. 47. ad popul. XVI. Quia *inſenſibiles ac beatitudinis ſuo modo participes etiam in hac vita facit*: nam qui patientes ſunt, & mites, & contumeliis affecti ac percuſſi, æquo animo ferunt, & taliter facientibus benedicunt, cæleſtibus ſunt virtutibus ſimiles, multam habentibus impaſſibilitatem.

L. 3. in. An. c. 4. XVII. Quia *Deo ſummum guſtum, & voluptatem creat*, atque adeo, & nobis, quibus, ſi Deum ſincere amamus, potior, & jucundior debet eſſe Dei, quam proprius guſtus, ita enim S. Gertrudi revelavit dicens: Hæc, pro qua tu oras, eſt mihi lilium electum, quod manibus meis portare affecto, ſuprema namque mihi eſt voluptas, delicioſaque, in anima hujuſmodi caſta ac pura morari. Ipſa roſa denique eſt mea ſuavitate olens; patientia namque illius, & in cunctis adverſis gratiarum actio ſuaviſſimum mihi inferunt odorem. Alia vice eidem dixit: Ille mihi offert ſimplicem nummum aureum ſine gemma, qui ſine adverſitate eſt, & tamen de voluntate divina in omnibus operibus ſuis Deo intendit; Sed ille, qui in ſingulis operibus ſuis preſſus adverſitate, & tamen de divina voluntate non diſcordat, & ille offert Deo aureum nummum cum probatiſſima gemma. *L. 3. c. 30.*

Æquitas.

XVIII. Quia tribulatio, qualiſcumque illa ſit, *peccatis noſtris* tamquam juſtiſſima *pœna* debetur; nam, ut recte dixit S. Thereſia, ſi omnia bene, & accurate expendantur, numquam ſine omni prorſus culpa, & plane immerito accuſamur. Semper quippe culpis ſcatemus, & mentiremur haud dubiæ, ſi nullum nos habere peccatum diceremus. Unde omnes cum tribus Pueris Babylonicis dicere poſſumus & debemus: in veritate & judicio induxiſti omnia hæc propter peccata noſtra. *Trin. perf. c. 24.* *Dan. 3. v. 28.*

XIX. Quia tribulatio velut *Medicina* a Medico peritiſſimo Deo ſubmiſſa eſt; ſi ergo corporum Medicinam exercentem, inquit Simplicius, urentem, membra reſecantem, & plane ſævos carnifices imitantem, malum non dicimus, ſed bonum: ſi medicis cum gratiam habemus, tum mercedem numeramus, cur in medicina Dei non acquieſcimus? *Simplicius ad c. 33. Epiſt.*

XX. Quia Deus noſter, ut ait P. Baltaſſar Alvarez, qui non vis puniri in idipſum: cum ſemel id facit, *expurgat deſolatione temporali*, quod fuiſſet æterno igne puniendum, & abluit aqua roſacea, quod fuiſſet ſanguine crudelibus cruciatibus affundendo purgandum. *Vit. c. 33*

XXI. Quia *pro Dei conſilio*, teſte S. Gregorio, agitur, ubi hujus peregrinationis Electorum vita turbetur. Via eſt vita præſens, qua ad Patriam tendimus; & idcirco hic occulto judicio, frequenti perturbatione conterimus, ne viam pro Patria diligamus. Nam, ut bene S. Auguſtinus diſcurrit, ſi, dum amarus eſt mundus, diligitur; putas, ſi dulcis eſſet, qualiter amaretur. *S. Greg. l. 21. mor. c. 21.* *S. Aug. ſ. 3. de temp.*

XXII. Quia pro certo tenendum eſt, ut ait S. Baſilius, & confitendum etiam, dilationem cujuſcumque boni, atque adeo ipſam etiam eorum, quæ Chriſti cauſa patimur, incommodorum tolerantiam, *a Deo nobis proficiſci*. Unde recte concludit S. Auguſtinus: Si Deum diligis, quod facit Deus, diligis. Et ſi quod facit Deus diligis, diſciplinam Dei flagellantem te diligis. O quam jucundo pectore, quam læto corde viſitationem divinam debes præoptare! Si ſanitatem infirmis optabilem tibi conceſſiſſet Deus, nonne cum omni gaudio illud donum Dei ſuſciperes? certe majori exultatione, & affectuoſiori voluntate, cum gratiarum *S. Baſil. in mor. reg. 12. c. 1.* *S. Aug. ſ. de viſit. infir.*

Digitized by Google

etiam actione, hanc Dei animadverſionem debes tibi unicam habere, quia & hoc utiliſſimum Dei donum eſt. Certe talis Juſtorum mos eſt, teſte S. Joanne Chryſoſt., ut, quando aliquid propter Deum ferunt, non res ipſas, quæ ſiunt, ſpectent: ſed cauſam ſecum expendentes, facile omnia ferunt. Amor quippe Dei gravitatem moleſtiarum imminuit, neque ſentiri ſinit, dum nos invaſerint.

S. Chryſ. h. 25. in Gen.

§. X. ALIA MOTIVA.

S. Bon. l. 2 de perf. Rel. c. 36.

I. Quia per patientiam rependimus paſſionem Chriſti, ut S. Bonav. indicavit dicens: Patientia ſingularis eſt retributrix Paſſionis Chriſti: Talia enim ſtudet rependere, qualia ab eo accepit, qui dolores noſtros portavit, & hæc eſt ſingularis lætitia Sanctorum, in tribulatione patientium, & gaudentium, quod ſic occaſionem habent, & opportunitatem aliquo modo retribuendi Domino, pro illa magna charitate, qua pro nobis animam ſuam poſuit, ſaltem aliquid ſuſtinendo.

Idiota l. de cont. patient.

II. *Quia Deus plura patitur a nobis*, uti Idiota ſapienter advertit, dicens: Ideo dum tribulamur, fortitudinem & firmitatem virtutis habere debemus, quia non tanta a te toleramus, quanta a te ex nobis miſeris tolerantur; Et ideo ſine dubio levius tolerare debemus minora, quæ patimur, quando cernimus oculo puræ mentis illa, quæ tibi inferimus. Idem paulo ante dixerat: Tu es Deus, Judex juſtus, fortis & patiens, nec iraſceris per ſingulos dies. O miſericordiſſime Domine Deus meus, ſi tu patiens es erga nos miſerabiles peccatores, ſuper iniquitatibus noſtris, quanto magis patientes eſſe debemus in tribulationibus, & adverſitatibus noſtris, quas propter ſcelera, & peccata noſtra quotidie ſuſtinemus.

S. Bern. s. 1 ſ. 6. or. 1. 6. 8.

III. *Quia patientibus omnia convertuntur in bonum*: Quanti lapis ille æſtimandus foret, qui ex congenita ſibi proprietate plumbum in aurum commutare poſſet? Jam vero S. Barnardus inquit: Cum dicat Apoſtolus ad Rom. c. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: hoc eſt, quod juſti omnia adverſa per ſupportationem, & patientiam convertuntur in bonum; propterea non oramus: Libera nos a tribulatione & pœnis, ſed a malo, quia adverſitates convertuntur juſtis ad gloriam, & coronam. Cæteræ nempe virtutes utuntur hominis bonis, ſed patientia utitur ejus malis. Idem alibi poſtquam hominem in hac vita tribulationem nequaquam declinare poſſe, oſtendiſſet; mox, quæ inter hominem perfectum & impium eſt differentiam, in hæc verba conſiderat. Tribulatio patientiam operatur, ſcilicet in ſapiente, qui per tribulationem lucratur talem virtutem, ſed ſtultus in tribulationibus neſciens eſſe patiens, anguſtias & flagella portat, & nullum lucrum inde ſcit habere. Ad hoc nempe pertinet exemplum de duobus, qui ſub pœna mille ducatorum, vel mortis in carcerem miſſi erant, quibus a devoto viro duræ burſæ, cum totidem florenis, projectæ ſunt per feneſtram, quibus carcerati percuſſi ſunt, quorum unus ægre ferens percuſſionem burſæ, ipſa extra feneſtram projecit, alter vero ſuam pro evadenda morte dedit debitoribus ſuis. Spiritualiter nos omnes ſumus debitores non carni, ſed divinæ juſtitiæ pro peccatis; Deus autem nobis projicit burſam patientiæ cum flagello, quam qui ejicit, meritum perdit, & tamen pœnam flagelli non evadit; imo ſibi tanto gravior ſit, quanto minus voluntarie flagella ſuſceperit. Hoc autem eſt ſciendum de divina miſericordia, quod tribulationes ultra vires non permittit, ſed, ut inquit Apoſtolus: *Fidelis eſt Deus, qui non patitur vos tentari ſupra id quod poteſtis: ſed facit etiam cum tentatione proventum.*

S. Iſidor. Peluſ. l. 2. ep. 68.

IV. *Quia per patientiam tribulationes levius tolerantur*; uti præclare oſtendit Iſidorus Peluſiota dicens: Conſidera, ſi quis illatam ſibi injuriam ulciſci velit, quaſnam acerbitates perferat. Primo furore perfunditur; deinde ab ira interrumpitur; primo enim ebullit affectus, deinde ad vindictæ cupiditatem exiſtimulatur; Tertio infinitos fluctus excitat. Quarto mille cogitationum vias ingreditur. Quinto metus ſubit, ac tremor, animique angor, iracundia nimirum eum interrumpente, ac metu concutiente, dum illud ſecum agitat, quonam pacto, quod cupit, aſſequatur, acceptamque injuriam vindicet. An non videtur tibi hujuſmodi homo, ante eum, qui pœnas daturus eſt, ipſemet pœnas dare? At qui patientiam adhibet, ab his omnibus rebus exemptus eſt. Ac ſane merito, nam hoc in ipſius arbitrio ſitum eſt, atque ipſe totum abſolvit. Ille autem alter, non item. Verum & temporis commoditate opus eſt, & loco, & fraude, & verſuta improbitate, & armis, & machinis, & adulatione, & ſervitute, & hypocriſi. Videſne, quemadmodum difficilis res ſit, vitium; facilis autem virtus? Atque illud quidem tumultibus ſcateat, hæc autem ab omnibus perturbationibus remota ſit. Qui ulciſcendæ injuriæ ſtudet, infinitam inimicitiam reddit; qui autem patientia utitur, eam quam ocyſſime opprimit, & extinguit; Unde importunum etiam ac ſævum hominem mitigat, atque ad amicitiam allicit. S. Bernardus inquit: Quomodo natus ſibi videtur homo, ſi labores fugitat & dolores: aut quomodo ſcit, ſe eſſe hominem, qui ad id paratus non eſt, ad quod natus? Homo, inquit, natus ad laborem. Cum igitur homini neceſſario patiendum ſit, numquid melius faciet, ſi cum merito patiatur, quam ex deſperatione? Hoc enim faciens ex neceſſitate facit virtutem. Confirmat hoc ipſum Bellovac. inquiens: Infirmus neceſſe habet corporaliter ſuſtinere dolores; velit, nolit; quos ſi non patienter ſuſtinet, gravatur dolor, quia cum afflictione corporis eſt etiam deſolatio cordis, & ſuæ facit animæ detrimentum; ſi autem haberet patientiam levius ſuſtineret, & citius & facilius curaretur; & infirmitas ſibi fieret in meritum, & ſalutem, & ſic in his quæ patimur, faciamus de neceſſitate virtutem, ut quæ nobis eſſent damnationis, occaſio ſiant nobis & materia exercendæ virtutis, & acquirendæ ſalutis.

Fullon. in bona vol. p. 3. ſ. 8. 9. n. 4.

V. *Quia ſine patientia graviores efficiuntur tribulatione*, uti recte advertit Fullonius, dicens: Non modo non exeunt malis ſuis, qui obluctantur, ſed ea per ipſam obluctationem au-

augent: & impatientiam, quæ triſtitiæ genus eſt, cordique dolorem imprimit, aliis doloribus ſuperadiciunt. Febricitans, quantumlibet ſeſe in iecto convolvat, ſebrim non excutiet, imo agitatione magis accendet. Latro a ſatellitibus comprehenſus, ſi obſiſtit, manicas præterea patietur, & pedibus pulſabitur, & nodoſos ſtipites ſentiet. Laqueos inquit Seneca Lib. de cooſol. ad Helviam, fera, dum jactat, attingit. Aves viſcum dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt. Nullum tam arctum jugum eſt, quod non minus lædat ducentem, quam repugnantem. Ajunt medici, cum venenum ab animali epotum eſt, cor quod illo maxime petitur, intumeſcere, agitari, poros calore diſtendere, ut ſe defendat, & ea ipſa defenſione venenum citius ad ſe trahere, atque intra ſuſcipere. Ita impatientes nimia adverſus dolores repugnantia, & commotione, pius doloris concipiunt, aditumque illi ad cordis intima aperiunt. Narrant, Ageſilao Spartanorum Regi, arthritide vexato, Carneadem Philoſophum affuiſſe: &, ne moleſtus eſſet, ſermonem abrumpere, & abire voluiſſe: At illum oſtenſis manibus, ac pedibus primum, dein cordis ſede, dixiſſe malum illic eſſe, huc autem oondum peoetraſſe; itaque aſſideret, & confabularetur. Longe aliter cum impatientibus agitur, quibus majus malum a mali odio, quam ab ipſo malo eſt; & qui optime dicere de ſe poſſint, quod alia ſententia Tobias: *Quale mibi gaudium erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video?* quid lætitiæ illis erit, qui Dei providentiam per calamitates ad æternam ducentem non aſpiciunt!

Id. n. 1. VI. *Quia jactura præmii per patientiam obtinendi, eſt inæſtimabilis*; ita idem inſinuat his verbis: Creſcit inſortunium ex eo, quod ingentem theſaurum meritorum impatientia ſua miſere prodigi perdant. Quantum miles inter vulnera, aulicus inter dignitates quotidianas, ancillæ & ſervi inter dura imperia, artifices in laboribus, quilibet hominum in ſuis calamitatibus, lucri cum Deo facere potuerant, ſi toleranter ferre incommodo ingruentia voluiſſet! Sed heu! viri divitiarum dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt in manibus ſuis. Struthio, craſſum & ſtupidum animal, alas habet, ſed non ſubvolat. Habuere iſti alas, quibus in cælum evolarent: in ſabulo ac cœno hærere maluerunt. Hoc infidelibus exprobrabat Aug. l. 1. de civitate: Perdidiſtis utilitatem calamitatis & miſerrimi facti eſtis, & peſſimi permanſiſtis. Salvianus l. 7. de providentia, idem de ætatis ſuæ hominibus conquerebatur: Quid hoc mali eſt? jumenta & pecudes ſectione curantur: nos nec cauterii aduſtione, nec ferri deſectione curamur; imo, quod pejus eſt, cura ipſa deteriores ſumus.

§. XI. MEDIA.

I. PLurima a variis Aſcetis, & SS. Patribus aſſignanter, ſed quæ fere ad tria genera revocari poſſunt; Nam 1. aliqua poſitive deſponunt animum ad adverſa fortiter toleranda, ut ſunt variæ conſiderationes & illuſtrationes intellectus, quibus neceſſitas, utilitas & dignitas patientiæ cognoſcitur, & ex æquo æſtimatur. 2. Alia ſunt, quæ varia impedimenta & obſtacula patientiæ removent, qualia ſunt, quæ ſiniſtram de adverſis opinionem, aut inordinatum ad res aliquas creatas affectum tollunt. 3. Alia roborant voluntatem, ut firmius ſibi conſtet in variis adverſitatum ingruentium occaſionibus, qualia ſunt, quæ ad ſolidum virtutis fundamentum ponendum, gratiamque divinam copioſius obtioendam juvant. Quæ omnia proio nunc ſingillatim explicanda, & Sanctorum Patrum aut aliorum authoritate confirmanda ſunt.

Media diſponentia.

II. *Conſiderare Chriſti exemplum*: nam in eo, ut Tertullianus teſtatur, Deus Spiritum ſuum cum tota patientia collocavit. *Tertull. l. de patient.* Hinc ipſemet per Prophetam hortatur: O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. *Thren. 1. v. 12.* Multum profecto confert, teſte S. Chryſoſtomo, ad incitamenta virtutum, Magiſtrum luctantem aſpicere, nec cedentem. *S. Chryſ. h. 4. in 4. ad Tim. 1.* Ideo Sanctus Petrus, communicantes, ait: Chriſti paſſionibus gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes: & iterum: Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eſtis, quoniam, quod eſt honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui eſt Spiritus ejus, ſuper vos requieſcit. *Petr. 4. v. 13. & 14.* Super quæ verba S. Laurentius Juſtinianus ait: Utriuſque lætitiæ ingens eſt cauſa, & perſecutionem pati pro Chriſto & conſormari Chriſto: de perſecutione quidem merces, & de conſormitate provenit honor. *S. Laur. Juſt. faſc. am. c. 11.* Et ſubidit: Se propterea Chriſtus voluit transformare in ſingulos, ut charitatis compagine ſingulos reformaret in ſe, conformaretque ſibi. *c. 12.* Fecit ſe ſicut te, ut te faceret ſicut ſe. Quæ omnia pulchre confirmans S. Bernardus: Sponſus animæ, inquit, non putat quidquam perſuaſibilius fore ad ineundum certamen, quam ſi ſelpſum certaminis aut exemplum proponat, aut præmium. Utrumque es mihi, Domine Jeſu, & ſpeculum patiendi, & premium patientis. Utrumque fortiter provocat, & vehementer accendit. Tu doces manus meas ad prælium exemplo virtutis tuæ: tu caput meum poſt victoriam tuæ coronas præſentia majeſtatis, ſive quia pugnantem te ſpecto, ſive quia te expecto, oon ſolum coronantem, ſed & coronam: in utroque mirabiliter me tibi allicis, uterque funis violentiſſimus ad trahendum. Hinc ipſe S. Job in Spiritu elevatus hoc exemplum ſibi propoſuit dicens; Veſtigia ejus ſecutus eſt pes meus: ut qui occulte diſpoſitionis ejus ſublimia videre non poterat, quaſi in terra conſpiciens ad imitationem, ejus veſtigia teneret, ut loquitur S. Greg. c. l. *Job 23. v. 1.* Sed & ipſe Chriſtus: Cum in cruce pendulus hæſero, inquit, omnia ad me traham, hoc eſt, omnes homines ad me rapiam, ut ex receptiſſima ſententia. *Did. Nyſ. p. 1. Sabb. poſt 1. Do. quadr. §. 1.* Hugo Cardinalis id hac ſua paraphraſi exponit: Omnia traham ad me ipſum, omnia genera homioum, ſive in linguis omnibus, ſive in ætatibus omnibus, ſive in gradibus honorum omnibus, ſive in aliis omnibus. Quando avidus veoator per abrupta, perque denſa ſylva-

Digitized by Google

rum timidulum inſectando fatigat cuniculum, ſolet is, ut paratam effugiat necem, intra concava ſaxorum ſe recipere, ut venatorem, mortemque adeo effugiat, juxta illud Pſalmiſtæ Pſal. 103. 18. ex translatione LXX. Petra refugium cuniculis; atque ea ratione omnis diligentia, induſtriaque venatoris fruſtratur: Verum ubi nulla ſunt ſaxa, nulla antra, nulla ſpelæa, ibi obtinet venator, prædamque non tam difficile aſſequitur. Dicit nunc Ambroſius: Antequam Chriſtus dux noſter, & anteſignanus eſſet, videntur homines, cum ad patienter ferendum moleſta piis exhortationibus urgebantur, qualicumque titulo tergiverſari, & refutare onus potuiſſe, ac dicere: Nolo pati, Chriſto Duce ſuo ac Magiſtro nondum in carne paſſo, nullum habentes ejus exemplum, quo ad tolerandum libenter gravia permoverentur. Poterant meticuloſi illi cuniculi ad ſaxa confugere, & intra ſpecus talium excuſationum ſeſe abdere, ſed Chriſto jam paſſo, ac mortuo, petræ ſciſſæ ſunt, omnes fictæ excuſationes ſublatæ, ob quas paſſionem defugere poſſe videbantur; nec habet deinceps homo, quo ſe purget, non habet, qua evadat, quando Eccleſiæ venatores, prædicatores dico, illum inſequuntur, hortantur, obſtringunt, ut magno & æquo animo adverſa omnia ferat. Poſtquam enim caput, Rex & Dominus tam multa ac dura paſſus eſt, quid excuſationis obtendere poſſunt membra, ſubditi, mancipia, ut non libenter quidvis tolerent? Circumciſionis jugum quam moleſtum, & terribile fuerit, ſcimus, de quo S. Petrus Actor. 15. 10. dixit: *Quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus?* voluit Deus hanc tam gravem legem invehere, & populo ſuo ſervandam dare, atque ob id præcepit Moyſi Duci populi ſui, ut is quemdam filium ſuum circumcideret, cui juſſioni ut obtemperaret, Sephora Uxor ejus, circumcidit præputium filii ſui. Exodi 4. 25. Quæri poteſt, cur ad introducendam hanc tam duram legem primus Moyſis filius eam ſubire debuit? Quare hoc graviſſimi mandati onus ante omnes alios excipere debuit filius Ducis? Reſpondet acute Tertull. l. adverſ. Jud. cap. 2. Idcirco filium Moyſis futuri Ducis inſtigat Angelus circumcidi, ut cum cœpiſſet per eum populo dare præceptum circumciſionis, non aſpernaretur populus, videns exemplum iſtud in filio jam Ducis celebratum. Aptiſſime dictum: Caro & ſanguis omnem vehementer defugiunt paſſionem; perdere charam, ac dulcem vitam, ut ne prodas fidem, perdurum accidit; verum ut facile reddatur, neque excuſare quiſquam a paſſionum, mortiſque lubente tolerantia ſe poſſit, Filium ſuum unigenitum Pater in cruce ſuſpendit, ut, dum creatura ſuum Creatorem, & reus innoxium tam indigna tolerare cernit, ob oculos tanti amoris invicem debiti officit, tamque eximiæ charitatis, libentiſſime, ac liberaliſſime impendant facultates, voluptates, honores, vitam, & quæ illa cumque habet. Joannes Servilius hoc prodigioſum refert, quod Ægyptii *Jo. Servil lib. de pro dig. Pyra mid.* Reges, ut erant in ſumptuoſa ædificia, & ſuperbas pyramides excitandas effuſe propenſi, quas regiorum cinerum ſuorum fatalia monumenta volebant; ita quemdam eorum, cum hac re majoribus ſuis antecellere vellet pyramidem adornare voluiſſe eo artificio, elegantia, ſublimitate, ut cæteris ſplendorem, exiſtimationemque detraheret, hominibus vero ſtuporem adferret. In tantam autem altitudinem faſtigiatam eam voluit, ut ſculptores, cælatores, fabri, & quicumque operam huc ſuam conferebant, proſequi opus non auderent, quos ut ad perficiendam rem cœptam incitaret, in culmine ædificii figi præaltam trabem, & affigi trabi filium quemdam ſuum juſſit. Moti, animatique eo ſpectaculo opifices adjecerunt pectus, manuſque ad opus, nec ſubmoverunt, donec ad culmen educerent, quamvis præſentaneo cum vitæ periculo conjunctum eſſet. Ita enim ſecum reputabant: Si Rex non pepercit filio ſuo, tantum ut tantam molem excitaret, cur nos tantam vitæ noſtræ rationem habeamus, qui ſumus ſubditi? Quod ille ſuperbus Rex a vanitate ſua incitatus fecit, hoc æternus Pater ſui infiniti amoris, & charitatis erga homines immenſæ impulſus egit. Salvatoris moles, quæ excitanda erat, tam eſt vaſta, & ſublimis, ut ad eam erigendam homo (ſi id res poſtulet) facultates, honorem, vitam, & quæcumque ſua periculo exponere, & huc vertere debeat: Quoniam vero id arduum eſt, & grave homini accidit, omnia illa a ſe abjicere, ut facile tamen iis homo renunciaret, quid fecit æternus Pater? Tulit, ut Filius ſuus in ſummo Calvariæ montis vertice celſam in crucem ageretur, ut non ſolum per illum redimeret homines (quod primum, percipuumque tunc agebatur) verum etiam tali exemplo doceret, quod ille ipſe Filius ſuus vitam, & honorem, & ſanguinem totum vertere, & convertere in uſus hominum, ſalutemque ſciret, tametſi nulla huc eum neceſſitas adduceret, uti hi etiam, cum Dominum, ac Deum ſuum tanta pericula, & incommoda adire cerneret, pro ejuſdem amore honorem, gloriam, omniaque ſua volentes, lubenteſque profunderent. Hoc eſt, quod ait Chriſtus: *Et ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum.* *Jer. c.37.* Omnia, hoc eſt, corpus & animam, inquit S. Auguſtinus, omnes ſenſus, affectus, cogitatus, voluntatem, memoriam, intellectum, vitam & cætera, quibus illa conſtat, ad me rapiam. Jeremias dicebat: *Non ſum turbatus*; ſive ut habent LXX. *non laboravi, te paſtorem ſequens*, Jerem. 17. 16. hoc eſt: cum te a tergo, O paſtor, ſequens, video illud tam crudeliter ſulcatum, & excarnificatum flagris, non modo non moleſte accipio, cum vapulo, verum etiam nihil me pati exiſtimo, nam & dolor niteſcit: & omne pus ſuum mea exemplo vulnera exſpuunt, quoties te ſine cauſa paſſum conſidero, & me atrociora magnis modis promeritum cogito. *Nyſſ. Do. infra eſt. aſcenſ. S. 2.* Admirabilem ſponſæ ſuæ venuſtatem, & formæ decentiſſimam ſpeciem cum ingenti voluptate apud ſe reputabat ſponſus, quando hæc dicebat: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica*

Digitized by Google

mica mea inter filias; Cant. a. a. S. Bernardus ait, hoc loco non ſolum commendari pulchritudinem, ſed etiam formidari pericula, itaque exclamaut: O candens lilium: O tener: O delicatule flos, increduli, & ſubverſores ſunt tecum: Vide, quomodo caute ambules inter ſpinas, plenus eſt mundus ſpinis, in terra ſunt, in aere ſunt, in carne tua ſunt ſpinæ, quæ te e proximo petunt, velut in tuam perniciem conjurarint. Sed quid egit ſponſa in medio fœderatorum, & inſenſiſſimorum tot hoſtium poſita, ut inter eas anguſtias reſpirare poſſet, neque prorſum deficeret animo? Mox ſubjunxit: *Sicut malus inter ligna ſylvarum, ſic dilectus meus inter filios*, ibid. verſ. 3. videamus quo conſilio hæc ſponſa dixerit. Sed mellifluus Bernardus id nobis aperiet, cujus ſunt iterum iſta: Hoc loco non prædicatur Magnus Dominus, & laudabilis nimis, ſed parvus Dominus, & amabilis nimis, parvus utique, qui natus eſt nobis, non majeſtas hic attollitur, ſed commendatur humilitas. Videte nunc verborum ſponſi, & ſponſæ, mutuam conſonantiam. Ut graves ſponſæ perſecutiones, quibus expoſita vexabatur, ſponſus indicaret, lactei, & molliculi lilii eam ſimilem dixit, quod præacutis ſpinis incinctum punctim, cæſimque ab eis, velut in perniciem ejus conjuratis, certatim appetatur. Unde vero inter has anguſtias ſolatium ſibi ſponſa accerſit? Id a verbis ipſius ſuperioribus accipias, quæ talia ſunt, ac ſi dixiſſet: Quid nimirum, quod ego ſim, quale lilium inter hamatas ſpinas, ſic dilectus meus ſicut malus inter arbores ſylveſtres? mihi hoc inter meas ſpinas & erumnas incredibile affert levamen, quod video ſummam Dei majeſtatem inter homines humilem, in carne mortali abbreviatam, & anguſtatam, probriſque, & ludibrio expoſitam. At ſi ſponſum meum, eumdemque Deum, ac Dominum meum ſic anguſtatum doloribus, ſic attritum cruciatibus video, parum eſt, quod ego calamitates quaſcumque meas vultu hilari, & æque animo feram.

L. 3. c. 19. §. 2.

III. *Conſiderare exempla Sanctorum*; ita Thomas Kempenſis ſuaſit: Oportet te aliorum graviora ad mentem reducere, ut levius feras tua minima. Nam mœrentium Societas gravem triſtitiæ vehementiam auferre conſuevit. Sicut enim in onere, ſi quis partem ponderis ſuſceperit, ſoli ferenti ſarcinam levavit, ſic & in omnibus aliis; ait S. Chryſoſtomus. Quod a fortiori locum habet, ſi ſocius etiam affectu condoleat, nam, teſte S. Gregorio Nazian. magnum eſt infortunato remedium miſeratio ex animo collata, ac ſincere condoleſcere, calamitatem maxime juvat. Cujus effectus duplicem rationem aſſignat S. Thomas cum Ariſtotele, nempe tum quia talis putat alios partem oneris in ſe velle ſuſcipere: tum quia per hoc advertit ſe diligi, quod eſt per ſe delectabile; unde, cum omnis delectatio mitiget triſtitiam, idem de amico condolente concedatur neceſſe eſt.

S. Chryſ. h. 67. pop.

S. Th. 1. 2. q. 38. a. 3.

S. Aug. l. de bono patient. c. 3.

IV. *Conſiderare exempla hominum malorum ponere*, uti S. Auguſtinus ſequentibus verbis monet: Pro apertis ſceleribus, non ut puniantur, ſed ut perpetrent, multa homines graviſſima perferunt: Nonne de quodam nobiliſſimo Patriæ parricida (de Catilina loquitur) ſæcularium litterarum loquuntur auctores, quod famem, ſitim, frigus ferre poterat, ejuſque erat corpus patiens inediæ, algoris, vigiliæ, ſupra quam unicuique credibile eſt? Quid de latronibus dicam, quorum omnes, cum inſidiantur viatoribus, noctes perpetiuntur inſomnes, atque ut tranſeuntes excipiant innocentes, ſub qualibet cæli aſperitate nocentem animum corpuſque defigunt? In his miranda potius quam laudanda patientia. Nihil autem illic jure laudandum; nihil utiliter imitandum. Tantoque rectius majori ſupplicio dignum judicaveris animum, quanto magis vitiis ſubdit inſtrumenta virtutum. Patientia comes eſt ſapientiæ, non famula concupiſcentiæ, patientia amica eſt bonæ conſcientiæ, non inimica innocentiæ.

Dial. c. 100.

V. *Conſiderare voluntatem Dei*, tribulationes ob altiſſimos fines mittentis; ita Chriſtus ipſe Sanctam Catharinam Senenſem docuit dicens: In injuriis tibi factis judica, quod voluntas mea ita permittit, vel ordinat ad experientiam virtutis in te pariter, & in aliis amicis meis, judicando, quod ille facit ita, velut inſtrumentum a me poſitum, & ad hoc electum. Hinc Mariæ Diaziæ olim de nimio frigore querenti dixit: Ego feci hoc frigus, & tu quereris? Hoc medio ſalubriter uſus eſt Sanctus David dicens: Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti. Sed & Sanctus Jacobus, dum diabolo verbera minitanti dixit: Si tibi eſt permiſſum a Deo univerſorum, percute, & plagam libenter accipiam, ut qui ab illo feriar. Hoc ipſum medium Chriſtus ipſe Sanctæ Catharinæ Senenſi ſuaſit dicens: Volo te noſſe, quod omnes pœnæ, quibus homines in mundo affliguntur, in voluntate conſiſtunt, quia ſi voluntas eſſet ordinata, & concors cum voluntate mea, careret quodammodo pœna. Quamvis enim, qui hac ſancta ordinataque voluntate præditus eſt, ſentiat laborem, & dolorem, quicquid tamen amore mei ſponte patitur, quaſi ſine pœna portat; libentiſſime enim illud ſuſtinet, conſiderans, & ſciens, meam eſſe voluntatem, atque permiſſionem, ut patiatur. Hoc medio S. Lupus Epiſcopus uſus eſt, de quo Cardinalis Baronius ſcribit, quod cum Attila formidabili exercitu inſtructus ad deſtructionem Trojæ in Francia accinctus eſſet, Sanctus Lupus Civitatis illius Epiſcopus pontificaliter veſtitus, toto Clero comitante obviam ei proceſſerit, eique dixerit: Tu quis es: qui tot devictos Reges, deſolatas tot Provincias tuo ſubjicis imperio? Cui ille reſpondit: Ego ſum Attila Hunnorum Rex, flagellum Dei. Moxque Dei Epiſcopus ſubjecit: Ecquis flagello Dei reſiſtet? Veni igitur, o flagellum Dei mei, utereque libere omni eo, quod is tibi eſt conceſſurus; quibus verbis Rex barbarus mitigatus, a facta reſolutione civitatem illam exterminandi, remiſit, ſanctumque Epiſcopum benigne amplectens, ejuſque ſe orationibus recomen-

Vita P. Balth. Alvar.

Theodor. hiſt. c. 35.

Blaſius in conclavi animæ c.

Baron. Anno 451. n. 40.

mendans diceſſit. Ex qua hiſtoria clare deducitur, quod dum flagella a Deo provenire agnoſcimus, eadem cum æquanimitate recipere debeamus, utpote ad majus noſtrum, majoremque Dei gloriam ordinata. Tertull. in lib. de patientia ait: Quod ſi a Domino nonnnlla credimus incuti, cui magis patientiam, quam Domino præbeamus? quin inſuper gratulari, & gaudere nos decet dignatione divinæ caſtigationis. Ego, inquit, quos diligo, caſtigo.

S. Greg. Orat. 27.

VI. *Conſiderare Dei judicium* de nobis, & innocentia noſtra: id quod ſapienter ſuaſit Sanctus Gregorius Nazianz. dicens: Si Deus nobiſcum, quis contra nos? atqui pleriſque ſecus videtur, inquies: Quid mea intereſt, qui rei veritatem magis curo, imo ſolum curo? hoc enim me condemnaverit, vel abſolverit, hoc miſerum vel boonum reddiderit. At quid aliis videatur, nihil ad nos, quemadmodum nec alienum ſomnium. Non ita multis videor, ait? at Deo ita. Imo non videor; ſed perſpicuus atque manifeſtus ſum et, qui omnia prius, quam oriantur, novit, qui corda noſtra ſigillatim fingit, qui omnia opera noſtra, omnes motus, & cogitationes, ex quibus res a nobis geruntur, intelligit: quem nihil eorum, quæ ſunt, latet, nec latere poteſt: qui aliter res noſtras intuetur atque mortales ſolent: (Homo enim videt faciem, Deus autem intuetur cor: audiſti Scripturam hoc dicentem, & fidem adhibe) cujus judicium cordatis hominibus pluris faciendum, magiſque curandum eſt, quam omnium aliorum in unum coactorum.

Hebr. 12. v. 2. — *S. Ber. ſ. de fallac. præſ. vit.* — *S. Aug. ap. Lanc. op. 3. n. 161.* — *S. Bonif. Menol. Ciſter. 23. Feb.* — *S. Greg. l. 30. mor. c. 12.*

VII. *Conſiderare præmium* patientiæ: ſic enim & Chriſtus, propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, confuſione contempta: nam, ut bene advertit S. Bernardus, guttatim pœna bibitur, aliquando ſumitur, per mioutias tranſit; at in remunerationem torrens voluptatis, & fluvii impetus, flumen gloriæ, & flumens pacis. Flumen plane eſt, non quod tranſeat, vel pertranſeat, ſed quod abundet. Quod ipſum etiam egregie confirmans Sanctus Auguſtinus ait: Si te aliquis homo dives in hoc ſæculo vellet adoptivum filium facere, quomodo ſervires? quas ei dignitates impenderes, & ſervorum, ejuſque ſævitia duriſſima, & aliquando etiam turpiſſima ſuſtineres convitia, ut ad caducam, & fragilem ejus hæreditatem pervenires? quod ergo ille ſuſtineret propter ſubſtantiam terrenam, tu ſuſtine propter vitam æternam. Certe B. Bonifacius in Natali Domini viſitatus a B. Virgine, cum Chriſtus in lecto depoſitus, faciem remotis faſciis videndam illi præbuiſſet, dicere auſus eſt: Si nihil aliud eſſet in Paradiſo, niſi facies iſta benedicta, dignum eſſet pati omnes tribulationes; ut poſſemus videre faciam hanc glorioſam. Id ipſum medium ſuaſit Sanctus Gregorius dum dixit: Mala præſentis vitæ tanto durius animus ſentit, quando penſare bonum, quod ſequitur, negligit, & quia non vult præmia conſiderare, quæ reſtant, graviora æſtimat eſſe, quæ tolerat. Unde & contra flagelli ictum cogitatio cæca conqueritur, & quaſi infinita calamitas creditur, quæ diebus curſu labentibus quotidie finitur. At ſi ſemel quiſque ad æterna ſe erigat, atque in his, quæ immutabiliter permanent? oculum cordis figat, proprium nihil eſſe hoc conſpicit, quidquid ad finem currit, præſentis vitæ adverſa tolerat, ſed quaſi nihil eſſe omne, quod labitur, penſat, quo enim internis gaudiis robuſtius ſe inſerit, eo minus exterius dolores ſentit. Quod confirmans Sanctus Auguſtinus: Cum attenderis, inquit, quid ſis accepturus, omnia tibi erunt vilia, quæ pateris, nec digna æſtimabis, pro quibus illud accipias; miraberis, tantum dari pro tanto labore; nam utique, fratres, pro æterna requie labor æternus ſubeundus erat; Æternam felicitatem accepturus, æternas paſſiones ſuſtinere deberes; ſed ſi æternum ſuſtineres laborem, quando venires ad æternam felicitatem? Hinc de Sanct. Franciſco Seraphico legitur, quod interrogatus, quomodo veſtitu tam tenui poſſet ſe ab hyemalis algoris aſperitate tueri, reſponderit: Si ſupernæ Patriæ flamma contegeremur interius, frigus illud exterius facile portaremus. Idem confirmavit Mater S. Symphoriani adoleſcentuli, quæ ob tenellam filii ætatem valde metuebat, ne ob carnificum violentiam adeo terreretur, ut periculum eſſet, ne a corona recederet Martyrii. In hac igitur perplexitate conſtituta ſapiens Mater quid fecit? Filium ſuum intra manus carnificum conſtitutum hiſce verbis inclamavit: Nate, nate, memento æternæ vitæ, cælum ſuſpice, & ibi regnantem intuere, tibi enim vita non eripitur, ſed mutatur in melius; Quæ verba ſanctus Adoleſcentulus audiens, fortiter Jeſu Chriſti cauſa carnifici collum præbuit.

S. Aug. in Pſ. 36.

4. p. Chr. S. Franc. to. 2. l. 7. c. 26. — *S. Chryſ. h. 60. ad pop. Idem h. 14. in epiſt. ad Rom.*

VIII. *Conſiderare injurantem ut amicum* potius, quam *Inimicum*; ita B. Baptiſta Verana ſuaſit dicens: Quando anima creſcit in gratia, non cognoſcit amplius inimicos, imo quamlibet perſonam, quæ adjuvat ad ſalutem, cognoſcit pro amico: Totus mundus & infernus ſunt ei amici, tantum ſe pro inimico habet; & non invenit illam perſonam, quæ impediat ejus ſalutem, niſi ſuos inordinatos affectus; & poſtquam pacem ſecum fecerit, non habet, de quo doleat. Beatus, qui pervenit ad hunc gradum, tunc eſt reconditum principium futuræ impaſſibilitatis; hic eſt occultus theſaurus cordialis, pacis mentalis, & qui hue non intrat, non ſcit, quid ſit bonum in hac vita mortali. Hic anima jubilat cum Deo, Deus pacem vult, quia Rex pacificus eſt, & cum hominibus pacificis in domo quieta vult habitare. In eundem ſenſum recte Sanctus Chryſoſtomus ait: In inſidiis, & calumnis injuriam non patimur, ſed illi, qui faciunt. Ait enim: anima, quæ peccat, ipſa morietur. Peccavit autem, non qui male paſſus eſt, ſed qui male facit. Certe ſi manſuetudinem exhiberemus, eſſemus omnibus inſuperabiles, nec ulla ad nos injuria pertineret, eodem Sancto teſte.

S. Greg. l. 30. mor. c. 13.

IX. *Conſiderare peccata ſua*: tunc enim, teſte S. Gregorio, illata convitia bene toleramus, cnm in ſecreto mentis ad mala recurrimus; bene quippe videtur, quod injuria percutimur, dum conſpicimus, quia pejus eſt, quod meremur.

Digitized by Google

mur. Imo quaſi aqua ignis extinguitur, cum exurgente fervore animi, ſua cuique ad mentem culpa revocatur. [L. 20. mor. c. 19.] Et iterum: Dolor flagelli temperatur, cum culpa cognoſcitur; quia tanto quiſque ferramentum medici patientius tolerat, quanto magis putridum conſpicit, quod ſecat. [l. 20. mor. c. 1.] Vere enim non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad præteritam culpam, quæ remittitur, inquit recte S. Bernardus. [S. Ber. ſ. de converſ. ad Cleric. c. 30.] Vapulem ſane, ait idem alibi, vapulem, ut male operans, ſi forte verbera in merita reputentur; fortaſſis miſerebitur flagellato, qui bonum in me non invenit, quod remuneret Sponſus Eccleſiæ Jeſus. Facit totidem fere verbis cum S. Gregorio S. Laurentius Juſtin. [S. Laur. Juſt. de lig. vit. c. 2.] inquiens: Tunc patienter illata flagella toleramus, cum in ſecreto mentis ad mala perpetrata recurrimus, quia per hoc, quod culpæ pondus agnoſcitur, afflictionis pœna levigatur. Patienter unuſquiſque adverſa portat, cum pie meminit, quod in ſe habeat fortaſſe, in quo ipſe debeat tolerari, & quaſi aqua ignis extinguitur, cum ſurgente furore animi, cuique ad mentem culpa revocatur, quia erubeſcit peccatis alienis non parcere, qui proximo, vel Domino ſæpe ſe recolit parcenda perpetraſſe.

[S. Baſil. ho. 4. de grat. act.] X. *Conſiderare objecta quædam exhilarantia:* ſicut enim (ait S. Baſilius) qui minus acri ſunt oculorum acie, eos avocant ab intuitu rerum ſplendidarum, defigunt vero in flores, & quæque viridantia, ut reſocillentur; haud ſecus anima obtutum avertere debet a rebus moleſtis, & mœroris plenis, obvertere vero ad eorum contemplationem, quæ bona & jucunda ſunt. Tum autem aſſequeris, ut ſemper gaudeas, ſi vitæ quidem tuæ inſtitutum, ratione omnis Deum collineet, ac ſpectet; ſpes vero retributionis, quæ permoleſta ſunt vitæ hujus, & triſtitia leviora efficit.

XI. *Conſiderare, & prævidere imminentes adverſitates ante, quam eveniant:* minus enim, [S. Greg. ho. 35. in Ev.] teſte S. Gregorio, jacula feriunt, quæ prævidentur, & nos tolerabilis mundi mala ſuſcipimus, ſi contra hæc per præſcientiæ clypeum munimur. E contrario vero, ut Seneca recte advertit, ſero animus ad periculorum patientiam poſt pericula inſtruitur. [Seneca l. de tranq. a. 11. De conſol. ad Marcian. c. 9.] Hic nos error decipit, hic effœminat, dum patimur, quæ numquam nos pati poſſe providemus. Aufert vim præſentibus malis, qui futura proſpexerit. Cujus rationem aſſignans Sanctus Gregorius ait: [S. Greg. l. 31. mor. c. 27.] Quia qui improvidus ab adverſis deprehenditur, quaſi ab hoſte dormiens invenitur, eumque citius inimicus necat, quia non repugnantem perforat. Quia vero mala imminentia per ſollicitudinem prænotat, hoſtiles incurſus quaſi in inſidiis vigilans expectat, & inde ad victoriam valentior accingitur, unde neſciens deprehendi putatur. Solerter ergo animus ante actionis ſuæ primordia, cuncta debet adverſantia præmeditari, ut ſemper hæc cogitans, ſemper contra hoc: thorace patientiæ munitus, & qoidquid acciderit, providus ſuperet, & quidquid acceſſerit, lucrum puter.

[S. Chryſ. ho. 30. ad pop.] XII. *Conſiderare non hominem lædentem, ſed dæmonem inſtigantem;* ita S. Chryſoſtomus ſuaſit dicens: Cum te aliquis infeſtat, ipſum ne reſpicias, ſed dæmonem inſtigantem, & omnem in illum iram affunde: ipſius autem miſerere, qui movetur ab eo. Nam ſi mendacium a diabolo, etiam iraſci temere multo magis ab ipſo. Cum mordentem videris, conſidera, quod eſt diabolus; non enim Chriſtianorum ſunt ſcommata.

Media obſtaculum removentia.

XIII. *Opinionem falſam de tribulatione, qua eamdem non niſi ut malum nobis imaginamur, tollere:* nam, teſte Didaco de Celdada, [In c. 1. Judit. S. 22. n. 46.] graviſſimum genus tormenti eſt metus tormenti; plus aliquando torquet opinione, quam re. Nam res ſemel toleratur, metus calamitatem amplificat, & multiplicat, & ferit anticipato vulnere, toties repetito, quoties ſubit ejus memoria. Sapienter etiam circa hanc materiam Epictetus dixit: [Enchir. c. 10.] Homines perturbantur non rebus, ſed iis, quas de rebus habent, opinionibus. Verbi cauſa: Mors non eſt malum, alioqui enim & Socrati ſic viſum eſſet, ſed opinio de morte, quæ malam eam facit. Cum igitur impedimur, aut diſtrahimur, non alios culpemus, ſed noſmetipſos, hoc eſt, noſtras opiniones. [Thom. t. in Dom. 2. poſt. Paſch.] Alios accuſare in calamitate ſua, hominis eſt ineruditi: ſeipſum, ejus, qui erudiri cœpit: nec ſe, nec alium, eruditi. Sicut ergo (ut recte ſuadet Stapletonus) pueris larvas formidantibus, eas in manus tradimus, & invertimus, & tractari ab eis facimus: quo re ipſa bene perſpecta vanos terrores contemnant. Equos phantaſticos, qui ad neſcio quos in via cumulos, aut candidioris coloris objecta ſubito reſtitare, & retrocedere ſolent, ſtatim contra hujuſmodi objecta calcaribus admotis impellimus, ut eadem ſæpius pedibus conculcent, & ſic pavere deſinant; ita quivis in adverſis ſiniſtram ſuam de rebus adverſis opinionem corrigere debemus; ut pulchre quondam Socrates Alcibiadem non audentem in concionem prodire docuit, dum ſic allocutus eſt: An non ſutorem illum (adjiciebat nomen) nihil pendis? an non etiam circorum illorum præconem aut etiam coriarium illum? fatente Alcibiade intulit Socrates: an non niſi ex hujuſmodi concio conſtat?

XIV. *Exuere inordinatum affectum erga res creatas:* nam, teſte Sancto Gregorio, ſine dolore amittitur, quidquid ſine amore poſſidetur. [S. Greg. l. 11. mor.] Quæ vero ardenter diligimus habita, graviter ſuſpiramus ablata. Et, ut Sanctus Auguſtinus ait, non eſt in carendo difficuitas, niſi cum fuerit in habendo cupiditas. [S. Aug. confeſſ.]

Media roborantia.

XV. *Solidum virtutis, & perfectionis fundamentum ponere:* nam, ut Sapienter advertit S. Chryſoſtomus, [S. Chryſ. orat. 1. de provid.] non in illarum rerum (adverſantium) eventu perturbatio ac tumultus eſt, ſed in nobis atque animis noſtris, qui ſi bene conſtituti fuerunt, quamvis ſexcentæ undique oriantur tempeſtates, in tranquillo ac portu perpetuo requieſcemus. Licet hoc & in corporibus cernere, qui enim confirmato eſt corpore ad valetudinem, quamvis inæquabili

caſi

Digitized by Google

cæli varietate oppugnatur, non modo nihil mali accipit, ſed acceſſionem roboris exercitatione, & intemperiei conſuetudinem facit. Sin imbecillum corpus habeat, quam optima fruatur cæli temperatione, nullus tamen illi fructus ex hac cæli æquabilitate erit, cum hæc inteſtina imbecillitas cæli etiam bonitate lædatur. Itaque omnibus iis, quaſi pulvis eſſent, excuſſis, aſſumptoque generoſo, & ſublimi Spiritu, magnum per omnia fortitudinis ſpecimen exhibeamus.

XVI. *Amorem erga Deum augere:* perfectæ enim charitatis argumentum notiſſimum eſt, *(S. Laur. Juſt. de diſ. mon. c. 18.)* teſte S. Laurentio Juſtiniano, in adverſis fiduciam non amittere, & virtutes uniformiter ſemper operari, atque ſub Dei diſciplina eodem animo, eodemque vultu perſeverare. Negligentibus hoc impoſſibile videtur, amantibus nihil. Experta id ſponſa, dum ait: Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur: eo quòd leve, inquit S. *(S. Ber. ſ. 43. in Cant.)* Bernardus, ducat, quidquid laboris immineat, & doloris. Bene faſciculus, quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis; id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Erit ergo quandoque nobis ingens cumulus gloriæ, qui modo eſt faſciculus myr- *(Vita c. 31. §. 2.)* rhæ. An non faſciculus, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve? non quia in ſe leve (nec enim levis paſſionis aſperitas, mortis amaritudo) ſed levis tamen amanti. Et ideo & dilectum nominat monſtrans dilectionis vim omnium amaritudinum ſuperare moleſtiam. Recte ergo P. Baltaſſar Alvarez, e Societate Jeſu dicebat, ei qui Dei amorem habet, & per eum ſentit divinam Majeſtatem mittere hujuſmodi excitatores: (cruces) non eſſe alias conſiderationes neceſſarias, ut eoſdem amet, & adoret. Omnes enim illos reputat gratias, omnes nuntios celerrimos, ignitos carbones, ingentia lumina ipſius Dei in ſe benevolentiæ: omnes accipit tamquam amoris ejus ſagittas, quæ, quantumvis ipſe ſit durus, non tamen ſinunt eſſe ſaxum. Quouſque hoc intelligas, *(Ep. Ser. pist. ib. 1. in Dom. 4. post. paſch.)* Deus te faciet vacillare: donec hoc tibi ſapiat, Deus te amaricabit; donec magni hoc facias: Idipſum pulche confirmans S. Baſilius ait: Anima, quæ ſemel ſe modis omnibus deſiderio ſui adſtrinxit Conditoris, jamque inſuevit oblectare ſe tantæ illius pulchritudinis contemplatione, prorſus non ſinet vehemens illud gaudium, animique ſui jucundiſſimam effuſionem intercipi aut mutari per multiplicem, & ſuccedaneam carnalium affectionum mutationem. Quin ea potius, quæ aliis mœrorem afferunt, & triſtitiam, in cumulum ſibi vertet, & acceſſionem lætitiæ. Hinc Ter- *(Tertull. l. de præſcr.)* tullianus cauſam inquirens, cur S. Joannes Evangeliſta Romæ ante portam Latinam ab igne manſerit illæſus, ita ſcribit: Flamma pectus ejus comburens, ignis actionem, qui lebetem agebat, ſuſpendit, ibique duos ignes inter ſe prælio dimicantes, tandem ignis amoris ſuperior evaſit, victoriam reportans.

XVII. *Spem firmam de Dei auxilio concipere:* nam ibi plus eſt exitii, teſte S. Am- *(S. Ambr. de Joſeph.)* broſio, ubi plus eſt periculi. Si enim, ut o- *(S. Ephr. ſ. 3. de pat.)* ptime diſcurrit S. Ephrem, homines probare & diſcernere norunt, quantum pondus ſingula ferre queant animalia, tantumque addunt oneris, quantum vires animalis tolerant. Si item Figulus vaſa de luto formans novit, quanto ea tempore oporteat in igne relinquere, donec utilia efficiantur, neque ultra, quam ſit opus, ea in fornace relinquit, ne aduſta corrumpantur; neque minus ea in fornace relinquit, quam neceſſe ſit, ne diſſolvantur, neminique ſint uſui; quanto magis Deus, qui incomprenſibilis eſt, & ineffabilis ſcientia & intellectu, totuſque ſapientia plenus, novit, quantis probationibus atque tribulationibus, tentationibuſque indigeant animæ ipſi placere volentes, vitamquæ æternam conſequi deſiderantes; Sicque fortiter, prompte omnem in ſpe tribulationem perferunt uſque ad finem, tuncque probati, & apti regno cælorum redduntur. Recte ergo concludit Sanctus Auguſtinus: Noli timere *(S. Aug. in Pſ. 61.)* inimicum; tantum facit, quantum acceperit poteſtatem. Eum time, qui, quantum vult, tantum facit, & qui injuſte nihil facit, &, quidquid fecerit, juſtum eſt. Sæviant, quantum voluerint, & quantum permiſſi fuerint peccatores, confirmat Juſtos Dominus. Porro fructum hujus ſpei clare oſtendit Sanctus Chry- *(S. Chryſ. ho. 18. ad pop.)* ſoſtomus dicens: Deum, ſicut oportet, timens & in ipſo confidens, voluptatis radicem lucratus eſt, & omnem habet lætitiæ fontem. Et ſicut in mare decidens immenſum ſcintilla brevis facile deletur; ſic quantacumque Deum timenti illidantur, velut in vaſtum lætitiæ pelagus incidentia extinguuntur ac perduntur.

XVIII. *Frequenter SS. Euchariſtiam sumere:* nam de hac dixit David: Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus eos, qui tribulant me. Et ſi panis ſubcinericius Eliam tantopere confirmavit, ut per quadraginta dies nocteſque continenter iter faciens, omnes in conſcendendo monte Horeb difficultates occurrentes facile ſuperaret; quanto magis Euchariſtia, utpote ipſum figuratum, hunc effectum præſtabit ad cælum tendentibus; hinc *(L. 1. epiſt. 2.)* recte Sanctus Cyprianus dixit: Idoneus eſſe non poteſt ad Martyrium, qui ab Eccleſia non armatur ad prælium; mens deficit, quam non Euchariſtia erigit, atque accendit.

XIX. *Amicorum perpeſſione inchoare;* uti *(Manſi diſ. 14. n. 5.)* ſenex quidam verbo & exemplo docuit, de quo Bellovacenſis ſic ſcribit: Venerunt quidam fratres ad S. quemdam ſenem in ſolitudine, juxta quem paſcebant pueri pecora, clamoſe, & inhoneſte aliquando loquentes; qui dicebant ei: Quomodo potes, Abbas, portare verba puerorum iſtorum, & non præcipis eis, ut taceant? Qui reſpondit: Volui, tam diu eſt, ſed vici cogitationem meam dicens: Si hoc modicum non potes portare, quomodo, ſi venerit tibi majus, portabis? Job. 4. *Ubi eſt fortitudo tua?* Gloſſa: *Qui ſe vincit, contra omnia fortis eſt.*

§. XII.

Digitized by Google

§. XII. ASCETICA.

I. TOta Aſcetæ cura in eo fere conſiſtere debet, ut bene addiſcat, doceatque Artem patientiæ, utpote tum ob neceſſitatem, tum ob eximiam, & raram utilitatem omnibus aliis Artibus jure merito præferendam. Hæc autem in tribus fere capitibus conſiſtere videtur.

II. Et primo quidem generalia quædam fundamenta bene apprehendenda ſunt, quorum primum eſt: Ut firmiſſime ſibi perſuadeat, neminem ſine tribulatione eſſe, id quod pulchre S. Auguſtinus ſuper illud Apoſtoli: Flagellat Deus omnem, quem recipit: indicavit dicens: Itane omnem? Ubi te volebas abſcondere? Omnem. Et nullus exceptus, nullus ſine flagello erit? Quid eſt omnem? Vis, vis audire, quem omnem? Etiam unicus ſine peccato, non abſque flagello.

Secundum fundamentum eſt, ut pari firmitate ſibi perſuadeat, Deum eſſe ſumme *potentem*, ut adeo non ſit malum in civitate & orbe, quod non fecit Dominus: *Summe Sapientem*, atque adeo poſſe malum omne in bonum convertere, uti Joſeph Patriarcha olim confeſſus eſt dicens ſuis fratribus: Nolite timere, num Dei reſiſtere poſſumus voluntati? Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me: *Summe quoque bonum*: Ut adeo quidquid facit, vel permittit, ad noſtram utilitatem ordinet, niſi ipſimet velimus in damnum noſtrum detorquere. Unde eleganter S. Auguſtinus: Quid timet, inquit, homo in ſinu Dei poſitus? Tu de ſinu illius noli cadere, & quidquid tibi evenerit, in bonum, & non in malum cedet. Tertium eſt, ut firmiter credat, nullum proprie dictum *malum eſſe*, niſi peccatum, eo quod hoc ſolum ſeparet, aut certe conjunctionem minuat cum vero bono, id eſt Deo; Unde recte deducitur commune axioma, quod *nemo lædatur, niſi a ſeipſo*: cum nemo ad peccatum cogere poſſit. Quartum eſt, ut etiam certo ſibi perſuadeat, quod S. Paulus dixit, nempe fidelem eſſe Deum, qui non patietur nos tentari ſupra id, quod poſſumus ſuſtinere. Atque adeo, ut bene dixit S. Iſidorus Peluſiota, in tentationem non incidere, forte impoſſibile eſſe, ei autem minime ſuccumbere poſſibile; cum omnia poſſumus in eo, qui nos confirmat.

Gen. 50. v. 20. — *1. Cor. 10. v. 13.* — *l. 2. ep. 76.* — *Philipp. 4. v. 13.*

III. Secundo bene pariter apprehendenda ſunt præcepta ſeu Regulæ ab Arte patiendi præſcribi ſolitæ. Prima eſt: *Quod pateris juſte, patienter ferre memento.* Quem enim diligit Deus, caſtigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit: quem in finem ſapienter diſcurrens Seneca ait: Affecti ſumus pœna, ſuccutat non tantum, quid patiamur, ſed quid fecerimus. In conſilium de vita noſtra mittamur. Si verum ipſi nobis dicere potuerimus, pluris litem noſtram æſtimabimus. Si volumus æqui omnium rerum Judices eſſe, hoc primum nobis ſuadeamus, neminem noſtrum eſſe ſine culpa. Hinc enim maxima indignatio oritur; nihil peccavi, nihil feci, imo nihil fateris. Quis eſt iſte, qui ſe profitetur omnibus innocentem? Recte ergo S. Auguſtinus ait: Vulgus hominum injuſte ſe putat tolerare, quæ patitur: at vero vir juſtus, qui ſeipſum ſtatim in principio ſermonis accuſat, juſtitiam Domini prædicat, quod digna meritis ſuis patiatur. Dicat proinde quivis cum Michæa: Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei. Secunda eſt: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.* Et hæc regula reſpondet ſecundo fini, quam Deus in tribulationibus mittendis ſibi præfigit, ſcilicet *probationi* (quemadmodum prima primo fini, ſcilicet *purgationi* ſeu *caſtigationi* reſpondet) de qua Apoſtolus dixit: Gloriamur in tribulationibus, ſcientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem. Sicut ergo Diſcipulus Philoſophiæ aut Theologiæ op . am navans, & cupiens ſpeciem hauſti ſui profectus exhibere, pro magno beneficio agnoſcit, & accipit, ſi quis acriter ejus doctrinam impugnando, occaſionem præbeat ſuæ ſcientiæ, & diligentiæ demonſtrandæ, ita non minus beneficium reputare quiſque debet, ſi per varias tribulationes ſubmiſſas examinet ipſum Deus, an & quantum profectum in virtute fecerit. Tertia eſt: *Omnes gaudium exiſtimate Fratres mei, cum in varias tentationes incideritis.* Scientes quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, ut ſitis perfecti. Atque hæc regula tertio fini, ob quem Deus tentationes ac tribulationes immittit, ſcilicet amori reſpondet, juxta illud Apocalypſeos: Ego, quos amo, arguo, & caſtigo. Porro hoc gaudium tanto erit perfectius, quanto graviores fuerint tribulationes, de quibus illud concipitur. Poſſunt autem graviores eſſe tribulationes multiplici ex capite. 1. Ex *genere ſuo ſeu objecto*: ſic graviores merito reputantur linguæ perſecutiones; nam, teſte S. Chryſoſtomo, nihil æque mordet animam ac improperium: nihil æque tabefacit mentem ac dicteria & convitia: nam multi viri per convitia ſæpe ſunt ſubverſi: A *multitudine perſequentium*, Majorem enim calamitatem & acerbiorem dolorem vulnus a pluribus acceptum excitat, inquit idem Sanctus 3. Si ab *Amicis* vel *Domeſticis*, vel aliis, quibus *benefecimus*, oriantur ejuſmodi perſecutiones; nam ut Caſſiodorus recte advertit, graviter dolat injuria, quæ contingit inſperata; & ſi inde proveniat dolus, unde ſperabatur auxilium. Imo, teſte S. Chryſoſtomo, plerique ab Amicis convitiis affici; aut in ſuſpicionem adduci, videtur omnibus mortibus intolerabilius; cujus rationem reddit S. Gregorius, quia cum damno corporis mala nos cruciant amiſſæ libertatis: Hinc David in perſona Chriſti dixit: Si inimicus meus maledixiſſet mihi; ſuſtinuiſſem utique. Tu vero homo unanimis, dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos. 4. Ex *diuturnitate*: Ut enim brevitas minuit; ita diuturnitas non modice auget tribulationem, maxime ſi etiam liberatio merito ſperata, nec tamen impetrata fuerit, tum enim ſpes dilata non pa-

Hebr. 12. v. 6. — *Mich. 7. v. 9.* — *Luc. 9. v. 23.* — *Rom. 5. v. 4.* — *Jac. 1. v. 2.* — *Apoc. 3. v. 19.* — *S. Chryſ. ſ. in habentes eund. ſpir. ſidei. Ser. 19.* — *Caſſiod. l. 3. epiſt. 43.* — *S. Chriſ. h. ſpec. & David.* — *S. Greg. h. 11. in Ev.*

rum

rum cruciat. 5. Ex *circumſtantiis* quibuſdam aggravantibus crucem, & dolorem, quales Lancizius affert ſeptuaginta, ex quibus ſequentes ſunt potiores, & magis uſitatæ: nolle inquirere Authorem, ſi non ſit cognitus: non ſe excuſare apud ullum: non reſiſtere convitianti (nam ſuppreſſus dolor, ut bene advertit S. Bernardus, altius introrſum radicavit, eo acerbior factus, quo non eſt exire permiſſus) non quærere deſenſores, non accuſare, nec coram Deo ſuas cruces commemorare (hoc enim magnum foret crucis levamen) non emendicare aut procurare ab hominibus compaſſionem: nulli unquam, niſi obedientia, vel charitas ſuadeat, ſuam crucem revellare, etiam lacrymarum ſilentium ſervare: memoriam injuriarum delere.

S. Bern. ſ. 22. in Cant.

IV. Tertio comparandum eſt aliquid myrothecium ſpirituale continens varia balſama ſeu lumina ac motiva roborantia contrà deliquia puſillanimitatis, abjectionis, deſperationis, impatientiæ, &c. occaſione adverſitatum oriri ſolita. Talia autem balſama eſſe poſſunt omnia fere motiva ſupra paragrapho nono indicata, præcipue autem ſequentia quatuor, quæ omni ſtatui hominum ſunt magis accommodata. 1. Exemplum Chriſti; ita enim ipſe ſuaſit Adoleſcenti, dum inter adverſa jam prope ſatiſcenti dixit: Omnes tuas tribulationes intinge in ſanguiuem lateris mei, & quantumcumque duræ ſint & graves, mox molles & leves efficientur. 2. Exemplum Sanctorum: Si enim ſolatium eſt miſeris ſocios etiam homines duntaxat infirmos, & imperſectos habere, quantum erit ſolatium tot cælites in ſocietatem tribulationum adſcitos videre? Utpote de quibus merito canat Eccleſia: Omnes Sancti, quanta paſſi ſunt tormenta, ut ſecuri pervenirent ad palmam Martyrii. 3. Exemplum filiorum ſæculi, tam graves labores ac tribulationes pro vili lucro paucorum nummorum, momentaneæ voluptatis, vaniſſimæ gloriæ aut honoris tam generoſe, alacriter, atque conſtanter perferendum, de quibns merito ſibi quiſque illud olim S. Auguſtino dictum applicare poterit: potuerunt iſti, & iſtæ, & tu non poteris? 4. Exemplum damnatorum, aut certe in purgatorio exiſtentium animarum, cum, quibus pares aut etiam graviores pœnas ſuſtinere millies ſuiſſemus promeriti, an non enim ſic gaudebimus per obolum ſolvere nos poſſe in hac vita, quod innumeris cruciatibus, ac dolorum talentis in altera ſuiſſet perſolvendum? Vere enim quæcumque dura & moleſta, quæcumque gravia & horribilia, quæ quiſque patitur in hac vita, in comparatione æterni ignis non tantum parva, ſed nulla ſunt, inquit recte Sanctus Auguſtinus.

Chron. min.

S. Aug. ſ. 109. de temp.

V. Quarto inſtructus eſſe ſtudeat ad quæſtiones aliquas Aſceticas hac in materia proponi ſolitas, ex ſolidis Aſceſeos ſundamentis reſolvendas; cujuſmodi ſunt. 1. Cur Deus ſamulos ſuos, quo fidelius ei ſerviunt, quoque plura pro ipſius gloria agunt, & patiuntur, eo pluribus perſecutionibus & tribulationibus obnoxios eſſe ſinat? Sic enim plerumque fieri teſtatus eſt in primis Sanctus Gregorius his verbis: Ego fidenter dico, quia minus pie vivis, ſi minus perſecutionibus pateris. Teſtatus eſt 2. Sanctus Macarius dicens: Viri divini præparare ſe debent ad certamen, & prælium. Ea enim eſt Chriſtianæ Religionis via, ut, ubi eſt Spiritus Sanctus, ibi ſtatim ſequatur conflictus, & perſecutio. Vides Prophetas, quonam pacto a Contribulibus ſuis perſecutionem paſſi ſunt, in quibus tamen Spiritus operabatur. Vides, quomodo Dominus non ab alia Gente, ſed a ſuis perſecutione affectus eſt, nempe a propria tribu Iſrael, a qua etiam cruci eſt affixus. Itidem & Apoſtoli. Itaque ſtatim a cruce tranſivit Spiritus Paraclitus, & migravit ad Chriſtianos. Teſtatus eſt 3. Sanctus Ignatius, qui Pariſiis operam dans, & a quodam quæſitus, cur omnia ei tunc proſpere fluerent? reſpondit: me tacente tacent alii: Quieſcente quieſcunt. Ubi me commovero, invida continuo tempeſtas exorietur, ejuſque fluctibus exagitabor. Teſtatus eſt 4. Sanctus Franciſcus Xaverius dicere ſolitus, videri ſibi noſtros nequaquam fideliter militare, ſi diu nullis inſectatoribus exercerentur. Teſtata eſt 5. Sancta Thereſia dicens: Semper obſervatum eſt, eos, qui Chriſto Domino viciniores, & propiores fuere, plus aliis, laboribus, & adverſis lancinatos, & divexatos eſſe. Ad hanc ergo quæſtionem reſpondeat, geminas hujus rei eſſe cauſas. Prima eſt *Amor Dei* erga hujuſmodi perſonas: Ita 1. teſtatus eſt ipſe Chriſtus Sanctæ Birgittæ dicens: Amici mei tribulantur in hoc mundo aut ad minus ſupplicium in futuro, aut ad majorem coronam in cælo. Nam Petrus, & Paulus pro juſtitia mortui ſunt, ſed Petrus amarius Paulo, quia plus dilexit carnem Paulo: Et quia Eccleſiæ meæ accepit primatum, debuit & ſe mihi majore morte conſormare. Paulus vero quia plus dilexit continentiam, quia plus laboravit, tamquam miles egregius gladium obtinuit. Sed & alias eidem de quodam Epiſcopo dixit: Propterea quia amicus meus eſt, & eum intime diligo, ideo quaſi amico laborioſius onus impono. 2. Idem teſtatus eſt Angelus eidem Sanctæ Birgittæ de B. Virgine dicens: Congrue hæc Virgo nuncupari poteſt florens roſa, nam ſicut roſa creſcere ſolet inter ſpinas; ita hæc Venerabilis Virgo in hoc mundo crevit inter tribulationes. Et quemadmodum quanto roſa ſe in creſcendo plus dilatat, tanto ſortior, & acutior ſpina efficitur; ita & hæc electiſſima roſa Maria, quanto plus ætate creſcebat, tanto ſortiorum tribulationum ſpinis pungebatur. Cum autem ad illam ætatem ipſa pervenit, qua Filius Dei factus eſt Filius ſuus, tunc pleniſſima illa roſa in ſua pulchritudine magis dilatari ac creſcere videbatur; ac tribulationum ſpinæ ipſam acriter ſtimulantes fortiores & acutiores quotidie efficiebantur. 3. Teſtata idipſum eſt B. Maria Magdalena de Pazzis, dum Chriſtum allocuta dixit: Permittis, o Verbum, dæmones confligere cum ſervis tuis, eos ut facias glorioſiores; & quanto majorem gratiam dare vis, & majus lumen ad te cognoſcendum, tanto magis fabricas fornaces, & ignes, in quibus purgen-

S. Greg. l. 4. epiſt. 30.

S. Macarius ho. 15.

Ribad. in vit. l. 2. c. 7.

Manſ. 7. c. 4. ep.

Lancız. op. 6. c. 1. n. 11.

L. 3. rev. c. 19. in add.

L. 4. Rev. c. 99.

S. 16. Angelico.

Vit. p. 4. c. 24.

gentur corda ad inſtar auri, & appareant illorum virtutes tamquam lapides digni, & pretioſi. Hinc jam olim Ethnici idem de ſuis *Senec. l. de prov.* Diis quoque ſenſerunt, ut Seneca his verbis teſtatur: Hanc rationem Dii ſequuntur in bonis viris, quam in Diſcipulis ſuis Præceptores, qui plus laboris exigunt ab his, in quibus certior ſpes eſt. Dicant ergo ipſi: Digni viſi ſumus Deo, in quibus experiretur, quantum natura humana poſſet pati; optimi milites ad duriſſima mittuntur. Secunda cauſa eſt *odium diaboli* erga eoſdem Juſtos: Quod tribus ex cauſis concipit. *Laſ a. mor. c. 13.* 1. Quia per illos magis glorificatur Deus, cujus proinde gloriam in ipſis dæmones imminuere cupiunt. Ita Sanctus Laurentius Juſtinianus indicavit dicens: Præmonebat milites ſuos Chriſtus ad perſecutionum tolerantiam, ne imparati ad certamen accederent: ſciebat quippe, ſemper Juſtis bella ab humani generis Adverſario commoveri, quæ non tantum adverſus homines, qui inviſibiliter infeſtantur, verum etiam contra hominum Conditorem concitare noſcuntur, non tamen ut invincibilis debelletur, ſed ut ipſius gloria in hominibus denigretur. Bacchatur itaque adverſum Juſtos, per quos utcumque Divina proficiſcitur laus, quatenus ex laudantiom perditione, magnificentiam diminuat laudati. *S. Chryſ. h. 3. in c. 3. Iſaiæ.* 2. Quia hos meritis, & virtutibus abundare videns invidet, ideoque ſpoliare conatur. Quam cauſam Sanctus Chryſoſtomus indicavit his verbis: In tempore virtutis perfectæ tunc diabolus ſpirat vehementius. Et quemadmodum Piratæ, qui mare navigiis infeſtant, non tunc, ubi conſpexerint navim de portu exeuntem invaduot (quid enim hinc fructus caperent, ſi ſcapham inanem demergerent?) Sed ubi redierit onuſta, pleoaque ſarcinis, tunc demum omnes experiuntur artes; ita ſceleratus ille dæmon ſimulatque viderit aliquos multa collegiſſe v. g. jejunia, preces, eleemoſyoam, caſtitatem, reliquaſque virtutes omnes, ubi videt navigium plenum eſſe pretioſis lapidibus, tunc irrumpit undique, theſaurum perfodiens, ut in ipſis portus oſtiis ſcapham demergat, jamque nudos ad eum portum ejiciat. 3. Quia per juſtos regnum & poteſtas Satanæ maxime imminuitur; nam ut recte idem Sanctus Chryſoſtomus ait; numquam magis furit, ac ſævit ſceleſtus ille dæmon, quam cum ex ſuis vaſis, & inſtrumentis multa videt diripi. Non eſt ejus qui parva geſſit, & mala, malam illam beſtiam irritare: Quamobrem quando videt virum juſtum magna & præclara gerere, & mala pati innu- *Idem ho. 41. in 1. Corinth.* merabilia, ne mireris. Nam contra mirari oporteret, ſi diabolus multas accipiens plagas eſſet quieturus, & vulnera placide toleraturus. Recte ergo coocludit S. Leo: Intelliga- *S. Leo ſ. 3. quadr.* mus, quaoto ſtudioſiores pro noſtra ſalute fuerimus, tanto nos vehementius ab Adverſariis impetendos.

VI. Altera quæſtio eſt, an perfectionis ſtudium admittat defenſionem ſui contra calumnias, falſas accuſationes, & teſtimonia? contrariom quippe ſuadere videntur tum Chriſti, & Sanctorum exempla, neutiquam ſe, etiam in periculo graviſſimorum malorum incurrendorum, defendentium; tum SS. Patrum paſſim id diſſuadentium conſilium. Excitabit, *Itin. perf. c. 13.* ioquit S. Thereſia, Divina Majeſtas aliquem, qui verum Patroonm vobis taceotibus aget, ſed vos hujus rei recordari nollem, ſed gaudere, quod culpemini. Quod ſi vos non defenderit, certum eſt, id minime opus eſſe. Ad hanc quæſtionem reſpondeat per duas reſolutiones. Prior eſt, eſſe omnioo licitam, imo & ſub præcepto adhibeodam defeoſionem ſui, vel informationem, vel excuſatiooem, quando ſilentium vel in infamiam tertii cederet, vel io ſcandalum aut ruinam aliorum, aut Superior rei veritatem exquireret; oam libertas loqueodi, qua juſti viri, pro juſtitia ſua uſi ſunt, teſte S. Iſidoro Peluſiota, non *S. Iſid. l. 2. ep. 179.* ex faſtu & arrogantia, ſed a neceſſitate nata eſt. Hæc enim ne juſte incommodis affici viderentur, hujuſmodi voces expreſſit: Ut tamen ſecurius tranſigatur hæc defenſio, & ne amor proprius, & cupiditas excellentiæ (quæ, ut docent Sancti, origine & peccato prima, in conflictu ultima nos decipiat,) recte quis faciet, ſi ſe præmiſſa precatione in æquilibrio conſtituat, & tum vel a Superiore vel Con- *Opuſc. 9. c. 7. n. 264.* feſſario, vel alio prudeote viro conſilium petat. Poſterior reſolutio eſt, extra dictos caſus plerumque eſſe omittendam ſui defenſionem, maxime cum teſte Lancizio, experientia probet, multis non profuiſſe excuſationem; & multis, etiam graviſſimas infamationes, nec officiorum publice obeundorum curſum, & ſucceſſum, nec animarum lucra impediviſſe.

VII. Tertia quæſtio eſt, an ſaltem ſine perfectionis præjudicio licitum ſit, a Deo defenſionem, & auxilium petere. Uti Eccleſiæ & magnorum virorum exempla ſuadere videntur? Ad quam reſpondeat cum Lancizio, triplicis generis eſſe tribulationes, & cruces. 1. Communes, quæ concernunt totam Eccleſiam vel aliam communitatem. 2. Aliæ privatæ quidem ſed tamen, niſi avertantur, io damnum communitatis ceſſuræ. 3. Privatæ & Perſonales, quæ nulli alteri, quam ipſi patienti præjudictum aut damnum afferunt: & in prioribus quidem duabus tribulationibus recte a Deo auxilium peti, uti allata exempla probant; ſecus vero in poſterioribus, in his enim perfectio ſuadet, non petere a Deo levamentum, ut plus patientiæ exerceatur, ſi minus levaminis extrinſecus offeratur. Quam ob cauſam S. Thereſiam commendans unam ex Monia- *L. fund. c. 11.* libus ſuis, Beatricem Digneſiam, dicere ſolitam, inſignem quamdam ruſticitatem fore, in doloribus, quos Dominus ei immitteret, alleviamentum quærere.

§. XIII. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occaſione thematis: *Patientia vobis neceſſaria eſt: ut voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem*: oſtendi poteſt ne- *Hebr. 10. v. 13.* *L. 3. c. 12. §. 4.* ceſſitas patientiæ, Et in priori quidem parte illud Thomæ Kempenſis dictum per inductionem probari: Converte te ſupra (ſcilicet ad Superiores) converte te infra (ad Subditos, aut alios te inferiores) converte extra (ad æquales, dome-

domeſticos, amicos) converte te intra (ad teipſum, & paſſiones tuas & (ubique crucem invenies. In poſteriori vero parte oſtendi poteſt iterum per inductionem, quomodo is, qui vere patientiam didicit, omnes difficultates ex quadruplici illo capite provenientes facile vincat. Pro quo ſcopo Nicolai Lancizii opuſc. 9. c. 1. & ex p. 1. Fabri conc. 5. in Feſto Inventionis S. Crucis ſervire poteſt.

Act. 14. v. 21. II. Ex occaſione thematis: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*: poteſt referri mos quarundam Academiarum, in quibus ſtudioſi ante, quam in Matriculam ſeu Album Studioſorum referantur, variis ſanguinis verberibus, & ludibriis (quæ communi nomine *Depoſitio* vocatur) exerceri ſolent, dicique ſimilem morem Deum obſervare, ut qui nullum in cælum velut cæleſtem Academiam admittere velit, niſi variis prius tribulationibus exercitum, idque ob eaſdem fere cauſas, ob quas Academiæ dictæ depoſitionem inſtituerunt. Scilicet. 1. Ut ad virtutem diſponantur. 2. Ut probentur. 3. Ut ſanctis conformentur. 4. Ut digni fiant privilegiis. 5. Ne extollantur ſuper alios. Adhortandi proinde Auditores, ut patienter ferant hanc depoſitionem, ſperentque ſibi quondam cum magno ſolatio dicendum, quod ſenex ad portam conſtitutus, & ſtudioſos intrare volentes variis ludibriis exercere juſſus, iis, qui patienter eas excipiebant, dixiſſe fertur: Ingredere Athenas, quia dignus es. Pro qua materia fuſius deducenda ſervire poteſt concio quarta Fabri in feſto SS. Simonis & Judæ.

Pſ. 28. v. 6. III. Ex occaſione thematis: *Dilectus quemadmodum filius unicornium*: dici poteſt Deum ex mente SS. Patrum recte Unicorni, non Tauro comparari, eo quod hic oculos infra cornu habens non videat, quo feriat: Unicornis autem oculos ſupra cornu habeat, ideoque cum deſtinatione ferire ſoleat. Oſtendatur ergo quam prudenter Deus feriat, ſeu tribulationes immittat, ſcilicet ob triplicem finem caſtigationem peccati, probationem virtutis, & amoris demonſtrationem, indeque Auditores ad eaſdem patienter, libenter, & alacriter ferendas excitentur. Pro qua materia ſervire poteſt totum c. 1. vel etiam 2. & 3. p. 3. Gymnaſii patientiæ P. Hieremiæ Drexellii. Item pro priori parte conc. 1. Fabr. in Dom. 20. poſt Pent.

1. Petr. 2. v. 21. IV. Ex occaſione thematis: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus*: poteſt doceri ars patiendi, & primo quidem explicari regulæ ab hac arte præſcribi ſolitæ, uti §. proxime præcedente num. 3. factum eſt: Deinde ut excitentur Auditores ad hanc artem ſtudioſe addiſcendam, oſtendatur, eam eſſe præ omnibus aliis artibus ſumme neceſſariam, utilem, & honeſtam, idque argumentis tum ex S. Scriptura, tum ex SS. Patribus, tum exemplis & ſimilitudinibus petitis, quæ §. 2. & ſequentibus plurima offeruntur, probari poteſt; quem in finem etiam concio 5. Fabri in feſto Inventionis S. Crucis ſervire poteſt. Item in Auctario in feſto S. Nicol. themat. 3.

V. Ex occaſione thematis: *Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum, perfectus autem omnis erit, ſi ſit, ſicut Magiſter ejus*: poteſt deſiderium ad artem patientiæ addiſcendam excitari, oſtendendo, in ea reperiri tria potiſſima motiva, quæ ad artem aliquam alacriter addiſcendam movere ſolent. Quorum primum eſt *Nobilitas Magiſtri*, qui & artem bene calleat, & efficacem modum tradendi illam, & promptam voluntatem inſtruendi habeat, quæ omnia haud dubie Chriſto in ſummo gradu conveniunt. Alterum eſt *Condiſcipulorum multitudo, præſtantia, & alacritas*, quæ tria in Sanctis, & hominibus juſtis hujus vitæ pariter in gradu excellenti reperiuntur. Tertium eſt *Artis*, quæ traditur, utilitas & excellentia, qualis ubique præ aliis reperitur in arte patiendi, utpote quæ conducat ad ſummum præmium, & dignitatem in cælis obtinendam; pro qua materia videri poteſt Fab. c. 8. in Sexag. *Luc. 6. v. 40.*

VI. Ex occaſione thematis: *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* poteſt oſtendi viam crucis ſeu tribulationis, eſſe viam *certiſſimam* (juxta illud Chriſti: Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum) *breviſſimam* (quia per hanc cito adimpletur menſura meritorum a Deo definita, ita ut dici queat: Conſummatus in brevi explevit tempora multa) *tutiſſimam* (quia nihil æque fugiunt hoſtes, atque hanc viam; cum ibi vel maxime Chriſtus reperiatur, atque adeo merito dicere quivis in ea via conſtitutus queat: Si Deus pro me, quis contra me?) *triti∫ſimam* (utpote quam omnes Sancti calcarunt; omnes enim, qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu perſecutionem patientur) *jucundiſſimam* (tum ob gratiſſimam Societatem Chriſti, & Sanctorum: tum ob felicitatem termini, ad quem ducit) Excitentur proinde Auditores ad eam alacriter currendam, illis Thomæ Kempenſis verbis: Eja, fratres, pergamus ſimul, Jeſus erit nobiſcum. Erit adjutor noſter qui eſt Dux noſter, & præceſſor. En Rex noſter ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis. Sequamur viriliter, nemo metuat terrores: Simus parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimen gloriæ noſtræ, ut fugiamus a Cruce. Vide Fabrum conc. 4. in Dom. 2. Quadrag. *Luc. 24. v. 26.* *Matth. 5. v. 10.* *Sap. 4. v. 13.* *2. Tim. 3. v. 12.* *Lib. 3. de imit. c. 57. §. 5.*

VII. Ex occaſione thematis: *Si dixero puero: Ecce ſagittæ intra te ſunt, tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi eſt, & nihil eſt mali*: Oſtendi poteſt patientiam in tribulationibus eſſe ſignum prædeſtinationis: quem in finem P. Drexelius in Zodiaco cap. 5. ſerviet. In prima ergo parte probetur tribulationes merito ſagittis comparari, tum quia ſubito ut ſagittæ advolant: tum quia profunde penetrant, ut S. David teſtatus eſt dicens: Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi: tum quia graviter vulnerant, ut in exemplo Jobi cernere eſt. In ſecunda oſtendatur, quam vere dicatur: Sagittæ intra te ſunt, veni ad me, quia pax eſt tibi cum Deo. In tertia excitentur Auditores ad exemplum cervorum, & caprarum imitandum: dum ſagittis confoſſæ per dictamnum herbam vul- *1. Reg. 20. v. 22.* *Pſ. 37. v. 3.*

Digitized by Google

vulneri medentur; ſic ergo & illi conſiderando [Pſ. 76. v. 19.] illud Davidis: Sagittæ tuæ (id eſt, tribulationes hujus mundi tranſeuut vox tonitrui tui (qua dices. Ite maledicti in ignem æternum) in rota. Videri poteſt Drexel. in Gymnaſ. patient. part. 1. cap. 4. §. 2.

[1. Cor. 2. v. 2.] VIII. Ex occaſione thematis: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*: poteſt oſtendi utilitas tribulationum, & probari cum Sancto Bernardo, quod paſſiones hujus temporis non ſint condignæ: 1. *Ad præteritam culpam*, quæ remittitur. 2. *Ad præſentem conſolationis gratiam*, quæ immittitur, juxta illud [Pſ. 93. v. 19.] Davidis: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificarunt animam meam*. Et S. Pauli teſtimonium: *repletus ſum* conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra. 3. *Ad futuram gloriam*, quæ nobis promittitur. Qua de materia videri poteſt Faber. cap. 4. in Feſto SS. Simonis & Judæ. Item in Auctario them. 1. in feſto SS. Innocentum.

[Luc. 6. v. 19.] IX. Ex occaſione thematis: *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*: Poteſt oſtendi, qualis virtus exeat a Chriſto ad debilitatem noſtram, & in patientiam in adverſis ſanaudam. Et 1. quidem per *oculos*, quatenus providit noſtras tribulationes, atque in bonum noſtrum ordinat; imo & videt, quomodo eas toleremus, [Jo. 15. v. 18.] ut ſuo tempore præmiare poſſit. 2. Per *os ſuum*, quatenus nos toties ad patientiam inter adverſa retinendam excitavit: præcipue dum dixit: Si muudus vos odit, ſcitote quia [Marc. 8. v. 35.] me priorem vobis odio habuit. Et: Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet [Matth. 5. v. 11.] eam. Et iterum: Beati eſtis, cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos mentientes propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. 3. Per *manus*: Quatenus ipſe manum ſuam extendit, & tribulationem hanc aut ipſemet miſit, aut ab aliis creari permiſit, quemadmodum Job indicavit dicens: Miſeremini mei ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. [Job 19. v. 21.] 4. per, *SS. Vulnera*: Quatenus tam benevola, & generoſa eorum receptione, & quotidiana repræſentatione facit, ut nolimus eſſe ſine vulnere, quando ipſum Dominum ac Redemptorem noſtrum videmus tam graviter, & multipliciter vulneratum. 5. Per *Fimbriam veſtimenti*, reducendo in memoriam exitum felicem, & glorioſum tribulationum, ut vel ſic [Cant. 2. v. 2.] ad eas fortiter tolerandas excitemur. Quæ omnia fuſius apud Fabrum cap. 6. in Feſto S. Bartholomæi videri explicata poſſunt.

X. Ex occaſione thematis: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*: Poteſt homo patiens tali lilio comparari. Et 1. quidem oſtendi, quomodo inter ſpinas verſetur; [S. 8. in Cant.] quem in finem ſervire poteſt, quod S. Bernardus ſupra citatum locum dicit: Donec in carne eſt anima, inter ſpinas profecto verſatur, & neceſſe eſt, ut patiatur inquietudines tentationum, tribulationumque aculeos. Quod ſi lilium eſt, juxta ſponſi verbum, videat, quam vigilem ſollicitamque eſſe oporteat ſuper cuſtodia ſui ſepta undique ſpinis, hinc inde aculeos intendentibus. Nec enim vel leviſſimam ſpinæ ſuſtinet punctionem floris teneritudo? ſed mox ut modice premitur, perforatur. Spina culpa eſt, ſpina pœna eſt, ſpina falſus frater, ſpina vicinus eſt malus. O candens lilium, o tener delicatus flos, increduli & ſubverſores ſunt tecum, vide quomodo caute ambules inter ſpinas. Plenus eſt mundus ſpinis. Verſari in his, & minime lædi, Divinæ potentiæ eſt, non virtutis tuæ. Sed confidite, inquit, quia ego vici mundum. Etſi igitur undique tibi intendi perſpicias tribulationes, tamquam tribulorum aculei, non turbetur cor tuum, neque formidet, ſciens, quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio ſpem, ſpes autem non confundit. Conſidera lilia agri, quomodo inter ſpinas vigent, & nitent. Si fœnum, quod hodie eſt, cras in clibanum mittitur, Deus ſic cuſtodit, quanto magis amicum, & ſponſam ſuam chariſſimam: denique cuſtodit Deus omnes diligentes ſe. 2. Oſtendi poteſt, quomodo gerere ſe debeat anima inter ſpinas tribulationum conſtituta, id quod idem Sanctus l. c. egregie docet, ſic pergens: Non mediocris profecto titulus virtutis inter pravos vivere bonum, & inter malignantes innocentiæ retinere candorem & morum lenitatem. Magis autem ſi his, qui oderunt pacem, pacificum & amicum te exhibeas inimicis. Id plane ſimilitudinem datam de lilio, jure quodam proprietatis ſpecialiter vendicabit, quod ipſas utique ſpinas ſe pungentes candore proprio illuſtrare, & venuſtare non ceſſat. An non proinde lilium tibi videtur implere quodammodo perfectionem Evangelii, qua orare jubemur pro calumniantibus, & proſequentibus nos? Benefacere his, qui oderunt nos? Ergo & tu fac ſimiliter, & erit anima tua amica Domini, & laudabit te de te dicens: Quia ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.

XI. Ex occaſione thematis: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*: [Cant. 1. v. 12.] Dici poteſt, varias a variis cruculas collo ſuſpenſas in pectore circumferri, videlicet Hiſpanicas, Turribianas, Ignatianas (id eſt, ex Lectica aut janua cubiculi S. Ignatiis factas) Udalricianas, verum ſuo judicio optime facere, qui particulam de cruce Chriſti non materiali, ſed ſpirituali, id eſt, tribulationibus patienter, & alacriter amore Dei toleratis in pectore ſuo circumferuut, hanc enim omnes effectus, quos a prioribus ſperamus, excellentiſſimo modo in ſe continere; id quod per partes oſtendi poteſt. Et 1. quidem, quod multo efficacius juvet, quam Hiſpanica Crux, contra tempeſtatem illam maxime terribilem extremi judicii, patet ex illo pii Aſcetæ teſtimonio: Hoc ſignum crucis erit in cælo, cum Dominus ad judicandum venerit. Tunc omnes ſervi crucis, [L. 2. de imit. c. 12. §. 1.] qui ſe Crucifixo conformaverunt in vita, accedent ad Chriſtum Judicem cum magna fiducia. 2. Quod multo majorem virtutem habeat contra febres alioſque morbos, quam S. Turribii, patet ex eo, quod ipſa lignea crux agni-

agnita fuerit olim per hoc, quod mulieri ægræ impoſita ſtatim eam a morbo curaverit; quanto magis hæc virtus ſpirituali cruci ad curandos animi morbos, ob quos potiſſimum a Chriſto ſuſcepta eſt, conveniet? 3. Quod multo majorem vim habeat ad dæmones & ſpeſtra ſuganda, quam Ignatiana crux, patet ex Eccleſiæ teſtimonio canentis in officio S. Crucis: Ecce Crucem Domini, fugite partes adverſæ: Et iterum: Per ſignum crucis de inimicis noſtis libera nos Deus noſter. 4. Quod etiam pro peſte avertenda aliiſque malis arcendis majorem vim habeat, quam S. Udalrici, & aliæ ſimiles Cruces, vel ex ipſa totius generis humani liberatione ab univerſali & graviſſima peccati originalis & actualis peſte, ſatis liquet. Quæ omnia facile amplius dilatari, & exemplis confirmari poſſunt.

XII. Ex occaſione thematis: *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in*
Matth. 5. v. 12. *cælis*: narrari poteſt, quid Jacobo Patriarchæ evenerit, dum ante, quam Rachele dilecta
Gen. 29. v. 26. potiretur, prius lippientem Liam in uxorem aſſumere debuit. Inferatur deinde, idem omnibus evenire, dum nempe prius *gratiam* per multas lacrymas obtinendam, & retinendam, atque adeo merito Liæ comparabilem, nobis deſponſare; & tum demum in altera vita pulcherrimam Rachelem, id eſt, *gloriam* obtinere debemus. Pergatur proin tam in tribulationibus hujus vitæ, per comparationem cum laboribus Jacobi explicandis, tum in pulchritudine & magnitudine gloriæ, per comparationem cum Rachele depingendas: & concludatur, quanto æquius nobis, ac Jacobo, omnes anni in hac laborioſa & miſera vita conſumpti, videri debeant dies pauci, præ amoris magnitudine.

XIII. Ex occaſione thematis: *Poteſtis bibe-*
Matt. 20. v. 22. *re calicem, quem ego bibiturus ſum?* Poſſunt afferri, & refutari excuſationes, quibus aliqui ſe excuſant a calice bibendo, id eſt, tribulationibus tolerandis. 1. Quia non meriti ſunt tantas afflictiones. 2. Quia exiſtimant, ſibi ſolis exhauriendum calicem. 3. Quia nimis fortis vel amarus eis calix videtur. 4. Quia nimis capax, & fundo carere videtur. 5.
Joan. 18. v. 11. Quia propinatur ab ingrata Perſona. Quæ omnia videri poſſunt fuſe diducta a Fabro conc. 5. in feſto S. Jacobi.

Luc. 22. v. 18. XIV. Ex occaſione ejuſdem thematis poſſunt motiva afferri, cur calicem tribulationis libenter bibere debeamus. Nempe, 1. propter *offerentem*, ſcilicet Deum, quam rationem Chriſtus attulit dicens: Calicem, quem dedit mihi Pater, vis ut non bibam illum? 2. Propter memoriam Auguſtiſſimi Imperatoris ac Redemptoris noſtri Chriſti: quam rationem iterum ipſe indicavit dicens: Hoc facite in meam commemorationem. 3. Propter conformitatem cum Sanctis, qui prius illum ebiberunt. 4. Propter ſanitatem eorum, qui bene affecti ſunt dicto noſtro amantiſſimo Redemptori, ſcilicet propter animas purgantes liberandas. 5. Propter ſanitatem propriam, quæ tanto pluris facienda eſt, quanto dignior eſt anima quam corpus. Hæc autem ſanitas tam efficaciter & copioſe procuratur per hunc calicem, ut non jam ſicut de calice reali canebat quiſpiam.

Quo tibi potarum plus eſt in ventre ſalutum,
Hoc minus e potis biſce ſalutis habes.

dici cum veritate queat, ſed potius:

Quo tibi potarum plus eſt in mente ſalutum,
Hoc plus e potis biſce ſalutis habes.

XV. Ex occaſione thematis: *Gloriamur in* Rom. 5.
tribulationibus: ſcientes, quod tribulatio pa- v. 4.
tientiam operatur, patientia vero probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non confundit: dicatur, his verbis breve compendium contineri omnium doctrinarum ad patientiam Iſaia 8. v. 13.
pertinentium. Et 1. quidem per primas duas partes ſignificari finem remotum (qui eſt patientia) & proximum (qui eſt probatio) ob quos Deus immittit tribulationes, quique adeo non leviter nos impellere debet ad eas magno, & conſtanti animo tolerandas. 2. Per illa verba: *Probatio vero ſpem*: ſignificatur medium ad eaſdem fortiter ſuſtinendas ſcilicet ſpes præmii, de qua dixit Propheta: In Iſaia 30.
ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra. 3. Per ul- v. 15.
tima verba ſignificatur fructus, & complementum patientiæ, ſcilicet ſecuritas, & perpetuitas præmii olim conferendi, de quo proin recte Apoſtolus dixit: Id, quod in præſenti *mo-* 2. Cor. 2.
mentaneum eſt, & *leve* tribulationis noſtræ, v. 7.
ſupra modum, in ſublimitate, æternum gloriæ *pondus* operatur in nobis. Quæ omnia facile ex §§. prioribus amplius probari poſſunt.

§. XIV. ALII CONCEPTUS.

Qualitas.

I. JUſſus fuit Abraham immolare filium ſuum, Miſſ. Dom.
cumque in cervicem ejus ſuſpenſum jam 20. poſt
libraret acinacem, promptum in cædem bra- Pent. S.
chium vox Angeli detinuit, ne tamen omni- 23.
no illius propenſa fruſtraretur voluntas, in jugulum arietis demiſit gladium, de quo Gen. 22. 13. dicitur: *Levavit Abraham oculos ſuos, viditque poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio* S. Zeno Veronenſis cum in horum conſideratione verſaretur, dicebat hæc per difficilia verba ſer. 1. de Abraham: *Nec mutatus eſt vultus ejus, cum eſſet victima commutata*: cum tanta lætitia arietem obtulit, cum quanta obtulerat & filium. In quibus hæc poſtrema mihi equidem difficultatem non qualemcumque ingerunt: cum tanta lætitia arietem, cum quanta obtulerat & filium. Nam ſi exacte rem perpendas, videtur dicere debuiſſe, majorem cum lætitia obtuliſſe arietem, quam filium, in ariete enim ſola pecudis animula occumbebat, in Iſaaco vita hominis, & filii primogeniti occidebat. Quid ergo, ait S. Zeno, tam magnanimum fuiſſe Abraham, ut æque gaudenter arietem ac filium obtulerit, paratus tanta cum alacritate immolare filium, quanta brutum animal mactaret victimam; Dicam, poſtquam Abrahæ certum erat demetere filio caput, eumque quod ad animi illius promptitudinem ſpectat, jam obtruncarat, pati cœperat quantum maxime poterat: Quid enim acerbius, & intolerabilius homi-

homini accidere poſſit, quam ut ſua ipſius viſcera laniet? quam ut violentas manus pius pater unico, eique optimo filio inferat, ſanguinemque ejus, qui dedit, verſet? Poſtquam ergo hæc animo Abrahæ ſemel pertinaciter ſententia inſedit, neque explicare eam in opus potuit, ingens valentiſſimi pectoris fortitudo fuit, ſummaque conſtantia, quod ne vultum quidem immutavit, quando tantæ gloriæ ſibi ereptam de manibus occaſionem, fortemque proxime felicitatis ſic permutatam vidit, ut pro Iſaaco arietem immolare debuerit, cui ſi conceſſum fuiſſet filium mactare, ſummum pro Deo dolorem paſſus, ſummam ſimul gloriam illius paſſionis tolerantia ſibi conflaſſet. Et hoc eſt, quod Sanctus Zeno voluiſſe videtur, cum ait: cum tanta lætitia arietem obtulit, cum quanta obtulerat & filium. Hinc æſtimate, quam glorioſum, ac magnificum ſit pro Deo pati.

Bloſius in Conſolat. anim. c. 10. II. Refert Bloſius, quod, cum Virgo Gertrudis commiſeratione mota oraret pro quadam perſona, quam audierat impatienter conquerentem, quod Deus gravamina ſibi immitteret ſaluti ſuæ minus convenientia, reſponderit ei Dominus; Dices illi, pro qua oras, ut, quia ſine aliqua ſaltem tribulatione vel moleſtia Regnum obtineri non poteſt, eligat, atque indicet, quænam gravamina ſibi utilia putet, & cum hæc ipſi evenerint, ſervet patientiam. In quibus verbis Domini Gertrudis intellexit, periculoſiſſimum genus impatientiæ eſſe, quando homo perverſe ac ſuperbe eligere vult, quæ ferat, dicens ſaluti ſuæ minus congruere, ſeque non poſſe ſuſtinere ea gravamina, quæ ſibi a Deo immittuntur.

Myſten. Jabasbo poſt 1. Do. Quad. aſ. §. 1. III. In vita S. Perpetuæ legitur, quod Sancta quadam cum impatientia martyrium una cum Sodalibus ſuis ſubire deſiderans, gratiam a Deo obtinuerit octavo menſe anticipandi partum, idque cum perfecta notæ prolis ſalute. Acciderit autem, quod dum acerbiſſimos, quos inter parturiendum patiebatur dolores, ſupra modum lacrymaretur, perſecutoris miniſtri eam interrogarint, qua ratione acerbiſſima martyrii tormenta, quæ pro ſequenti die præparabantur, paſſura eſſet? Quibus ſapiens mulier reſpondit, inquiens: Naturæ debitas pœnas naturali tantum virtute ægre ſuſtineo; quæ autem quantumvis immania pietatis cauſa ſubire cogar, divina gratia ſuperabit.

Ibid. IV. *Hic eſt Filius meus*, dicebat illi Pater æternus, cum in cacumine glorioſi montis Thabor illuſtres gloriæ ſuæ ſplendores, charis ſervis ſuis feſtivus oſtentabat, qui in probroſo Calvariæ monte Patrem ſuum illum agnoſcebat, & porro appellabat, dicens: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*; Luc. 23. verſic. 46. Non minus ſe Filium illius oſtendit in mediis probris Calvariæ montis, quam inter glorias Thaboris. Ut nobis documento eſſet, ei, qui ſe Filium Dei, & filii illius naturalis æmulatorem gloriatur, premenda ejuſdem veſtigia, exprimendos mores, ut ſit idem inter ſupplicia, qui inter delicias; idem inter pœnas, qui inter glorias, eiſdemque oculis amarum, & aſperum ſpectet, quibus ſuave, & dulce fuit arbitratus.

Ibid. V. Fuit Elcana, ut ſacræ habent litteræ, vir religioſus, ac devotus, duarum ſimul uxorum maritum, quarum una Anna, Phenenna altera vocabatur. Ex his Annam, quod virtus ejus, & morum honeſtas, & publici ſuga merebantur, impenſius amabat. Improlis ſancta hæc mulier, & ſterilis, ut fæcunda Phenenna, & fructu benedictionis cumulata. Sterilitatem Annæ permoleſte ferebat Elcana, quod eam occultius amaret. Hoc ita conſtituto adoriamur myſterium, quocum ſacer Textus hæc memoraturus orditur narrationem Hiſtoriæ: *Fuit vir unus de Ramathaim ſophin de monte Ephraim, & nomen ejus Elcana*; inquit primi libri Regum, primis ſtatim verbis. Origenes adamantius notat loquendi formulam, qua ſacer Scriptor uſus, non ait, fuit quidam, ſed fuit *vir unus*. Dicit porro, videri non ſatis attente ſic dictum, aut ſupervacaneum eſſe, quod Religioſus hic Elcana, vir unus pronunciatur, poſtquam duo non erant, nec adeo neceſſarium, ut ille vir unus diceretur. Sed exploratiſſimum eſt, nec apicem eſſe abſque Sacramento, nec ſine myſterio litterulam aliquam in litteris ſacris, dic nobis, magne Origenes, quid occulti huic ſententiæ inſit, qua Elcana Annæ conjunx *vir unus* pronunciatur. Placet, inquit Origenes: vos ex me illud accipite, Vide, ſi hoc non pertinet ad laudem juſti, quod dicitur de ea. *Erat vir unus*. Nos, qui adhuc peccatores ſumus, non poſſumus hunc titulum laudis acquirere, quia unuſquiſque noſtrum non eſt unus, ſed eſt multi. Intuere autem alicujus vultum nunc irati, nunc iterum triſtis, paulo poſt rurſum gaudentis, & iterum turbati, & rurſum lenis, hæc ille. Non abſque myſterio Elcana vir unus dicitur, qui ſanctus & juſtus erat, eoque peccatoribus diſtabat, qui multiplices ſunt; Suſceperat Elcana ex Phenenna liberos, ex pientiſſima Anna nullos habebat. Poterat horum alterum illi immodicam parere triſtitiam, alterum abundans gaudium. Qualis vero Elcana, fœcunditatem Phenennæ inter, & ſterilitatem Annæ, fuit? Forte an elatus ex liberis iſtius aut deſperabundus ex ſterilitate hujus? Non ſane. Fuit vir unus in utroque fortunæ ſtatu, eademque fronte excepit alterius ſterilitatem, fœcunditatem alterius, neque ob illam animo lapſus, neque ob hanc elatus: habet hoc juſtus, & habere debet, quiſquis Deo Patre gloriatur, ut ſit perpetuo unus idemque, neque varius, aut multiplex, ut ſunt miſeri peccatores, qui pro ſtatu rerum, in quibus verſantur, vel nimium præſidunt inter felicitates, vel plus ſatis impatientes ſunt inter adverſa.

Ibid. VI. Quam accurate Paulus obſervabat Leges filiorum Dei, quando Philippenſibus ſcribens, ajebat c. 4. verſ. 12. *Scio humiliari, ſcio & abundare (ubique & in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari & eſurire, & abundare, & penuriam pati*. Sed qualis in ſtatibus Doctor gentium perſeverat? Reſpondet Theophilactus: Neque ob hanc laxabatur, neque ob inopiam comprimebatur. Non illum rerum copia extollebat, ne-

neque ob inopiam comprimebatur. Non illum rerum copia extollebat, non inopia dejiciebat, non illum penuria triſtem, non effluentia arrogantem, non eſuries puſillanimem reddebat.

Ibid. VII. Invitabat olim Sponſa Aquilonem, & Auſtrum, ut ſuo ſpiritu odoriferos flores amœni horti ſui blande afflarent, ſic inquiens; *Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum & fluent aromata* illius, Cant. 4. v. 16. S. Juſtus Orgelitanus expreſſit in hac verborum formula, quod Sacra ſponſa quamquam duos ſimul ventos compellaret, non, *Perflate* tamen, ſed *perfla* dixit. Sed quomodo duobus ventis, quorum ſunt tam diverſæ, & adverſæ conditiones, tamquam uni loquitur? Auſter nimirum, ut eſt Author Ariſtoteles in Problem. ſect. 4. blandus, ſerenus, ſuavis eſt; Aquilo e contra rigidus, durus, aſper. Secundum hæc, qui factum, quod cum duo eſſent venti, & venti tam contrarii, tamen velut uni loqueretur, dixerit: *Perfla hortum meum*; Reſpondet Juſtus juſte in rem præſentem: Quoniam in duobus unus advertitur, non ait, perflate, ſed perfla; tamquam dixiſſet: Quod ſponſa uno duorum tam adverſorum ventorum a ſpiritu perflari horti ſui aromata petiit, ea cauſa eſt, quoniam in duobus unus advertitur, & ventus uterque unus eſt. Seu Aquilonis furor omnia miſcens, tentationes, tribulationes, perſecutiones moveat, & ærumnas excitet, ſeu blandus Zephyrus conſolationum, quietis, felicitatis, ac proſperitatis, aſpiret, uterque illi unus flatus eſt, nec enim emarcent ejus flores, quamquam Aquilo fluat, nec evanidi fiunt; vel ſi ſuavis Auſter blande aſpiret. Quoniam in duobus unus advertitur. Juſtus enim Dei filius, & ſervus eſt, ſemper unus, conſtanti inter omnia vultu & fronte.

Bellov. l. 1. ſpec. mor. diſt. 88. VIII. Improvidus miles eſt, inquit Bellovacenſis, qui ſe fortem in pace gloriatur; Nemo quippe quantum proficit, niſi inter adverſa cognoſcit. Unde in vitis Patrum ſequens doctrina legitur: Hæc eſt magna virtus, quando in infirmitatibus tolerantia fuerit, & gratiarum actio mittitur ad Deum. Si admittimus oculos, graviter non feramus, extollentiæ enim inſtrumentum amiſimus, ſed interioribus oculis gloriam Domini ſpeculemur. Surdi facti ſumus? Non contriſtemur, quia auditum vanum amiſimus. Manus noſtræ ex aliqua paſſione debilitatæ ſunt? Sed interiores paratas habeamus adverſus inimici tentationes. Infirmitas totum corpus noſtrum tenet? ſed noſtro interiori homini ſanitas creſcit.

Menſ. 6. 9. n. 1. IX. Quando quis qualitatem agri alicujus explorare cupit, an ſcilicet ſterilis ſit, an fertilis, communiter illum ligone, vel aratro proſciſſum, ac fœtido ſterquilinio contectum, deinceps ſeminat, videtque qualem ſequenti anno fructum producat; ſi enim urticas, lolia, ſtirpes, fruteta proferat, mox agrum illum maledictum & peſſimum eſſe dicit. Sicut e contra optimum pronunciabit, ſi laboribus, ſudoribus, & culturæ ægricolæ per fructum abundanter illatum correſponderit; Eodem prorſus modo, ſi homo per injurias, contemptus, & nonnumquam percuſſionibus ad livorem exceptus, in honore & exiſtimatione diffamatus, ſanniis & deriſionibus expoſitus, confeſtim iraſcatur; ac in vindictam, odium, & inimicitias prorumpat, peſſimum vobis licebit de illo formare conceptum; At vero ſi patiens fuerit, ſi diſſimulaverit, tacuerit, bonum pro malo reddidit, tunc talem verum virtutis ſpecimen edidiſſe libere aſſeretis, quia doctrina viri per patientiam noſcitur; Et ideo talis per agrum illum ſignificatur, in quo divinum ſemen ex uno grano in centuplicatum fructum excrevit: *Quod autem in terram bonam, hi ſunt, qui corde bono & optimo audientes, verbum retinent; & fructum afferunt in patientia.*

Æquitas.

X. Athletas videmus, quibus virium cura eſt, cum fortiſſimis quibuſque confligere & exigere ab his, per quos certamini præparantur, ut totis contra ipſos viribus utantur; cædi ſe, vulnerarique patiuntur, & ſi non inveniunt ſingulos pares, pluribus ſimul objiciuntur: marcet enim ſine adverſo virtus, tunc autem apparet quanta ſit, quantum valeat, polleatque, cum, quid poſſit, patientia oſtendit. Non vides, quanto aliter patres, aliter matres indulgeant? illi excitari liberos ad ſtudia jubent obeunda mature, ſeriatis quoque diebus non patiuntur eſſe otioſos, & ſudorem illis, & interdum lacrymas excutiunt; At matres fovere in ſinu, continere in umbra volunt, numquam flere, numquam triſtari, numquam laborare. Patrium habet Deus adverſus bonos viros animum, & illos fortiter amat, & operibus, inquit, laboribus, ac damnis exagitentur, ut verum colligant robur. *Seneca cap. 2. de provid.*

XI. Pono primam omnium innocentiam, & ſi huic jungere continentiam quivero, divitem me putabo in poſſeſſione liliorum. Rex ſum autem, ſi tertiam his adjungere potero patientiam. Et quidem poſſunt ſufficere illæ, ſed quia & deficere in tentationibus poſſunt, ſiquidem tentatio eſt vita hominis ſuper terram, opus profecto patientia eſt, quæ utrique quaſi ſit tutrix quædam & cuſtos. *S. Bern. in ſer. 70. in Cant.*

XII. In Paradiſum terreſtrem, qui cæleſtis viridarii repræſentativus erat, nemo intrare poterat, niſi prius per flammeum Cherubini gladium pertranſiret, id quod ex mente S. Bernardini denotabat, quod cælum non recipit niſi probatum, ideſt, niſi tranſeat per flammeum gladium atque verſatilem, qui Geneſ. 3. poſitus eſt ad cuſtodiendum lignum vitæ; ſed hoc nullus facere poteſt, niſi qui patientiam habet in ſua tribulatione. Gladius quippe flammeus atque verſatilis tribulatio eſt affligens, & crucians animam & corpus. Exemplum patet in tritico, quod in terram projicitur, & ſepelitur quod moritur in hyeme, congelatur grandine, & pluvia maceratur, hominibus & beſtiis conculcandum exponitur, & depaſcendum; In æſtate calore ſiccatur, verberatur flagellis, & de palea excutitur, & conteritur, inter molas, & poſt alias ejus vexationes in clibano decoquitur, & in *S. Bern. t. 2. ſ. 66. ar. 1. c. 2.*

his

Digitized by Google

his omnibus virtutem ſuam ſemper retinet, & vigorem; ideo in fine in eibum ante Regem honorifice portatur. Sic etiam vir patiens in tribulationibus perſeverans, præſentabitur coram æterno Rege Deo, ſcilicet glorioſo.

Manſi d. 2. n. 2. XIII. Quodnam in eo latuiſſe putas myſterium, quod S. Petrus egreſſurus e carcere Herodis in mundum, ad convertendos populos, ab Angelo juſſus fuerit ſe calceare maxime, cum Chriſtus apud S. Matth. c. 10. contrarium præceperit, ne ſcilicet Apoſtoli ſui calceos in pedibus haberent, neque calceamenta? Reſponderi quidem poſſet, nequaquam conveniſſe, ut calcei S. Petri apud Hebræos, ut multo minus apud impium ac ſacrilegum illum Regem permanerent, ſiquidem coram illis in omnibus ſæculis futuris omnes & ſinguli, etiam formidabiles totius Mundi Monarchæ, ſe in ſignum ſubjectionis proſternere debebant, iiſque cum reverentia devotiſſima oſcula imprimere; Verumtamen melius ad noſtrum propoſitum in ſenſu morali reſpondet S. Antonius de Padua, S. Petrum ab Angelo juſſum fuiſſe, ut calceis ſe indueret, ne in via a lapide læderentur pedes; calcei autem hi patientiam denotant, quæ eſt neceſſaria in adverſis hujus mundi, quia cum in hac vita, quandiu ſumus viatores, dum ſumus in corpore, peregrinamur, ne ad quemlibet greſſum impingamus ad offendiculum, allidamuſque ad lapidem pedem noſtrum, hanc nobis neceſſariam patientiæ virtutem ſubminiſtravit. Hæc autem offendicula B. Laurentius Juſtinianus his verbis innuit: Peregrinanti homini in hac valle miſeriæ multa occurrunt adverſa; aliqua ex innata infirmitate, aliqua ex inſolita conſuetudine: quædam ex juſtitia divina, nonnulla vero ex malorum hominum malignitate; Ideo ne offendamus, & lædamus pedem, myſtico hoc calceo nobis opus erat.

Neceſſitas.

XIV. In Geneſi de Iſaac legitur, quod Ja-
Manſi d. 39. n. 5. cob filio ſuo dixerit: *Accede ad me, & da mihi oſculum fili mi.* Hoc tamen paternæ dilectionis ſignum in eum non contulit, niſi poſtquam manuum ſuarum contactu, quis ſit, exploraviſſet; id quod Hugo Cardinalis conſiderans ait: Poſt tactum demum fit oſculum, ideſt, poſt patientiam flagellorum.

Utilitas.

XV. De Viro illo Apoſtolico Joanne de
Joan. Rho l. 6. c. 4. n. 2. Avila, qui ſuperiori ſæculo ſacrum in Hiſpaniis fuit oraculum, P. Rho refert ſequentia: Hujus tantæ in hominibus patientiæ vim omnem, atque ortum, præclara uſus imagine, ſuis olim diſcipulis Avila explicabat. Videſne fabros ferrarios, ut candentis ferri maſſam validis ictibus tundant, & qualibet induant figura? Unde tanta metallo ferendi conſtantia? Reſiliret profecto niſi grandi forcipe prehenſum, idem qui tundit, ac fingit, ſub ictu valde contineret faber, tantumque firmando metallo, quantum tundendo virium adhiberet, ne validiore ictu excuſſum artem eludat: quæ in hac noſtra imbecillitate naturæ tanta eſſe poteſt animi firmitas, ut morbis veluti malleatoribus, corpus objiciat immotum, animumque præſtet, nulla victum querela? Nimirum idem, qui affligit, allevat Deus, & quos durius figit, validius firmat. Idem ipſe quondam nocturnis doloribus victus, cum leviſſimo gemitu inducias impetraſſet ad ſomnum, mane ubi evigilavit, poſtulati pœnitens, auditumque ſe dolens, a Deo egregie vapulaſſe, ac colapho cæſum fuiſſe, profeſſus eſt; quod patientiæ per ea cruciamenta operandi materiam ſibi ſubtraxiſſet.

XVI. Apud Plinium hanc experientiam de- *Plinius lib. 2. c. 106.*
ſcriptam reperio, quod flammæ, quæ ex monte, qui Chymæra dicitur, erumpunt, ſolo compeſcantur fœno; eæ vero, quæ ex monte Hecla in Hybernia exſurgant, ſola extinguantur ſtuppa; unde ſequens validum formari argumentum poſſe exiſtimo, videlicet: Si admirabiles hoſce effectus operatur natura, multo magis idem concedendum erit gratiæ, quod nimirum per æquanimitatem, & invictam patientiam, aliorum iracundia excitatum incendium poſſit extinguere. Quas enim & quantas furoris ſui flammas infernus in Jobi perniciem non evomuit? Et tamen nulla inopia, fames, morbus, cruciatus, liberorum neces, amicis, inimicis, uxore, & ſervis irruentibus, nulla demum humanæ miſeriæ fuit ærumna, quæ non ſit in ejus corpore exhauſta. Quonam vero modo, ut D. Chryſoſtomus notat, magnum hoc patientiæ ſpeculum ingens hoc incendium extinxit, & compeſcuit: Clarus hic & inſignis victor impetum omnem mira virtute ſuſtinuit; ſola patientia fuit fœnum, & ſtuppa, quæ ingentem illam flammam ſine ulla ſui læſione ſuppreſſit.

XVII. Cum Philiſthæi arcam Domini in *Manſi d. 17. n. 2.*
prælio cum Iſraelitis habito, in prædam accepiſſent, Deus illos punire volens, præter immiſſam inter illos ingentem murium multitudinem eoſdem pariter in ſecretioribus corporis partibus per pœnoſam valde & fœtidam infirmitatem caſtigavit; quod flagellum a ſe removere ſatagentes, ſatrapas ſuos conſuluerunt de adhibendo remedio, a quibus fuere perſuaſi, ut mures aliaſque effigies aureas funderent, iiſque Deo Iſrael oblatis, Arcam fœderis Hebræis denuo reſtituerent; Quo adimpleto ſatraparum conſilio, protinus inter illos omne flagellum ceſſavit, omnia autem hæc in figura contingebant illis; ſic quidem Deus per hæc nos erudire voluit, ut flagella ferrea & chalybea, quibus caſtigamur, & cædimur, per veram, virtuoſam, & voluntariam patientiam, aureæ redderemus, tunc enim futurum fore, ut a flagellis liberemur æternis, efficiamurque ex Philiſthæis Iſraelitæ, ideſt, videntes Deum.

XVIII. Si Principi alicui integrum deberes *Ibid.*
auri millionem, quæ ſumma quædam eſt, cujus ſolutio tibi utpote viro pauperi & egeno, eſſet omnino impoſſibilis; numquid magnam tibi cenſeres fieri gratiam, ſi idem Princeps creditor tuus ſuum tibi panderet æ-

Digitized by Google

rarium, ut acceptis exinde theſauris ſuis poſſes illi ſatisfacere? Utique gratiam illam omnino velut immenſam ubique deprædicares. Simile vero quid ſit in præſenti; nam patientia ingens quoddam Dei donum eſt, maximuſque theſaurus, hæc enim moneta quædam eſt tanti valoris atque pretii, ut per illam ſummam quantumvis groſſiſſimam peccatorum tuorum diluere poſſis; Cogita igitur, quod, quando Deus aliquas tibi adverſitates, aut ſiniſtros eventus immittit, ipſe tunc ærarium ſuum tibi ad ſolutionem debitorum tuorum faciendam aperiat.

Pennequ. differt. 7. n. 12. XIX. Dixit aliquando S. Birgittæ B. Agnes Martyr, Veni filia, & impone tibi coronam factam ex ſeptem lapidibus pretioſis. Primus lapis eſt Jaſpis, quem tibi impoſuit contumelioſus ille, qui tibi dixit: neſcire ſe, quo ſpiritu loquereris; utiliuſque tibi eſſe, ſi more aliarum mulierum fila duceres, quam de ſcripturis diſputares. Secundus lapis eſt Saphyrus, ab illo tibi impoſitus, qui coram tibi faventia verba dicebat, a tergo vero detrahebat. Tertius Smaragdus quem appoſuit ille, qui falſa tibi impoſuit, dixitque, te protuliſſe ea, quæ nec cogitaras, nec dixeras. Quartus eſt Margarita, quam tibi impoſuit ille, qui te præſente amicum Dei vituperavit, ex cujus vituperio plus turbaris, quam de tuo. Quintus eſt Topazius, ab illo tibi impoſitus, qui amara tibi loquebatur, cui e contra benedixiſti. Sextus eſt Adamas, ab illo tibi appoſitus, qui corporale damnum tibi intulit, quod patienter tuliſti, nec eum dehoneſtare voluiſti. Septimus eſt Carbunculus, hujus occaſionem dedit tibi ille, qui filium tuum Carolum vita functum falſo denuntiavit, quod, committens Deo voluntatem tuam, tuliſti patienter. Conſtans eſto, filia, & cum tuæ coronæ alii præterea lapides deſint, pro illa amplianda ſanctos imitare, qui ex probatione illuſtriores facti ſunt:

Bloſius in conſol. anim. c. 10. XX. S. Mechtildi Chriſtus dixit: Qui gravamen aliquod, vel dolorem etiam per modicum tali intentione præfert, ut proponat pro amore, & laude nominis mei, libenter majorem dolorem, vel laborem ſuſtinere, ſi id mihi placeret, is quantumcumque aridum, & peccatorum rubigine obductum cor habeat, in ipſa hora revireſcit, & gratiæ meæ capax efficitur.

Act. Apo. 12. v. 10. XXI. Memoranda hoc loco eſt porta illa ferrea, quæ ad urbem Hieroſolymitanam ducebat, quæ Angelo & S. Petro ultro aperta eſt, quando ruptis, & ſolutis catenis e carcere egrediebatur; S. Petrus autem eo in loco hominem patientem tunc præfigurabat, qui ſolutis vinculis, quæ eum in hujus corporis carcere vinctum tenent, cæleſtem Hieroſolymam portis ultro apertis ingreditur; venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem, quæ ultro aperta eſt eis. Ubi S. Bernardus ait: Porta cæli humilis patientia, quæ eſt porta ferrea, ducens ad civitatem.

S. Bon. in Diet. ſal. 111. c. 7. XXII. Apud Jobum dicitur: *Ab Aquilone aurum venit*. At vero ſcire percuperem, cur potius in gelido Septentrione, quam ab aliis Mundi partibus auri venæ reperiantur? S. Bonaventura hac de re ita ſcribit: Prudens facit ſolvere omnia debita ſua de his, quæ nihil videntur valere, ſcilicet de malis pœnæ, quæ ſuſtinet, ut Deus remittat ſibi debitum culpæ, & ſolvendo nihil expendit de ſuo, imo his, quæ accepit ab initio, ſicut de opprobriis & contumeliis, ſolvit quæcumque, & quidquid debet Deo; & cum alienis ſe retinendo, ſcit acquirere gratiam in præſenti, & gloriam in futuro; & ideo dicitur: *Ab Aquilone aurum venit*, quod patiens acquirit in tribulatione.

Dignitas.

XXIII. In honorem quidem Prophetæ Regii in libri Regum dicitur: *Sedens in cathedra ſapientiſſimus*. Et tamen ex altera parte jumentum ſe appellat, inquiens: *Ut jumentum factus ſum apud te*. Quæ duo, ſcilicet ſapientia, & jumentum, cui ignorantia, & ſtoliditas attribuitur, inter ſe contraria eſſe videntur: Et tamen S. Bernardus utrumque inter ſe conciliat inquiens: Puto immo non puto ſed ſcio ſimilitudinem aliquam jumentorum homini commendari, ſed plane non eam, quæ in non intelligendo, ſed in ſapientiæ imitatione conſiſtat. Neque enim ſuccenſentis ſimiliter, ſed ne plangentis quidem videretur vox ſi dixiſſet: Homo cum ſub honore Dei eſſet, non recalcitravit, ut jumentum factus eſt apud eum &c. ut jumentum eſto, minime tamen jumentum, patienter quidem ſuſtinens onus, ſed honorem intelligens. At vero quiſnam eſt honor ille, de quo S. Doctor loquitur? Ille nimirum, quem Apoſtolus indicat, dum ſuadens inquit: *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro*. Etenim inter omnia animalia nullum a Filio Dei magis honoratum fuit, quam jumentum, hoc enim in nativitate ſua juxta præſepe poſitum habere voluit; ut halitu ſuo ejus calefaceret corpuſculum; Similiter in triumpho Palmarum aſinum elegit, cui inſideret, non equum; *Sedens ſuper aſinam*, idque ob illam præcipuam cauſam, quia aſinus Patientiæ typus eſt; Deus enim in animabus hac virtute dotatis, libenter quieſcit. *S. Bern. ſ. 7. ſuper Pſ. Qui habit.*

XXIV. Bonum etiam, qui cæce vivunt, ſummæ virtutis appellatione honorant; Philoſophi quidem, qui alicujus ſapientiæ animalia reputantur, tantum illi ſubſignant, ut cum inter ſeſe variis ſectarum libidinibus, & ſententiarum æmulationibus diſcordent, ſolius tamen patientiæ in communi memores, huic uni ſtudiorum ſuorum commiſcerint pacem. *Tertull. de pat. c. 1.*

XXV. David a Saule ad mortem quæſitus, poterat in ſpelunca Odolla ad ſui defenſionem injuſtæ Saulis perſecutioni ponere terminum, per unicum ſolum lanceæ iſtum cordi. Saulis impactum, ſimulque diadema Regium a Regis vertice ſublatum capiti ſuo imponere; verumtamen per heroicam patientiam, non ſolum appetitum vindicativum interius extimulantem devicit: verum in- *Mauſ. d. 6. n. 4.*

ſu-

ſuper omnibus ſe oppoſuit, quos ſecum habebat, militibus, qui omni cum conatu eam adigere conabantur, ut manu ferro appoſita ſe, & illos per mortem Saulis ab imminentibus periculis eximeret; Quæ omnia cum impius Rex intellexiſſet, tantæ patientiæ, & manſuetudinis actum admiratus, Davidem filii titulo honoravit, atque amare flens; illiuſque ſanctitatem in conſpectu omnium deprædicans, in hæc verba prorupit: *Nunc ſcio, quia certiſſime regnaturus ſis, & habiturus in manu tua Regnum Iſrael.* Et quidem argumentum, quod formabat, infallibile erat; intelligebat namque, quod tot virtuoſos patientiæ actus exarcendo, colligebat in ſinu patientiæ lapides pretioſos.

Id. diſ. 4. n. 7. XXVI. Dixit olim Deus ad Moyſen: *Conſtitui te Deum Pharaonis.* At vero quanam præcipue in re ſe obſtinati hujus Regis Deum eſſe monſtravit? Scio quidem, quod hanc divinæ omnipotentiæ delegationem ſuper creaturis oſtenderit. Elementa v. g. obedire faciendo; tranſmutando aquas in ſanguinem, cælum grandinibus, turbinibus, fulminibus armando; verumtamen Pharao in propria perſona ab omnibus illis decem plagis exemptus fuit. Verumtamen dubium hoc facile ſolvitur, dicendo, quod Moyſes Dei patientiam æmulari volens patientiam, & ipſe diuturnam cum Pharaone, habuerit expectando eum ad pœnitentiam. Unde Oleaſter ait: Expende quæſo, quanta ſit dignitas S. Moyſis, quem Deus ſic evexit, ut Deum Pharaonis conſtituerit, & ſimiliter: Quanta ſit miſericordia ejus, ut non illum ſtatim occideret, ſed patientia, quaſi Dei, tulerit & monuerit.

S. Ambr. lib. 2. de offic. c. 7. XXVII. S. Ambroſius Moyſen a Spiritu S. commendatum, velut virum totius generis humani manſuetiſſimum: (*Erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines*) admirans, ait: Quantas a populo illatas Moyſes abſorbebat contumelias cum miti ſermone poſt injurias appellabat, quomodo conſolabatur in laboribus, oraculis deliniebat, fovebat oneribus? Merito æſtimatus, & ſuper homines, ut & vultui ejus non poſſent intendere.

XXVIII. Diu ante illum Joſeph Patriarcha divinam æmulatus fuerat patientiam, de quo proinde S. Zeno, ita ſcribit: Joſeph patiens *S. Zeno ſerm. de patient.* invenitur e paſcuo, cum a fratribus capitur, patiens, cum in puteum demittitur, patiens, dura cum haſta diſtrahitur, patiens in carcere; in regno patientior, patientiſſimus deſideratos cum fratres agnoſceret, & ubi jactantia ſe non poteſt continere, poſitus in honore continuit. Cæleſtis profecto eſt ipſa patientia, quam a ſuo ſtatu, non ærumna, non felicitas, non affectus potuit commovere.

S. Greg. ap. Bello. l. 1. diſt. 86. XXIX. Minor eſt victoria, urbes expugnara, quia extra ſunt, qui vincuntur; majus autem eſt, quod per patientiam vincitur, quia ipſe a ſe animus ſuperatur; Unde Bracmanni ſcripſerunt Alexandro; quod pugnabat contra hoſtes exteriores, quos vincebat, ut nutriret hoſtes interiores, a quibus vincebatur, quos dicebant animi ſui impetus, & cupiditates. Ariſtoteles contra Alexandrum, cum nollet cuidam iracundiam remittere, probavit ei, quod nobiliorem triumphum acquireret, vincendo ſeipſum, quam in eo, quod vicerat, & ſibi ſubjecerat totum mundum; quod ſi ſe, vel animum ſuum non vinceret, non erat victor, ſed victus.

XXX. S. Gregorius magnopere celebrat factum illud Davidis, quando ſe a Michol conjuge ſua peradeo vituperoſum ludibrium patientiſſime audivit contemni, eo quod ſaltaſſet coram Arca Domini. Ita enim S. hic Pontifex loquitur: Quid de ejus factis ab aliis ſentiatur, ignoro; Ego David plus ſaltantem ſtupeo, quam pugnantem. Quæ ſententia prima facie paradoxa eſſe videtur, an non enim S. Gregorius memoria ſua tenet illam contra Goliath reportatam a Davide victoriam? An oblitus eſt tot ſtragum, quas inter Philiſthæos armis ſuis ad immortalem gloriam paravit? An illa memoriam ipſius effugiunt facinora, quibus generoſitatem ſuam omnibus retro ſæculis probavit? Quam habent modici ſaltus proportionem, cum mortificatione prædictorum facinorum patienter tolerata? Verumtamen cauſam aſſerti Pontificii ex ejus velim ore auſcultetis. Dicit igitur. Pugnando quippe hoſtes ſubdidit, ſaltando autem & patiendo inſultus, ſemetipſum vicit. B. Laurentius Juſtinianus de viro patiente ait: Vincit ſeipſum, quod genus vincendi rariſſimum, & nobiliſſimum eſt; *Melior eſt*, inquit ſcriptura, *vir patiens viro forti, & qui dominatur animæ ſuæ, expugnatore urbium*; Innumerabiles ſunt, qui populos, qui urbes in poteſtate habuerunt, pauciſſimi, qui ſe. *Manſi d. 14. n. 4.*

XXXI. Magnum myſterium habet, quod Chriſtus, antequam in crucem tolleretur, permiſit, ut ſibi & albæ veſtis irriſorio amictu Herodes illuderet. Quare conceſſerit, ut veſtimentum illi album injicerent? Ut ſignificaret id, quod dicere cœpimus. Plutarchus Problem. 46. ait: Eos, qui Romæ Magiſtratum petebant, candida veſte indutos fuiſſe, atque ex illa dictos Candidatos. Chriſtus ergo priuſquam crucis copiam nactus eſt, candide veſtiit, ut ſignificaret, ſuæ ſe crucis fuiſſe ambitioſum, res nimirum, tam præſtans, ac divina, qualis eſt pro Deo pati, ſario, admodum expeti, & ardentiſſime prenſari debet. Faxit Deus, ut tantum bonum, felicitatamque tam ſublimem obtineamus, ut æquanimiter tolerantes præſentes ærumnas, perveniamus ad lauream gloriæ futuræ. *Neſſ. S. 9. fer. 4. poſt 1. Dom. quad.*

XXXII. Magdalena Chriſtum frequenter, ac tam familiariter attrectavit, ut ipſe, cum eam adverſus Phariſæi murmura defenſaret, diceret: *Ex quo intravit, non ceſſavit oſculari pedes meos.* Luc. 7. 45. Et Lucas ipſe 6. 19. ait. *Omnis turba quærebat eum tangere*, tangique ab omnibus promiſcue Chriſtus patiebatur, Ravixit, cumque Magdalena rem in priſtino ſtatu verſari arbitrata, pro nupero more libare pedes ejus vellet, audivit: *Noli me tangere*; Jo. 20. 17. qui tamen Thomæ manibus palpari permiſit, inquiens: *Infer digitum tuum huc, & affer manum tuam.* Ib. v. 27. Quæſtio nunc *Idem S. 2 fer. 6. poſt 4. Dom. quad.*

eſt, cut ſe antea tangi paſſim ab omibus permiſit, poſt reſurrectionem vero etiam ſuam Magdalenam a ſuo attactu prohibuit, & Thomæ tamen ad palpandum obtulit? Cur hoc jam Magdalena demeruit? quo ſe facinore attaminavit, ut tractari ab illa ſacrum corpus ſuum Chriſtus noluerit? voluit ſine dubio Dominus indicare, quantum diſtet corpus, dolores, cruciatus, mortem expertum, ab inexperto. Nam ut corpus paſſione ſacrum manet, conſecratumque, ita ille ante ſuam paſſionem ab omnibus palpari permiſit, at poſt mortem toleratam dicit Magdalenæ: *Noli me tangere*, tractari deinceps a te corpus meum non debet, quod cruce, & reliquis tormentis, quæ pertulit, ſacratum ſuit, religioſe illud poſthac coli, magnaque in veneratione eſſe debet. Dicas mihi: Quomodo ergo Thomas illud palpavit? Immo id tei noſtræ robur addit. Vides calicem, & patenam a viris, mulieribus, denique ab omnibus ſine diſcrimine attrectari, moxque dicis: Res iſtæ non ſunt conſecratæ, at quando ſoli miniſtri contingunt, qui tractandi uſum, poteſtatemque habent, inquis, conſecratæ ſunt. Chriſtus ergo antequam paſſus, cum omnis turba quærebat eum tangere, non prohibuit, poſt paſſionem vero a Thoma, tamquam Sacerdote, qui hoc ex officio poſſet, palpari permiſit. Quod totum Redemptor noſter fecit, ut in ſe ipſo nobis indicaret, quam magnificum ſit pati, cum ille poſt paſſionem corpus ſuum, quamquam idem ipſius eſſet, reverentius haberi, & religioſius quam ante coli voluit.

Idem S. 3. Dom. 20. poſt Pent.

XXXIII. Poſtquam S. Job ab omnibus ærumnis ſuis reſpirarat, & in ſtatum priſtinum redierat, *venerunt ad eum omnes fratres ſui, & univerſæ ſorores ſuæ, & cuncti, qui noverant eum prius, & comederunt cum eo panem in domo ejus, & conſolati ſunt eum ſuper omni malo, quod intulerat Dominus ſuper eum*, Job. 42. 11. Quod non fecerunt, quando ille in mediis anguſtiis poſitus, magis eorum conſolationem requirere videbatur. Jam mala illius omnia præterierant, jam calamitatum illius mare deferbuerat; quid ergo nune eum conſolabantur? nam ubi nihil ærumnarum ſit, non videtur eſſe locus conſolationi, & compaſſioni, inquit inſignis Hiſtoriæ hujus Interpres Pineda. Reſpondeo: Conſolabantur illum non de adverſitatibus jam exantlatis, ſed quia viderant tam incommodam fortunam tam æquanimiter, tantaque cum voluptate toleraſſe, ut vermes, qui ex vivo illius cadavere ſcaturierant, gemmarum loco, & ſterquilinium velut thronum Regium, & juges pœnas pro ſumma gloria habuerit; itaque conſolati ſunt eum non de alio, quam quod jam pati ceſſaſſet. Nam ut vir juſtus quiſque præſentes ærumnas pro ſumma felicitate habet, felicitatem autem ærumnarum loco: ſic, dum bene cum illo agitur, ſolatio opus habet, dum autem exercetur incommodis, & afflictatur adverſis, nullius compaſſionem, aut commiſerationem requirit; quod enim optabilius animæ refrigerium quam pro Deo pati.

Idem S. 1. Sabb. poſt Cin.

XXXIV. Vide, quam veraciter dictum, pro Deo pati glorioſum eſſe: *Intonuit de cælo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam*, inquit David Pſ. 17. v. 14. De quo cælo David loquitur & quando Dominus dedit vocem ſuam, qui ſingulari myſterio hic Altiſſimus audit? S. Ambroſius l. 3. de fide c. 1. ait: Dubitari non poteſt, quod altiſſimus Chriſtus ſit, cum David dixerit de myſterio ſuæ paſſionis, *Altiſſimus dedit vocem ſuam*. Unde vocem ſuam dedit? E cælo crucis, quando pro hominibus duros, ac diros ferebat cruciatus, & loquebatur verba, quæ illum Evangeliſtæ pronuntiaſſe affirmant. Itane vero Regius Propheta nomine Altiſſimi donat cælorum Regem, quando illum probris dehoneſtatum, crucis ignominioſiſſimo ligno, flagitioſiſſimi, ſceleratiſſimique inſtar, fixum, tam ferali paſſioni expoſitum, Propheticis oculis inde arbitratur? Immo hoc agit, ut tali nos exemplo doceret, tam ſublimem rem eſſe, pro Deo pati, ut faſtigium ſuum ſupra omnia mundana, quamvis excelſa, attollat. Ergo bene dixi, felicem hanc navem numquam magis altam fuiſſe, quam cum alto in mari tempeſtatibus expoſita fuit. Nimirum tanta eſt ſublimitas, pro Deo pati.

XXXV. Altiſſimus fuit hac de re ſancti Cypriani cogitatus; qui, ut conſolatoriis litteris ſanctum Lucium Papam, propter fidei defenſionem exilio mulctatum confirmaret, rogabat, ut cogitaret, Roma ſe pulſum, non ut paſtor urbem deſtituere, ſed ut dignitate auctus aliquando reverteretur: Non ut Epiſcopus relegatus, & pulſus Eccleſiæ deeſſet, ſed ut ad Eccleſiam major rediret, inquit D. Cyprianus ep. 58. Ubi ad verba hæc extrema, ut major rediret, vos attentiſſimos velim. Sciſcitari hic lubet, quomodo Cyprianus dicere potuit. Lucium relegatum, & excuſare coactum eſſe, ut major rediret, qui Eccleſiæ Epiſcopus univerſalis erat, & Vicarius Chriſti, & quidam in terris Vice-Deus, ſi tantum ſimplex Sacerdos, aut etiam Epiſcopus qualiſcumque emigraſſet, atque in ipſo exilio ſummi Pontificatus honorem adeptus fuiſſet, recte dixiſſe Cyprianus videretur: Sed quod major redire potuerit, qui Pontifex ſummus exierat, id difficile intelligitur. Quid ergo eſt, quod dixit Cyprianus præclara quædam auxeſis, & exaggeratio fuit, qua D. Cyprianus exprimere voluit, quam ſublimis res ſit, pro Deo exilium, ſive aliud quidpiam pati, & indicare, ſi quis Pontifice ſummo altior eſſe poſſet, eum non alium fore, quam qui pro Dei honore ſive tutando, ſive aſſerendo, adverſa in hoc mundo tolerat. *Ibid.*

XXXVI. Tertullianus tantam ait fuiſſe olim Martyrum exiſtimationem, ut, qui ab Eccleſia, & fide, ſeu fragilitate, ſeu neceſſitate defecerant, tum vero erratorum & reatum ſuorum pœnitentes redire ad Orthodoxiam vellent, non prius admitterentur, quam Martyrum ſuffragiis & calculis, ex animo profeſſam reſipiſcentiam certam facerent. Pacem quidam in Eccleſia non habentes, a Martyribus in carcere exorare conſueverunt, inquit ille: & Pamelius in illorum verborum commentario: Vide quanta fuerit olim Martyrum auctoritas, quæ ſola facere fidem iis poterat, qui fidem deſeruerant, ut fidelium cætui denuo inſererentur. *Tertull. l. adverſus Mar. c. 2.*

Ju-

Jucunditas.

Ni Ten. in Phar. l. 7. c. 4. XXXVII. Dignum conſideratu eſt, quod amati Sponſo cum ſua chara Sponſa eveoit. *Meſſui myrrham meam cum aromatibus meis*, *ajebat* ille Canticn 5. verſ. 1. Indubitatum eſt, hoc loco nomine myrrhæ ſignificari omnes afflictiones, perſecutiones, calumnias, injurias, labores, & quæcumque pro Deo adverſa tolerantur. Quid opus dicere, quod ita ſentiant uterque Gregorius, Nyſſenus ſcilicet, & Magnus, Apponius, Philo, Iſidorus, Beda, & alii plures, cum res ſit tam nota, & vulgata? Quod ergo Sponſus Sponſæ ait, meſſuiſſe myrram ſuam amaram, perinde ſuit, ac ſi juſſiſſet venire, & pati perſecutiones, probra, ærumnas; ad myrrham, ad labores, & perſecutiones ſponſam invitat, inquiunt iſti Patres. Sed quem in locum eam vocat, cum ad amaram perſecutionum myrrham, & diram laborum tolerantiam invitari? *Veni in hortum meum, ſoror mea Sponſa*, dicit. Ad horti mei gratas amœnitates te voco, Gilbertus ſer. 40. in Cant. dicit: De craticula vocatur ad hortum, & dum io craticula erat, ab horto non aberat. Ab ardente laborum, & perſecutionum craticula (quæ eſt myrrha) vocata fuit Sponſa ad jucundum hortum, ut de ærumna tranſiret ad aliam, & de cruciatu hoc ad illum, & quandiu in his miſeriis verſata fuit, non exceſſit horto: De craticula vocatur ad hortum, & dum in craticula erat, ab horto non aberat.

Ibid. XXXVIII. Quid eſt præcipuum, inquit Seneca, in tolerantia ærumnarum? poſſe læto animo adverſa tolerare, quidquid acciderit, ſi ferre, quaſi tibi volueris accidere. Flere, queri, ingemere, deſciſcere eſt. Ita Seneca in Præfat. ad lib. natural. qq. Quod excellentiſſimum patientia habet, illud eſt, ut hoc a ſe obtineat, qui in ærumnis miſeram degit vitam, ut hilari animo adverſa ferat, lætoque vultu, cum riſu ea excipiat, & omnem infelicitatem, & calamitatem, tam gratanter admittat, ac ſi ipſe ſibi eam expetiiſſet, & acceriſſet. Hoc eſt præcipuum patientiæ inſigne; nam qui ſub onere ingemiſcit, qui plorat, & querulus eſt, ille ſupremæ Philoſophiæ partibus, & ſcholæ, quæ recte & generoſe patieodi diſciplinam tradit, obligationi minime ſatisfacit.

Opuſc. S. Fran. 10. n. c. 10. XXXIX. S. Franciſcus, qui talem fundavit Religionem, quæ veræ perfectionis, & ſanctitatis baſis eſt, & fundamentum, patientiam in ſuis primis Diſcipulis permagni æſtimavit, eo vel maxime, ut qualis ſinguli Spiritus eſſent, exinde experiri valeret: unde in Opuſculis ſuis ita ſcribit: Quamvis fratres Minores in omni terra dent bonum exemplum magnæ ſanctitatis, & ædificationis, ibi tamen non eſt perfecta lætitia; & quamvis frater minor illuminet cœcos, contractos extendat, Dæmones pellat, ſurdis auditum, claudis greſſum, mutis verbum reſtituat, & quod majus eſt, quatriduanum reſuſcitet mortuum, ibi non eſt perfecta lætitia. Etſi Frater Minor ſciret omnium gentium linguas, & omnes ſcientias, & ſcripturas, ita ut ſciret prophetare, & revelare non ſolum futura, ſed etiam conſcientias aliorum, ibi non eſt perfecta lætitia. Si Frater Minor loquatur lingua Angelica, & ſciat ſtellarum curſus, & virtutes herbarum, & ſint ei revelati omnes theſauri terrarum, & ſi cognoſceret virtutes, & proprietates avium, piſcium, animalium, hominium, radicum, lapidum, arborum, & aquarum, ibi non eſt perfecta lætitia. Etſi frater Minor ſciret tam ſolemniter prædicare, quod converteret omnes infideles ad fidem, ibi non eſt perfecta lætitia. Sed quando venimus ad locum S. Mariæ de Angelis ſic balneati pluvia, & frigore congelati, luto etiam deturpati, & fame afflicti, & ad portam loci pulſabimus, & veniet Portarius iratus diceos: Qui eſtis vos? Et nos dicemus: Sumus duo ex fratribus veſtris; Et ille e contrario diceret: Imo eſtis duo ribaldi, qui itis circumquaque per Mundum, pauperum eleemoſynam rapiendo, & non aperiret nobis, ſed faceret nos ſtare ad nivem & aquas, in frigore, & fame uſque ad mortem, tunc ſi nos tot injurias, & repulſas ſine turbatione & murmuratione toleraverimus patienter, & cogitaverimus humiliter, & charitative, quod ille Portarius veraciter nos cognoſcit, & quod Deus excitat linguam illius contra nos; ſcribe, quia ibi eſt perfecta lætitia; Etſi nos in pulſando perſeveraverimus, & ille tamquam importunus exeat contra nos, & duriſſime nos afficiat alapis dicens: Recedite hinc, viliſſimi pultrones, & ite ad hoſpitale, qui enim eſtis vos? Hic penitus non manducabitis; Etſi nos patienter hæc portabimus, & injuriati cum amore pepercerimus ex toto corde; ſcribe, quia ibi eſt perfecta lætitia; Etſi nos undique afflicti, fame urgente, frigore affligente, nocte inſuper appropinquante pulſabimus, clamabimus, & fletu inſtabimus, ut aperiat nobis, & inde ille ſtimulatus dixerit: Iſti ſunt homines procaciſſimi & protervi, & exiens cum uno fuſte nodoſo, capiens nos per caputium, ad terram ſuper nives & lutum projiciet, & nos verberabit cum fuſte, & nos plagis implebit, ſi tot mala, tot injurias, & verbera cum gaudio tolerabimus, conſiderantes, quod pœnas Chriſti benedicti tolerare, & portare debemus; ſcribe, & nota diligenter, quod ibi eſt perfecta lætitia, & audi concluſionem. Inter omnia charismata Spiritus S., quæ Chriſtus ſervis ſuis conceſſit, & concedet, præcipuum eſt, vincere ſeipſum, & libenter propter Deum, & charitatem Dei opprobria ſuſtinere. Ex qua tam ſancti & illuminati viri doctrinam evidenter colligitur veri ſpiritus, perfectæque ſanctitatis ſpecimen, a patientia longe clarius, quam a quocumque alio dono, aut virtute deſumi, & colligi.

§. XVI. MISCELLANEA.

Qualitas.

I. ABbas Neſtor interrogatur quomodo eo veniſſet, ut, ſi aliquid adverſi eveniret, non quereretur? Reſpondit: Quando *Vit. PP. c. 3. l. 18. n. 30.*

 intravi

intravi Ordinem, dixi animo meo; Tu & Aſinus unum eſtote: ſicut enim Aſinus vapulat, & non loquitur: injuriam patitur, & non reſpondet, ſic & tu; ſicut in Pſalmo legitur: Ut jumentum factus ſum apud te.

L. 3. n. 18. II. Abbas Nub, ut doceret patientiam practico exemplo, idolum aliquo mane lapidavit, noctu veniam ab eo petiit, cauſamque facti rogatus reſpondit: Sic injurias nos tolerare deberemus, ut hoc Idolum, quod neque ob injuriam commotum, nec ob veniæ petititionem elatum eſt.

Engelgr. Dom. 2. Quadr. in exord. ep. 92. III. Magnus Præſes Rhodiorum Equitum Franciſcus Villadumius ſolum in Symbolo habebat cum inſcriptione: Ubique ſimilis. Nam, ut recte Seneca advertit, ſolis vis & lux integra eſt: etiam inter oppoſita; Quoties inter nubila luxit, non eſt ſereno minor, nec tardior quidem. Sic virtus ſibi eadem eſt: & more ſolis obſcuri in occulto vim ſuam exercet. Hoc itaque adverſus virtutem poſſunt calamitates, & damna, & injuriæ, quod adverſus ſolem poteſt nebula.

IV. S. Nicolaus Staurophorus a portata cruce ſic dictus, cum ſæpius audiviſſet, ſuam poſt Criſtum crucem cuique portandum, ingentem ſibi crucem formavit, eaque onuſtus totam Italiam percurrit: Quacumque vero incederet, puerorum poſt ſe agmen trahebat, quos ad templum deductos ad preces Deo perſolvendas inducebat. Solo pane & aqua circa Veſperum tantum victitabat: Veſtis ex centonibus confecta: nudis pedibus incedebat. Crucem perpetuo aut in humeris, aut pedibus geſtabat, quam & pueris legavit, inter quos ad ſe evocatus, & orantes pie obiit.

Vit. 26. V. B. Magdalena de Pazzis dicere ſolebat; nos debere ſemper aliquid occultatum a creaturis, ſcilicet aliquam mortificationem vel materiam patientiæ aliis ignotam, & ſoli Deo notam habere, propter quam quotidie nos debeamus mortificare. Et hac via acquiſivit animum imperturbabilem, & continuam Dei preſentiam.

L. 1. rev. interr. 6. VI. Chriſtus S. Birgittæ dixit: Juſtitia mea eſt, ut unusquiſque juſtus obtineat, quod petit. Sed non eſt juſtus, qui pro obedientia & perfectione non appetit contraria. Ideo amici mei conſiderantes, quæ ego Dominus & Redemptor eorum feci & promiſi eis, ſimul attendentes, quæ in mundo eſt, malitiam, ad honorem meum, & ſalutem propriam & peccatum cavendum, petunt magis contraria mundi propter cautelam, quaſi proſpera.

Dial. c. 34. VII. Servi mei fideles lætantur ſe tribulari, & veſtiri pœnis & opprobriis Jeſu Chriſti crucifixi (dicebat æternus Pater S. Catharinæ Senenſi) Unde ſi poſſibile foret eis, habere virtutes abſque laborioſa pœna, non acciperent. Potius enim eligunt in cruce cum Jeſu Chriſto delectari, & cum pœna virtutem acquirere, quam alio modo vitam æternam habere, quia ſunt in ſanguine ſuffocati, & immerſi, ubi reperiunt ignitam charitatem meam, quæ charitas eſt velut ignis ſuccenſus a me procedens, qui rapit mentem eorum.

VIII. Male de te loquuntur homines, inquiebat Seneca, ſed mali. Moverer, ſi de me Cato, ſi Lælius ſapiens, ſi alter Cato, ſi duo Scipiones iſta loquerentur. Nunc malis diſplicere, laudari eſt. Non poteſt ullam authoritatem habere ſententia, ubi, qui damnandus eſt, damnat. *L. 2. de provid.*

IX. Magnus quidam Princeps juſſerat ſibi pro ſymbolo pingi cucurbitam aquis innatantem cum hac inſcriptione: Luctor, non mergor. Admirallus Cabotius vero ventoſam pilam ſeu follem habebat, addito epiphonemate: Concuſſus ſurgo. *Drexel. in gymn. patient. p. 1. c. 4.*

X. Bion Philoſophus dicere ſolebat: Non malum eſt, malum pati: At neſcire malum pati, hoc malum eſt. *Laert. l. 4. c. 7.*

XI. Perſis, ut Stobæus refert, mos erat, ut, ſi quem Civium Rex citari, & quantumvis innocentem flagellari juſſiſſet, ille ſic cæſus ampliſſimas ageret gratias, quod Rex ſui tam benevole meminiſſet. *Drexel. in gymn. patient. p. 1. c. 4. §. 4.*

XII. Diogenes interrogatus, quid in Philoſophia didiciſſet, reſpondit: Prævidere adverſa, &, cum advenerint, patienter pati. *Ib. c. 6. §. 4.*

XIII. Anaxagoras audiens mortem ſibi decretam, dixit: Jampridem ſententiam tulit natura tam in me, quam in eos, qui me damnant: Superveniente deinde alio nuntianti filios interiiſſe, ſcivi equidem, reſpondit, me mortales genuiſſe. *Ibid.*

XIV. Marcet ſine Adverſario virtus, inquit Seneca. Tunc apparet, quanta ſit quantum valeat, polleatque, cum quid poſſit, patientia oſtendit. *Senec. l. de provi. c. 2.*

XV. Et iterum: Ego non miror, ſi quando voluptatem capiunt Dii, dum ſpectant magnos viros colluctantes cum aliqua calamitate. Nobis interdum voluptati eſt, ſi Adoleſcens conſtantis animi feram venabulo excepit, ſi Leonis incurſum imperterritus pertulit, tantoque ſpectaculum eſt gratius, quanto honeſtior id fecit. *Ib. infra.*

XVI. Inter multa magnifica Demetrii noſtri, & hæc vox eſt: Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil unquam evenit adverſi; non enim licuit illi ſe experiri: indignus viſus eſt a quo vinceretur aliquando fortuna, quæ ignaviſſimum quemque refugit. *Ib. c. 3.*

XVII. Inter fortes Davidis quidam numeratur, qui Leonem interfecit tempore nivis. Nivis autem tempus eſt, cum nos fervor charitatis deſerit; quo tempore rugientem Leonis inſtar Dæmonem ſuperare, & bona edere opera, excelſi & conſtantis animi indicium eſt. *Granat. lo. co. 127*

XVIII. Heliotropium cum ſole ſe circumagit etiam nubilo die: tantus ſideris amor. Quidni idem potius faciat Dei amator; nam omni tempore diligit, teſte Salomone, qui amicus eſt, & frater anguſtiis comprobatur. *Prov. 17. in v. 17.*

XIX. Qui bene vult probare diſpoſitionem cordis, inquit Petrus Berchorius, tangat pulſum in ſiniſtra, quia Medici certius in hac, quam dextra eum explorari docent; ſimili modo, qui vult probare diſpoſitionem dilectionis, tangat, & probet hominem in adverſitate, quia certior eſt probatio, nam, teſte *L. 2. red. c. 14. n. 2.*

ſan-

Digitized by Google

ſancto Chryſologo, verus amor nonniſi paſſionibus probatur.

Pſ. 133. v. 2.

XX. In noctibus extollite manus veſtras, & benedicite Dominum, inquit S. David; facile enim eſt, ut bene advertit S. Auguſtinus, benedicere in diebus. Quid eſt in diebus? in rebus proſperis: Nox enim res triſtis eſt, die res eſt læta. Quando tibi bene eſt, benedicis Dominum, itaque & in noctibus benedicito. Quando benedixit Job? Quando triſtis nox erat. Ablata ſunt omnia, quæ poſſidebantur, ablatis filiis, quibus ſervabantur, quam triſtis nox. Sed videamus, ſi non in noctibus benedixit: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt: Sit nomen Domini benedictum.

Senec. l. de prov. c. 4.

XXI. Miſerum te judico, quod numquam fuiſti miſer: Tranſiſti ſine adverſario vitam. Nemo ſciet, quid potueris, ne tu quidem ipſe. Opus eſt enim ad notitiam ſui experimento. Militares viri gloriantur vulneribus, gubernatorem in tempeſtate, in acie militem intelligas. Calamitas virtutis occaſio eſt. Dux lectiſſimos mittit, qui nocturnis hoſtes aggrediantur inſidiis. Nemo eorum, qui exeunt, dicit: Male de me Imperator meruit, ſed bene judicavit.

Fab. co. 3. in Do. 23. Poſt Pen. l. c. n. 4.

XXII. Trina commendatione non indiget, inquit Auſonius: Sapiens oratio, cum profertur: Bonum vinum, cum bibitur: Vir bonus in clamitatibus.

Id. co. 8. in Sexag.

XXIII. Cum S. Clemens Papa a S. Barnaba converſus, & ad S. Petrum miſſus, ad hoc juſſus eſſet poſtero die ad diſputationem cum Simone Mago inſtituendam comparere. Simon autem tridui dilationem petiiſſet, dolente ob dilationem hanc S. Clemente, dixit eidem S. Petrus: Gentiles turbantur, cum res non accidunt ex voluntate, uti deſiderant: At nos Chriſtiani qui ſcimus Deum gubernare & moderari res omnes, in quolibet rerum eventu in pace conſiſtimus, & conſolatione.

Virgil. Æneid.

XXIV. Quod Æneas olim ſociis accinit, id ſibi quiſque merito applicet.

O Socii; (neque enim ignari ſumus ante malorum)
O paſſi graviora! dabit Deus his quoque finem.
Forſan & hæc olim meminiſſe juvabit.
Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis.

Ovid. l. 2. de remed. amor.

XXV. Sed & memoria dignum, quod Ovidius cecinit:

Dura aliquis præcepta vocet mea, dura fatemur.
Eſſe: Sed ut valeas multa dolenda feres.
Sæpe bibi ſuccos quamvis invitus amaros
Æger, & oranti menſa negata mihi eſt.
Ut corpus redimas, ferrum patiaris & ignes;
Arida nec ſitiens ora levabis aqua.
Ut valeas animo, quidquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore majus habet.

XXVI. Leniter, ex merito, quidquid patiare, ferendum eſt.

Quæ venit indigne pœna, dolenda venit.

Qualitas Patientiæ in morbo.

Nadaſi in anno pueri Jeſu hebd. 22. n. 8.

XXVII. S. Mechtildis ait, viſum a ſe Chriſtum periculum in medio devotarum animarum a B. Virgine elevari, quo tempore ex ipſo velut fonte pretioſiſſimi balſami odoratus liquor in omnes exundabat, quem proinde ægri petere, atque imaginari debent, quod B. Virgo ipſis cordi Filii ſui applicatis dicat: In hoc fonte omnem amaritudinem veſtram dulcificate: & omnia tentamenta veſtra devincetis.

XXVIII. Joannes Anachoreta, cum quidam ab eo peteret, ut a febri tertiana eum liberaret, reſpondit: Rem tibi neceſſariam cupis abjicere, ut enim ſapone panni lavantur, ſic mentem morbi eluunt. Corporis morbus, animæ ſalus. Virtus in infirmitate perficitur. *Ruffinus in vita Joan.*

XXIX. Egregie ad hunc finem Seneca ait: Dolor imminet. Si exiguus eſt, feramus: levis eſt patientia. Si gravis eſt feramus: non levis eſt gloria. Dolor clamorem exprimat, dum ſecreta non exprimat. Non poteſt homo par eſſe dolori, nec rationi dolor. Dura res eſt dolor, immo tu mollis. Pauci dolorem ferre potuerunt. Simus ex paucis. *In exter.*

XXX. S. Joannes dicit Reguli filium in Capharnaum (quod idem ſignificat, ac villam conſolationis) fuiſſe infirmatum, ut ſignificaret, ſemper Deum ſuis conſolationibus adverſitates miſcere, ut Medicus poſt amarum poculum dulces cupedias ſolet offerre. *Nyſſen. in Dom. 20. poſt Pent. perioch. 1.*

XXXI. Ægrum corpus cogitationes ſanas parit, ſecundum commune proverbium. Hinc Zacharias dixit: Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus in remiſſionem peccatorum eorum. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos, oriens ex alto. *Luc. 1. v. 77.*

XXXII. Si duellum tibi eſſet cum altero, gauderes utique hoſtem ab amico tuo debilitari; cur ergo non pariter gaudes, corpus, cui perpetuus cum anima conflictus eſt, per morbos infirmari? *Anonym.*

XXXIII. Si infirmitas alas addit, quibus ad Deum citius pervenitur, juxta illud Davidis: Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt: Cur triſtetur æger, ſi occaſio offeratur, citius ad finem optatum perveniendi? *Id. Pſ. 15. v. 4.*

XXXIV. Pertrarcha infirmum gravi morbo afflictum ſic ſolatur: Adverſa valetudo eſt inquis. At eſt valida hortatrix parſimoniæ, dehortatrixque libidinum, & Magiſtra modeſtiæ. Comes injucunda, ſed fidelis, quæ te crebro vellicet, iter ſignet, & conditionis admoneat, optimum in periculis, monitor fidus. Febribus æſtuo, ait: Omnes hi contra naturam motus plus habent impetus, quam diuturnitatis, & ſæpe duorum facit alterum, aut corpus expurgat, aut animam abſolvit. Felix incendium breve, quod æterni refrigerii cauſa eſt. Eris jam valetudinis bonæ æſtimator idoneus. Vos enim homines Dei dona niſi amiſſa vel intermiſſa non noſcitis, ingratum genus. Valetudo extrema ſine remedio eſt: Sile & gaude ruinoſo carcere vinctum te, egrediere facilius ac citius. *L. 2. Dialog. 2.* *L. 2. Dialog. 114.*

Qualitas Patientiæ in contempta.

Seneca. XXXV. Nondum felix es, ſi te tutba nondum deriſerit, inquit recte Seneca.

Idem. XXXVI. Si beatus eſſe vis, hoc primum cogita, contemnere, & ab aliis contemni.

S. Greg. XXXVII. Qualis quiſque apud ſe lateat, illata contumelia probat, teſte S. Gregorio.

Anonym. XXXVIII. Si Doctorem, qui te promovit ad gradum in aliqua ſcientia, amas & hooores, quidni & contemptum, qui te promovit ad gradum in ſcientia Chriſti.

Idem. XXXIX. Si gaudes debitum tibi ab aliis perſolvi, cur oon etiam de contemptu lætaris, qui tibi vel maxime eſt debitus?

Idem. XL. Qui ſe vilem eſſe agnoſcit, vituperationes, tamquam ſuas ſententias, quietus ſuſcipit: laudes vero, tamquam non ſuas reſpuit.

Idem. XLI. In omni cura, quam pro te ipſo geris, non eſt ullum officium vel medicamentum tibi utilius, quam teipſum vituperare, & contemnere. Quicumqpe ergo hoc facit, Adjutor eſt tuus; hoc enim agit, quod tu agebas, ut [illegible]re debuiſti, ut ſalvus fieres.

Qualitas Patientiæ in morte charorum.

Senec. in conſol. ad Polyb. c. 7. XLII. Aſpice mutorum animalium quam ſint concitata deſideria, & tamen quam brevia. Vaccarum uoo die, alterove mugitus auditur. Nec diutius equorum vagus ille, amenſque diſcurſus eſt. Feræ cum veſtigia caulorum conſectatæ ſunt, & ſilvas pervagatæ, cum ſæpe ad cubilia expilata redierint rabiem intra exiguum tempus extingunt. Aves cum ſtridore magno inanes nidos circumfremuerunt, intra momentum tamen quietæ, volatus ſuos repetunt. Nec ulli animalium fœtus ſui longum deſideriom eſt, niſi homini qui adeſt dolori ſuo, nec tantum, quantum ſentit, ſed, quantum conſtituit, afficitur?

Idem in conſol. ad Marciam c. 13. XLIII. Movet lugentem deſiderium ejus, quem dilexit? Id per ſe tolerabile apparet; abſentes enim abſuturoſque dum viverent, ooo flemus, quamvis omnis uſus illorum nobis, & conſpectus ereptua ſit. Opinio ergo eſt, quæ nos cruciat, & tanti quodque malum eſt, quanti illud taxavimus. In noſtra poteſtate remedium habemus. Judicemus illos abeſſe, & noſmetipſi fallamus. Dimiſimus illos, imo conſecuturi præmiſimus.

Vita. XLIV. S. Sebaſtianus amicos Marci & Marcelliani ſic ſolabatur: Nolite timere, non ſeparabuntur a vobis, ſed vadunt vobis præparare ſidereas remiſſiones, in quibus una nobiſcnm, & cum filiis veſtris io perpetuo gaudio maneatis. Nolite, o amici, revocare, quos diligitis, a vita ad mortem, a gaudio ad luctum, a lumine ad tenebras.

In orat. funeb. XLV. S. Ambroſius ſic ſe ſolabatur in morte Fratris: Quid te, mi Frater amantiſſime, lugeam? non enim perdi uſum tuum, ſed commutavi: ante in corpore inſeparabilis, nunc individuus affectu; manes enim mecum, & ſemper manebis. Numquam te Patria mihi eripuit, nec mihi Patriam prætuliſti, & nunc alteram præſtitiſti. Cœpi enim jam non eſſe ibi, pergimus, ubi melior mei portio eſt. Numquam ſi quidem in me totus ſui, ſed in altero noſtri pars major amborum. Uterque autem eram in Chriſto, in quod & ſumma univerſitas, & portio ſingulorum eſt.

XLVI. Si floſculum ex horto decerptum non doles, ubi vides Deo in altari conſecrari; Cur doles recentes floſculos liberorum in cæleſte templum translatos? Si theſaurum tuum gaudes in tuto loco collocatum, cur liberos (de quibus forte dicas cum Anna Tobiæ conjuge: omnia in te habentes, oon debebamus dimittere te) in cæleſti tutiſſimaque arca collocatos triſtaris? Si eoſdem e periculo vitæ, v. g. incendio liberatos gratularis, cur a periculo inferni ereptos luges? Si gaudes e bello reducem, glorioſe in Patria receptum, cur vitæ, quæ militia eſt, teſte Job finem impoſuiſſe, & in cæleſti Patria, æterna pace frui doles? Si liberis quietum ſomni quotidianum non neges, cur ſomnum mortis, quem felix adeo reſurrectio ſequetur, negare audes? *Anonym.*

XLVII. Recte quidam ſuaſit, ut amicos mortuos Illud Chriſti nobis dicentes imaginamus: Expedit vobis, ut ego vadam; Si enim non abjero, Paraclitus non veniet ad vos. Quia ſcilicet In nobis ſolatium quærentes; illius ſolatio indignos vos redderetis. *Idem.* *Jo. 16. v. 7.*

XLVIII. Franciſcus Petrarcha lugentem mortem conjugis ſic ſolatur: Uxorem, inquis, perdidi: O clemens, Hymeneum care. Nunc eſt tempus coronarum, vinctum vidimus, dignioribus jam ſertis accingere. Magno prælio viciſti, & longa obſidiooe liberatus es. Numquam tibi fortaſſis opimiorem queſtum una lux attulit. Quantis compedibus colapſus es: quanto naufragio enataſti. Vacuo nihil mollius cubili eſt, nihil durius occupato, animis dulces ſomnos, & vigilias honeſtas amantibus, honeſtum aliquid altumque verſantibus, nihil egregiis cœptis infeſtius muliebri conſortio. Perdidiſti Uxorem, inveniſti libertatem, cælibatum, pacem, ſomnum, requiem. Jam tranquillam ſine litigio noctem ages, & ſine adverſario jam tui, rerumque tuarum dominus eſſe incipies. Ante lucem licluto matutinus domo egredi, veſpertinus regredi, ſolus cum quibus voles, totos dies agere, nullo rationum exactore permittaris. Stulti eſt, compedes ſuas, quam aureas amare. *L. 2. Dialog. 18.*

XLIX. Idem triſtitiam ex morte amici dilecti obitu conceptum ſic mitiget: Amicus fideliſſimus obiit: In memoria tibi ſepelindus eſt tua, ubi clam ſæpe tecum ſit, & numquam totus obierit: qui ſi tibi forte aliter, quam morte perierit, non tu amicum, ſed opinionem falſam amicitiæ perdidiſti. Amici corpus eripere mors poteſt, non amicitiam, nec amicum. Non eſſet tanti pretii amicus, ſi tam facile perdi poſſet. Si rite colis amicitias, nec tibi veteres deſunt, nec novi deſuerint amici, quin ex hoſtibus tibi amicos ea quidem reddet opinio. *L. 2. Dialog. 12.*

Qualitas Patientiæ in damno rerum temporalium.

L. Omnia mea mecum porto, inquiebat olim Bias; neque enim ſunt bona, teſte S. Ambro- *Anonym.*

Digitized by Google

broſio, quæ ſecum quis ferre non poteſt, cur ergo aliquid ereptum quereris? Omoia perdidiſſe debueras, cur partem amiſſam doles? nihil perdidit, qui ſeipſum poſſidet. Cogitas, *Seneca.* quid perdideris, non quid evaſeris. Eris nunc in vita expeditior, domi tutior. Exoneravit te fortuna, ſi intelligis; & tutiore poſuit loco. Damnum putas? remedium eſt: non tam moleſte ferres, ſi tamquam perditurus habuiſſes.

Anonym. LI. Areoam ſi ex veſica amiſiſſes, gauderes; Cur oon potius, ſi aurum ex animo & maoibus ereptum advertis, quæ majus tibi tormentum & damnum cauſant?

Idem. LII. Palmes, ſi ſaperet, gauderet abſcindi partes ſuperfluas: Cur non & tu res temporales, quæ impediunt, ne vinum gratæ & ſpiritualis lætitiæ cor tuum progerminet.

Idem. LIII. Teſte Sacra Scriptura, magna gloria eſt, ſequi Dominum; quid ergo erit conſequi; Cur ergo non gaudes, te exoneratum rebus temporalibus, ut facilius Chriſtum conſequaris? de quo S. Hieronymus: Chriſtus eſt omnia, ut, qui propter Chriſtum omnia dimiſerit, uoum inveniat præ omnibus, & libere poſſit clamare: Pars mea Domious.

Nieremb. in l. de ador. l. 5. c. 13. LIV. Quis ſub magna mole preſſus, pondus ſubtrahi queritur? Quis Domino depoſitum repetente non prompte dimittit? quis cancro laborans, non ultro offert infectam partem, ut præſciodatur? quæ mulier in adulterio deprehenſa dolet, ſi ſolus adulter auferatur?

L. 2. c. 13. LV. Petrarcha ex pecuniæ jactura dolentem ſic ſolatur: Pecuniam amiſi, inquis: Et laborem cuſtodiæ, & petdendi metum amiſiſti. Sic perdendo pecuniam, duo bona, unumquodque præſtantius amiſſo: ſecuritatem & requiem inveniſti. Quid cæleſti animo cum terreſtribus purgamentis? qui virilius philoſophantur, argentum atque aurum inter bona non numerant; qui mollius bona dicunt, ſed non animi: horum quidquid elegeris, ſive non bonum, ſive non tuum fuit, æque nulla tibi eſt materia querelarum. Si tameo te adeo non tuæ quoque cruciant jacturæ, tibique vel alienum aliquid demi doleas, diſce illa conquirere, quæ tua ſiot propria, atque perpetua, quorum & acquiſitio facilior, & poſſeſſio nobilior, certiorque. Virtutem ſi acquiſieris, non amittes. Clamant ab adverſo doctiſſimorum voces hominum: clamat experentia & veritas: clamat vetus & recens exemplorum turba, magnam pecuniam nulli utilem, multis fuiſſe peſtiferam, cum peccato ac labore quærendam, cum labore ac ſollicitudine ſervandam, cum querelis ac mærore perdendam. Dicant pecuniæ amatores, quid vel in his verbis falſi, vel ſuis opibus boni ſit.

Neceſſitas.

Lanciz. op. 2. c. 1. n. 5. LXI. Solon legiſlator Athenienſium dicebat: Urbes atque oppida, nihil aliud eſſe, quam humanarum ærumnarum domicilia, quibus luctus, mœrores, triſtitiæ mortalium, quaſi ſeptis includantur.

LVII. Nulla domus, inquit Seneca, in toto Orbe terrarum aut eſt, aut fuit ſine comploratione. *L. de conſo. c. 15.*

LVIII. Mortalis nemo eſt, quem non attingat dolor, dixit recte Euripides apud Ciceronem. *Tuſc. 3.*

LIX. Natura hominem natali die abjicit ad vagitus ſtatim, & ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrymas, & has protinus in vitæ principio. Cauſam reddit S. Cyprianus: Ut vitæ mortalis calamitates & labores, quos ingreditur in exordio ſuo, rudis anima teſtetur. Hinc S. Auguſtinus hominem in nativitate plorantem, vocat Prophetam calamitatis. *Plin. ap. Lanciz. opuſc. 3 c. 6. n. 181.*

LX. Seneca ait, offendi iſtis rebus, tam ridiculum eſſe, quam queri, quod ſpargaris in publico aut inquineris. Eadem vitæ conditio eſt, quæ balnei, tubæ, itineris. Per ejuſmodi offenſas emetiendum eſt confragoſum hoc iter: præparetur animus contra omnia, ſciat veniſſe, ubi luctus & ultrices poſuere cubilia curæ. In hoc contubernio vita degenda eſt: Effugere iſta non potes, contemnere potes; contemnes autem, ſi ſæpe cogitaveris, & futura præſumpſeris. Nemo non fortius ad id, cui ſe diu compoſuerat, acceſſit. *Cyp. de bono patientiæ. ep. 109.*

LXI. Quercus arundinem rogans, quid facere debeat, ut & ipſa, ſicut arundo, a ventis incolumis exiſtat? audivit, non aliud ſupereſſe medium, quam ut ipſa quoque ventis ad ejus exemplum cedat, pronoque corpore eos adoret. *Drexel. in gymn. pat.*

LXII. Dicuntur, Jove Judice, litigaſſe voluptas & dolor, neque alter alteri ceſſurus videbatur. Ad quos Jupiter, bene eſt, inquit, ita componam vos, ut dirimi nequeatis. Hinc *Ib. §. 2.*

Semper odoriferis proxima ſpina roſis.

LXIII. Nulla dies ſine nubecula, dicebant olim Majores noſtri. *Ibid.*

Utilitas.

LXIV. Rex quiſpiam ſuis in mari convivium inſtruens, finita menſa omnia vaſa & mappas in mare projici juſſit; cumque Convivæ omnia haud dubie perdita putarent, gemerentque, ſubito contractis, quæ occulte expenſa fuerant, retibus, cum magno piſcium multorum fœnore recuperata viderunt. Idem contingit illis, qui rerum ſuarum jacturam propter Deum libenter faciunt, aut patiuntur. *Drexel. Roſ. 1. c. 14. v. 4.*

LXV. Amicum ægrum & ioopem quis inviſens, cum jam habitum pararet, cervicali velut ægrum levaturus, manus, ſed etiam aureos aliquot ſuppoſuit, ut rubori ſimul, & neceſſitati infirmi conſuleret. *Idem.*

LXVI. Quidam ad ſignificandam patientiam in emblemate Carduelem inter ſpinas pinxit cum hoc lemmate: Alios pungunt, me paſcuot. Alius facem, quam nonnemo agitatione extinguere conatur, cum ioſcriptione: Agitata revivo. Alius rupem repercutieotem fluctus, cum lemmate: Conaotia frangere frango. *Anonym.*

LXVII. Cum S. Gertrudis, turbata eſſet, dicebat ei Chriſtus: Ne contriſtare, dele- *L. 3. in ſin. c. 63.*

ctor

ſtor enim tua cohabitatiooe, ideo ut mecum maneas, mitto tibi amicos contrarios, ut, dum in nulla creatura fidelitatem reperis, ad me plenius recurras.

Hom. 4. ad pop. LXVIII. S. Chryſoſtomus vocat eos, qui perſequuntur bonos, eorum agricolas, eo quod illos ſuis perſecutionibus velut aratro proſcindant, & fertiles faciant.

Dignitas.

L. 4. in fin. c. 54. LXIX. Idem S. Gertrudi dixit, ſe ideo præ cæteris creaturis, quæ in humanitate ipſi deſerviant ad commoda corporalia (ut ſunt vaſa, quibus in infantia balneatus eſt) multo majorem honorem ſpineæ coronæ, lanceæ, cruci &c. cootuliſſe, ut & ipſi dilecti adverſariis majorem amorem, quam benefactoribus impenderent.

Lyræus l. 1. apophth. 7. LXX. S. Franciſcus Saleſius quæſitus, quæ optima foret patiendi materia? Reſp. Quæ tota a Deo ſit, oihilque contineat noſtri: qui enim ſe voluntariis afflictionibus caſtigat, ille ſub Chriſti vexillo, pedeſter miles eſt: qui autem a Deo immiſſa patienter tolerat, eques eſt. Id quod per viſionem S. Henrico Suſoni factam, & ſupra §. 5. n. 5. narratam, confirmatum eſt.

4. p. Chr. S. Franc. l. 7. c. 24. LXXI. B. Baptiſtæ Veranæ alias dixit Chriſtus: Cognoſce & gratias age Deo, quod non merearis, ut tibi faciat tantum bnnum, facere te conformem mihi per viam paſſionis. Quia hæc eſt veſtis nuptialis, qua ego verus ſponſus tuus fui ſemper veſtitus. Scias etiam poſt bonam voluntatem, hanc eſſe rem pretioſiorem, quæ tibi a Deo dari poſſit, mala pati.

Lancic. opuſc. 9. n. 36. LXXII. Chriſtus quando oravit Patrem pro te in Cruce, non appellavit Patrem, dicendo: Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Quando autem pro inimicis oravit, Patrem, vocavit, quia hoc actu ſe verum Dei Filium oſtendit. Unde & Centurio nnn prius eum agnovit Dei Filium, quam orantem pro inimicis audivit, tunc eoim dixit: Vere Filius Dei erat hic homo.

L. 4. in fin. c. 24. LXXIII. Dum S. Gertrudis offerret Domino omnem tolerantiam, quam in corpore & Spiritu ſuſtinebat, & omnem delectationem, qua tam in Spiritu, quam carne fruebatur, apparuit illi Dominus, illa duo, quæ ſibi obtulerat, ſcil. delectationem, & tolerantiam, in ſpecie gemmatorum annulorum, quaſi pro ornamento, utriſque manibus ferens. Unde collegit, quod ſicut annulus ſignum eſt deſpenſatinnis, ſic adverſitas tam corporalis, quam ſpiritualis veriſſimum ſignum eſt electionis divinæ, & quaſi deſponſatio animæ cum Deo.

L. 3. in fin. c. 22. LXXIV. Eidem alias dixit Chriſtus: Omnis, qui voluntatem ſoam ad aliquod gravamen cauſa mei perferendum ſponte mihi offert, ille veraciter poteſt gloriari, & gloriando nunciare, quod amore mei langueat, dum in gravamine patiens, & mihi intendens perſeverat. Tunc iſta, & quid, inquit, tu amantiſſime, ex tali Nuntio lucrari pnteris? Reſp. Dominus: Talis Nuntius eſt delectatio meæ divinitatis, honor humanitatis, amœnitas oculorum, & laus aurium mcarum.

Lyræus l. 2. apophth. 2. LXXV. Nobile vincendi ſtudium patientia: vincit.

Qui patitur ſi vis vincere, diſce pati.

Seneca l. de Prov. c. 3. LXXVI. Brevem tibi formulam dabo, qua te metiaris, qua te perfectam eſſe jam ſentics: Booum tunc habebis tuum, cum intelliges, infeliciſſimos eſſe felices.

Exod. 1. v. 16. LXXVII. Pharao Rex Ægypti maſculos interfici juſſit; Diabolus autem eos, quos maſculo ac generoſo animo vitia fugere, virtutem & perfectionem ſectari videt.

L. Dial. c. 10. LXXVIII. S. Henricus Suſo dixit: Si centum annis & flexis genibus oremus Deum, oon ſumus digni, ut crucem unicam accipiamus.

In Bulla Canoniz. LXXIX. S. Catharinæ Senenſi dixit Deus: Arboris medulla, videl. affectus veræ charitatis exiſtentis io anima, eſt invicta patientia. Quæ ſignum eſt evidens, ac apertiſſime demonſtrans, animam in me pariter conſiſtere, & in ea me per gratiam eſſe.

Senec. l. de conſol. c. 1. LXXX. Invulnerabile eſt, non quod non feritur, ſed quod non læditur. Et ex hac tibi nota ſapientiam exhibeo. Quid igitur? Non erit aliquis, qui ſapienti facere injuriam tentet? Tentabit, ſed non perventuram ad eum: majore enim intervallo a contactu inferiorum abductus eſt, quam ut ulla vix noxia uſque ad illum vires ſuas perferat.

Hom. 5. ad popul. Antioch. LXXXI. S. Chryſnſtomus fimum, in quo ſedebat B. Job omni tribunali regio eſſe venerabilius ait: Et multi nunc longam tranſmarinam peregrinationem a terræ finibus ſuſcipientes in Arabiam abeuot, ut fimum illum cernant, & conſpicati terram deoſculentur, quæ illius victoris certamina, & cruorem omni auro pretioſiorem excepit.

Fab. conc. 6. in Feſto. S. Barthol. LXXXII. Viliſſima res eſt purpura, ex conchyliorum genere; poſtquam tamen Imperatores ejus ſanguine veſtes ſuas tingere cœperunt, nemo non veneratur illam, & maximo ſibi hnnori ducit, purpura donari. Pari modo etſi tribulationes per ſe ſint viles, & abominabiles, poſtquam tamen eas Chriſtus ſua patientia condecoravit; merito omni veneratiooe, & amore dignæ eſſe cœperunt.

Nyſſen. in Sabb. poſt. Cin. per 5. LXXXIII. In Geoealogia Chriſti ſolus David, & quidem bis, Rex appellatur, ut intelligeremus, quantum antecellat is qui pro Deo patitur, illis, qui in domo Dei ſioe tolerantia calamitatum verſantur.

Idem period. 5. in Dom. Sexag. LXXXIV. S. Ephrem dicit: Immanes feræ in medio ſui videntes Prophetam Danielem, inclinantes ſe *adorabant* illum: quia ut nemo Deo magis ſimilis eſt, quam qui patitur pro illo, ſic leones, cum Danielem afflictum viderunt, pro Deo, ac ſi Deum quendam viderent, venerabatur.

Ann. Eccl. t. 13. an. 1274. n. 13. LXXXV. Rudolphus Auſtriacus jam coronatus cum ſceptrum deeſſet, quo fidelitatis Sacramentum a ſubditis, exciperet, crucem ardenti manu arripuit, & dixit. Ecce ſignum, in quo nos, & totus Mundus redemptus eſt: & hoc ſigoo utamur loco ſceptri: ſimulque oſculo fixo Principibus contingendum obtulit.

Jucunditas.

LXXXVI. Stephanus Eduenſis Antiſtes il-

lud

Digitized by Google

Ap. Drexelius in Gymnaſ. patient. p. 3. c. 2. §. 5. lud Deuteronomii: Innundationem maris quaſi lac ſugent: Sic expiicat. Innundatio maris abundantia tribulationis, quæ tunc ſugitur, cum dulcis a juſtis reputatur. Lac nutrimentum parvulorum tribulatio pabulum ſit electorum. Eluviem hanc maris utique ſuxit, qui dixit: Sed & gloriamur in tribulationibus.

Idem. LXXXVII. Ludovicus Granatenſis de viro quodam Religioſiſſimo reſert, quod undequaque tribulationibus ſeptum ſe videns dixerit: Bonum, quod expecto, tam immenſum eſt, ut omne ſupplicium omneque tormentum mihi ſit voluptas.

Vita p. 4. c. 27. LXXXVIII. Chriſtus olim B. Mariæ Magdalenæ ecſtaſi poſitæ dixit: Nihil ſcias, nihil velis, nihil poſſis, nihil ſis, & omnia poſſidebis. Dura eſt portatu nuda crux abſque crucifixo: Sed verum eſt etiam, quod præmium ſit majus.

§. XVI. AXIOMATA.

S. Chryſ. 33. I. PErſecutorem, qui provocat, facit: corrigit, qui declinat.

Drexel. in Roſis p. 2. c. 3. §. 9. in ſi. II. Non quid feras, ſed, quemadmodum feras, intereſt.

III. Speremus, quod volumus; ſed, quod acciderit, feramus.

IV. Feras, non culpes, quod vitari non poteſt.

S. Greg. V. Cuivis dolori remedium eſt patientia.

Mutius Scævola. VI. Agere & pati fortia, Romanum (aut potius Chriſtianum) eſt.

Philo Carpat. VII. Bene facere, & mala pati, Chriſtianum eſt.

S. Greg. hom. 35. in Ev. VIII. Tanto quiſque oſtenditur minus doctus, quanto convincitur minus patiens (*ſive*: Tanto minus quiſque, eſt doctus, quanto minus patiens.)

Drex. ib. IX. Doctrina viri per patientiam noſcitur.

Prov. 19. X. Nil crus ſentit in nervo, cum animus fuerit in cælo.

Tertull. cap. 2. ad Martb. XI. Non ſentire mala ſua, non eſt hominis: Non ferre, non eſt viri.

Senec. de conſid. ad Polyb. XII. Non minor eſt victoria, hoſtem tolerare, quam vincere.

Ibid. XIII. Melior eſt conditio patientis injuſte, quam agentis.

Epiſtet. XIV. Sapientiæ comes patientia.

XV. Si veram cupias addiſcere Philoſophiam.
Plurima ſuſtineas, pluribus abſtineas.
Patientia vincit omnia.

§. XVII. AUTHORES.

I. Nicolaus Lancizius opuſc. 9. toto & opuſ. 3. a c. 5. uſque ad 8.

II. Franciſcus Arrias tom. 2. tr. 9.

III. Antonius Gaudier de natura perf. p. 2. a c. 13. uſque ad finem. Idem p. 4. c. 21.

IV. Jeremias Drexelius in Gymnaſio patientiæ. Idem in Roſis p. 3. c. 5.

V. Alphonſus Rodriquez p. 1. tr. 8. a cap. 16. uſque ad 30.

VI. Euſebius Nicrembergius in doctrinis Aſceticis l. 6. doct. 7. Item in l. de adoratione in Spiritu & veritate, l. 1. c. 15. 28. & l. 2. c. 7. & 11.

VII. Petrus Sanchez in regno Dei p. 6. c. 8.

VIII. Hadrianus Lyræus in Apophtegmatis S. Ignatii apopht. 8.

IX. Bernardinus Roſignolius de diſcipl. l. 4. c. 31. & de actibus virtutum, l. 2. c. 22.

X. Lucas Pinellus l. 3. de perfect. c. 5.

XI. Joſephus Manſi Bibl. mor. tract. 68.

XII. Jacobus Corenus in Clypeo Patientiæ.

TITULUS CXII.

PAUPERTAS.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

Iac. Alv. to. 2. l. 3. p. 2. c. 9. §. 11. I. EST virtus, qua moderamur appetitum poſſidendi res naturales, & ſolis neceſſariis ſecundum rationem ſtatus contenti ſumus. *Idem l. 3. p. 3. c. 1.* Vel, eſt omnium rerum temporalium, ob amorem Dei & deſiderium perfectionis, voluntaria abdicatio; ita, ut, quemadmodum S. P. Ignatius dicere ſolebat: *Lyræus in apoph. 1.* Inſtar ſtatuæ ſe gerens, nec reſiſtat, nec recuſet, quo minus omni quamvis pretioſo amictu & ornatu confeſtim exuatur. Vel, ut Theologi, *S. Ign. l. de bono* teſte Hieronymo Plato explicant, jumenti inſtar, utatur quidem ſtabulo, frumento, fæno, tegumentis, non tamen hæc poſſideat ſed potius poſſideatur ab alio. Quo modo Caſſianus *Stat. relig. c. 1. l. 5. c. 31.* Monachos ſuæ ætatis conſtitutos, fuiſſe dicebat, ut ne verbo quidem quiſpiam auderet ſuum aliquid dicere magnumque eſſet crimen, ex ore Monachi proceſſiſſe: Codicem meum; tabulas meas, tunicam meam.

Diviſio.

L. 6. fol. 323. II. Dividitur in tres ſpecies, teſte Laurentio Beyrlink. Prima eſt eorum, qui incidentem paupertatem propter Deum ſuſcipiunt, eamque divitiis ſpe regni præferunt. Secunda eorum, qui facultates multas ita poſſident, ut tamen parati ſint, eas, quandocumque ratio pietatis exigerit, abjicere, vel dimittere. Tertia eorum, qui ſponte propter Chriſtum omnia ſua reliquerunt; & hæc iterum in duas claſſes ſubdividitur, illam ſcil. qua nihil omnino nec communiter, nec privatim poſſidetur, qualem S. Franciſcus, & plures alii ejus exemplo permoti, tenent; alteram, qua in commune tantum neceſſarii reditus poſſidentur, qua forma, inquit Platus, veteres omnes Patres *L. 2. de bon. Stat. rel. c. 6.* uſos eſſe conſtat, ut SS. Bernardum, Brunonem, Baſilium, Benedictum, quorum poſtremus hic tam amplas in ſuis Monaſteriis facultates poſſidebat, teſte Trithemio, ut ſi omnes ei manſiſſent, tertiam Orbis partem poſſeſſurus fuiſſet.

Actus.

Paupertatis Religioſæ.

III. *Nihil accipere aut dare ſine facultate*: Quia

In vita reg. p. 3.

Quia Religioſo nihil penitus juris in temporalia aut eorum uſum remanet; nec quidquam definite debetur, ſed ſolum neceſſaria indeterminate, hoc eſt, ad arbitrium Superioris. Hinc teſte Hugone Rott, antiquum eſt verbum: Quidquid Regularis acquirit, non ſibi, ſed Ordini ſeu Monaſterio acquirit, & quidquid eidem a Præſidibus porrigitur, gratuitum eſt donum, non debitum.

IV. *Nulla re tanquam propria, aut ſine facultate uti*: Cum Religioſus paupertatem profeſſus perindenullius rei habea dominium, ac Peregrinus in hoſpitio divertens, cui utique nihil uſurpare licet, ſine generali vel particulari Cauponæ aut Hoſpitis facultate.

c. 7. ſ. 2. S. Augu. ap. Lanz. opuſ. 3. n. 322. p. 3. Vita reg. c. 27. ſ. 4. n. 4.

V. *Nihil ſuperfluum retinere*: Melius eſt enim, teſte S. Auguſtino, minus egere, quam plus habere: Et, ut bene P. Hugo Rott advertit, ſuperfluorum congeries, & proviſionum apparatus Inſtitorem indicant, ſimilem ei, qui quadrageſimalium copia, ad comedendum; non ad jejunandnm inſtructus eſt.

VI. *Viliſſima in iis, quæ ad uſum conceduntur eligere*: Certe S. Franciſcus dictaro ſolebat, Spiritus mortui ſignum eſſe perſpicuum, ſi quis curioſa multa, eaque non neceſſaria apud ſe habeat; qua enim alia re, inquit Rodriquez, Spiritus tepidus & in quo gratiæ vigor elanguerit, operiri, foverique queat, quam id genus titivillitiis, rebuſque nihili? Ad has videlicet, ubi palatum ad Spirituales exundatum eſt, ſuopte nutu deflectitur.

p. 2. tr. 3. c. 8. — *Vit. ſe. 3.*

VII. *Etiam neceſſariorum carentiam æquo animo ſupportare*: Nam, ut recte P. Baltaſſar Alvarez dicere ſolebat, nemo ſibi de illuſtrationibus ſenſus, & ſpiritualibus conſolationibus blandiatur, niſi hilari vultu hunc bolum Evangelicæ paupertatis deglutierit. Tunc autem deprehendet, an illam amet, ſi ejus etiam comites diligat, famem, ſitim, frigus, ac contemptum. Qui enim in veſtibus quærit honorem, ne vilis habeatur; non diligit paupertatem, qui, dum ſitit, non poteſt ſitim aliquandiu perferre, is non ſtudet paupertati; qui nihil vult ſibi deeſſe, & tamen vult Religioſus haberi, decipitur. Porro neceſſariorum nomine, ut bene advertit P. Hngo Rott, non illa intelliguntur, quæ ad hoc ſolum appetuntur, & uſurpantur, ut commodius qui jucundius, celerius, plenius officio ſuo vel indigentiæ per eam conſulat (han enim neceſſitatem fictam ait appellari) ſed ea, ſine quibus cum omni induſtria vincere impedimenta operis aut valetudinis non poſſit. Certe parum digne, inquit idem, paupertatem Chriſti Regularis imitatur qui leviori ciborum, librorum, inſtrumentorum, ac reliquæ ſupellectilis apparatu contentus vivere naſcit. Hinc recte S. Albertus Magnus ex hac carentia perfectionem paupertatis colligi debere exiſtimavit, dum dixit: Vera & perfecta paupertas eſt, omnia propter Deum ſponte & libenter dimittere, nihil præter ſolam neceſſitatem poſſidere, eadem neceſſitate indignum ſe ſentire, & etiam ipſa neceſſitate quandoque propter Deum carere. Ubi enim eſt plena neceſſitas, perpendi non poteſt paupertas.

P. 3. vit reg. 17. ſ. 4. fol. 378. — *S. Alber. in Para. ani. c. 5.*

VIII. *Libenter ſuo tempore, ea quæ neceſſaria ſunt, vel a Superioribus, vel ab Officialibus, vel ab externis mendicare*: Hic enim eſt proprius effectus paupertatis, nec ipſum etiam uſum niſi ex aliorum arbitrio & facultate, arrogantis.

Drexel. in Roſt mor. p. 3. c. 9. §. 10. n. 8.

IX. *Munera*: Præſertim ſi adulationem aut corruptelam, aut remunerationem vel minimum ſapiant, *non tantum non ambire, ſed etiam oblata reſpuere*: Hoc quippe eſt potius libertatem vendere, quam paupertatis titulo eleemoſynam ab aliis accipere.

Gradus.

P. 1. tr. 1. c. 6.

X. Tres, teſte Rodriquez, a SS. Patribus & Directoribus Spiritus aſſignantur; quorum primus eſt eorum, qui exterius quidem res Mundi reliquerunt, ſed voluntate & affectu adhuc inhærent, adeoque *loculos mentis*, uti loquitur S. Bonaventura retinent. Qui tamen gradus paupertatis nomen proprie non meretur.

XI. Secundus gradus eſt eorum, qui res quidem mundanas affectu & effectu reliquerunt, quin etiam ſuperflua nihil morantur, tamen neceſſariis valde afficiuntur, angunturque, ne quidquam illis deſit: Quæ tamen ipſa etiam paupertatis encomium ac privilegia vix meretur, ſed potius opulentia vocari debet, & quidem apud ditiſſimos reperitur.

Ep. 110.

XII. Tertius gradus eſt neceſſariorum carentia voluntaria. Et hæc tandem vera paupertas eſt, nam, ut recte quidam Sanctus apud Rodriquez ait, pauperem eſſe, nihil habet laudis, niſi cum pauperrimus ſuam paupertatem in amoribus habet, & quæcumque ipſi incommoda ſeſe offerunt, lætus propter Chriſtum ſuſtineat. Id quod ipſi etiam Ethnici agnoverunt, ſuoque calculo approbarunt: Hinc Seneca, non eſt autem, inquit, quod te nimium laudes, ſi contempſeris aureos lectos, & gemmeam ſupellectilem; quæ eſt enim virtus, ſupervacanea contemnere? Tunc te admirare, ſi non contempſeris neceſſaria. Tunc te admirabor, ſi non contempſeris panem etiam ſordidum, ſi tibi perſuaſeris, herbas, ubi neceſſe eſt, non pecori tantum, ſed homini naſci.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. MEmento paupertatis in tempore abundantiæ, & inopiæ, ac penuriæ in die divitiarum. *Eccl. 18. v. 25.*

II. Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: Non peram in via, neque calceamenta, neque virgam: Dignus eſt enim operarius cibo ſuo. *Matth. 10. v. 9.*

III. Nolite ſperare in iniquitate, rapinas nolite concupiſcere: Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. *Pſal. 61. v. 11.*

IV. Nihil intulimus in hunc Mundum; Haud dubium, quod nec auferre quid poſſumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. *1. Tim. 6. v. 8.*

V. Verumtamen exiſtimo, omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimen- *Philipp. 3. v. 8.*

Digitized by Google

mentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.

Neceſſitas.

Luc. 14. v. 33. VI. Qui non renunciat omnibus, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

1. Cor. 9. v. 25. VII. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.

Utilitas.

Tob. 4. v. 23. VIII. Noli timere, fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus bene.

Pſal. 21. v. 27. IX. Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabuntur, & laudabunt Dominum.

Eccl. 11. v. 12. X. Eſt homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate, & oculus Dei reſpexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate illius, & exaltavit caput ejus, & mirati ſunt in illo multi, & honoraverunt Deum.

Matt. 19. v. 29. XI. Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.

Pſ. 17. v. 28. XII. Et populum pauperem ſalvum facies.

Matt. 5. v. 3. XIII. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.

Pſ. 9. v. 14. XIV. Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor.

Pſ. 39. v. 23. XV. Ego autem mendicus ſum & pauper: Dominus ſollicitus eſt mei.

2. Cor. 6. v. 10. XVI. Sicut egentes, multos autem locupletantes; tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.

Apoc. 2. v. 9. XVII. Scio tribulationem, & paupertatem tuam, ſed dives es.

Luc. 16. v. 22. XVIII. Factus eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ; mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno.

Pſ. 9. v. 19. XIX. Non in finem oblivio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem.

Iſ. 25. v. 4. XX. Factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua, ſpes a turbine, umbraculum ab æſtu.

Pſ. 36. v. 16. XXI. Melius eſt modicum juſto, ſuper divitias peccatorum multas.

Pr. 15. v. 16. XXII. Melius eſt parum cum timore Domini, quam theſauri magni & inſatiabiles.

Pr. 16. v. 8. XXIII. Melius eſt parum cum juſtitia, quam multi fructus cum iniquitate.

Dignitas.

Eccl. 11. v. 22. XXIV. Confide, & mane in loco tuo: facile eſt enim in oculis Dei ſubito honeſtare pauperem.

Jac. 2. v. 5. XXV. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe.

Pr. 28. v. 6. XXVI. Melior eſt pauper ambulans in ſimplicitate ſua, quam dives in pravis itineribus.

Jucunditas.

XXVII. Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus. *Pſ. 67. v. 11.*

XXVIII. Et paſcentur primogeniti pauperum: & pauperes fiducialiter requieſcent. Quia Dominus fundavit Sion, & in ipſo ſperabunt pauperes populi ejus. *Iſ. 14. v. 30.*

XXIX. Beatus vir, qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecuniæ theſauris; quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua. *Eccl. 31. v. 8.*

XXX. Anima ſaturata calcabit favum: & anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet. *Pr. 27. v. 7.*

§. III. EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

I. PAupertas inopia mentis eſt, non in quantitate poſſeſſionis; nam cui cum paupertate bene convenit, dives eſt. *S. Greg. l. 6. ſup. Ezech.*

II. Hac in re, Fratres chariſſimi, affectum potius debemus penſare, quam cenſum. Multum reliquit, qui ſibi nihil retinuit: multum reliquit, qui quantumlibet parum, totum deſeruit. Multum dimiſit, qui cum re poſſeſſa etiam concupiſcentiis renunciavit. A ſequentibus ergo tanta dimiſſa ſunt, quanta a non ſequentibus concupiſci potuerunt. *S. Greg. ho. 5. in Evan.*

III. Piſcatores vocante Domino, quod naviculas & retia dimiſerunt, omnia ſe dimiſiſſe, & Dominum ſecutos eſſe, etiam commemorando lætati ſunt. Et revera omnia contemnit, qui non ſolum, quantum potuit, ſed etiam, quantum voluit, habere contemnit. Sed in eo, quod cupiebatur, oculi Dei teſtes ſunt; in eo, quod habebatur, & hominum. *S. Aug. ep. 34. ad Paulin.*

IV. Quod autem aſſeris, eos melius facere, qui utuntur rebus ſuis, & paulatim fructus poſſeſſionum ſuarum pauperibus dividunt, non a me eis, ſed a Deo reſpondebitur: Si vis perfectus eſſe, vende, quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me. Ad eum loquitur, qui vult eſſe perfectus, qui cum Apoſtolis Patrem, naviculam & rete dimittit. Iſte, quem tu laudas, ſecundus & tertius gradus eſt, quem & nos recipimus, dummodo ſciamus prima ſecundis & tertiis præferenda. *S. Hier. in ep. ad Vigil.*

V. Ad ædificium temporale ſumptus facimus, ſi non habita colligamus: ad ſpirituale ſumptus facimus, ſi & habita relinquamus. *Ven. Bed. l. 4. in Luc.*

VI. Nihil interdum poſſidere neceſſitatis eſt; nihil per avaritiam cupere, virtutis. Et ideo hunc ille ſpecialiter modum ponere religioſus jubet, ut tantum habeat, quantum neceſſitas poſcit. Habendi enim amor, niſi ad integrum reſecetur, ardentior eſt in parvis, & plus torquetur in minimis. Et niſi ex toto corde & affectu pauper es, paupertas ipſa non virtus, ſed miſeria judicanda eſt. *Cæſarius Arelat. ho. 21.*

VII. Proh dolor! multi de paupertatis ſolo nomine gloriantur, ſed quo pacto? ut nihil eis deſit. Dicunt ſe amicos paupertatis, ſed paupertatis amicos & ſodales fugiunt pro ſuo poſſe, famem, ſitim, contemptum &c. *S. Vinc. tr. de vit. Spir. c. 1.*

VIII. Hi

Digitized by Google

S. Baſ. in Reg. brev. inter reg. 205.

VIII. Hi ſunt mendici ſpiritu, qui non aliam ullam ob cauſam ad mendicitatem devenerunt, quam ob doctrinam Domini, qui dixit: *Vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*.

S. Hier. ep. Monſ. tr. 69. diſ. 2. n. 1.

IX. Ne quis tutam putaret paupertatem, quæ nonnumquam neceſſitate portatur, a Domino prædicari, adjunxit: *Spiritu*; ut umilitatem intelligeres, non penuriam. Unde pauperes ſpiritu ſunt, qui propter Spiritum Sanctum voluntate ſunt pauperes.

S. Ber. ſ. 1. in vig. Nativit.

X. Errat, qui ſublimia palatia quærenda eſſe arbitratur, ubi cum gloria Rex gloriæ ſuſciperetur, ſed non propter hoc a regalibus ſedibus venit, nam *in ſiniſtra ejus gloria, & in dextra longiturnitas vitæ*. Horum omnium affluentia in cælis ſuppetebat, ſed paupertas non inveniebatur in eis, in terris autem abundabat, & ſuperabundabat hæc ſpecies, & neſciebat homo pretium ejus; Hanc itaque Dei Filius concupiſcens deſcendit, ut eam eligat ſibi, & nobis quoque ſua æſtimatione faciat pretioſam. Reclinavit eum in præſepio, & pannis eum involvit.

Neceſſitas.

S. Franc. opuſ. 1. coll. 8.

XI. Evangelica hæc paupertas noſtri Ordinis eſt fundamentum, cui ſubſtrato primarie ſic omnis ſtructura Religionis innititur, ut ipſius firmitate firmetur, & everſione funditus evertatur.

D. Greg. h. 32. in Ev.

XII. Nihil maligni Spiritus in hoc mundo proprium poſſident. Nudi ergo cum nudis luctari debemus. Si enim veſtitus quiſpiam cum nudo luctatur, citius in terram dejicitur, quod habebat, unde teneatur. Quid autem ſunt terrena omnia, niſi quædam corporis indumenta? qui ergo cum diabolo ad certamen properat, veſtimenta abjiciat, ne ſuccumbat.

XIII. Non magnopere proderit, majores opes ac ſubſtantias contempſiſſe, ſi affectus earum ob quas illæ contemptæ ſunt, in res parvas, atque exiguas tranſtulerunt. Non vitium cupiditatis & avaritiæ quod erga ſpecies pretioſas exercere non poſſunt, circa viliores materias retinentes, non abſcidiſſe, ſed commutaſſe ſe probant priſtinam paſſionem: Eadem, qua antea, libidine detinentur. Quaſi vero differentia tantummodo metallorum, & non ipſa paſſio cupiditatis habeatur innoxia, & pro rebus quidem magnis iraſci non liceat, pro vilioribus vel hoc ipſum feciſſe, ſine culpa ſit, & non idcirco pretioſiores abjecerimus materias, ut facilius diſceremus viliora contemnere.

S. Ber. ad Monach.

XIV. Miſerabiliores ſumus omnibus hominibus nos Monachi, ſi pro tam exiguis tanta patimur detrimenta. Quid enim inſipientiæ, immo quid inſaniæ eſt, ut, qui majora relinquimus, minora cum tanto diſcrimine teneamus. Si mundum contempſimus univerſum, ſi abrenunciavimus affectibus propinquorum, ſi monaſteriorum carceri mancipavimus noſmetipſos, ſi denique non venimus voluntatem noſtram facere, ſed impoſuimus homines ſuper capita, quid non oportet fieri, ne forte hæc omnia contingat nobis in inſipientia & negligentia noſtra perire?

Lactant. l. 7. inſtit. c. 1.

XV. Anguſtus admodum trames eſt, per quem juſtitia hominem deducit ad cælum; hunc tenere non poteſt, niſi qui fuerit expeditus & nudus: Nam iſti locupletes multis & ingentibus ſarcinis onerati per viam mortis incedunt, quæ latiſſima eſt, quoniam late perditio dominatur.

S. Petrus Dam. ep. 12. c. 4.

XVI. Cum mundo renunciavimus, proprietatem noſtram cælum eſſe conſtituimus, & nos illius proprietas conſequenter effecti ſumus, ut illud eſſet portio noſtra, & nos peculiariter hæreditas ſua. Quapropter, o Monache, vis in tuo loculo condere Chriſtum, excute prius nummum, neque enim in uno receptaculo congrue ſocientur. Nam ſi utrumque ſimul incluſeris, alterum ſine altero vacuus poſſeſſor invenieris. Quanto quippe in egenis mundi lucris copioſior fueris, tanto a veris divitiis ærumnoſius inaneſcis. Nummus ergo ſi eſt, in aliena protinus jura concedat, ut vacuam tui pectoris arcam Chriſtus inveniat. Magnus quippe hoſpes in diverſorii ſui quærit anguſta deſcendere, atque idcirco ſolus vult, & ſine cohortibus habitare: Cedat, cedat terrena pecunia, ubi theſaurus cæleſtis admittitur.

Utilitas.

S. Aug. verb. Apoſt. ſ. 28.

XVII. Non tibi diſpliceat paupertas tua, nihil ea potes ditius invenire: Vis noſſe, quam locuples ſit? cælum emit, quibus theſaurus conferri poſſit, quod pauperibus videmus indultum? ut ad regnum cælorum venerit dives, poſſeſſione ſua obtinere non potuit, nunc obtinet, ut contemptum perveniat.

Idem ſuper pſ. 70.

XVIII. Omnis Philoſophiæ Magiſtra nobis eſt inopia; non ita laudamus Joſeph, cum frumentum diſtribuebat, ſicut cum carcerem habitabat.

S. Chryſ. ſ. 18. ſup. epiſt. ad Hebr.

XIX. Paupertas eſt manuductrix quædam in via quæ ducit ad cælum, unctio athletica, exercitatio quædam magna, & admirabilis, portus tranquillus. Nihil opulentius eo, qui paupertatem ſponte diligit, & cum alacritate ſuſcipit.

S. Leo ſ. 4. de quadr.

XX. Semper dives eſt Chriſtiana paupertas, nec pavet in iſto mundo indigentia laborare, cui donatum eſt, in omnium rerum Domino omnia poſſidere.

S. Ber. ſ. 21. ſuper Cant.

XXI. Nos eos æſtimamus, ſola cæleſtia poſſidere, quia ea ſola audiunt in promiſſione. Poſſident & terrena, & quidem tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes, eo pro certo magis Domini, quo minus cupidi. Denique fideli homini totus mundus divitiarum eſt. Totus plane, quia tam adverſa, quam proſpera ipſius æque omnia ſerviunt ei, & cooperantur in bonum. Ergo avarus terrena eſurit ut amicus, fidelis contemnit ut Dominus: ille poſſidendo mendicat, iſte contemnendo ſervat.

S. Ambr.

XXII. Ut rerum facultates inſtrumenta ſunt omnium vitiorum; ita harum abnegatio generatrix eſt, nutrixque omnium virtutum.

S. Beda l. 2. in prov. c. 13.

XXIII. Pauper innumerabiles divitias poſſidens, eſt pauper Evangelicus, qui, cum Deum ipſum bonorum omnium fontem geſtet in corde, bonis indigere non poteſt. Si ergo hic nullo eget, & multas divitias habet,

dives

Digitized by Google

dives eſt. Vere dives, qui paupertatem Spiritus habens, virtutes veras animæ opes ad ſe tranſtulit poſſidendas.

S. Laur. Ju. in lig. vit. tr. de paup. c. 6. XXIV. Vis inopiæ divitias addiſcere: non ſubjacet dæmonibus, non aſſiſtit Regibus, quia militat Deo, & cum Angelis ipſis cælorum Regi famulatur. Non habet horrea, ubi grana reponat; ſed talem abundantiam, ut habere mundum univerſum, nihil exiſtimet. Non habet, quod theſaurizet in terra, quoniam cuncta, quæ poſſidet, recondit cælo: non indiget ſervis, magis autem ſervos, poſſeſſiones, & cogitationes, quæ Regum corda dilatant, regnum, aurum, & omnia talia, quemadmodum puerorum ludibria deridet, & ſicut præteriens umbra, cuncta quæ omnibus cara videntur, exiſtimat fore contemptibilia.

S. Hier. ad Pammac. XXV. Parva dimiſimus, & grandia poſſidemus: centuplicato fœnore promiſſa Chriſti redduntur.

Id. ep. 150. ad Henriq. 1. XXVI. O quanta beatitudo pro parvis magna recipere, æterna pro brevibus, pro morituris ſemper viventia; & habere Dominum debitorem. Servit Iſaac in terra illa, inquit Scriptura, & invenit in ipſo anno centuplum, benedixitque ei Dominus. Et locupletatus eſt homo, & ibat proficiens atque ſuccreſcens, donec magnus vehementer effectus eſt.

Idem. XXVII. Qui carnalia pro Salvatore dimiſerit, ſpiritualia recipiet, quæ comparatione & merito ſui ita erunt, quaſi ſi pro parvo numero centenarius numerus comparetur. Hæc eſt menſura coagitata, quæ ita meritorum copiam excedit, ut exceſſum iſtum nec lingua eloqui, nec mens cogitare ſufficiat.

Caſſ. coll. 24. c. 30. XXVIII. Centuplum namque fratrum, patrumque recipiet quantitatem, quiſquis patris unius, vel matris, ſeu filii, pro Chriſti nomine, charitate contempta, omnium, quæ Chriſto deſerviunt, delectationem ſinceriſſimam tranſit; pro uno ſcilicet tot inveniens patres, fratreſque ferventiore ac præſtantiore ſibi affectione devinctos. Multiplicata etiam domorum atque agrorum poſſeſſione ditabitur, quiſquis una domo pro Chriſti dilectione rejecta, innumera monaſteriorum habitacula tamquam propria poſſidebit, in quacumque orbis parte velut in ſuæ domus jure ſuccedens. Quomodo enim non centuplum & ſi Domini noſtri ſententiæ ſupra dici aliquid fas eſt; plus, quam centuplum recipit, qui decem vel viginti ſervorum miniſteria infida & coactitia derelinquens, tot ingenuorum ac nobiliorum ſpontaneo fulcitur obſequio.

D. Greg. h. 40. in Ev. XXIX. Mala Lazari purgavit ignis inopiæ, & bona divitis remuneravit felicitas vitæ præſentis. Illum paupertas afflixit & terſit: iſtum abundantia remuneravit & repulit. Quicumque ergo in hac vita bene habetis, cum vos bona egiſſe recolitis, valde in eis pertimeſcite, ne conceſſa vobis proſperitas eorumdem remuneratio ſit bonorum; & cum quoslibet pauperes nonnulla reprehenſibilia perpetrare conſpicitis, nolite deſpicere, nolite deſperare, quia fortaſſis, quos ſuperfluitas tenuiſſimæ pravitatis inquinat, caminus paupertatis purgat.

XXX. Simul ut tradiderit bona ſua pauperibus, dicimus eum quaſi receptaculum Dei factum, ſuſcipere omnes virtutes, & malitiam univerſam ponere. *Orig. tr. 8. in Matth.*

XXXI. O Domine Jeſu Chriſte, oſtende mihi ſemitas tuæ dilectiſſimæ paupertatis: ſcio enim, quod teſtamentum vetus, novi fuit figura. Illis promiſiſti, quia omnis locus, quem calcaverit pes veſter, veſter erit; calcare eſt contemnere: paupertas omnia calcat; ergo eſt omnium Regina. *S. Franc. epiſt. 2.*

XXXII. Primam hanc beatitudinem uterque Evangeliſta poſuit: Ordine enim prima eſt, & parens, generatioque virtutum. *S. Ambr. l. 5. in Luc.*

XXXIII. Nutrix eſt confidentiæ, orationis adiutorium, peregrinationis exhortatio, & perfectionis porta, ſine qua nemo coram Deo in ſpiritu diu perdurare poterit. *S. Laur. Juſt. de lig. c. 1.*

XXXIV. Exterminat paupertas iniquitates per ſubtractionem occaſionis peccandi, quia ſicut cum affluentia divitiarum creſcunt, ſic voluntaria paupertate minuuntur. *Idem c. 2.*

XXXV. Paupertatem ſcitote fratres ſpecialem viam eſſe ſalutis, tamquam humilitatis fomentum, perfectioniſque radicem, cujus eſt fructus multiplex, ſed occultus. Hæc enim eſt Evangelici agri theſaurus abſconditus. *S. Bern. ſ. 1. in feſto OO. SS.*

XXXVI. Pauperes ſpiritu etiam in hac vita jam re ipſa regnant, regno plane cæleſti, longe felicius, quam Reges & Principes terræ. Hi enim ut plurimum verius graviſſimam ſerviunt ſervitutem, quam regnant, multos enim patiuntur tyrannos, diſcruciati ab avaritia, ira, livore, cupiditate bonorum, ac vindictæ. At homo humilis terrenarum facultatum ac bonorum inops, liber eſt ab hujuſcemodi curis, tranquillo ſemper exiſtens pectore, ſecure expectans dona cæleſtia. *Cornel. Janſenius ap. Manſ. tr. 69. d. 5.*

XXXVII. Pauperibus claves regni cælorum non tantum promiſſive, ſed poſſeſſive conceduntur; Hujuſmodi ratio eſt, quia Evangelica paupertas nihil habet, quod mundi ſit; ſed quia prudentiſſimus Creator & gubernator, nullam creaturam ſine loco fecit: cum paupertas locum in mundo non habeat, ideo ei poſſeſſive ex nunc cælicas ſedes dedit. *S. Bern. ſ. 1. ſ. 2. de mult. tip. paup. ar. 1. c. 2.*

XXXVIII. Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos chariſſimos fratres meos hæredes, & reges cælorum inſtituit, pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimavit; hæc ſit portio veſtra, quæ deducit in terram viventium. *S. Franc. ep. 2. c. 5.*

XXXIX. Fœcundus eſt ager pauperum, cito reddit donantibus fructum; via cæli eſt pauper, per quem venitur ad patrem: incipe erogare ſi non vis errare. *Aug. de verbo Domini.*

XL. Paupertas penna magna, quæ cito in regnum volatur. *Bern. de adventu Dom. ſ. 4.*

Dignitas.

XLI. De illis, qui expeditis aut omnibus, aut pene omnibus ſarcinis, Salvatoris viam ſequuntur, & Dominum Jeſum Chriſtum, non ſanctitate tantum, ſed etiam paupertate imitantur; nihil eſt, quod dici poſſit, niſi illud tantum quod etiam Propheta dixit: *Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus.* *Salvian. l. 2. ad Eccl. Cath.*

XLII. Hos ego non aliter, quam imitato- *Idem.*

cum heris menſa communicantium abjecta loquemini: vos vero non ita. Duplici ergo nomine vos ſuperamus, libertate ſcilicet & honore, quibus, quod ad voluptatem attinet, nihil conferendum. Ego quippe malim cum libertate, amicitia, gratia, panem & olera, quam cum ſervitute & inimicitia vitulum ſaginatum, & mille fercula.

S. Ambr. l.1. ep.1. LXII. Vere dives, qui in conſpectu Dei poteſt dives videri, in cujus conſpectu terra exigua, mundus ipſe anguſtus eſt, ſed ſolum illum Deus divitem novit, qui ſit dives æternitati, qui non opum, ſed virtutum fructus recondat. Quis autem ante Deum dives, niſi quietus & modeſtus ſpiritus, qui numquam corrumpitur? Nonne tibi videtur dives, qui habet pacem animi, tranquillitatem quietis, ut nihil concupiſcat, nullis exagitetur cupiditatum procellis, nec vetera faſtidiat, & nova quærat, & ſemper deſiderando fiat in ſummis divitiis inops? Ea eſt pax vere dives, quæ ſuperat omnem mentem.

S. Bern. ap. Manſi tr. ev. d.j. 3. n. 3. LXIII. Quod pauperes ſpiritu jam quodammodo in præſenti ſint beati, clareſcere etiam poteſt, ſi conſiderentur quatuor, quæ paupertas ſpiritus conformia facit ſtatui Beatorum. Facit enim impaſſibiles, agiles, ſubtiles, & divites. Primo facit impaſſibiles, quia non dolent de temporalium amiſſione, immo de hoc gaudent. Secundo facit agiles, ſcilicet ad faciliter ſequendum Chriſtum: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Tertio facit ſubtiles, ſeu graciles ad intrandum in paradiſum, ſicut e contra divitibus ad emendum Regnum cælorum; proinde Auguſtinus in perſona Domini ait: Venale habeo; quid? regnum cælorum. Quo emitur? Paupertate regnum, utilitate gloria, labore requies.

§. IV. EX LIBELLO DE IMITATIONE CRISTI.

l. 1. c. 18. §. 1. & 2. I. INtuere SS. Patrum vivida exempla, in quibus vera perfectio refulſit, & Religio. Omnibus divitiis, dignitatibus, honoribus, amicis, & cognatis renunciabant: Nil de mundo habere cupiebant, vix neceſſaria vitæ ſumebant, corpori ſervire, etiam in neceſſitate dolebant. Pauperes igitur erant rebus terrenis, ſed divites valde in gratia & virtutibus. Foris egebant, ſed intus gratia & conſolatione reficiebantur.

l. 1. c.22. §. 2. II. Dicunt multi imbecilles & infirmi: Ecce quam bonam vitam ille homo habet, quam dives, quam magnus, quam potens & excelſus? ſed attende ad cæleſtia bona, & videbis, quod omnia iſta temporalia nulla ſunt, ſed valde incerta & magis gravantia, qui numquam ſine ſollicitudine & timore poſſidentur. Non eſt hominis felicitas, habere temporalia ad abundantiam, ſed ſufficit ei mediocritas.

l. 2. c. 1. §. 4. III. Quid hic circumſpicis, cum iſte locus non ſit tuæ requietionis? In cæleſtibus debet eſſe habitatio tua & ſicut tranſitu cuncta terrena ſunt aſpicienda. Tranſeunt omnia, & tu cum eis pariter. Vide, ut non inhæreas, ne capiaris & pereas.

IV. Quod ſi omnia ſolatia mundi ſolus haberem, & omnibus deliciis frui poſſem; certum eſt, quod diu durare non poſſent. Unde non poteris anima mea plene conſolari, neo perfecte recreari, niſi in Deo conſolatore pauperum, & ſuſceptore humilium. Expecta modicum anima mea, expecta divinum promiſſum, & habebis abundantiam omnium bonorum in cælo. *l. 4. c.16. §. 2.*

V. Juvat non quælibet res adepta vel multiplicata exterius, ſed potius contempta & decisa ex corde radicitus. Quod non tantum de honoris etiam ambitu & vanæ laudationis deſiderio, quæ omnia tranſeunt cum mundo. *l. 3. c.27. §. 3.*

VI. Fili tene breva & conſumatum verbum: dimitte omnia, & invenies omnia. Relinque cupidinem, & invenies requiem. Hoc mente pertracta, & cum impleveris, intelliges omnia. *l. 4. c.32. §. 3.*

VII. Ad hoc conare, hoc ora, hoc deſidera, ut ab omni proprietate poſſis expoliari, & nudum Jeſum ſequi? ſibi mori, & mihi æternaliter vivere. Tunc deficient omnes vanæ phanthaſiæ, conturbationes iniquæ, & curæ ſuperfluæ. Tandem etiam recedat immoderatus amor, & inordinatus amor morietur. *l. 3. c.37. §. 3.*

§. V. EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Qualitas.

I. CHriſtus de ſeipſo dixit: Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet, unde caput reclinet. Sed & Zacharias Propheta de eo dixit: Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus & Salvator; ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinum. Hinc cum eſſet dives in omnibus, factus eſt in hoc mundo omnium pauperrimus, ut quam magnum eſſet bonum paupertatis virtus, prius oſtenderet exemplo, quam verbo. Sed & S. Bonaventura id confirmans; Chriſtum, inquit paupercula Mater pauperem peperit, ut nos ad paupertatem invitaret, & ſua inopia ditaret, ſecundum illud: *Scitis gratiam Domini Jeſu Chriſti, quoniam propter nos &c.* *Matth. 8. v. 20. Zach. 9. v. 9. S. Laur. Juſt. de lig. vit. de paup. 5.*

II. B. Virgo quantopere fuerit paupertatis ſtudioſa, patet ex partu, purificatione, & reliqua vita, quam pauperum more tranſegit; unde merito S. Birgitta eam ſic loquentem introducit: Omnia, quæ habere potui, dedi indigentibus, nihilque niſi victum tenuem & veſtitum reſervavi. Nulla mihi, niſi Deus placuerunt. Ego ſemper in corde meo optavi, ut viverem ad tempus Nativitatis ejus, ſi forte fieri meretur ancilla indigna Matris Dei. Vovi etiam in corde meo, ſi eſſet ei acceptabile, obſervare Virginitatem, & nihil unquam poſſidere in mundo. *l. 3. revel. c.10.*

III. De ſe & aliis Apoſtolis dixit S. Paulus: Uſque in hanc horam eſurimus, & ſitimus, nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris. Sed & ad Chriſtum audacter dixerunt: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Alias cœperunt vellere ſpicas, & manducare. *1. Cor. 4. v. 11. Matt. 19. v. 27. Matt. 12. v. 1.*

Digitized by Google

Act. 2. v. 44. IV. De primis Chriſtianis teſtatur S. Lucas in Actis Apoſtolorum: Omnes, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia. Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat. Immo SS. Hieronymus, Cyprianus, Baſilius *Apud. Rodriq. p. 3. tr. 3. c. 2.* putant, Fideles jam tum votum paupertatis emiſiſſe, idque colligunt ex pœnis ab Anania & Saphira datis.

Petrus Sanch. in reg. Dei p. 6. c. 9. f. 440. V. Cum S. Hilarion ex Orione integram legionem malorum Spirituum fugaſſet, ideoque Orion magnam pecuniarum ſummam ei obtuliſſet, reſpondit S. Hilarion: Num vis, ut me invadant fugati dæmones (an neſcis, lepram Naamani Giezi ſervo Eliſæi adhæſiſſe? Cumque Orion urgeret, ut ſaltem pauperibus diſtribueret datam pecuniam: iterum reſpondit Sanctus: Quin tu potius, qui melius noſti pauperes, ipſemet diſtribue: Scias quippe velim, multos per eleemoſynarum diviſionem in avaritiæ vitium incidiſſe.

Ibid. VI. S. Arſenius cum mortui fratris teſtamentum, quo hæres declarabatur, ei oblatum fuiſſet, lacerato illo dixit: Ego prius, quam frater meus mortuus fui; nihil ergo de relictis ab ipſo bonis ad me pertinet.

Ib. f. 316. VII. S. Nicolaus cum in templo verbo illa Evangelii: Qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus: audiviſſet ſibi ſoli a Deo dicta credens, mox templo exivit, & omnibus poſſeſſionibus renuntiavit.

Ibid. ex Surio. VIII. S. Ricardus, & duo ejus ſocii tam pauperes erant, ut, quoniam unum tantum pallium habebant, mutatis vicibus unus tantum ſcholas & templum adire poſſet. Cumque oblata ob amicis divite ſponſa, fratrem ſuum eamdem ſibi invidere advertiſſet, ultro ad eum, accipe, inquit, tu illam, nam ego quidem paupertati & ſapientiæ me deſponſabo.

Ibid. ex Surio. IX. Cum Epiſcopus quidam S. Abbati Amato liberalem eleemoſynam dediſſet, reſpondit ille: Cur das, quo non indigeo? da potius pauperibus? nam ego quidem nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus in terram revertar. Cum vero Epiſcopus coegiſſet illam accipere, abjecit illam, & dixit: Deus pars mea eſt: vobis autem non indigeo.

Jo. Didac. in vita. X. S. Joannes Eleemoſynarius (qui pauperes dominos ſuos appellabat) ex hac vita migraturus, gratias Deo agebat, quod non niſi unicus nummus ipſi ſupereſſet, quem ipſum proin etiam pauperibus erogari juſſit. Annuos redditus ſui Patriarchatus in pauperes diſtribui jubebat, afferens, ideo Sacerdotibus, neque poſſeſſionem, neque partem, neque hæreditatem inter reliquas tribus datam, quoniam pars & poſſeſſio eorum erat ipſe Dominus.

Lippeloos 17. Nov. XI. S. Gregorius Thaumaturgus hoc poſteris de ſe narrari voluit, quod vivus nullius loci poſſeſſor fuerit, & mortuus alicui ſepulchri inhabitator ſit.

S. Bon. in vita. XII. S. Franciſcus Seraphicus rogatus a Fratribus, quæ virtus maxime gratos Chriſto nos faceret, reſpondit, paupertatem eſſe. Hanc in omni ſermone, Matrem, Sponſam, Dominam, Reginam appellabat. Cum mendicum quemdam pauperiorem ſe aſpiceret, quam ipſe eſſet, ita ſancta quadam invidia commoveri ſolebat, ac ſi in re magna, multumque expetenda vinci ſe videret. Cum ad Principum menſas invitabatur, non ante eas adibat, quam aliquot panis fruſta per viciniam mendicaſſet, quæ deinde in menſam cum gaudio exponebat. Cum Guardianus quidam cellam ei ex tabulis obiter dolatis præparaſſet, non prius illam inhabitare voluit, quam parietes ramis viminibuſque contexti paupertatis ſpeciem exhiberent. *Chron. p. 1. l. 2. c. 20.*

XIII. S. Clara uſque adeo paupertatem amabat, ut privilegium paupertatis ab Innocentio IV. petere auſa fuerit; qua petitione mirifice delectatus Pontifex non ſolum conceſſit, quod petitum fuit, ſed cum incredibili voluptate totum manu propria conſcripſit. *S. Antoninus ap. Platum l. 2. c. 3.*

XIV. Abbas Iſaac eum cum diſcipuli crebro monerent, ut pro uſu Monaſterii poſſeſſiones, quæ offerebantur, acciperet, ille ſollicitus ſuæ paupertatis cuſtos, fortem ſententiam tenebat, dicens; Monachus, qui in terra poſſeſſionem quærit, Monachus non eſt; ſic quippe metuebat paupertatis ſuæ ſecuritatem amittere, ſicut avari divites ſolent perituras divitias cuſtodire. *Spec. ex. d. 1. ex. 13.*

XV. S. Beſſarion præter tunicam, palli laciniam, & Novum Teſtamentum, quod ſemper infra brachia geſtabat, nihil ſibi ex omnibus reſervavit. Imo cum in demortui & inhumati cadaver incidiſſet, etiam huic dimidium pallium ſuperinjecit. Inde ultra progreſſus, & a mendicabulo ſtipem rogatus cum nihil haberet, tunicam exuit, & egenti dedit. Poſt hæc cum decori ratio vetaret, eum in publico comparere, ab honeſto viro in angulo nudus deprehenſus, ſegmento ſagi ſui tectus eſt; a quo cum interrogaretur, ecquis ita eum ſpoliaſſet, librum oſtendens, hic, inquit, eo me redegit. Tandem neque librum retinuit, ut eo vendito pretium pauperibus elargiretur, ſicque ipſius libri monitum impleret, quo dicebat: Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. *Ex Viris PP.*

XVI. S. Eliſabetha Pannoniæ Regis filia, & Landgravii Thuringiæ uxor, uſque adeo paupertatem diligebat, ut & viliſſimum ſæpe domi amictum indueret, & in Eccleſia audiendæ concionis gratia non niſi inter infimæ ſortis mulieres conſideret. Poſt mortem mariti omnia quæ habuit, pauperibus diſtribuit, conſtructoque diverſorio ſeipſam ægrorum & pauperum miniſtram fecit, numquam lætior viſa, quam cum inter mendicos ſe accenſam videns, panem & hoſpitium quæſivit. *Marul. l. 1. c. 6.*

XVII. Buchardus Wormatienſis Epiſcopus ex hac vita migraturus, ita ſuos alloquebatur: Heſterno die ſui unus ex ditiſſimis, ſed jam expecto, quod mox futurus ſim, ut ſtercus & cinis. Talis eſt gloriatio noſtra, talis eſt dominatio mundana. Nudus quippe egreſſus ſum de utero matris meæ, nudus revertar illuc; nihil præter peccata mea reportans, niſi Dei miſericordia exhortante aliquod bonum fecerim, aliquando hoc apud Deum inventurum me eſſe ſpero. Tum miniſtri præſentes theſau- *Baron. t. 11. ann. 1026.*

Digitized by Google

ſauriam Cameram aperientes, præter Eccleſiaſticum theſaurum, tantum tres denarios, quos in vantone, dum alias pecunias pauperibus diſtribuit, reliquerat, invenerunt. Sed & ſoror aperto, quod illi ſoli donaverat in memoriam ſui, ſcrinio non niſi hiſpidum cilicium & catenam ferream uſu attritam reperit.

Manſi d. 2. n. 2. XVIII. S. Philippus Nerius dicere ſolebat: Vellem, quod ad tantam redigerer paupertatem, ut unico Julio opus haberem, nec eſſet, qui illum mihi daret.

Manſi d. 3. n. 2. XIX. P. Giojoſa Capoccinus, qui unus ex primis Franciæ, multorumque ſtatuum, & territoriorum dominus fuit, ſaccum ſuum, nec non & habitum ſæpe indicibili cum lætitia oſculari ſolebat, in hæc prorumpens verba: O mi habitus parum agnitus, paucisque notus! inacceſſibilis enim pariter, & inexplicabilis eſt quies & tranquillitatis interior illius, qui paupertatem ex toto corde amplexatur.

XX. Philippus Balearium Regis filius multorum ſacerdotiorum, quæ poſſidebat, cura depoſita, eo ſe volens redegit, ut uno adjutore contentus viveret, atque ex inopia eam voluptatem capiens, quam alii ex magnarum opum uſu conſequuntur, ab eo tempore victum mendicavit.

XXI. Antonius Ægyptius a patre in magnis opibus relictus, bona quæ receperat, pro Chriſti Nomine diſperſit, monachorumque multorum Rector in tanta rerum inopia deceſſit, ut teſtamento nihil præter melotem pallium-que Athanaſio Serapioni, alteram melotem & diſcipulis, qui eum ſepeliverunt, cilicium reliquerit.

XXII. Abraham Ægyptius vaſta in ſolitudine, clauſa etiam cellula cum nihil omnino ſupellectilis præter catinum veſtemque ciliciam & ruſticum ſagum haberet uſque ad quinquageſimum ætatis ſuæ annum (qui vitæ ultimus fuit) dicitur perduraſſe, ita ut nihil unquam amplius concupiviſſet. Bona enim & ea non modica, in quibus hæreditario jure abſens ſucceſſerat, egenis dilargiri mandavit, ne obolum quidem paſſus ex his ad ſe deferri. In ſumma igitur inopia tam dives fuit, ut nihil appeteret: in ſummis opibus tam largus, ut omnia donaret, ſemper divitiis præferens paupertatem.

Utilitas.

Petrus Sanch. p. 3. c. 3. f. 337. XXIII. Cum S. Aurelius & S. Natalia appropinquante jam Martyrio, ex SS. Flora & Maria Virginibus Martyribus ſibi apparentibus quæſiſſent, cui facultates ſuas relinquere deberent? reſponderunt illæ: Date pauperibus, ut pauperes moriamini, ſicut Chriſtus, & ex hoc mundo exeatis, ſicut intraſtis.

Ib. f. 140. XXIV. S. Andreas, cum filiam Regis Polemii ſanaſſet, illique pater magnam pecuniæ ſummam offerret, intrepide reſpondit, ſe non propter aurum & argentum veniſſe, ſed ut viam vitæ Regi ſubditiſque monſtraret. Quod dictum admiratus Rex ſe, ſuoſque in gremium S. Matris Eccleſiæ recepit.

Ib. f. 338. XXV. S. Stephanus Ordinis Gradimontenſis Fundator cum a ſuis quæreretur, quomodo poſt obitum ipſius ſe alere deberent? reſpondit, ſe Divinæ providentiæ eos commiſiſſe, quæ paſſura non foret, ut neceſſaria alimenta deſint, ſi paupertatem amaverint, ſecus vero ſi abjecto Dei timore ad ſpes humanas confugerint.

Pinus l. 2. c. 3. XXVI. S. Clara ſuis ſororibus dicere ſolebat, tum demum ſuum Collegium ſtabile ac firmum futurum, ſi propugnaculis, & mœnibus paupertatis quam maxime muniretur.

Lippeloo 16. 2. 14. April. XXVII. S. Lyduvina triginta annis pauperrimam vivens vitam miſerantibus dicebat: Satis abundat, qui eo, quod habet, contentus eſt. Etſi mihi communes cum hominibus non ſunt divitiæ & deliciæ, ſunt tamen cum multis communes paupertates & miſeriæ, quibus ego abundans Deo gratias ago & quieſco.

Vita PP. l. 6. XXVIII. Obtulit quidam Frater ſeni pecuniam dicens ei: Habe hanc pecuniam ad expenſas tuas, quia ſenuiſti, & infirmus es (erat enim leproſus) cui Senex reſpondit: Tu poſt ſexaginta annos veniſti auferre a me Nutritorem meum: ecce enim tempus habens in infirmitate mea, nihil indigui, Deo tribuente & paſcente me.

S. Bon. in ejus Vita. XXIX. S. Franciſcus Seraphicus ante omnia ſuis paupertatem commendabat, dicens, eam eſſe viam ſalutis, humilitatis fomentum, perfectionis radicem, & ab ea multiplices fructus exiſtere, quamquam occultos & pauciſſimis cognitos.

Dignitas.

In Apolog. XXX. S. Gregorius Nazianzenus de ſeipſo ita ſcripſit: Sed paupertatem & inopiam exprobrabunt: at iſtæ ſunt divitiæ meæ. Hæc me non ſolum glorianten, ſed etiam arrogantem fecit. Videntur enim mihi Inimici mei, dum hoc objiciunt, id objicere, quod in veſtigiis illius incedam, qui propter nos inops factus eſt, cum eſſet dives. Atque utinam exuere me poſſem panniculis iſtis, quibus circumdari videor, ut nudus effugerem ſpinas ſæculi, quæ retinent, & revocant pergentes ad Deum.

Spec. Ex. d. 7. ex. 28. XXXI. S. Franciſcus Seraphicus cum aliquando vidit Fratrem Maſſeum plura fruſta panis, quam ſa habere, valde gaviſus dixit eidem: Frater mi, theſaurus beatificæ paupertatis tam divinus eſt, ut nos digni non ſimus illam in vaſis noſtris tam vilibus poſſidere, cum paupertas ſit illa virtus, per quam cuncta terrena & tranſitoria calcantur, per quam omnes obices tolluntur a medio, & libere Domino Deo mens æterna jungitur.

Jucunditas.

Ex. Spec. d. 3. ex. 63. XXXII. Cum faber quiddam ferrarius in magna paupertate conſtitutus, nihilominus inter labores canere fuiſſet auditus, dives illi vicinus utpote continuis ſollicitudinibus gravatus ei jucunditatem hanc invidens, eo abſente, loculos pecuniis plenos in officinam ejus conjecit, quibus inventis cum Faber canere deſiiſſet, idem dives cauſa ſilentii cognita, pe-

Digitized by Google

pecunias ſuas eſſe dictitaos repetiit, ſimulque antiquam el mentis lætitiam reſtituit.

Beirlinck to. 6. f. 272. XXXIII. Cum S. Hilarionem latrones infeſtantes quærent, an non timeret? Ille ſicut intrepide eos ſuſceperat, ita pari confideotia reſpondit ; Nudus latrooes non timet.

Paupertatis violatæ pœnæ.

Annal. Capuc. 1587. n. 72. XXXIV. Frater Bernardinus Genuenſis Sacerdos moriturus, a dæmone violatæ paupertatis accuſatus fuit, quod plus lini cerati, quam neceſſitas poſtularet, noctu conſumpſiſſet, ideoque Fratribus Litaoias recitantibus aſſiduo, dicebat tam modicum, tam modicum, Paulo, poſt rediens ad ſe & interrogatus, quid verbis illis ſignificare voluiſſet? Reſpondit, dæmonem ex omoibus fruſtulis lini cerati volumen ingens compoſuiſſe, & de hoc ante Judicem accuſaſſe.

Ib. 1589. n. 84. XXXV. In Conventu Armarieoſi in Belgio Clericus ægrotus de ſalute deſperare cœperat, & Guardiano cauſam roganti dixit, dæmonem adfuiſſe, & ob ſcopas inconſulto Superiore occultas damnatum dixiſſe, ſed Guardianus re indicata quietum eſſe juſſit.

Ib. 1589. n. 63. XXXVI. Frater Joannes a Caſtro in agone acerbe flens dicebat, dæmonem aſtaotem ſe cernere, paratum accipere in infernum, ob purpuraceam imaginem, quam alteri clam furatus eſſet, ea in regulis inventa reſtituta, ſucceſſit B. Virgo cum S. Franciſco, & is quiete eſt mortuus.

Chron. Franc. p. 1. l. 2. c. 19. XXXVII. S. Franciſco cum Frater Elias Generali Ordinis veſtem ſibi oblongam, undantem, & manicis follicantibus inſtructam, ipſaque materia pretioſam paraſſet, eam ſibi parum concedi poſtulans, coram Fratribus induit, & omnia concinne diſponens, & thraſoois more ſe circumſpiciens dixit ad Fratres: Salvete magnifici Viri; Tandem factum illis ſtupentibus, abjiciens veſtem cum indignatione dixit: Ita quidem ſpurii noſtri Ordinis veſtiti incedunt. Deinde reſumpta humili veſte, vultu ad lætitiam & ſuavitatem compoſito, paupertatem, humilitatem iis denuo commeodavit.

l. de vir. illuſt. Ord. Ciſterc. XXXVIII. Cum Abbas quidam a Saxonla patrio panno non contentus, pretioſum e Belgio afferri curaſſet, eo mortoo tam Prior, quam reliqui Fratres, qoi eas veſtes induerant, ſcintillas in morem candentis ferri emicantes viderunt, & tamquam laminis candeotibus ſe aduri exiſtimabaot.

XXXIX. Cum alius qoidam Ciſterclenſis Abbas Philippo Regi Romanorum anguſtias ſui Convertus cum dolore exponeret, Philippus calceos Oratoris intuens, ſatis qoidem, inquit, domus veſtræ anguſtias vel tacentis calcei loquuntur ut, qoæ in ſolvendo quidem, quod pro corio debet, eſſe videatur.

l. 4. Dial. XL. Juſtus Monachus quia tres aureos a Fratre ſuo ſæculari pro tunica paranda, inſcio Soperiore, accepiſſet, S. Gregorius eum in morbum lapſum omni communione privari, & extra ſepta Monaſterii ſepeliri voluit cum publica hac imprecatione: Pecunia tua tecum ſit in peditionem. Quo facto, Fratres commoti, omnia ſua in medium attulerunt.

XLI. Cum Eremita quidam magnæ virtutis a Deo oſtendi petiiſſet, quantam olim remunerationem ab eo ſperare poſſet, & quondam per revelationem cognoviſſet, eamdem ſibi cum S. Gregorio Magno gloriam præparatam eſſe, comparans ſuam paupertatem cum S. Gregorii divitiis & dignitate, dolenſque, ſe ſua paupertate & pœnitentiis oon majus præmium meruiſſe, audivit Domioum in ſomnis diceotem: Quando divitem non facit poſſeſſio divitiarum, ſed cupido, cur audes paupertatem tuam divitiis Gregorii comparare? Qui magis illam felem, quam habes, quotidie palpando & foveodo diligere comprobaris, quam ille, qui tantas divitias noo amando, ſed contemnendo, cuoctiſque liberaliter diſpergendo largitur. *Jo. Diac. in vit. S. Greg. c. 40.*

XLII. Frater quidam Laicus, cum Pſalterium, inſcio Superiore retinuiſſet, & eo ſæpius id exigente, tradere noluiſſet, in pertinacia tanta mortuus, poſt ſepulturam, incondita voce io choro ejulare cœpit, adjuratuſque a Guardiano, & quis eſſet, edicere juſſus, reſpondit, ſe eſſe Fratrem heri ſepultum, & ob Pſalterium non traditum æteroum damnatum. *Chron. S. Franc. p. 2. l. 1. c. 38.*

XLIII. Alius quidam Frater diabolum circa agonis tempus ſegmento laceræ veſti reſarciendæ occulte ab eo ſublectum, inſidere ac lambere vidit; quare accerſito Superiori peccatum ſuum cum dolore confeſſus, in gratiam cum Deo rediit, dæmonemque fugavit.

§. VI. EXEMPLA DOMESTICA.

I. S. Ignatius paupertatem ut matrem & colebat ipſe ſiogulari ſtudio, & ab aliis coli volebat: hinc, ne quid contra eam permitteret, quadraginta diebus deliberabat, an pro templo Profeſſorum redditus admittere deberet. Sed & ægre ac raro permittebat, ut e profeſſa domo aliquis in Germanico Collegio vel Romano verſaretur, quid ex Collegiorum fructibus ad domum profeſſam perveniret. Cuidam efflictim paupertatem exhorrenti dixit, magis metuendum eſſe timorem paupertatis, quam ipſam paupertatem. *Maff. l. 2. c. 2.* *Bartolus l. 4.*

II. P. Sebaſtianus Barrada vix perſuaderi poterat, ut patienter in Collegio tamquam Profeſſus viveret, non credens laborem ſuum in ſufficientem utilitatem aliorum cedere. Quocirca perpetuo apud Superiores inſtabat, ut vel apud Externos, vel apud Noſtros exhortari ſibi liceret, ne ignavo otio velut fucus alieno melle frueretur. *Narratio in Itinerario Fil. Iſr.*

Paupertas in neceſſariorum carentia.

III. P. Aodreas Oviedo etiam dum Epiſcopi munere ſungebatur, tantæ erat paupertatis, ut, cum Sebaſtiano Regi Luſitaniæ ſcriberet, folium illud, quod initio Breviarii erat, uſurpare debuerit. Et cum Pio V. ſcriberet, extremas foliorum Breviarii partes abſcindere, & ne diffluereot, filo connectere de- *Hiſt. Soc. l. 3. c. 19.*

Digitized by Google

debuerit: quas litteras Pius V. numquam ſine lacrymis legit, & aſpexit.

Ibid. IV. Salmanticæ Patres tanta urgebantur inopia, ut cum e conclavi ſacellum adornaſſent, picta tabella non ſuppeteret. Quam paupertatem conſpicatus civium unus, eam chartam ſuis manibus revulſit, aliamque pictam, & quidem elegantem tabulam ſubſtituit.

Ib. l. 9. n. 65. V. Compluti anno 1549. cum Petrus de Silva defunctus eſſet, Sacerdotalem funeris cultum ob paupertatem Noſtri non habebant, quod admiratus Franciſcanus quidam pius ſponte neceſſaria obtulit.

Ib. l. 14. n. 117. VI In Braſilia in Urbe Salvatoris anno 1554. Noſtri in tanta vivebant paupertate, ut fractis viribus, colore exhauſto, ſpirantium mortuorum viderentur effigies, quæ tamen omnia ob dulcem Chriſti charitatem gaudenti animo tolerabant.

Ib. l. 16. n. 6. VII. Initio Collegii Senenſis anno 1556. quatuor primi Patres in domum inanem ducti nec menſam, nec ſellam, nec ſcrinium, nec ſcabellum habebant. Unde libellos & veſtes pauculas in pavimento collocare, & ad ſcribendum lecto pro menſa uti cogebantur.

Paupertas in ſuperfluorum rejectione.

Vit. l. 1. c. 9. VIII. S. Franciſcus Xaverius Roma in Indiam proficiſcens nihil ſecum præter communes veſtes & Breviarium tulit: & a Luſitania nihil niſi vulgarem lacernam & paucos libellos, obtrudente Comite Caſtanerio ſervum, mihi vero inqtiit Xaverius, harum manuum uſus dum arit, alio Miniſtro opus non erit.

Vita. IX. B. Aloyſius in paupertate magis requieſcebat, quam in divitiis. Numquam librum in uſu habuit, quem ſecum ferre liceret. Communibus in cubiculo utebatur imaginibus. Nullum librum, niſi quo uteretur, in cubiculo ſuſtinebat.

Vita l. 4. c. 2. X. S. Franciſcus Borgia inſtar boni negotiatoris inventa hac pretioſa margarita dedit omnia ſua, & comparavit eam. Didicerat, perſuaſumquo habebat, verum eſſe illud oraculum, Pauperes Spiritu beatos fore. S. Franciſcum Aſſiſium ut nomine, ſic & moribus referre cœpit. Propriam illius familiæ inopiam admirabundus adamavit, & ſimul atque ſe Societati votis obſtrinxit, pecuniam exinde non contrectavit. Itinera ingreſſus adduci numquam potuit, ut vel ſyndonem mundam valetudinis cauſa, circumferre comite pateretur, ne quid in paupertatis jura peccaret. Sago in itinere aut chlamyde non alia uſus, ſive hyberni, ſive æſtivi temporis hora eſſet, quam pallio quotidiano, quod invertere, duplicareque ſolebat, ne luto inquinatum deterius fieret. Petaſum unum ſatis ajebat eſſe, arcendis cæli injuriis, ſive ſol arderet, ſive imber decideret, ventique flarent. Ocreas pedibus ut induceret, impetrari ab eo non poterat. De lectulo nihil laborabat, nullum velum aut peripetaſmata appendi in hoſpitio permittebat, id genus commoda fugienda prædicans, quod mortis germanus ſomnus appellaretur. Sitos vero in ſepulchro brevis urna caperet, minimeque ſumptuoſa.

XI. P. Petrus Faber cum ei aliquando repentina quædam in animo cogitatio futuræ ſuis in ædibus egeſtatis occurreret, ſtatim decrevit, quotannis ſe omnibus rebus, quæ præſentem ad victum & cultum pertineret, penitus exuere, nibil ut ſe ſpoliatus, nihil egentius eſſet. *Hiſt. Soc. p. 1. l. 5. n. 34.*

XII. P. Baltaſſar Alvarez horrebat res curioſas etiam pias ſecum geſtare, eo quod hujuſmodi rebus cor Religioſi nimium adhæreſcat. Exhortationes ſuas non in munda charta ſed in operculis litterarum ſcribebat. Maluit aliquot paſſus impendere eundo in Bibliothecam, quam apnd ſe Concordantiam habare, ut paupertatem magis coleret. *Vit. c. 5. §. 2.*

XIII. P. Sebaſtianus Barrada diu nullum habuit librum ad manum, niſi S. Scripturam & Concordantias, ita ut P. Suarez miraculi loco eſſe dixerit, tales ab ipſo libros in tanta librorum penuria, & ſtudiorum incommoditate editos eſſe. Commentationes multas tantum in tergo Epiſtolarum ſcripſit.

Paupertas in veſtitu.

XIV. S. Ignatius initio ſuæ converſionis talarem ex canabina tela aſpera & aculeata in modum ſacci tunicam tulit, fune pro cingulo uſus, calceos ex ſparto contextos, & ad aquæ uſum cucurbitam habuit. *Vit. l. 1. c. 3.*

XV. S. Franciſcus Xaverius tunica canabina, more pauperum Sacerdotum, rejecta undulata, quæ offerebatur, ſe induit. Adduci non potuit, ut calceos novos lacarorum & detritorum loco ſubſtitueret. *Vit. l. 2. c. 2.*

XVI. S. Franciſcus Borgias calceos novos induere detrectabat, biennio vix atterens. Caligas item licet pannoſas ruptaſque haberet, non mutabat. Montellano in Collegio verſanti femoralia nova muneri oblata cum ſocius noctu lectulo appoſuiſſet, experrectus Franciſcus, notata fraude vetera repetiit, novaque reddi juſſit. *Vit. l. c. 4.*

XVII. P. Claudius Jajus in uſu Magnatum detrito ſemper vilique cultu utebatur. *Hiſt. Soc. l. 12. n. 36.*

XVIII. P. Sebaſtianus Barrada vilem veſtitum ſuas delicias vocabat. *Vit. trin. præfixa.*

XIX. P. Thomas Sanchez numquam niſi ex obedientia veſtibus novis induebatur. Galerus ejus tam detritus erat, ut prope albus affectus ſit. *Anno. 1670. Col. Gran.*

XX. P. Everardus Mercurianus quartus Generalis, tantus erat paupertatis amator, ut aliquando lacrymari propemodum viſus ſit, quod novum amictum induere jubebatur. *Biblioth. ſcript. Soc.*

Paupertas in victu.

XXI. P. Joſephus Anchieta cum ſuis non niſi potione ex aqua & millio cocta, & pro eſca leguminibus & oleribus veſcebalur. *Hiſt. Soc. p. 1. l. 14. n. 115.*

XXII. P. Franciſcus Villanova pauculis ſæpe fruſtillis e menſa ſociorum relictis vivebat: eximium ſi quid offerebatur rejecit, addens, ne contumeliam ſibi facerent, religioſo quippe probrum ingens eſſe, in bona valetudine non veſci cibis communibus. In hoſpitiis nihil ad panem, niſi ſubinde parum caſei addebat. *Ib. p. 2. l. 3. n. 123.*

XXIII. S. Franciſcus Borgias adhuc ſæcularis cænam ſibi perpetuo interdixit. In prandio ita parce victitabat, ut herbis & leguminibus coctis tantum uteretur, pane ſolum & *Vit. l. 1. c. 3.*

 fri-

Digitized by Google

frigida contentus. Lautitias & edulinrum fercula reſpuebat.

Vit. c. 14. n. 79. XXIV. P. Leonardus Leſſius pluribus annis in diurnam ſuam refectionem ſolum par ovorum, & pultem ex aqua & pane (panetellam vocant) admiſit, & ne Superiorum liberalis charitas delicatiores cibos edentulo jam ſeni offerret, interceſſit.

Paupertas in habitatione.

Vit. l. 1. c. 1. XXV. S. Ignatius licet jam Generalis in cubiculo tenebricoſo & perangusto habitabat, quod viginti novem palmis longum, latum quatuordecim, altum decem erat, & ſimpliciter elaboratum.

Vit. l. 3. c. 12. XXVI. S. Fradciſcus Xaverius ægrotans Mozambici ex ſebri, licet multæ domus offerrentur, in valetudinario tamen communi inter ægrotorum turbam ſemper jacuit.

Hiſt. Soc. p. 3. l. 14. XXVII. S. Franciſcus Borgias juſſit noſtris Septimancæ domicilium exſtrui ex rudi materia & cæmento, quæ ſuis humeris una cum Tyronibus comportabat; parietum vero loco ſtoreæ fragiles perexigua loca diſtinguebant. Idem Hiſpali conſpicatus domum in noſtros u- *Ib. n. 91.* ſus a P. Joanne Suario paratam, tam ornatam, tam luculentam graviter eſt commotus, & cum P. Suario conqueſtus. Unde paulo poſt in alias ruinoſas anguſtaſque migravit, quæ, cum ubique rimas agerent, & imbribus eſſent previæ, crebro ſiebat, ut non modo cubile, verum etiam caput ipſum ſumma hominis cum voluptate perplueret.

Hiſt. Soc. p. 1. l. 14. n. 115. XXVIII. P. Joſephus Anchieta ad S. Ignatium ſcripſit, ſe cum aliis viginti in paupercula domo, luto & lignis contexta, paleis cooperta, quatuordecim paſſus longa, decem lata habitare, ibique ſcholam, valetudinarium, dormitorium, cœnaculum, coquinam, penum eſſe. Nec tamen amplarum habitationum, quibus alibi Fratres noſtri utuntur, deſiderio illos ardere, ſi quidem Chriſtus in arctiori longe loco, nempe S. Cruce habitavit.

XXIX. P. Alexander Hunneus enixe a Superioribus contendit, ut ſibi in incommodiſſimo totius Collegii loco & cubiculo habitare liceret, quod tandem obtinuit, in eoque mortuus eſt.

Anno 1613. Prov. Rhe. Coll. diſſeldorpienſe. XXX. Tilmannus Landiſmam per annos duodecim cubiculum ad gradus habebat, in quo interdiu ſutoriam exercebat, noctu vero ſtratæ culcitræ indormiebat.

Anno 1607. Prov. Peruan. Coll. Linquisbenſe. XXXI. Joannes Ruiz paupertatis adeo erat ſtudioſus, ut ſemper cubiculo caruerit, & in neſcio quem angulum ſe abdiderit, ut mira cum paupertate cubabat.

Paupertas in muneribus recuſandis.

Vit. l. 4. c. 7. XXXII. S. Franciſcus Xaverius cum Amangucii Rex magnum auri argentique pondus obtuliſſet, remiſſis illis hoc unum Regem precabatur, ut facultatem ſeminandi Evangelii concederet. Unde admiratus Rex tantam abſtinentiam aſpernantis, quod alii per ingentia fretorum terrarum pericula peterent, non dubitavit ejus Religioni favere, cujus virtutem ſuſcipiebat. Hinc etiam Concionatores hortabatur, ut, ubicumque eis res ad victum neceſſariæ ſuppeterent, nihil ab aliis accipiant, quod dona libertatem eripiant. Cæterum ſi parva quædam mitterentur, indicia benevolentiæ verius, quam munera, non eſſe reſpuenda, ne amicitiam reſpuere videaris. Si quando magna vis cibariorum miſſa fuerat, ea valetudinario, carceri, cæteriſque egentibus dividebat, ut omnes intelligerent, iſtarum etiam rerum maximam partem diſpertiri pauperibus. *L. 6. c. 16.*

Hiſt. Soc. p. 1. l. 3. n. 22. XXXIII. P. Petrus Faber nondum conditis conſtitutionibus proprio voto ſe obligavit, numquam ſe pro Evangeli Miſſæve Sacrificio, vel Confeſſionibus excipiendis quidquam accepturum, ac ne annuis quidem fructibus liberaliter uſurum, niſi a poteſtatem habente cogeretur, quod ille votum inter magna Dei dona numerabat. Idem Moguntia diſcedens cum *Vit. l. 3. c. 22.* ei Cardinalis ſpecioſa munera, vas præſertim argenteum magni ponderis obtuliſſet, remiſit, dicens, ſe non ex iis eſſe, qui argenteam ſupellectilem, ſed qui bona ſua ſecum portarent. Altero tamen die cum ei Cardinalis ipſe in Breviarii thecam centum florenos injeciſſet, ne contemnere Antiſtitem videretur, accepit quidem, ſed ſtatim vel Lovanienſibus Sociis in ſumma paupertate conſtitutis, vel aliis pauperibus diſtribuit. Idem rogatus ab eodem Præſule, quid pro tantis laboribus peteret? Reſpondit: Stipendium, ampliſſime Præ- *Vit. l. 2. c. 21.* ſul, jam pridem accepimus, quod nullis unquam meritis adæquare liceat, cum dignatus eſt Deus vocatione ſua ſancta vocare in opus Evangelii, ut gratis daremus, quod gratis accepimus.

Hiſt. Soc. p. 1. l. 10. n. 94. XXXIV. P. Jacobus Laynes in expeditione Africana nihil unquam de conquiſitis a ſe pro ægrotis ſubſidiis pro ſe uſurpabat: nihil unquam ab aliis toties ingratæ memoriæ monumentum oblatum accepit, quod eum in magna veneratione apud omnes poſuit.

Ib. l. 8. n. 78. XXXV. P. Aroz cum aliquando in Hiſpania concionaretur, finita concione pro conſuetudine loci magnam ei pecuniæ vim obtulere, in qua repudianda ita certandum fuit, ut populus ad ſtrepitum altercantium accurrerit, qui re cognita non ſine ſecunda admurmuratione diſceſſit. Cum dein celebris quidam Concionator diceret Dominicano cuidam docto: Patres Societatis magnum facturos fructum, ſi univerſi in hoc concionandi modo convenirent. Subjecit Dominicanus: Non in hoc ſumma rei vertitur, ſed in eo, ut univerſi conveniant in factis, Deique verbo gratis ubique evulgando: facile dein, quantum ad pietatem opus erit, in dictionis forma convenient.

Paupertas in mendicatione.

Vit. l. 1. c. 5. l. 2. c. 4. XXXVI. S. Ignatius initio ſuæ converſionis Manreſæ quotidie emendicabat ſtipem. Idem ſtudiorum tempore quotannis in Belgium abjit, & ab Hiſpanis mercatoribus pecuniam ad ſtudia neceſſariam erogabat.

Vit. l. 1. c. 14. XXXVII. S. Franciſcus Xaverius cum in Indiam veheretur, licet ei omnia neceſſaria a Prætore offerrentur, ipſe tamen rejectis omnibus non niſi mendicato vivebat.

XXXVIII.

Vit. l. 2. c. 29. XXXVIII. P. Petrus Faber, ubicumque erat, conabatur oſtiatim alimenta perquirere, aut ſi id non poſſet, certe voluntatem accendebat, ita, ſi poſſet, mendicandi.

Paupertas in non dando & accipiendo abſque facultate.

M. ſ. Ingolſt. f. 12. lit. F. XXXIX. Anno 1556. ultimo Maji in feſto SS. Trinitatis juſſit S. Ignatius P. Sebaſtianum Romæum Rectorem publicam diſciplinam facere in medio Refectorio per unum Miſerere, & præterea in parva menſa comedere cum ſolo pane & vino, ſequenti vero die etiam nihil comedere, priuſquam quoſdam Orbiculos ſacros (Agnus Dei vocant) ad ipſum tuliſſet, eo quod abſque expreſſa licentia Superioris, quibuſdam e noſtris ſimilia munuſcula diſtribuiſſet.

Vita. XL. B. Aloyſius papyrum rogatus, non prius id dedit, quam a Superiore dandi facultatem obtinuiſſet.

Vita itin. præfixa. XLI. P. Thomas Sanchez abſque facultate nihil dabat aut accipiebat, licet minutiſſimum, & ut ipſe ſcribit, nec filum.

Vit. c. 14. n. 80. XLII. P. Leonardus Leſſius pro omni uſu vel abdicatione facultatem petebat, uſque adeo, ut, cum Externus quiſpiam imaginem aliquam pro memnoſyno peteret, eo ad portam relicto, tota domo diu multumque P. Miniſtrum quæreret, cumque P. Miniſter in extremis finibus inventus, miraretur illum tantillam ob cauſam, pedibus tam male affectis, vaſtiſſima in domo diſcurriſſe, diceretque, Epicikejæ hic locum eſſe: reſpondit Leſſius: Pater, præſtat ante ſecurum eſſe.

Vit. p. 2. n. 139. XLIII. Joannes Berckman per totam vitam deploravit, quod aliquando Fratri cuidam imaginem dediſſet, non impetrata a Superiore (quem tamen quæſierat, facileque conſenſurum putarat) facultate.

§. VII. EXEMPLA PROFANA.

S. Hier. ep. ad Jul. Diac. I. CRates Thebanus cum ſe Philoſophiæ ac virtuti Athenis mancipare vellet, lautiſſimum Patrimonium vendit, & magnam inde confectam a ri vim in mare projecit dicens: Abite peſſum malæ cupiditates: Ego vos mergam, ne ipſe mergar a vobis.

Rodr. p. 3. tr. 3. c. 6. II. Photion paupertatis retinentiſſimus, cum ei Alexander Magnus centum auri talenta (quæ ſexagies mille aureorum ſummam conficiunt) dono miſiſſet, fertur ex Portitoribus quæſiviſſe: cur hanc mihi pecuniam Alexander? cumque illi dicerent: ob ſolam virtutem tuam, & quia te omnium Athenienſium optimum judicat: reſpondiſſe: Sinat igitur me eſſe talem: & cum dicto aurum remiſiſſe.

S. Baſil. ho. 24. III. Diogenes Cynicus, cum Rex Alexander inopiam ejus cernens, diceret illi: Multis rebus egere videris: pete igitur, & dabo: generoſo animo reſpondit: Utri vero, o Rex, plura deeſſe autumas, mihine, qui præter hanc tunicam & manticam meam aliud plane nihil quæro; an tibi, qui in regno Macedoniæ alia adjicias, tot diſcriminibus caput tuum objicis, & cujus cupiditati explendæ vix totus ſufficit orbis: ne ego te multo ditior opulentiorque ſum.

Laert. l. 2. IV. Socrates ſi quando forum tranſiens rerum venalium copiam intuebatur, dicere ſolebat: Quam multis rebus non egeo! Judicabat eum eſſe Diis ſimillimum, qui quam pauciſſimis egeret, cum Dii omnino nullius egeant rei.

Beirlinck t. 6. f. 119. V. Ariſtides Athenienſis publice dixit, poſſe ſe honeſtius veriuſque ſua inopia gloriari, quam Calliam Athenienſium ditiſſimum immenſis opidus, quas poſſideret. Complures inveniri, qui fortunas ſuas in turpes uſus collocarent: qui paupertatem generoſe ferrent, per quam paucos eſſe, nec paupertatem cuiquam, niſi invito eſſe indecoram. Cum dives quidam ei paupertatem objiceret, dixit: Mihi quidem nihil mali adfert mea paupertas, tibi vero divitiæ non paucas perturbationes.

Plutar. in Epam. VI. Thebanus Epaminondas tot victoriis clarus Imperator, divitiarum abſtinentiſſimus, unica veſte contentus fuit, quam ſi quando vetuſtate obtritam reſarcire opus foret, domi clauſum ſe tenebat. *Ælianus l. 13.* Eum Thebani publica impenſa & ære collato ob inopiam extulerunt. Cum Jaſon ei, quinquaginta talenta auri miſiſſet: Injuriam mihi facis, inquiebat, ſimulque remiſſo auro, quinquaginta drachmas a elve pro viatico mutuatus eſt. Cum vero comperiſſet, ſatellitem ſuum a captivis pecuniam accepiſſe, ei ad ſe vocato dixit: Mihi da ſcutum, tu vero cauponam eme, in qua vivas; non enim ulterius pericula adibis, cum dives factus ſis.

Beirlinck t. 6. f. 119. VII. Scipio quinquaginta quatuor annorum ſpatio, nec emit, nec vendidit quidquam, adeo paucis fuerat contentus. Cum autem ei quidam ſcutum eleganter apparatum oſtenderet, dixiſſe fertur: Atqui Romanum civem par eſt in dextra ſpem ponere, non in ſiniſtra.

Beirlinck ib. f. 120. VIII. Demonax Philoſophus nullum unquam ſibi viaticum præparavit, ſed cum eſuriret, proximam domum, quam apertam videbat, ingrediebatur, & victum ibi quæritabat. Centenarius deceſſit, elatus publico ſumptu.

Manſi diſ. 2. n. 2. IX. Elianus de ſapientibus Græcis teſtatur, eoſdem bonorum temporalium inopes virtuoſiſſime vixiſſe, dicereque ſolitos, paupertatem ſubſidium eſſe ad Philoſophiam, quia quæ Philoſophia verbis perſuadere conatur, ad ea cogit paupertas.

B. Fulgoſ. lib. 4. X. Anaxagoras Clazomenius inſigne paupertatis reliquit exemplum. Is etenim amplum patrimonium ſuis ſponte conceſſit, pauperque ſtudiis adhæſit.

Ibid. XI. Levinus quem Romani Conſulem habuerunt, & qui Corintho urbe armis potitus eſt, cujus ſpoliis non urbs Roma ſolum, ſed pene tota Italia exornata fuit: tam pauca de Corinthi atque aliarum urbium, quas devicit præda ſibi retinuit, ut a Senatu, cum ipſe non haberet, filia ejus de publico dotem acceperit.

§. VIII. SIMILITUDINES.

Qualitas.

Plinius l. 3. c. 6. I. SIcut jumenta ut quidem poſſunt ſtabulo, ſtramento, fœno & tegumentis quibuſdam;

dam; nec tamen hæc poſſident ob incapacitatem dominii: ita veri pauperes ſpiritus, uti quidem ſe bonis poſſe, non tamen eorum eſſe dominos credunt.

Rodri. p. 3. tr. 4. c. 1. II. Sicut pueri, ſimul ac pomum aut alia recula illis eripitur, flere & conturbari incipinnt, non item viri graves; ita qui in ſtudio virtutis adhuc parvuli exiſtunt, non item viri perfecti, bonis iſtis creatis per amorem adhærent.

S. Ign. p. 3. conſt. §. 7. III. Sicut ſtatuæ perinde eſt, quidquid, veſtium ant ornamentorum adjicias, vel demas, ita verus paupertatis amator contentus eſt, quidquid ad ſimplicem uſum ei concedatur, vel negetur.

S. Chryſ. ho. 13. in 1. ad Corinth. IV. Sicut qui domnm ſtruit, non hoc ſpectat, ne pluvia ſuper ipſam deſcendat, aut radius ei incumbat, quando iſtud nulla ope caveri poteſt; ſed qui domus hæc ſuſtinere facile poſſit: Et navim fabricans non hoc agit, ut ne fluctus obturbet & undæ tolantur, ſed ut navis compages & latera ad omnia idonea fiant; ſic paupertatem fugere non opotet, ſed potius ſtudere, ut miſſa omni ſollicitudiue, ferendæ paupertati mentem idoneam reddamus.

Anonym. V. Sicut Natura in corpore humano, imo & in plantis, tantum duntaxat accipit ex alimento, quantum ſufficit ad conſervationem & augementationem viventis; ita gratia quoque, & paupertas tantum præciſe de bonis creatis fruuntur, quantum requiritur ad vitam ſpiritualem animæ conſervandam & perficiendam.

Idem. VI. Sicut is, qui eſtuat, veſtimenta exuit, ut refrigerationem quamdam percipiat; ita qui æſtu Divinæ charitatis accenſus eſt, abjicit a ſe, quidquid ad honeſtatem neceſſitatemque vitæ tam corporalis quam ſpiritualis neceſſarium non apparet.

Idem. VII. Sicut genuinum ſe filium minime probat, qui matrem non modo publice confiteri erubeſcit, ſed etiam paſſim oſtendere non veretur; ita paupertatis quoque amator cenſeri non meretur, qui contra eam frequenter peccare audet, & ejuſdem ſuo tempore effectus experiri non ſtudet.

Idem. VIII. Sicnt qui perſonam Pauperis in Comœdia ſuſtineret, inepte ageret, ſi optimas quaſque veſtes corporis circumdaret, & marſupium pecuniis refertum collo ſuſpenderet; ita parum ſapienter agit, qui paupertatem profeſſus, omnium rerum, & quidem optimarum abundantiam quærens, nullum defectum aut inopiam vult pati.

Neceſſitas.

Drex. p. 2. R. f. c. 9. §. 1. IX. Sicut ad ſolium Salomnis non niſi per ſex gradus aureos calcatos fuit acceſſus, ita ad ſolium in cælo paratum per aureos divitiarum gradus calcatos aſcendeudum eſt.

Rodr. p. 3. tr. 3. c. 15. X. Sicut merito rideretur pater, qui filio amenti proprietatem & dominium cultri adimeret, uſum vero reliuqueret; ita merito quoque riſu dignus eſt Religioſus, qui alienæ pecuniæ dominium abdicaret, vel renueret, uſum tamen perinde ac dominus retineret.

Plutus l. 3. c. 9. XI. Sicut malorum omnium radix eſt inordinata divitiarum cupiditas, atque adeo ante omnia exſcindenda eſt; ita omnium bonorum fundamentum eſt paupertas, atque ante omnes virtutes reliquas exercenda.

Matt. 7. v. 14. XII. Sicut nemo gravem habens farcinam per anguſtam portam intrare poteſt, niſi deponat illam; ita nemo per anguſtam portam regni cælorum intrare poterit, niſi qui Inordinanier affectionis erga divitias farcinam depoſuerit.

Utilitas.

Rodr. p. 3. tr. 3. c. 1. XIII. Sicut nudus Athleta fortius dimicat; natator exuitur, ut fluvium tranſeat; viator rejectis farcinulis bene curſitat; ita paupertatis amator omnia relinquens facilius diabolum ſternit; mare hujus Mundi felicius tranſit; & promptius ad patriam cæleſtem currit.

S. Chryſ. ho. 22. ad pop. XIV. Sicut tres Juvenes Hebræi non adorantes ſtatuam auream Nabuchodonoſoris, in flammis tuti fuerunt; ita & qui auream monetæ ſtatuam non adorant, in flammis afflictionum ſecuri erunt. Id quod S. Laurentius Juſtin. ita exprimit: Sicut pueros Babylonicos non incendit ignis, ſed diſſolvit eorum vincula; ſic eorum, qui in camino paupertatis gratias agunt, ſolvuntur vincula peccatorum, & incenduntur paupertatis igne juxta illud Iſaiæ: *Elegi te in camino paupertatis.*

S. Laur. Juſt. c. 3. de lig. vit.

Iſaiæ c. 48. v. 10.

Rodr. p 3. tr. 3. c. 2. XV. Sicut ſi Trapezitæ pro vaſe aureo aut lapide pretioſo centum Philippeos offeras, quem is domi ſuæ adhuc habet, jam tum vas illud aut lapis tuus eſt, etiamſi nec dum ſit traditus, quippe jam tuo ære coemptus; ita regnum cælorum eſt pauperis ſpiritu, qui pro eo, quidquid habet, expoſuit.

Mat. 19. v. 29. XVI. Sicut is, qui prædium aliquod aut oppidum, ex quo copioſos proventus ſperat, emere decrevit, libenter majorem partem, aut totam etiam pecuniam pro eo offert; ita qui novit, quantos ex regno cælorum olim poſſidendo fructus ſperare queat, merito omnia ſua bona pro eo comparando offert, & Chriſto in pauperibus, diſtribuit.

Anonym. XVII. Sicut Mater Machabæorum adſtitit In morte filio, eique, ut fortiter mortem & cruciatus toleraret, mox offerendum præmium in memoriam revocavit; ita paupertas, ut amatores & filii ſui ipſos mortis dolores generoſe ſuſtiueant, promiſſum centuplum & vitam æternam ipſos ante oculos ponit.

Æquitas.

Hieronym. in l. de oder. XVIII. Sicut milites, quando ſciunt hoſtem brevi eorum caſtra aut ſtationem invaſurum, mox omnia corrumpunt, vel alio tranſportant, ne hoſtis ſuperveniens opimis ſpoliis gaudeat; ita & homines morti tamquam hoſti certo ſuperventuro per paupertatem ſubtrahere debent, ne ullum præter viliſſimum corpuſculum, de nobis ſpolium referat.

S. Chryſ. ho. 27. ad pop. XIX. Sicut, ſi Rex promitteret, quotidianum victum e collario ſuo ſe præbiturum, jam in futuro conſideres, & amplius ſollicitus non eſſes; ita multo magis cum Deus omnia daturum ſe tibi promiſerit, convenis, te ab omni cura & ſollicitudine liberum eſſe; ſi enim

paſcit

Digitized by Google

paſcit omnem carnem, multo magis ſibi dicatos.

Senec. in Ep. XX. Sicut pro brevi itinere neutiquam longum viaticum conquiritur; ita nec pro vita brevi duratura multas divitias colligere, ſed victu & amictu contentum eſſe oportet.

Dignitas.

Anonym. XXI. Sicut ii, qui ad ſublimes dignitates aſcendere cupiunt, liberaliter opes ſuas effundunt, modo optatum honorem conſequantur; ita qui Deo ſimillimus eſſe cupit (quæ ſumma hominis eſt dignitas) libenter omnia ſua bona pauperibus diſtribuit.

XXII. Sicut Rex verus eſt, qui non tam hominum aut opum dominium poſſidet, ſed ſui ipſius Dominus & Rex eſt; ita is tandem merito ſupremam dignitatem conſecutus dici debet; qui omnia creata bona generoſo animo contemnit, ſicque facto ipſo implet, quod Seneca dixit: Rex eſt, qui metuit nihil: Rex eſt, quique cupit nihil: hoc regnum ſibi quiſque dat.

Jucunditas.

S. Chryſ. ap. Rodr. p. 2. tr. 3. c. 3. XXIII. Sicut is, qui neque ſitis gravis, neque bibendi ulla cupiditate tenetur, haud dubie felicior eſt eo, qui tanta æſtuat ſiti, ut unum poculum poſt alterum expoſceret, nec tamen ſitim ſatiaret; ita non is, qui multas opes poſſidet & plures ſemper optat, ſed qui omni earum cupidine caret, beatus dicendus eſt.

Minutius felix in Octavio. XXIV. Sicut, qui viam terit, eo felicior, quo levior incedit; ita beatior in hoc itinere vivendi erit, qui paupertate ſe ſublevat, non ſub divitiarum onere reſpirat.

Anonym. XXV. Sicut qui jucunde & ſuaviter dormire cupit, omnibus ſe aut pleriſque veſtimentis exuit; ita qui vera animi quiete frui deſiderat, omni rerum conditarum uſu, quouſque fieri ſalva neceſſitatis & honeſtatis lege poteſt, ſpoliat.

Idem. XXVI. Sicut infans numquam ſecurius ſuaviuſque, quem in matris dormit ſinu; ita homini veram tranquilitatem amanti numquam melius eſt, quam cum ſe in tutiſſimum paupertatis gremium projecerit.

§. IX. MOTIVA.

I. ÆQuitas: an non enim æquum eſt, ut initio & fini vitæ, medium reſpondeat? atqui nudi ingreſſi ſumus hunc Mundum, & nudi egrediemur, quidni ergo nudi quoque, quoad fieri poteſt, habitemus in eo? An non æquum, ut pro brevi itinere parvum viaticum præparetur? an non æquum, ut membrum capiti Chriſto, qui propter nos egenus factus eſt, conformetur? an non æquum, ut temporalia brevique peritura bona, pro cæleſtibus æterniſque bonis infinities melioribus expendantur, & commutentur.

l. 2. de bono ſtatus relig. c. 9. II. *Utilitas*: quas ſeptem enumerat Plato. 1. Quod omnium ſcelerum ac vitiorum inſtrumentum tollat, & oppoſitas virtutes animo inferat, uti teſtatur S. Chryſoſtomus, dum ait: *ho. 2. in ep. ad Hebr.* Chriſtianus in paupertate magis irradiat, quam in divitiis. Quomodo? quia excludit a ſe Superbiæ typum, non erit arrogans, ſed potius obediens, pudicus, mitis & ſapiens. 2. Quod ad præterita peccata expianda mire conducat, juxta illud Iſaiæ: Ecce excoxi te, ſed non *c. 48. v. 10.* quaſi argentum: elegi te in camino paupertatis. Hinc S. Gregorius, mala, inquit; Laza- *Hom. 4. in Evan.* ri purgavit ignis inopiæ, & bona divitis remuneravit felicitas vitæ præſentis. Illum paupertas afflixit & terſit, iſtum abundantia remuneravit, & repulit. 3. Quod hominem rerum caducarum occupatione liberet; hinc Zeno, teſte S. Gregorio Naz. cum in maris tempeſtate omnia ſua projeciſſet in mare, dixit: Gratias tibi fortuna habeo, quæ me ad Philoſophiæ pallium redigis. 4. Quod non ſinat *Orat. 47.* animum bonis creatis adhæreſcere: hinc S. Gregorius ait, morem Dei eſſe, ut Electis ſuis *l. 23. mor. 4. c. 14.* ad ſe pergentibus hujus Mundi iter aſperum faciat, ne, dum quiſque præſentis vitæ requie quaſi amœnitate paſcitur, magis eum diu pergere, quam citius pervenire delectet: ne, dum oblectatur in via obliviſcatur, quod deſiderabat in Patria. 5. Quod a Deo admodum gratos atque dilectos, atque adeo variis beneficiis dignos efficiat. Uti S. Bernardus pulchre demonſtrat, dum ait: Quam multi nobiles ſecundum carnem, quam multi potentes, quam multi ſapientes hujus ſæculi, hora illa in ſtratis mollibus quieſcebant, & nemo eorum dignus habitus eſt (tempore Nativitatis Chriſti) novam videre lucem, ſcire magnum illud gaudium, Angelos audire cantantes. Unde concludit, ſi pauperes illos involuntarios tantopere amavit Deus, quanto propenſiorem amorem voluntariis oſtendit. 6. Quod per victus, cultuſque tenuitatem, ſummam vim habeat ad animæ ſalutem procurandam: cum, teſte S. Chryſoſtomo, ſobrietas ſit alarum inſtar, quibus anima facile ad cæleſtia affertur, eaque per contemplationem attingit. 7. Quod *Matth. 5. v. 3.* ſit optimum medium ad Regnum cælorum obtinendum, utpote cui etiam in hac vita promittitur: hinc S. Auguſtinus, magna, inquit *ſ. 28. de verb. Apoſt. ſuper* felicitas Chriſtianorum, quibus datum eſt, ut paupertatem faciant pretium Regni cæleſtis. S. Thomas paulo aliter ſeptem utilitates, ve- *Pſalm 48. in fin.* luti ſeptemplicis oſtia Nili, aſſignat, ſcilicet peccatorum recognitionem, virtutum conſervationem, cordis quietem, deſiderii impletionem, ſpiritualium bonorum dulcedinem, meritorum exaltationem, & cæleſtem hæreditatem.

III. *Dignitas*: quam quidem breviter, ſed *l. 2. de bono ſtat. Relig.* ſolide Platus ex Regni promiſſi conditione deducit, dum ait: quæ enim divitiæ, aut Regna ei comparantur? nam regna, ut grandia ſint, certa orbis parte definiuntur, paupertatis autem regnum nullis terminis clauditur, & eo ipſo, quod nihil habet, omnia poſſidet. Totum enim poſitum eſt in animo, qui poſſidere non poteſt, niſi dominetur; non poteſt autem dominari, niſi ſit ſuperior. Itaque quanto ſuperior, tanto verior Dominus ac poſſeſſor. Accedit, quod nihil adeo ſimilem Chriſto, & ipſi Deo efficiat, ac paupertas; hinc merito a S. Paulo *Altiſſima* vocatur, dum ait: *2. Cor. 8. v. 2.* Altiſſima paupertas eorum abundavit in divitias

tias ſimplicitatis eorum: Et S. Gregorius pauperibus applicat illud S. Davidis: *Pſ. 138. v. 7.* Nimis honorificati ſunt amici tui Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum.

IV. *Jucunditas*: quæ quidem ex triplici capite oritur. 1. Ex *ſanitatis* conſervatione, quam uti abundantia ciborum ac potus plurimum deſtruit: ita frugalitas mire conſervat ac proficit, ipſa experientia teſte, quid autem jucundius ſanitate, ſine qua omnis deliciarum dulcedo amara eſt. 2. Ex delectatione *victus*: *ho. 2. ad popul.* nam, ut ſapienter S. Chryſoſtomus advertit, delectationem in conviviis, non ciborum natura, ſed ipſorum hominum diſpoſitio facit: quia cum quiſpiam eſuriens ad menſam accedit, quicunque ſit cibus, etiamſi vulgaris, jucundior videbitur, quam quodvis obſonium innumeris illecebris conditum. *Prov. 27. v. 7.* At vero, qui neceſſitatem & famem præveniunt, ut ſolent divites, etiamſi nobiles epulas viderint appoſitas, nullam ſentient ſuavitatem, languente videlicet appetitu. Nimirum; ut ipſe Salomon recte agnovit, anima ſaturata calcabit favum, & anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet. *Pſal. 80. v. 17.* Hinc David dixit: Et ex petra melle ſaturavit eos, quia ſcilicet tunc ſitientibus Judæis aquæ ex petra eductæ, melle dulciores videbantur. 3. *Ex animi* tranquilitate, ac gaudio: quod enim divitiæ per tot anfractus, totque labores, tanta rerum varietate inquirunt nempe animi fructum & gaudium, hoc paupertas ſine moleſtiis, quaſi fructum ſine cortice obtinet, utpote quæ tam contenta eſt nihil habendo, quam divites multa poſſidendo. *ho. 4. in Matth.* Quamobrem egregie S. Chryſoſtomus paupertatem caminum vocat, in quo miraculorum trium puerorum, quos in fornace non modo flamma non contingit, ſed etiam aura quædam mediis in ignibus refrigerabat, nam per ſe quidem paupertatem ignem eſſe acrem & moleſtum, ſed tamen, ſi quis in eam ſe voluntarie conjiciat, & in ea Deo gratias agat, cjus vincula diſſolvi, flammam extingui, aut ſi non extinguatur, quod multo mirabilius eſt, pro flamma rorem ſentiri; maximum enim rorem, & ad animam recreandam aptiſſimum eſſe, non teneri divitiarum concupiſcentia. Neque enim, ut recte Beotius dixit, felicitas & beatitudo in poſſeſſione magnarum opum, ſed in deſideriorum ſatietate conſiſtit. *in opuſ. de monaſt. converſat.* Hinc merito exclamat S. Laurentius Juſtinianus: O beata paupertas voluntaria nihil in hoc ſæculo poſſidens, nihil formidans, quoniam omnem theſaurum ſuum recondit in cælo, ſemper hilaris, ſemper abundans eſt, &, cum nihil habeat, omnia ſibi facit communia, omne incommodum ſuo facit profectui deſervire. Nemo recte ni expertus percipere ſufficit, quam amabilia, quam dulcia, quamve pretioſa ſint, quæ largitur Deus in iis, qui ipſius amore ſuis, ſibique renuntiant.

V. *Securitas*: quam quidem eloquenter S. *ho. 13. in 1. Corinth.* Chryſoſtomus depinxit, dicens: Quemadmodum inter animantia cervus & lepus ob innatam ſibi timiditatem maxime cæteris ſunt obnoxia, ſuis autem & taurus, & leo, haud facile in poteſtatem inſidiatoris cadit, tale videre quiddam in divitum & pauperum gente licet, Hinc leoni, & tauro ſimilis eſt: ille lepori & cervo. Quid enim non metuit dives an non latrones, an non potentes, an non invidos? an non calumniatores: & quid latrones aut calumniatores dico? familiares ſuos ſuſpectos habet, aut quidem vivens dico? quando ne mortuus quidem graſſantium improbitate liber eſt; & ne mors quidem ipſa tutari prorſus divitiis cadaver poteſt, quin ſcelesti homines expillent. E contrario cantat ſecurus coram latrone (quidni etiam quovis alio?) viator. Et quemadmodum avicula caveæ grandiori incluſa ſecura eſt ab accipitris, id eſt, inſidiantium inimicorum impetu ac violentia.

§. X. MEDIA.

I. AMor Dei: ut enim, qui æſtuant, ultro veſtimenta abjiciunt; ita & ii, qui amoris divini æſtu correpti ſunt, ultro exuunt ſe amore omnium rerum creatarum, & cum S. Paulo ea, quæ ante hæc fuerunt lucra, detrimentum faciunt & arbitrantur ut ſtercora, *Philip. 3. v. 8.* ut Chriſtum lucriſaciant.

II. *Deſiderium bonorum cæleſtium*: hoc enim faciet exclamare cum S. Auguſtino: ſervas tu *S. Aug. in Pſ. 75.* mihi in cælo, o Domine, divitias immortales, nimirum teipſum, & ego volui a te in terra, quod habent & impii, quod habent & mali, quod habent & facinoroſi, pecuniam, aurum & argentum, gemmas, familias, quod habent & ſcelerati multi, quod habent multæ fœminæ turpes, multi viri turpes. Hæc pro magno deſideravi a Deo meo ſupra terram, cum ſerves te mihi in cælo, Deus meus.

III. *Firma in Deum fiducia*: nam, ut recte Jacobus Alvarez advertit, homo ſupra *Jac. Alv. to. 2. l. 5. p. 3. c. 8.* communem modum Deo fidens rerum temporalium meminiſſe, aut de illis curare erubeſcit: Et ſicut B. Agatha medicinam carnalem ſuo corpori numquam adhibuit, ſpem ſuam in illo collocans, qui ſolo ſermone reſtaurat univerſa; ita & perfecte pauper vix temporalia reſpicit, ab eo ſolo pendere volens, quem ſæpiſſime expertus eſt Patrem, & in neceſſitatibus fideliſſimum proviſorem. Hinc recte S. Ephrem: Si credis ait, te acceptu- *S. Ephrem de fide.* rum æterna illa, omniſque corruptionis expertia bona, quanto magis fugacia iſta, atque terrena accipies, quæ Deus etiam feris conceſſit, atque volucribus, & impiis hominibus.

IV. *Sui ipſius perfecta oblatio*: quo medio *l. 4. de inſt. cœn. c. 20.* Caſſianus monachos ſui temporis uſos fuiſſe teſtatur, utpote qui non ſolum ſeipſos non eſſe ſuos, ſed etiam omnia, quæ ſua eſſent, credebant Domino conſecrata: propter quod ſi quid fuiſſet monaſterio ſemel illatum, ut ſacroſanctum cum omni decernebant reverentia, quantumvis parvum ac vile, debere tractari.

V. *Certis temporibus ad Superiorem deferre* reculas ſuas, iiſque penitus ſe ſpoliare: uti P. Petrum Fabrum feciſſe ſupradictum eſt, & in Ordine S. Hieronymi olim religioſe factitatum fuiſſe, cjuſdem Annales teſtantur, dum, *Chron. S. Hier. c. 43.*

ſi quis

Digitized by Google

ſi quis rei ſuperfluæ aut curioſæ minuſve religioſæ poſſeſſor comperiret, omnes conveniebant, pyraque eacitata, rem illam quaſi anathema exurebant.

VI. *Rationem finis ſemper ob oculos habere*: Ita S. Ignatius ſuaſit, & S. Baſilius, qui ſemper illa verba Apoſtoli: habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus: ait: alimenta, non oblectamenta, quibus tegamur, non quibus honoremur, petenda ſunt.

S. Baſil. apud Rodr. p. 3. tr. 3. c. 6.

VII. *Præmii conſideratio*: nam, ut S. Gregorius recte dixit, ſi conſideremus, quæ & quanta ſint, quæ nobis promittuntur in cælis, vileſcunt omnia animo, quæ habentur in terris. Terrena namque ſubſtantia, ſupernæ felicitati comparata pondus eſt, non ſubſidium. Temporalis vita æternæ vitæ comparata mors eſt potius dicenda, quam vita.

S. Greg. ho. 37. Evang.

§. XI. ASCETICA.

I. OCto fere ſunt capita, quæ a Religioſo circa paupertatem ſpecialiter ſunt obſervanda, aliiſque inculcanda. Primum eſt, ut norit bene diſcrimen inter paupertatem *involuntariam*, ſeu non libere aſſumptam, quamvis vel caſus, vel neceſſitas affert: & *voluntariam*, quæ libere aſciſcitur, ultroque ac libenter ſuſtinetur, atque etiam oblatas divitias, & ipſos auri montes quaſi ſtercora arbitratur, & abominatur: quæ quidem triplici ex titulo priorem longe antecedit. 1. Quia prior, cum voluntarie non ſuſcipiatur, atque externis prematur incommodis, nullis vero commodis recreatur, vulgo ignobilis, ſordida, odioſa, nullaque laude digna habetur; poſterior vero eo ipſo, quod omnia libere & generoſe contemnit, omnibus eminet, & quæ pedibus ſpernendo conterit, ejuſdem eminendo, copioſius poſſidet. 2. Quia cum priore conjunctum eſt habendi deſiderium ex quo naſcitur, tum ſtudium quærendi, tum ſi non ſuppetat, quod quæritur angor, mœror, & ſollicitudo; a poſteriore vero non modo abſunt dictæ perturbationes; ſed ne ſentitur quidem inopia, quoniam amatur, & expetitur, atque adeo in ea animus quaſi in omni rerum abundatia ac copia acquieſcit. 3. Quia prior caret præſidio illo ſingulari, quo poſterior gaudet, ſcilicet ſingulari, fiducia de Dei cura, ac providentia, ob ſingularem ejus promiſſionem; ex quo ſummam jucunditatem oriri neceſſe eſt; nam qui ſe ſummo illi Regi Regum tantæ curæ eſſe intelligit, ejuſque curæ quotidiana judicia accipit, cur non ei hoc dulcius, quam omnes divitiæ, accidat.

Platus l. 2. c. 8. — *Idem. l. 3. c. 8.*

II. Alterum eſt, ut bene cognoſcat naturam paupertatis voluntariæ, ſeu *Spiritus*, ut vocant, quod nempe tria ad illam capita requirantur. 1. *Affectus* ſeu voluntas relinquendi, qui quidem, ut S. Ambroſius recte advertit, divitem collationem aut pauperem facit; & pretium rebus imponit. 2. *Effectus*, ſeu actualis relictio, quam Chriſtus illis verbis requiſivit: Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni, ſequere me. 3. *Intentio*, qua ejuſmodi bona propter Dei & virtutis amorem relinquantur, nam, ut recte S. Baſilius ait, hi ſunt mendici ſpiritu, qui non aliam ullam ob cauſam ad mendicitatem devenerunt, quam ob doctrinam Domini, qui dixit: Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Quod ipſum egregie S. Bernardus confirmavit, dicens: Nec voluntaria quidem paupertas omnis habet laudem apud Deum; nam & Philoſophi omnia ſua reliquiſſe leguntur, ut expediti mundialibus curis ſtudio vanitatis poſſent vacare liberius; & nolebant cenſu abundare terreno; ut abundarent magis in ſuo. Hos diſcernit, quod dictum eſt, *in Spiritu*, id eſt, ſpirituali intentione, deſiderio ſpirituali propter ſolum beneplacitum Dei, & animarum ſalutem.

1. Offic. c. 30. — *Matth. 19. v. 21.* — *Reg. Brev. 205.* — *S. 1. in feſto OO. SS.*

III. Tertium eſt, ut convenientem de hac virtute æſtimationem concipiat, commodaque ab ea oriri ſolita bene percipiat, quam quidem æſtimationem vix facilius obtinebit, quam ſi paupertatem ut matrem ſibi imaginetur. Vere enim omnia matris officia perfectiſſimo modo erga Religioſum illa exaravit, & exercet. Nam 1. illa vere eum Chriſto Religioni genuit eum propter Chriſti conſilium, de paupertate arripienda datum, Religionem potiſſimum ingreſſus ſit. 2. Vere alit illum & majori cum ſollicitudine & charitate: quam ulla mater filium ſuum lactet, & nutriat. 3. Etiam honeſtiſſime educat ut mater, ut jam olim ipſi etiam Ethnici agnoverunt, dum paupertatem magiſtram morum, & conſanguineam virtutum appellarunt. Hinc & Seneca dixit: Si vis vacare animo, aut pauper ſis oportet, aut pauperi ſimilis. 4. Ut mater in ſinum ſuum nos recipit, atque ab omnibus inſidiis hoſtium defendit, dum *meum*, ac *tuum*, radicem omnium vitiorum & quidquid eſt malorum, in orbem invehens, tollit: Hinc S. Ignatius paupertatem pro firmiſſimo Religionis muro habendam dixit. Sed & S. Clara dicere ſuis eſt ſolita, tum demum ſuum monaſterium firmum, ac ſtabile futurum, ſi propugnaculis, ac mœnibus paupertatis quam maxime munietur. 5. Ut mater hæreditatem Regni cæleſtis procurat: quæ enim major aut optatior hæreditas expectari poteſt, quam centuplum in hac vita, & poſt hanc ipſa vita æterna; atqui hanc pauperibus ſpiritu Chriſtus ſæpius promiſit, ut adeo merito quivis paupertatis amator dicere cum S. Davide queat: Funes (charitatis, quibus paupertas me ſibi devinxit) ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara eſt mihi. 6. Ut mater, in ipſa morte fideliter aſſiſtit, & multo efficacius filios ſuos, quam olim mater Machabæorum, alloquitur, animatque dicens: Fili mi, miſerere mei, quæ te novem menſibus (imo pluribus annis) in utero portavi, & lac triennio, & amplius, dedi, & in ætatem iſtam perduxi. Peto, nate, ut aſpicias ad cælum, & ad terram, & ad omnia, quæ in eis ſunt, ſic fiet, ut non timeas carnificem iſtum (mortem, vel Dæmones in morte tentantes) ſed dignus fratribus tuis effectus

Pſ. 15. v. 6.

ſuſci-

ſuſcipe mortem, ut illa miſerationem cum fratribus tuis te recipiam. Ita ſane expertus *Annal. dier. mem. Soc. 12. Ja. 1606.* eſt P. Joannes Gerardinus, qui in agone dixit: Non timeo mortem, quia ſyngrapham habeo a Chriſto duplici ſigillo munitam, qua *Matth. c. 19. v. 28.* cælum mihi promittitur: Amen dico vobis (quam voculam per ſigillum intelligebat) quod vos, qui ſecuti eſtis me; & omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.

IV. Quartum eſt, ut bene intelligat, doceatque præcipua officia & actus paupertatis, qui quidem convenientiſſime per officium filii explicantur. Itaque 1. Ut filius diligenter caveat, ne matrem ſuam ulla ratione lædat, id eſt, ne quidquam accipiat, det, mutuet, aut alio quovis modo diſponat, ſine conſenſu tacito, vel expreſſo Superiorum. 2. Ut filius ſuus matrem ſuam magnopere veneretur, nec ipſam confiteri talem erubeſcat, quod fiet, ſi omnia ſuperflua ſtudioſe abjiciat, viliſſima quæque eligat, & ſuo tempore per meditationem neceſſaria petere, aut alios ſimiles paupertatis effectus experiri non horreat, aut erubeſcat. 3. Ut filius magna cum fiducia in periculis & neceſſitatibus ad matrem ſuam confugiat, id eſt, recordatione paupertatis voluntarie ſuſceptæ ſe ſoletur, & tentationes vel ex inordinata concupiſcentia, aut inordinato timore exortas ſuperare conetur. Certe eam eſſe efficaciſſimum medium ad ejuſmodi tentationes ſuperandas, pulchre pius Aſceta ſequentibus verbis oſtendit: Ad hoc conare, hoc ora, hoc deſidera, ut ab omni proprietate poſſis expoliari, & nudus, nudum Jeſum ſequi, tibi mori, & mihi æternaliter vivere. Tunc deficient omnes vanæ phantaſiæ, conturbationes iniquæ, & curæ ſuperfluæ. Tunc etiam recedit immoderatus timor, & inordinatus homo morietur. *l. 3. de imi. c. 37. §. 1.* 4. Ut filius lac maternum, omnibus aliis alimentis præferat, id eſt, eo victu aliiſque rebus, quas ad quotidianas neceſſitates paupertas ſuæ domus, aut Monaſterii offert, contentiſſimus vivat magiſque his delectetur, quam ullus dives pretioſis ſuis rebus, quas poſſidet, quemadmodum ſupra dictum eſt, S. Franciſcum feciſſe, dum fruſtula panis emendicati ad divitum menſas invitatus promebat, omnibuſque aliis menſæ deliciis præferebat. 5. Ut filius abjecta omni ſollicitudine totum ſe providentiæ curæque matris ſuæ commendet, certoque ſibi perſuadeat, melius ſibi ab ipſa, quam per quamcumque *l. 3. de imi. c. 37. §. 2.* ſuam induſtriam proſpectum iri. Dicat proinde ad hanc matrem ſuam, quod pius Aſceta ad Deum dixit: Domina mater mea, major eſt ſollicitudo tua pro me, quam omnis cura, quam ego gerere poſſum pro me. Nimis enim caſualiter ſtat, qui non projicit omnem ſuam ſollicitudinem in te: dummodo voluntas mea firma & recta ad te permaneat, fac de me, quidquid tibi placuerit. Non enim poteſt eſſe, niſi bonum quidquid de me feceris. Hunc certe ob finem S. Franciſcus ſuos filios abeuntes non alio viatico inſtruxit: Jacta cogitatum tuum in Domino (& matre paupertate) & ipſe te enutriet: Nam matrem quidem paupertatem habemus, ſed patrem admodum divitem.

V. Quintum eſt, ut bene norit præcipua *impedimenta* paupertatis, modumque ſolidum eadem removendi, quorum quidam tria ſunt potiſſima. Primum eſt metus doloris orituri ex divitiarum nimis amatarum, ſtrictéque nimis adhærentium ſeparatione; contra quem proinde ſe armet meliorum divitiarum, quas paupertas promittit, recordatione, ad exemplum primorum Chriſtianorum, de quibus S. Paulus dixit: Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuccepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam. *Heb. 10. v. 34.* Meminerit item quanto melius & tranquillius finem, quem alii per divitiarum poſſeſſionem quærunt, ſcilicet ut bene & jucunde vivant, ipſe per contemptum divitiarum, & amorem paupertatis obtineat. Quam facile item eædem divitiæ, aut per violentiam, aut fraudem hominum, aut caſum infortunatum, aut ipſam mortem adimantur; an non ergo præſtat nunc cum modico dolore, non tamen modico fructu dimittere, quod olim ſummo dolore, minimoque emolumento dimittendum eſſet. Secundum impedimentum eſt timor incommodorum, & defectus rerum pro vita conſervanda neceſſariarum: quod tamen facile removebitur, ſi meminerit, ſe per electionem paupertatis Deo omnem curam ſui commiſiſſe; de quo merito illa ſibi Kempenſis Thomæ verba applicare poterit: Cum Chriſtum *l. 2. c. 1. §. 2.* habueris, dives es, & ſufficit tibi. Ipſa erit proviſor tuus & fidelis Procurator in omnibus, ut non ſit opus in hominibus ſperare. Certe non minus cuivis paupertatis amatori, quam olim Apoſtolis dixit idem Chriſtus: Quando miſi vos ſine ſaceulo & *Luc. 22. v. 35.* pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? Tertium impedimentum eſt metus confuſionis, ex nuditate hac ſpirituali, ſeu paupertatis exercitio orituri, ſed & hoc non difficulter removebit, qui meminiſſe voluerit, quantopere per hanc nuditatem placeat Deo, Sanctis, & omnibus juſtis, ob generoſum adeo divitiarum contemptum, quorum proinde judicium & commendatio merito omnes calumniantium, aut murmurantium contemptus, aut irriſiones elidet. Adde, quod & ipſi, qui exterius contemnunt, non poſſint non interius approbare & æſtimare tam nobilem animum, generoſe adeo hæc infima ſpernentem & conculcantem; imo & publice quoque ſuo tempore collaudabunt.

VI. Sextum eſt, ut pariter bene addiſcat, præcipua *adjumenta* ad virtutis hujus perfectionem obtinendam, quæ quidem fere coincidunt cum iis, quibus ad nuditatem corporalem procurandam impellimur. Quinque enim caſus potiſſimum reperiuntur, in quibus homines veſtimenta ſua exuunt; atque adeo ſeipſos aut ſponte denundant, aut ab aliis denundantur. Primus eſt, quando ve-

Digitized by Google

veſtes novas aut meliores quis aſſumit; quidni ergo libenter quoque amorem & poſſeſſionem temporalium bonorum exuat, abdicetque, ut meliorem cæleſtium bonorum amorem poſſeſſionemque pro eo accipiat? Secundus eſt, quando calore ſolis accenſi æſtuant. Id quod ingenioſe antiqui per fictitium certamen Solis, & Aquilonis, & quo contendebant, quis eorum majoribus eſſet viribus prædisus, expreſſerunt; cum enim communi conſenſu conventum eſſet, ut is tandem viribus ſuperior cenſendus, qui viatori tunc caſu tranſeunti pallium citius eriperet: Aquilo autem toto quidem impetu flare, furereque inciperes, ſed aliud nihil efficeret, quam ut viator pallium ſtrictius ſibi applicaret; Sol paulatim radios ſuos, ſuaviterque in tergum ejuſdem viatoris immittens haud difficulter obtinuit, ut is pallium caloris declinandi gratia ultro abjiceret, ſicque eadem opera victor declararetur. Quanto magis ergo hæc vis multo efficacioribus Divinæ charitatis radiis in pectus hominis evibratis concedenda erit. Tertius caſus eſt, quando quieſcere aut dormire in lecto volunt; quis autem neſcit, veram & unicam animi quietem, per paupertatem, & abdicationem temporalium bonorum haberi? Quartus caſus eſt, quando balneum adire volunt; quod autem balneum ſalubrius & optatius homini offerri poteſt quam vulnerum & ſanguinis Chriſti, hoc autem quiſquis intraveris, conſiderando immenſam liberalitatem, qua Chriſtus ipſum etiam ſanctiſſimum ſanguinem ſuum amore noſtri dimiſit, an non pluſimum excitabitur ad temporalia ſaltem bona amore Chriſti relinquenda. Quintus caſus eſt, quando quis cruci affigendus eſt; cum ergo religioſus quoque amore Chriſti crucifixus ſit, ejuſque diſcipulus ac imitator eſſe cupiat, an non vel hoc titulo etiam ſe ſponte denudabit, atque omnem rerum creatarum amorem & affectum exuet, ut Chriſto ſimilior efficiatur?

p. 3. tr. 1. c. 10. VII. Ut bene norit obligationes, quas contrahit quis ratione voti paupertatis, quales quidem ſequentes numerantur a Rodriquez & aliis. 1. Ut nullam rem temporalem poſſideat, aut de ea ullo modo diſponat. 2. Ut neque ab externis, puta parentibus, vel amicis, quidquam, Superiore inconſulto, accipere, aut diſponere poſſit. 3. Ut de viatico accepto nihil pro ſe, aut aliis emat. 4. Ut, ſi quid veſtium aut ſimilium rerum offeratur, in commune veſtiarium inferri curet, niſi Superior aliter diſponat. 5. Ut, ſi quod depoſitum apud Superiorem pro certo uſu habeat, nihil pro ſe aut alio in alios uſus accipiat. 6. Ut nihil commodet, aut mutuet ſine facultate. 7. Ut ſine Superioris conſenſu nullum ullius externi depoſitum ſervet. 8. Ut nihil ſecum auferat, ſi alio migrat Superiore non conſentiente. 9. Ut nihil in res ſuperfluas, vanas, illicitas, etiam cum conſenſu Superioris eroget. 10. Ut nihil abſconditum habeat. 11. Ut ea, quæ ipſius diſpoſitioni commiſſa ſunt, non ſuo, ſed Superiori arbitrio nutuque diſtribuat. 12. Ut res ſibi ad uſum vel diſpoſitionem conceſſas diligenter cuſtodiat, nec ſua culpa quidquam interire ſinat. 13. Ut in morbo extraordinarias medicinas aut reſocillationes non expetat, vel adhibeas.

VIII. Octava eſt, ut dubia quædam in materia occurentia, recte ſolvere queat: Quorum primum eſt, an tacitus Superioris conſenſus ſufficiat ad aliquid dandum, vel accipiendum? ad quod dubium reſpondebit, ſufficere quidem illum ex communi Theologorum ſententia, ſed rectius facturum Religioſum, ſi quam rariſſime poteſt eo utatur, ſed potius tum propter exercitium humilitatis; tum propter alias graves rationes, expreſſum conſenſum petere aſſueſcat. Secundum dubium eſt, quando tacitus conſenſus Superiorum præſumi poſſit? ad quod dubium reſpondebit cum Ferdinando de Caſtro Palao & aliis, ſequentia ſigna tacitæ licentiæ a probatis Theologis agnoſci. 1. Si Superior det licentiam peregrinandi, nec prohibeat aliquid recipere, & recepta expendere, hoc ipſo cenſetur dare facultatem tacitam accipiendi, & expendendi ea, quæ in itinere dantur. 2. Si conſuetudo aliqua introducta ſit, quam Superior conſcius non tollit; aut ſi ipſe Superior videat acceptionem vel dationem, & non contradicat, cum facile poſſit. 3. Si Superior ſit vir valde dulcis, & non rigidus, aut difficilis. Aut ſi ſubditus ſit Superiori valde dilectus, vel vir magnæ authoritatis, aut ſi res, quæ accipiuntur, ſint levioris momenti: aut ſi diſpenſatio alicujus rei ſeu licentia in bonum monaſterii notabile cedat. Tertium dubium eſt, an religioſus con- p. 3. tr. 3.
tra perfectionem paupertatis faciat, ſi manu- c. 5.
ſcula ſacra eo nomine titulove retineat, ut vel benemeritos præmiare, vel aliorum voluntatem adjungere, vel devotionem in aliis promovere queat? ad quod dubium reſpondebit cum P. Alphonſo Rodriquez, id omnino etiam diſſuaderi a S. Bonaventura: tum quia cor hominis varie afficiunt, & diſtraunt: tum quia materiam ſermonum præbent: tum quia facile ſine licentia accipiuntur, & dantur, atque adeo ſcrupulos generant: tum quia privatas amicitias & familiaritates nutriunt: nihilominus tamen ſi interdum ob miniſteria, quibus quis fungitur, iiſdem opus habeat, poſſe cum Superiorum præſcitu retineri, modo nec nimia, nec pretioſa ſint. Quartum dubium eſt, an licitum ſit, a parentibus vel amicis ſtipem aut eleemoſynam petere pro Breviario vel veſte paranda aut emenda? ad quod dubium reſpondebit, hac in re attendendam eſſe Religionis, cui quis adſcriptus eſt, conſuetudinem; ſi enim in ea paſſim fiat, nec Superiores ſcientes contradicant, ut in Societate Jeſu & aliis quibuſdam Ordinibus contingit. Quintum dubium eſt, an liceat ab alio pecuniam vel ſimile quid accipere, quod vel in pauperes ipſius nomine diſtribuat, vel ſatisfactionis nomine reſtituat? ad quod dubium reſpondebit; ſi ita detur talis pecunia, ut certæ perſonæ detur, non peccaturum quem Vide Rod.
contra votum paupertatis, quia nihil diſtri- t. 3 c. 11.
buit proprio arbitrio; ſi vero ita accipiat, ut liberum ei ſit, his vel illis dare, tum omnino contra votum facturum, ſi accipiat ſine

facul-

Digitized by Google

ſacoltate, cum neque proprietas, uec uſus illius rei independens a Superiore, cuiquam paupertatis voto obſtricto conveniat. Et præterea gratia ex tali diſtributione incommoda oriri ſoleant. Sextum dubium eſt, an contra votum paopertatis peccet, qui, Superiore inſcio, pecuniam, aliamve ſtipem in gratiam & ſuſidium alicujos propinqui aut alterius hominis rogat offerri? ad quod dubium reſpon-
Vide Rod. l. 1. c. 25. dehit cum eodem Rodriquez, ſi ipſe quoque accipiat eam ſtipem, & illius domiuos fiat, & amico porrigat, omnino eom peccare, ſecus ſi oon accipiat, ſed tantom roget, ut alter iu ipſius gratiam, talem ei pecuniam vel ſtipem offerat. Recte tamen monet idem Rodriquex, multa, uec contemoenda lucommoda ſere ejuſmodi petitionem comitari, & plerumque ſubeſſe aliquid periculi, ue ſi alieno nomine diſtribuamus, potius noſtro offeramus.

§. XII. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Joan. 19. v. 27. I. EX occaſione thematis: *Ecce Mater tua*: poteſt oſtendi, quam perfecte paupertas matris officium erga ſuos amatores exerceat, quam tenero proinde affcctu diligenda ſit. Quem in finem ea, quæ §. proxime præced. n. 3. dicta ſout ſervire poſſunt.

Tob. 4. v. 4. II. Ex occaſione thematis: *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus*: poteſt oſtendi, quomodo filiorum proprietates implere debeat verus amator paupertatis, juxta ea, quæ §. proxime præced. o. 4. ſunt dicta.

III. Ex occaſione thematis: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*: poteſt oſtendi, ſtatum horum pauperum eſſe feliciſſimum in orbe, ob tres rationes. 1. Quia ſunt jocundiſſimi *ante mortem*; tum propter delicias corporales, quas ex ſanitate, ſomno, & victu copioſiores, percipiunt; tum propter bouam conſcieotiam (qoæ eſt juge convivium) & nihil habendi voluntatem qua eſt mater internæ lætitiæ ac qoietis. 2. *In morte*, quia carent tribus potiſſimum cauſis, ex quibus timor mortis, & acerbitas oritur, ſcilicet amor bonorum temporalium, quæ tunc ſuot relinquenda: metus reddendæ rationis, præcipue de adminiſtratione bonorum: Diabolorum impugnantium multitudo ac ferocia, a quibos omnibus vel maxime liberum eſſe verum paupertatis amatorem, haud difficulter ex dictis hactenus probari poteſt. 3. *Poſt mortem*: qoia gloria cæleſti fruetur *citius*, (dum Martyris inſtar liberabitur a purgatorio) & *copioſius* ob liberalitatem inſignem; quia omnia ſua propter Deum dereliquit.

Matth. 2. v. 29. IV. Ex occaſione thematis: *Centuplum accipiet, & vitam æterna poſſidebit*: poteſt oſtendi præmium paopertatis per variam interpretationem centupli, ſed triplicem potiſſi-
Apud Jac. Alv. t. 2. l. 3. p. 2. c. 12. mum, quarum prima eſt S. Petri Damiani per centuplom conſolationes ſpirituales, & viſitationes intelligentis, uti ex §. 3. u. 53. videre eſt. Secunda S. Hieronymi per centuplum Spiritualia bona intelligentis, qua comparatione & merito ſui ita erunt quaſi ſi parvo numero numerus centeuarius comparetur. Tertia eſt Caſſiani, qui etiam de rebus ipſis temporalibus relictis, & centies iterum recuperatis explicat, uti videre eſt apud Jacobum Alvarez loco citato, & apud Rodriquez p. 3. tr. 3. c. 3.

V. Ex occaſione thematis: *Ego murus, & ubera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens*: poteſt oſtendi, quam firmus & ſolidus ſit murus ipſa paupertas. 1. Quia *primus* eſt iuter tres muros Votorum Religioſorum, atque adeo fortiſſimus eſſe deber ad impetus adverſariorum ſuſtinendos. 2. Quia *ſolidiſſimus* eſt, utpote omnia adverſariorom tela, quæ potiſſimum ex *meo* & *tuo*, ſeu inordinata concupiſcentia rerum temporalium oriuntur, obtundeus & repelleos. 3. Quia ipſis deſenſoribus *aptiſſimus* eſt, & *facilimus* ad deſendendum, ob plurima, eaque valde efficacia media, ad paupertatem conſervandam, a Religioue quavis offerri ſolita. *Cant. 8. v. 10.*

VI. Ex occaſione thematis: *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc*: poteſt 1. Natura paupertatis per nuditatem ſpiritualem, id eſt, abdicationem omnis affectus ioordinati erga divitias, aliaqoe bona temporalia explicari. 2. Proponi motiva, ob quæ hanc ouditatem ſpiritualem libenter aſſumere & procurare debeamus, quæ quidem §. præced. n. 6. breviter indicata & explicata ſuot. *Job 1. v. 21.*

VII. Ex occaſiooe thematis: *Quis, putas eſt fidelis diſpenſator & prudens*: poteſt verus paupertatis amator tali diſpenſatori comparari. Et 1. quidem oſtendi, quod vere ſit *fidelis* diſpeoſator, eo quod nihil accipiat, det, aut ullo modo diſponat, ſine Superioris (& conſequenter Dei, quem iu illo agnoſcit, & reveretur, & conſeuſu & voluntate) imo in omui horum bonorum commiſſorum uſu & diſpoſitione ſolam Domini ſui utilitatem extrinſecam id eſt, gloriam & honorem quærat. 2. Oſtendi poteſt, quam vere etiam ſit *prudens* diſpenſator, quia memioit diligenter finis, propter quem ei talia bona a Deo commiſſa ſunt, atque adeo ad eumdem ipſam etiam diſpenſationem & uſum ſapienter ordinat, ſecos ac plerique mortalium, qui ejuſmodi bonis cum graodi injuria & diſplicentia domini ſui abutuotur. 3. Oſtendi pariter poteſt, quam liberalem proin a domino ſuo mercedem merito ſperare poſſit, dum ſcilicet eum ſuper omnia ſua bona conſtituet, id eſt, ſeipſum poſſidendum, ac fruendum dabit, in quo omnia bona in ſummo gradu coojuncta reperiet. *Luc. 12. v. 42.*

VIII. Ex occaſione thematis: *Si ſeparaverit pretioſum a vili, quaſi os meum eris*: excitari poſſunt Auditores ad viliſſima ubique eligenda. Et in prima quidem parte oſtendi, quomodo debet viliſſima eligere in victu, veſtitu, habitatione, officiis, talentis naturalibus, æſtimatione & veneratione hominum. 2. Oſtendi poteſt, quam grande præmium ob talem electionem ſperari poſſit, ut ſcilicet ſit quaſi *os Chriſti*, id eſt, illi undequaque ſimilis, ita ut qui talem hominem intuetur, *Jer. 15. v. 19.*

ipſum

ipſum os Chriſti intueri ſe credat, cum vero hæc viliſſima in omnibus ante enumeratis capitibus elegerit. Quod autem præmium grandius expectari vel optari poſſit, quam Chriſto ſimilem fieri? 3. Oſtendatur, quæ potiſſimum ſit cauſa, cur tantopere vilia horreant, fugiantque mortales, nimirum quia pretium eorum & ingentia commoda non perpendunt: explicetur proin hoc pretium, tum ab authoritate Chriſti & Sanctorum, tum ex privilegiis, quæ viliſſimæ res habent præ pretioſis, quia ſcilicet facilius obtinentur, ſecurius & & ſine invidia poſſidentur, ſine labore conſervantur, ſine dolore amittuntur, & copioſius a Deo præmiantur.

Matth. 6. v. 19. IX. Ex occaſione thematis: *Nolite vobis theſaurizare theſauros in terra*: oſtendi poteſt per paupertatem theſaurum omnium theſaurorum pretioſiſſimum poſſideri, quia quidquid alii per divitias ſuas quærunt, per eam longe præſtantius & copioſius invenitur, id quod per partes probandum eſt. 1. Ergo oſtendatur, quod per paupertatem *neceſſaria* ad vitam conſervandam melius obtineantur, cum pauperes Spiritu vere Deum ipſum proviſorem habeant, atque adeo non ſit inopia timentibus atque amantibus ipſum futura, juxta certum S. Davidis oraculum: Divites eguerunt, & eſurierunt, inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. 2. Quod etiam delectatio per paupertatem longe copioſius obtineatur, uti fuſe oſtendit Hieronymus Platus de bono ſtatus Religioſi, & ex eodem ſupra §. 9. n. 3. indicatum eſt. 4. Quod etiam æterna manſio, eaque omni bonorum genere effluens comparetur per paupertatem, quod per divitias temporales obtineri non poteſt, niſi ad imitationem paupertatis ſpernantur, & pro Deo expendantur.

X. Ex occaſione thematis: *Ecce jam triduo ſuſtinent me, nec habent, quod manducent*: proponi & explicari poſſunt ſolatia pauperum involuntariorum, eaque ſi videantur, ad pauperes voluntarios applicari. Primum eſt exemplum Chriſti, qui de ſeipſo per Prophetam dixit: Ego vero egenus & pauper ſum. Secundum eſt voluntas Dei, qui dividit omnibus prout vult, & prout cuique utilius videtur. Tertium eſt expectatio futuræ felicitatis, quam ipſi plus quam alii ſperare poſſunt. Quartum ſecuritas in morte, ob facilitatem reddendæ rationis. Quæ omnia fuſius apud Fabrum Dom. 6. poſt Pent. c. 6. n. 1. explicata videri poſſunt.

XI. Ex occaſione ejuſdem thematis oſtendi poteſt, quomodo pauperes ſi ali velint a Chriſto, ipſum per triduum ſequi debeant ſcilicet 1. per *fidem*, credendo firmiter, Deum *poſſe* juvare, & alere, ut Iſraelitas, Eremitas, imo & tot animantes hactenus aluit. 2. Per *ſpem*, perſuadendo ſibi certo, quod *velit* etiam juvare, ut qui ipſe toties ad ſollicitudinem in ipſo ponendam eſt hortatus. 3. Per *charitatem*, reddendo ſe capaces, & in filiorum aut etiam amicorum & ſponſarum fidelium ſtatu conſtituendo; quis enim credat, Deum fidelibus ſuis amicis, ſponſis, filiis neceſſaria non conceſſurum?

XII. Ex occaſione thematis: *Pauperes ſemper habebitis vobiſcum*: poteſt oſtendi, cur Deus tot pauperes in hoc mundo vivere permittat, nempe 1. ad ſuam gloriam, quæ non parum creſcit ex eo, quod tot pauperes tam liberaliter alat. 2. Ad humani generis conſervationem: quod ingens detrimentum tam in ordine ad corporis, quam animæ vitam conſervandam detrimentum pateretur, ſi omnes divites eſſent, & nemo alteri ſubeſſe vellet. 3. Ad remedium divitum: ut vulnera per ſpinas divitiarum contracta per eleemoſynas curare poſſint. 4. Ad bonum ipſorummet pauperum; ut fuſius oſtendit Fab. conc. 4. in Dom. 2. Adventus.

§. XIII. ALII CONCEPTUS.

Utilitas.

I. NEſcio, an aliquando adverteritis, quod, quando S. Petrus coram Chriſto ſolemniter proteſtabatur, dicens: *Ecce nos reliquimus omnia* ab eodem Redemptore noſtro appellatus fuerit *Bar-jona*, quod idem eſt, ac filius columbæ. Enim vero columba animæ puræ eſt ſymbolum, non ſolum propter candorem ſuum, verum etiam propter perniciſſimum volatum, quo modo anima viri pauperis perniciſſimo volatu in cælum contendit. S. Hieron. ad Exuperantium de S. Petro Bar-jona appellato ita ſcribit: Quaſi diceret, quia omnibus jam nudus, velocior columba volare poteris ad me, nudus, & levis ad cælum evola, ne alas virtutum tuarum auri deprimant pondera; elementa enim, quæ natura ſua gravia ſunt, deorſum ſemper tendunt. S. Humbertus de utilitate paupertatis c. 20. ita ſcribit: Elementa levia ſurſum tendunt, ſic & fratres, qui ſe omnibus perfecte nudant, libere cælos petunt. *Matth. 4. ſ. n. 1.*

II. Ex libro quarto Regum conſtat, quod, dum Elias in curru igneo raperetur in cælum, deorſum cadere ſuum permiſerit pallium. Sed cur id factum eſſe arbitraris? Num forte timebat, ne ab igne combureretur? Nequaquam, idem namque periculum aliis ſuis metuere poterat veſtimentis. Pallium igitur Eliæ onus deſignat bonorum terræ hujus, quod non ſolum in effectu, verum etiam in affectu deponendum eſt illi, qui in cælum evolare cogitat. Unde S. Hieronym. ait: Elias ad cælorum regna feſtinans, non poteſt ire cum pallio, ſed mundo immundum veſtimentum demittit. B. Laurentius Juſtinianus hactenus adducta confirmat, inquiens: Qui nihil habet in in mundo, quod diligat, nihil eſt, quod eum ab æternorum deſiderio impediat, teſte namque ſacro eloquio, fruſtra jacitur rete ante oculos pauperum pennatorum, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. *S. Hier. ep. 24.* *S. Laur. Juſt. de lig. vit. c. 3.*

III. S. Bernardinus in proœmio Sermonis ſecundi in paupertate, ſequentem adducit parabolam: Rex quidam duas filias habuit, unam pulcherrimam, aliam turpiſſimam: Pulchra appetebatur ab omnibus, & honorabatur; turpem vero nullus nedum amare, ſed nec videre volebat. Hæc autem amariſſime flebat in conſpectu Regis; cui Rex: Noli flere, inquit, dilectiſſima filia mea, nam in *S. Bern. ſ. 2. in proœm.*

ſponſam duxerit ſororem tuam, nihil ſecum accipiet, niſi pulchritudinem ejus; Qui vero ſponſam acceperit te, dabo illi Regnum meum. Myſtice autem filia pulchra eſt glorioſa ſæculi vita, divitiis, & magnificentiis plena; filia vero turpis, paupertas voluntaria eſt, plena penuriis, plena cruciatibus, plena deſpectionibus. Tamen voluntariis pauperibus ſolatium eſt, penuriam pati, cruciatibus fatigari, & ab inſenſato mundo deſpici, & contemni. Hanc turpem filiam, qui acceperit in uxorem, permittit ei Dominus regnum ſuum, dicens: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum.*

Dignitas.

Seneca ep. 21. IV. Panem & aquam natura deſiderat, nemo ad hæc pauper eſt, intra quæ quiſque deſiderium ſuum clauſit, & cum ipſo Jove de felicitate contendet.

§. XIV. MISCELLANEA

Qualitas.

I. Abbas Marcus ſic cum anima ſua quondam collocutus eſt: Et nos, inquies, anima chara, nec aurum cumulamus nec prædia poſſidemus. Et ego reſpondebo tibi, nec aurum, nec prædia per ſe detrimentum afferre, ſed præpoſterum illorum uſum. Quidam enim divites, cum divitiarum amore minime tenerentur, Deo placuerunt, ut S. Abraham, Job & David. Nos vero ſine divitiis avaritiæ vitium in materia abjectiſſima nutrimur. Non cumulamus aurum, ſed res viliſſimas congerimus. Principatus & dignitates non accipimus, ſed omni ratione laudem & gloriam aucupamur.

II. Cum Doſitheus cultrum, qui ei arriſerat, in uſum valetudinarii ſibi concedi a Magiſtro peteret, hic anſam accipiens, placetne, inquit, tibi, Doſithee? viſne fieri hujus gladioli ſervus an ſervus Chriſti? non erubeſcis appetere & velle, ut gladiolus hic dominetur tibi.

Sen. ep. 110. III. Non illud præcipio, inquit Seneca, ut aliquid naturæ neges: contumax eſt, non poteſt vinci, ſuum poſcit. Sed ut quidquid naturam excedit, ſcias precarium eſſe, non neceſſarium. Eſurio, edendum eſt. Utrum hic panis ſit plebejus, an ſiligineus, ad naturam nihil pertinet, illa ventrem non delectari vult, ſed impleri. Sitio, utrum hæc aqua ſit, quam ex lacu proximo accepero, an ea, quam multa nive cliſero, ut frigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet, illa hoc unum jubet, ſitim extingui. Utrum ſit aurum poculum, an cryſtallinum, an vitreum, an manus concava, nihil refert. Fames me appellat, ad proxima quæque porrigatur manus. En ipſa mihi commendavit, quodcumque comprehendero. Nihil contemnit exuriens.

Epiſt. 15. IV. Diſcedant aliquando, inquit idem, iſta inſidioſa bona & ſperantibus meliora, quam aſſecutis. Si quid in illis eſſet ſolidi, aliquando & implerent, nec haurientium ſitim concitarent. Quare potius e fortuna impetrem ut det, quam a me, ne petam, quare autem petam oblitus frugalitatis humanæ: congeram laborem.

Neceſſitas.

V. Virtutis via non capit magna opera portantes, multa ſiquidem oneri, mediocria uſui ſunt. *Lactant. Firmian.*

VI. Nemo virtuti facit, niſi qui ſequi poteſt: ſequi autem non eſt facile omnibus: ii poſſunt quos paupertas exercuit; & virtutis capaces effecit. *Idem l. 7. inſt. c. 1.*

Utilitas.

VII. Honeſta res eſt læta paupertas; illa vero paupertas non eſt, ſi læta non eſt: Cui cum paupertate bene convenit, dives eſt: non qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt. *Sen. ep. 10.*

VIII. Ne imparatos nos fortuna deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. Securius divites erimus, ſi experti fuerimus, quam non ſit grave, eſſe pauperes. Ad paupertatem ſuam ſponte deſcendere, præoccupare eſt tela fortunæ. *Idem. ep. 19.*

IX. Abbas Paſtor dixit: Paupertas, tribulatio, diſcretio hæ ſunt operationes ſolitariæ vitæ, ſcriptum eſt, quia ſi fuerint hi tres viri, Noe, Job, & Daniel. Noe perſonam habet nihil poſſidentium, Job tribulatorum, Daniel diſcernentium. Si ergo hæ tres actiones ſunt in homine, Deus habitat in eo. *Vit. PP. l. 5. libel. 5. n. 10.*

X. Democritus audiens quemdam de paupertate conquerentem dixit ei: Si non multa deſideras, pauca tibi multa videbuntur; deſiderium enim contractum, paupertatem divitiis æquipollentem reddit. Alias dicebat pauperis conditionem multo meliorem eſſe, quam divitis, eo quod a maximis malis, quibus divites infeſtantur, ſcilicet inſidiis, odio, invidia ille ſit liber. *Beir. to. 6. f. 112.*

XI. Ariſton dicebat, paupertatem eſſe lucernam, quæ omnia mala demonſtrat.

XII. Archeſilaus dicere ſolebat, paupertatem quidem aſperam eſſe, ſed bonam prolis nutricem, ut quæ aſſuefaciat frugalitati & abſtinentiæ & in univerſum efficax virtutum gymnaſium ſit. *Ib. f. 112.*

Dignitas.

XIII. Incipe cum paupertate habere commercium; aude hoſpes contemnere opes, & te quoque dignum finge Deo. Nemo alius eſt Deo dignus, quam qui opes contemnit. *Sen. ad Lucill.*

XIV. S. Franciſcus in regula S. Claræ dicebat: Obligamur ad dominam noſtram ſanctiſſimam paupertatem.

Jucunditas.

XV. Redige te ad parva, ex quibus cadere non poſſis; ineſt paupertati, ſine qua nihil eſt jucundum, ſecuritas. *Id. ep. 70.*

XVI. Seneca cecinit, Bene paupertas:

Hu-

Digitized by Google

Humili tecto contecta latet.
Quatiant altæ ſæpe procellæ,
Aut evertit fortuna domos.

Satyr. 10. XVII. Juvenalis quoque non male jucunditatem paupertatis explicat, dum canit:

Pauca licet portes argenti vaſcula puri,
Nocte iter aggreſſus gladium, contumque timebis,
Et motæ ad lunam trepidabis arundinis umbram:
Cantabit vacuus coram latrone viator.

Plutar. in Sym. l. 2. XVIII. Quidam Imperatorem incuſavit, quod illius inſidiis, & otio, & ſomno fuiſſet privatus, videlicet quod illius benignitate e paupere factus eſſet dives.

§. XV. AXIOMATA.

I. OMnia mea mecum porto, dicebat olim Bias Philoſophus.

§. XVI. AUCTORES.

I. Alphonſus Rodriquez p. 3. tr. 3. toto.
II. Franciſcus Arrias tom. 3. tr. 7. toto.
III. Ludovicus de Ponte tom. 3. de perf. tr. 6. c. 3. & ſequentibus.
IV. Jacobus Alvarez tom. 2. l. 5. p. 2. toto.
V. Jeremias Drexellius in Roſis Marianis p. 2. c. 9.
VI. Lucas Pinellus l. 2. de perf. a c. 7. uſque ad 13.
VII. Hieronymus Platus de bono ſtatus Religioſi l. 1. c. 9. & l. 2. c. 3. & l. 3. c. 8.
VIII. Hugo Rott in via regia p. 1. c. 7. ſ. 1. 2. & p. 2. c. 19. ſ. 1. & p. 3. c. 27. ſ. 4.
IX. Humbertus in exhortatione ad tria vota a c. 14. uſque ad 20.
X. Euſebius Nierembergius in doctrinis aſceticis l. 5. doct. 2. c. 6. & l. 2. de adorat. c. 10.
XI. Joſephus Manſ. Bibl. moralis tr. 69.

TITULUS CXIII.

PAX.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

Caſſiodor. in Pſal. I. JUxta Caſſiodorum, eſt concordantium in bono animorum ordinata tranquillitas. Vel univerſalius, ut etiam animi pacem includat, eſt plurium partium tranquillus conſenſus.

Diviſio.

II. Dividitur pacem cum Deo, Proximo, & ſeipſo. *Pax cum Deo* conſiſtit in perfecta voluntatis humanæ cum divina conſenſione, de qua Chriſto nato Angeli cecinerunt: Et in
Phil. 4. v. 7. terra pax, hominibus bonæ voluntatis. *Pax cum Proximo* in tranquilla hominum inter ſe converſatione vel cohabitatione, quam Chriſtus optari ab Apoſtolis domum intrantibus voluit: Pax huic domui. *Pax cum ſeipſo* conſiſtit in omnimoda vitiorum ac paſſionum ſubjugatione, de qua Apoſtolus locutus eſt dicens: Pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda & intelligentias veſtras.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Pax cum Deo.

I. ORietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis. Pſal. 71. v. 7.
II. Gratia vobis, & pax ab eo, qui eſt. Apoc. 1. v. 4.
III. Quis reſtitit ei, & pacem habuit? Job 9.
IV. Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Joan. 14. v. 27.
V. Non eſt pax impiis, dicit Dominus. Iſ. 48. v. 22.
VI. Et ſedebit populus meus in multitudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Iſ. 32. v. 17.

Pax cum Proximo.

VII. Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum. Heb. 12. v. 14.
VIII. Quærite pacem civitatis, ad quam tranſmigrare vos feci, & orate pro ea ad Deum, quia in pace illius erit pax vobis. Jer. 29. v. 7.
IX. Dabo pacem in finibus veſtris: dormietis, & non erit, qui exterreat. Auferam malas beſtias, & gladius non tranſibit terminos veſtros. Lev. 26. v. 6.
X. Quæ pacis ſunt, ſectemur: & quæ ædificationis ſunt, invicem cuſtodiamus. Rom. 14. v. 19.
XI. Obſecro vos, fratres, per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata; ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia. 1. Cor. 1. v. 10.
XII. In quamcumque domum intraveritis, dicite: Pax huic domui: & ſi fuerit ibi filius pacis, requieſcet ſuper eum pax veſtra: ſin autem, ad vos revertetur. Luc. 10. v. 5.

Pax cum ſeipſo.

XIII. Pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto Jeſu. Phil. 4. v. 7.
XIV. Non eſt regnum Dei eſca & potus: ſed juſtitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. Rom. 14. v. 17.
XV. Pax multa diligentibus legem tuam: & non eſt illis ſcandalum. Pſal. 118. v. 165.

Utilitas.

XVI. Acquieſce igitur ei, & habeto pacem; & per hæc habebis fructus optimos. Job 22. v. 21.
XVII. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Matth. 5. v. 9.
XVIII. Quis homo, qui vult vitam diligere, & dies videre bonos: declinet a malo, & faciat bonum, inquirat pacem, & ſequatur eam. 1. Petr. 3. v. 10.
XIX. Pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum. 2. Cor. 13. v. 11.

Jucunditas.

XX. Secura mens quaſi juge convivium. Prov. 15. v. 15.

Digitized by Google

§. III. EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Leo in ſ. I. TUnc eſt vera pax hominis, & vera libertas, quando & caro animo Judice regitur, & aoimus Deo præſide gubernatur.

Ibid. II. Hæc eſt vera pax, a Dei voluntate oon dividi, & io bis, quæ ſolius Dei ſunt, delectari; quando enim ſenſualitas oulla parte reſiſtit voluntati, & voluotas nulla parte contradicit rationi, tunc eſt ſerenitas mentis, & tunç eſt regoum Dei.

ſ. Aug. ſ. 20. III. Numquid Deus de uno piſce ſecit omnes? de uno equo cquos omnes? de una beſtia omnes beſtias? numquid non multas plaotas ſimul terra producit? ventum eſt ad hominem faciendum, & factus eſt unus, de uno genus humanum. Nec duos facere voluit ſeparatim maſculum & fœminam, ſed de uno unam. Quare ſic? & quare ab uno genus humanum inchoatum? oiſi quia generi humano unitas commendatur.

Caſſiod. ſuper pſ. IV. Pax vera eſt concordiam habere cum moribus probis, & litigare cum vitiis.

Iſid. lib. 3. de Summo bono. V. Concordia malorum, contraria eſt bonorum, & ſicut optandum oſt, ut boni pacem habeant invicem.

VI. Sic optandum quoque eſt, ut mali ſint diſcordes: impeditur enim iter bonorum, ſi unitas non dividatur malorum.

Neceſſitas.

S. Aug. ſ. 2. ad FF. in Erem. VII. Qui pacem cordis, oris, & operis non habet, Chriſtianus dici non debet. Qui in hac non ſperat, in lubrico vitam & pedem ponit, in tempeſtate navigat, in præcipitio ambulat in arena ſeminat.

Id. ſ. 109. de temp. VIII. Meritum Chriſtianæ virtutis vileſcit in cunctis, ſi unitatem non habet pacis: nec pervenit ad vocabulum filii, ſi nomen non habet pacifici.

ſ. Greg. N. 3. or. a. in Pſ. IX. Si totus hic Mundus muſica quædam conſonantia eſt, cujus Opifex & effector Deus: parvus vero Mundus homo eſt, ſimulque ſimilitudo & imitatio quædam ejus, qui Mundum concinnavit, neceſſe eſt, ut, quod ratio in magno illo & ſpatioſo Mundo reperit, hoc, ut par eſt, io parvo itidem conſpiciatur.

Rupert. lib. 6. Laus. X. Caſtrorum acies ordinata tunc hoſtibus terribilis oſtenditur, quando ita fuerit conſtipata, & denſata, ut io nullo loco interrupta videatur; nam ſi locus vacuus, per quem hoſtis potuit ingredi, dimittatur, profecto jam ſeis terribilis non eſt. Et nos ergo cum contra malignos ſpiritoalis certaminis aciem ponimus; ſummopere neceſſe eſt, ut per chari[illegible] ſemper uniti atque conſtricti, & numquam interrupti per diſcordiam inveniamur, [illegible] quamvis quælibet bona in oobis fuerint, ſi [illegible]as deſit, per malum diſcordiæ locus aperitur io acie, unde ad feriendos nos valeat hoſtis intrare.

X[illegible] Quamvis plurima pace, & cura externa [illegible], ſi intra nos cogitatioonm naſcitur [illegible], tumultus & ſeditio, nihil externa pax oobis proderit: Sicut & neque miſerabilius eſt aliquid in civitate, quæ licet præſidiis & muris bene munita ſit, intus tamen cives foveat proditores.

Utilitas.

XII. Revera, fratres, ſi eſſemus unum & humanum corpus, eos, qui pereunt, noſtra viſcera crederemus, afflictiooe jejuni, precum gemitu, effuſione gemituum jugiter clamaremus: Domine ſalva nos, perimus: & ſtuderemus nobis in fratribus ſubvenire: nec tanta corporum, ſed oec aoimorum naufragia ſentiremus. *S. Chryſ. ſ. 20.*

XIII. Pax eſt, quæ hominem expoliat ſervitute, dat nomen ingenuum, mutat cum conditione perſonam, ex famulo liberum facit, filium ex ſervo, amicum facit ex Deo, Patrem dedit ex Domino. *S. Aug. ſ. 16. de temp.*

XIV. Pax eſt ſereoitas mentis, tranquillitas animi, ſimplicitas cordis, vinculum amoris, conſortium charitatis. Hæc eſt, quæ ſimultates tollit, bella compeſcit, iram comprimit, ſuperbos calcat, humiles amat, diſcordes ſedat, inimicos concordat, cunctis eſt placida, neſcit extolli, neſcit inflari: hanc, qui acceperit teneat, qui perdiderit repetat; qui amiſerit, exquirat. *Idem de verb. Do.*

XV. Tale bonum eſt bonum pacis, ot in rebus creatis nihil gratioſius concupiſci, nihil utilius poſſideri poſſit. *S. Aug. de civit. Dei.*

XVI. Diabolus vos inveniat munitos, & concordia armatos, quia pax veſtra bellum eſt illi. *Tertull. ad Mart.*

XVII. Concorda cum Adverſario tuo: neſcis, quando vita fioiatur. Cum vita finita fuerit, judex reſtat, & miniſter, & carcer. At ſi ſervaveris Adverſario tuo bonam voluntatem, & cum eo conſenſeris, pro Judice invenies Patrem, pro miniſtro ſævo Angelum tollentem te in ſinum Abrahæ, pro carcere Paradiſum. *S. Aug. de verb. Dom.*

XVIII. Dicamus, fratres, his, qui nos odio habent: Parcam tibi in re aliqua parva, ut majos aliquid nempe concordiam accipiamus: vincamur, quo vincamus. *ſ. Greg. Naz. ſ. 1. de pace.*

XIX. Pax tranſitoria eſt quoddam veſtigium pacis æternæ. *Greg. in paſt.*

XX. Pacis fulgor Eccleſiam illumioat. *Chryſ. ſ. de patien.*

Jucunditas.

XXI. Si Uxor, Maritus, & Filii atque Domeſtici in concordia ſunt, quid eſt domus, niſi cælum? ſi autem diſcordia eſt inter illos, quid eſt, niſi ioſernus? *ſ. Thom. Villan. in conc. ad Relig.*

XXII. O quam bonum & jucundum habitare fratres in unum. Id eſt, qui ſic vivunt in unum (ut S. Auguſtinus explicat) ut unum homioem faciuot, ut ſit illis vero, quod ſcriptum eſt, uoa anima, & unum cor, multa quidem corpora, ſed non multa corda. *ſ. Aug. in Pſal. 132.*

XXIII. Præcipuum illud eſt domeſticæ pacis ac bonorum omnium fundamentum, ſi uxor viro per omnia conſentiens ſit: nam, ubi hoc ſit, nihil triſte contingere poteſt. Quo pacto enim, cum caput corpori connexum, conjunctumque ſit, ulla ibi ſeditio, ulla diſſeotio poſſit exoriri? *ſ. Chryſ. hom. 4. in 2. ad Tit.*

Di-

Digitized by Google

Dignitas.

S. Greg. Naz. ora. 2. de pace. XXIV. Angelicis & cæleſtibus copiis nihil tam proprium eſt, quam pax & concordia. Proinde, qui pacis bonnm amplexantur diſſenſionemque oderunt, ad divinas mentes accedunt.

Auguſt. ſ. 169. XXV. Pax plebis in Eccleſia eſt gloria miniſtrorum.

Idem c. 21. de Civ. Dei. XXVI. Pax Dei omnem ſuperat pacem.

§. IV. EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas.

L. 1. c. 6. §. 2. I. NOn eſt pax in corde hominis carnalis, non in homine exterioribus dedito, ſed in fervido & ſpirituali.

L. 1. c. 18. §. 2. II. Non ſit pax tua in ore hominum, ſive enim bene, ſive male interpretati fuerint, non es ideo alter homo.

Ibid. III. Ubi eſt vera pax, nonne in me?

Ibid. IV. Qui non appetit hominibus placere, nec timet diſplicere, multa perfruetur pace.

L. 1. c. 25. §. 1. V. Pacem omnes deſiderant, ſed quæ ad veram pacem pertinent, non omnes curant. Pax mea cum hominibus & manſuetis corde. Pax tua erit in multa patientia.

Ibid. VI. In omni re attende tibi, quid facias & quid dicas, & omnem intentionem tuam ad hoc dirige, ut mihi ſoli placeas, & extra me nihil cupias, vel quæras. Sed de aliorum dictis vel factis nil temere judices; nec cum rebus tibi non commiſſis te implices, & poterit fieri, ut parum vel raro turberis.

Ibid. §. 9. VII. Quod ſi ad plenum tui ipſius contemptum perveneris, ſcito, quod tunc abundantia pacis perfrueris, ſecundum poſſibilitatem tui incolatus.

§. V. EXEMPLA.

Qualitas.

V. Beda in Luc. c. 2. I. CHriſtus, teſte V. Beda, pacatiſſimo ſæculi tempore procreatus eſt, quia quod pacem magnopere quæreret, & amaret, edocuit; quia quod pacis, charitatiſque ſectatores ſemper inviſere dignaretur, indicavit. *S. Ambr. c. 6. lib. de Jacob.* Sed & S. Ambroſius ait: Perfecta virtus habet quietis tranquillitatem & ſtabilitatem, ideo Dominus domum ejus perfectioribus reſeravit, dicens: Pacem meam do vobis: pacem meam relinquo vobis. Perfectorum enim eſt, non facile mundanis moveri, non turbari metu, non exagitari ſuſpicione, non terrore concuti, non dolore vexari, ſed quaſi in littore tutiſſimo adverſus inſorgentes fluctus ſæcularium procellarum mentem immobilem fida ſtatione placare. Hoc firmamentum Chriſtianis mentibus Chriſtus invexit. Imo & de Deo idipſum affirmans S. Chriſoſtomus, author, ipſe rerum Deus, ait, jam olim a principio ſexcenta commentus eſt; quibus in unum nos conciliaret.

II. Julius II. Pontifex cum Cæſare & Gallo apud Camerarium fœdus iniens Hoſtiam in tres partes diviſit, ſingulis diſtribuens, addito hoc Chriſtiano voto, ut, ſicut ſacroſancta Trinitas unus eſt Deus; ita ipſi deinceps unanimes in hac conſœdaratione permaneant. *S. Chryſ. hom. 24. in 1. Cor. Gerardus Rho l. 10. hiſt. Auſt. p. 21.*

III. S. Auguſtinus de ſe ipſo dixit: Nolo habere, cum quo litigem. Multo eſt mihi optabilius, Inimicum non habere, quam vincere. *S. Aug. ſ. 22. de verb. Ap.*

IV. SS. Marcus & Marcellianus ſtipitibus affixi, Pſalmum illum cantabant: Ecce quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum: cumque irriderent tormenta, erubuit Diocletianus, & lanceis eos confodi juſſit. *Fab. conc. 6. in Fer. 2. Paſch.*

V. In aula Clodovæi Regis cum S. Remigius Epiſcopus præparaturus Regem ad baptiſmum coram Aulicis, exorſus eſſet verba ſalutis repente lux copioſa totam replevit Eccleſiam, & vox audita eſt dicens: Pax vobis: ego ſum, nolite timere: manete in dilectione mea. *Id. in auctor. ib. 1. in Fer. 2. Paſc. n. 3.*

VI. Fridericus III. Saxoniæ Dux, pacis amans, arces ac munitiones ab aliis conditas ſolo æquavit: nec pecunias collegit, ſed in uſus pios & utiles expendit. Cauſam rogatus dixit: Ne ego leviter offenſus aliquando, arcibus & pecuniis meis confiſus, nimis facile vicinos meos inferiores laceſſam, & pacem cum eis violem. *Idem in conc. 7. Fer. 3. Paſc. n. 2.*

VII. Rudolphus Habſpurgenſis Comes cum Abbate Sangallenſi lites gerens ultro ſe ad convivium invitans, pacem cum eo fecit, & diſcedens hoc præclarum monitum dedit: Cui tres ſunt lites, meo judicio recte fecerit, ſi duabus compoſitis tertiam tanto diligentius perſequatur. *Ib. n. 3.*

VIII. Bernagaſus Præfectus exercitus Regis Abyſſinorum, cum Prætore Luſitano fœdus, initurus, apprehenſi Cruce genibus nixus: quam, inquit, pacem Jeſus Chriſtus generis humani Redemptor Diſcipulis reliquit, eadem eſto inter nos qui ejuſdem profitentur cultum & fidem. *Maffæus l. 7. hiſt. Ind.*

IX. Ubaldus Euginæ urbis Epiſcopus, cum cives ſuos in ſeditionem verſos placare non potuiſſet & jam ad arma eſſet concurſum, inermis inter tela ſtrictoſque mucrones irrumpens, humi prono corpore ſeſe proſtravit nec exurrexit, donec illi ſaucium jacere rati, mutua odia in unius miſerationem convertiſſent; tacens diremit pugnam, quam ſtans nequirerat, inhibere: audacem autem & periculi inpavidum fecerat ipſe pacis amor. *Marul. lib. 2.*

X. Agathon Abbas gloriatus eſt ſe nunquam cepiſſe ſomnum, niſi prius & ſuam adverſum ſe indignationem placando ſopiret, implens illud breve quidem ſed multæ perfectionis præceptum: Diverte a malo & fac bonum: inquire pacem & perſequere eam. *Ibid.*

XI. Edgaro Britannici Regni diadema ſuſcipiente, Dunſtanus Cantuarienſis Archiepiſcopus ſibi divinitus prædictum audivit, pacem Britanniæ futuram, quandiu ille viveret; igitur annos ſedecim quibus regnavit, omnia in ſumma quiete tranquillitateque fue- *Ibid.*

foere. Perpetuo quippe amicitiæ fœdere vicinos Reges ſibi devinxerat, piratas mari, prædones terra ſubmoverat, in feras etiam proinde avidas ſeverus, a Guidaldo Guandenſium Rege tributum exegit, anois ſingulis lupos triginta venatione captos: id ſervatum, donec illud beſtiarum genus aſſiduis cædibus defecit. Nihil eſſe in regni finibus paſſus eſt, qood a pacis quiete foret alienum. Tantos ergo pacifici ſtatus amor ipſum uſque ad quietem evexit ſempiternam, & in cæleſtis regni gloriam ſublatum inter ſanctos collocavit.

Ibid. XII. Tanta pax in Apoſtolis, in Diſcipulis, in Martyribus & in Confeſſoribos Chriſti fuit, ut eam Tyrannorum ſævitia diſcindere non potuerit, non voluptatum illecebra ſubvertere, non perpetuum diabolus odium, ſupplantare, omnes diſcordiarum machinationes ſola pax in arce veræ fidei collocata ſuperavit: haud illi pacem nunc haberent in cælo, ſi eam habere deſiiſſent in terra: idem velle & idem nolle ſupernæ beatitatis dignos fecit.

Neceſſitas.

Fab. l. c. n. 4. XIII. S. Wolffilanus Epiſcopus Wihormenſis, cum in Dedicatione de pace ſermonem feciſſet, & pluribus reconciliatis inter ſe, unus cum occiſore fratris ſui reconciliari nollet, dixit eidem in medium deducto: Dominus dixit in Evangelio: Beati pacifici, quoniam filii Dei, vocabuntur: conſtat ergo, quod ſi pacifici ſunt beati & filii Dei, diſcordantes ſint miſeri & filii Diaboli. Quibus dictis eum Diabolo torquendum dedit, nec liberavit, donec pacem cum inimico iniret.

Utilitas.

1. Reg. 11. XIV. Saul contra hoſtes pugnaturus, cum miſiſſet in omnes terminos Iſrael, ut convenirent ad prælium, illi egreſſi ſunt *quaſi vir unus*, licet fuerint trecenta millia virorum, ex Juda autem triginta millia. Hinc adeo hoſtes profligraverunt, ut non relinquereotur in eis duo pariter.

Judit. 15. v. 4. XV. Sed & in libro Judith legitur, quod Aſſyrii, quia aduoati oon erant, in fugam iverint præcipites; filii autem Iſrael uno agmine perſequentes debilitaverint omoes, quos invenire potuiſſent.

Palladius c. 64. XVI. S. Paphnutio olim revelatum eſt, quemdam Heracleæ ſibi meritis parem eſſe, quem cum ille quæſiviſſet, invenit uxoratum quidem; ſed cum conjuge caſtitatem ſervaſſe, juſtitiæ & pietatis ſtuduiſſe, & præſertim ad conciliandam inter diſcordes pacem iocubuiſſe.

Rosweid in vita. XVII. S. Macario quoque revelatum eſt, ipſum in meritis duabus mulieribus uxoratis Alexandriæ parem eſſe, in quibus quæſitis & inventis, nihil aliud ſpeciale reperit, niſi quod in eadem domo per viginti annos inter ſe & cum maritis coocordes pacifice ſemper vixiſſent.

§. VI. EXEMPLA DOMESTICA.

I. S. Ignatius cum Provincias inſtitueret, & nova Collegia fundaret, ſolitus erat in ea cogere Collegas e diverſis nationibus. Hinc Rector Romano Collegio Gallus, Hiſpanus Pariſienſi, Peruſiano Belga, Patavioo Gallus imponebatur. Ut vel ſic tam exoptatam inter diverſas nationes concordiam obtineret. Quid enim mirabilius, inquit. S. Baſilios, quam diverſis ex natiooibus ac Regionibus profectos homines, per exactam morum ac diſciplinæ ſimilitudinem adeo in onum veluti coaluiſſe, ut in pluribus corporibus unus tantum animus eſſe videatur, viciſſimque plura corpora unius animi inſtrumenta cernantur. *Engelgr. in cel. comp. feſt. Pent. §. 2.*

II. S. Franciſcus Xaverius adeo proprium Societati pacis ac concordiæ ſtudium dicebat, ut aſſererer, Societatem Jeſu nihil aliud eſſe, quam Societatem amoris & concordiæ. *l. c. Epiſt.*

III. P. Petrus Ribadneira dicebat de ſe & ſociis. ſuis in Collegio Panormitano exiſtentibus, qui omnes erant diverſæ oationis: Erat enim vero videre Flandros, Italos, Hiſpanos, & Gallos, tempore tantorum bellorum inter Hiſpaniam & Galliam, vivere nihilominus inter ſe cum tanto amore, ac ſi non haberemus niſi unum cor. *Engelg. l. c.*

IV. Gregorios XIII. Pontifex tria potiſſimum io Societate admirari ſe dicebat, nempe tantam in tam varia, excellentique doctrina demiſſionem animi: deinde tantam in tam viridi, vividaque Juventute continentiam. Denique tantam in nationum, ingeniorumque diverſitate unionem atque concordiam. *Ibid. §. 2.*

§. VII. EXEMPLA PROFANA.

I. Legatus Turcicus, cum Francofurti in electione Maximiliani II. Cæſaris tres Electores Saxo, Bavarus, & Judiacenſis Cæſarem antecedentes monſtrarentur, diceretur que, quemvis ex his tam potentem eſſe, ot propriis opibus exercitum contra Torcam educere poſſit, riſiſſe fertur, & dixiſſe, Germamaniam ſibi videri beluam magnis viribus quidem, ſed diverſis etiam capitibus & caudis conſtantem; Imperatorem vero ſuum belvæ unicipiti ſimilem eſſe, ob quam cauſam vires utpote unitas fortiores habeat. *Ibid. §. 2.*

II. Alius quidam Legatus Turcicus, cum apud Regem Catholicum Muſicus quidam eum delectare juſſus, multum & diu laboraret in fidibus concordandis, Morione ſuo aecito cum arcu utero infarto, e veſtigio una fide ludere juſſit, adjecto hoc cavillo: Turcicum imperium ona fide & corda conſtare, ad quam omnes ſalire deberent; noſtram vero variis fidibus contineri ac diſtrahi. *Ibid.*

III. Cyneas Theſſalus Legatus Pyrrhi Regis Epirotarum, cum adverteret Regem cupidine Romanum imperium invadendi ardere, quæſivit, quid quæreret per illud bellum? cui cum Pyrrhus reſponderet, ſe Italiam, Siciliam, Macedoniam, & Græciam occupaturum, *Fab. c. 1. in Dom. 1. poſt Paſch.*

Digitized by Google

rum, & his regionibus ſubactis in otio victurum, & mutuis cum Cynea & aliis, compotationibus, & colloquiis jucunde fruiturum, ſubjecit Cyneas: Cur his ipſis, quæ per multum laborem, ſudorem & ſanguinem parare inteodis, non potius jam fruimur? ad quod reſponſum iratus Rex bellum tamen ſuſcepit, & a vetula ſaxo in obſidione petitus interiit.

Plutarch in Græc. apopht. IV. Tyrcſius quæſitus, qua de cauſa, Numantia prius invita, poſtea everſa fuiſſet? reſpondit: Concordia victoriam, diſcordia exitium peperit.

Fabaut ſerm. 32. V. Silurus Rex Scytharum moriturus octoginta ſuis filiis faſciculum ex totidem ſagittis colligatum perrexit, & frangere juſſit; quod cum ſinguli recuſaſſent, eo quod id poſſibile non foret, ipſe faſciculum ſolvit, & cuilibet ſingularem ſaggitam frangendam dedit, quod cum facili negotio præſtitiſſent, eidem dixit: Sic invicti & vos ſtabitis, ſi concordes manſeritis: imbecilles vero, & expugnatu faciles efficiemini, ſi diſſidiis & diſcordiis ab invicem diſtrahemini.

Saluſt. de bello Iugurth. apud Berrlinck tr. 6. in feſto Omnium Sanct. VI. Myſipſa Rex moriturus filios ſuos paterno affectu monebat, ut concordes manerent, & aureis litteris cordi haoc ſenteotiam inſcriberent: Concordia res parvæ creſcunt, diſcordia maxime dilabuntur.

VII. Ageſilaus Rex percontanti, cur Spartana civitas muris careret? cives exhibuit armatos & unanimes.

Ibid. VIII. Iſæus Sophiſta, cum Lacedemonii de civitate ſua mœnibus cingenda conſultarent, Homericum verſum recitavit: Scutum hæſit ſcuto, galeæ galea, atque viro vir: & adjecit: Sic Lacedemonii ſtate, & muris cincti ſumus.

Ling. in Polyanth. v. eod. IX. Antonius Pius dicere poſt Scipionem ſolebat, malle ſe unum civem ſervare, quam mille hoſtes occidere, uſque adeo pacem bello præferebat.

Ibid. X. Otho Imperator, cum videret, aut deponendum imperium, aut magna ſtrage tuendum; ſtatuit ſponte mori: cumque amici hortarentur, ne tam cito de belli eventu deſperaret, negavit ſibi vitam ſuam eſſe tanti, ut hac de cauſa bellum civile naſceretur.

§. VIII. SIMILITUDINES.

Qualitas.

Staplet. Dom. Alb. ee. 2. I. SIcut ignis juxta materiam ſubjectam aut diu, aut multum, parumve ac parvo tempore ardet; ſic pax animi juxta ea, in quibus quieſcit, aut firma eſt, ſolidaque, aut fluxa ac inanis.

Plutarch l. de amic. II. Sicut Muſica in cantu, & Organis argute quidem concors eſt, ex acutis, & mediis, & gravibus modis, quamquam ſint diſſimiles: ita firma amicitia non aliter atque una anima in multis corporibus æquabili ratione conſiſtens.

Toletus in Joan. III. Sicut unitas Trinitatis non confundit ordinem, ſed unus eſt Pater, alius eſt Filius, alius Spiritus Sanctus; ita unio charitatis non confundit ordinem Fratrum.

Fab. c. 2. in Dom. 3. poſt Paſch. IV. Sicut longa malacia propinquam tempeſtatem navigantibus plerumque minatur; ſic diuturna pax Eccleſiæ novarum ſæpe turbarum index eſt.

V. Sicut in orologio plures ſunt rotæ, ſed omnes conſpirant, & juvant ad horas indicandas; ita in fide Catholica conſpirant Ordines & Status, tametſi quoad aliqua inter ſe diſcrepantes. *Ibid.*

Neceſſitas.

VI. Sicut nullum ædificium diu ſtare & ſuſtentari poteſt, ſi vincula infringantur; ita nec communitas aliqua ſubſiſtere poteſt, ſi pax & concordia tollatur. *Ibid.*

VII. Sicut ſi Princeps in longinquas regiones abiturus, Sponſæ ſuæ munus in ſignum amoris relinqueret, magnum eſſet & turpe ingrati animi vitium, ſi, eo terga vertente, Sponſa illud in ſterquilinium projiceret; ſic graviter quoque Chriſtum offendet, qui pacem ab eo in cælos abeunte relictam, & commendatam non ſervat. *Staplet. in Dom. 1. quadrag. 3.*

VIII. Sicut, ut navis perite dirigatur Navitarum concordia requiritur; ſic ut communitas aliqua recte regatur, membrorum unio neceſſaria eſt. *Berrl. in feſt. OO. SS. ee. 8.*

IX. Sicut ex diverſis fiſtulis quidem conſtruitur organum, uno tamen ſpiritu inflante opus habet; ita licet communitas, ex multis membris compaginetur, concordi tamen ſenſu opus habet, ut recte gubernetur. *r. Thom. in 1. Cor. 12.*

X. Sicut anima non vivificat membra corporis, niſi unita ſint; ſic neque membra communitatis recte reguntur a Superioribus, niſi per pacem, & concordiam ſint adunata. *S. Aug. de civ. Dei.*

Utilitas.

XI. Sicut interdum duo canes ſemper alioqui inter ſe diſcordes, viſo lupo, unanimiter ipſum ſequuntur, & ab illo tempore concordes manent; ita carne & ſpiritu (quæ ſibi invicem naturaliter adverſantur) per Chriſti gratiam conciliatis, & communem hoſtem Diabolum impugnantibus, arctiori inter ſe fœdere conjunguntur. *Stapl. ee. 2. in Dom. in Albis.*

XII. Sicut nervi corporis membra aduniunt, & unum corpus efficiunt; ſic pacis vinculum civitates, familias, adeoque totam generis humani ſobolem ligat & connectit. *Berr. e. 8. in feſto Omnium Sanct.*

Dignitas.

XIII. Sicut Rex plurimum Regnorum, melioris Regni Rex denominatur, ut Hiſpaniæ Rex, tacito Neapolitano, Siciliano, Luſitanico, &c. ſic Deus tanti pacem æſtimat, ut Deus pacis velit appellari. *Staplet. ter. 4. in Dom. Pent.*

Jucunditas.

XVI. Sicut nemo eſt, qui gaudere nolit; ita nemo, qui nolit habere pacem. *Berrl. l. c.*

§. IX. MEDIA.

I. MAndatorum obſervatio: ſi enim Deus ipſe per Iſaiam ſuaſit dicens: Utinam attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen, pax tua. Hinc & S. Auguſtinus, duæ, inquit, ſunt amicæ, Juſtitia & Pax, tu *Iſ. 48. v. 18. S. Aug. in pſal. 84.*

tu forte unam vis, & alteram non facies. Nemo enim eſt, qui non velit pacem, ſed non omnes operari volunt juſtitiam. Interroga omnes homines, vis pacem? uno ore reſpondebit tibi genus humanum: opto, cupio, amo, voio. Ama juſtitiam, quia duæ amicæ ſunt, Juſtitia, & Pax, & ipſæ ſe oſculantur. Si amicam pacis non amaveris, non te amabit ipſa pax, nec veniet ad te. Hinc & S. Paulus in omnibus fere Epiſtolis pro ſalute ponit: Gratia & Pax.

Senec. de benef. II. *Radicis ſublatio*: de qua Seneca, quietiſſimam, inquit, vitam agerent homines in terra, ſi hæc duo verba a natura omnium tollerent, meum, ac tuum. Petrarcha vero quatuor, ait, vobiſcum habitant pacis hoſtes, avaritia, invidia, ſuperbia, ira. Has in æternum pellite, pax æterna erit.

Job. 3. v. 14. *S. Greg. in lib. 4. mor.* III. *Amor Dei*: nam quo lineæ centro propinquiores ſunt, hoc magis inter ſe coeunt, & propinquiores fiunt. Hinc S. Gregorius illud Jobi: Nunc enim dormiens ſilerem & ſomno meo requieſcerem cum Regibus & Conſulibus terræ, qui ædificant ſibi ſolitudines: huc applicat dicens: Recte dicitur: Quia ædificant ſibi ſolitudines. Solitudines quippe ædificare eſt, a ſecreto cordis terrenorum deſideriorum tumultus expellere, & intentionem æternæ Patriæ in amorem intimæ quietis anhelare. An non cunctos a ſe cogitationum tumultus expullerat, qui dicebat: Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ? a frequentia quippe terrenorum deſideriorum fugerat, & ad magnam ſolitudinem ſemetipſum contulerat. A tumultu rerum corporalium magnum quemdam ſeceſſum petierat, hoc eſt, quietam mentem, in qua tanto prius Deum cerneret, quanto hunc cum ſe ſolo inveniret.

S. Dionyſ. c. 3. hier. IV. *Crebra Eucharistiæ ſumptio*: nam, teſte divo Dionyſio, diviniſſima unius, ejuſdemque panis atque poculi communis, pacificaque communicatio; divinam illis velut Convictoribus morum conjunctionem ſancit. Et, *S. Chryſ. ho. 61. ad pop.* ut S. Chryſoſtomus ait, propterea ſemetipſum nobis immiſcuit, & corpus ſuum in nos contemperavit, ut unum quid ſimus tamquam corpus capiti coaptatum. Ardenter enim amantium hoc eſt. *S. Cypr. ſ. de cæn. Dom.* Hinc & S. Cyprianus monet: Quibus unus eſt panis, unum eſt corpus, ſit omnium cor, & anima una uni Chriſto adhærens.

§. X. ASCETICA.

I. QUatuor ſuut præcipue, quæ de pace interna maxime noſſe & obſervare debet Aſceta. Primum eſt, ut bene cognoſcat, quid ſit veram animi pacem habere. Nempe ut animus hominis nullo inordinato affectu aut paſſione, qui ſunt graviſſimi hoſtes animæ, turbetur. Perfecta namque victoria (& per conſequens etiam pax) eſt de ſemetipſo triumphare; qui enim ſemetipſum ſubjectum tenet, ut ſenſualitas rationi, & ratio in cunctis obe- *L. 3. c. 13. §. 2.* diat Deo, hic vere victor eſt ſui, & dominus Mundi, inquit recte Thomas Kempenſis. *S. Aug. l. 2. d. ſer. Do. in monte.* In quem ſenſum etiam S. Auguſtinus, pacifici, inquit, in ſeipſis ſunt, qui omnes animi motus componentes, & ſubjicientes rationi, & ſpiritui, carnaleſque concupiſcentias habentes edomitas fiunt regnum Dei, in quod ita ordinata ſunt omnia, ut id, quod eſt in homine præcipuum & excellens hoc imperet, cæteri non reluctantibus, quæ ſunt nobis, beſtiiſque communia. Atque idipſum, quod excellit in homine, id eſt, mens & ratio, ſubjiciatur potiori, Deo ſcilicet. Et hæc eſt pax, quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis, hæc vita conſummati perfectique Sapientis.

II. Alterum eſt, ut digne æſtimet, & ardenter quærat hanc pacem: quod obtinebit, ſi bene conſideret, quod S. Hieronymus dixit: *S. Hier. in reg. Mon.* Omne ſecundum Philoſopos tantum habet bonitatis, quantum habet unitatis: propterea in exordio Mundi vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Imo, ut S. *S. Aug. l. 1. de Geneſ. contra Manich. cap. 21.* Auguſtinus ait: Tanta vis & potentia unitatis eſt, ut quæ bona ſunt, tunc multum etiam placeant, cum in univerſum aliquid conveniunt, atque concurrunt. Univerſum autem ab unitate nomen accepit. Et vero fructus hujus pacis ex ipſa ſimilitudine cum pace externa ſatis colligi poteſt: ut enim concordia res parvæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur; ita id ipſum de pace interna cum divitiis, & opibus ſpiritualibus comparata dici poteſt.

III. Tertium eſt, ut fortiter rejicere norit potiſſima impedimenta pacis, quorum quatuor quidem aſſignat S. Bernardus, ſcil. culpam mordentem, curam pungentem, affectum vigentem, & tribulationem cruciantem; ſed forte omnia ad inordinatam concupiſcentiam reduci poſſunt juxta illud S. Jacobi: Unde bel- *Jac. 4. v. 1.* la & lites in vobis? Nonne hinc ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris. Et hoc eſt, quod pius Author indicare voluit, dicens: Juvat igitur non quælibet res adepta vel multiplicata exterius, ſed potius contempta, & deciſa ex corde radicitus. Nec *L. 3. c. 37. §. 3* diu ſtabit pax illa quæſita forinſecus, ſi vacat a vero fundamento ſtatus cordis.

IV. Quartum eſt, ut etiam adjumenta ad dictam pacem conducentia noverit, quæ quidem pariter ad quatuor capita revocabit pius Aſceta, dum dixit: Fili, nunc docebo te *L. 3. c. 23. §. 1.* viam pacis, & veræ libertatis. Stude alterius potius facere voluntatem, quam tuam. Elige ſemper minus, quam plus habere. Quære ſemper inferiorem locum, & omnibus ſubeſſe. Opta ſemper, & ora ut voluntas Dei integre in te fiat. Ecce talis homo ingreditur fines pacis, & quietis.

§. XI. MISCELLANEA.

Qualitas.

I. SApienter pronuntiavit Seneca: Omne hoc, *Senec. ep. 95.* quod vides, quo divina atque humana concluſa ſunt, unum eſt: membra ſumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex iiſdem & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit.

II. P.

Digitized by Google

S. Anſel. l. ſimil. II. D. Anſelmus concordiam perappoſite Organo comparavit, cui hoc lemma ſuperne inſcripſit: In uno Spiritu omnes nos; infra vero: Conſpirat amice.

Granat. loc. com. f. 344. III. Melchiſedech Rex juſtitiæ, & Rex pacis vocatus eſt, quia quiſquis juſtitiam habet, comite ejus pace carere non poteſt.

Anton. ſ. de char. IV. Philo dicebat, pacem maximum, & divinum eſſe bonum, quod nullus mortalium præſtare poteſt.

Val. l. 13. pag. 349. V. In Æthiopia tanta copia anguium reperitur, ut, quoniam in gyrum convolvuntur, montium ſpeciem referant; quæ cauſa forte fuit, ut Caduceum in pacis, & concordiæ argumentum effigie anguium exteræ gentes cingant.

Neceſſitas.

Stapler. tom. 4. in feſt. Pen. VI. Animalia in Arca Noe, etiamſi natura ſua fera, & indomita fuerint, quandiu tamen in Arca manſerunt, manſueta & pacifica fuere; idem faciendum Chriſtianis, ſi in Eccleſiæ arca manere volunt.

Utilitas.

Cicero pro lege. VII. Ut circumſpiciamus omnia, quæ populo grata ſunt atque jucunda, nihil tam populare, quam pacem, quam concordiam, quam otium reperiemus.

Agraria. VIII. Nihil pernicioſius Civitati, quam diviſio, ut nihil melius, quam unio.

Plato de Republ. IX Nomen pacis dulce eſt, & ipſa res ſalutaris. Pax eſt tranquilla libertas.

Cicero in Philipp. X. Pacem, ſi ſine vitiis veniret, & cæleſte munus, & ſecundum nulli bonum ſateor. Raro autem ſine vitiis venit.

Petrarc. Dial. 106. XI. Romæ olim templum magnificentiſſimum Pacis exſtructum fuit, in quo ſacellum Deæ Vitiplacæ erat, ad quod vir, & uxor exorto jurgio conveniebant, & quæ voluerant, locuti, contentione depoſita concordes revertebantur.

Val. Max. l. 2. c. 1. XII. Veſpeſianus, ut ſignificaret, pacem eſſe matrem abundantiæ, numinis duas ſpicas e duabus manibus conjunctis egredientes inſculpi juſſit.

Fab. concio. 6. in Fer. 3. Paſch. Val. Max. l. 7. c. 3. XIII. Sertorius Dux Romanus, ut doceret exercitum Romanum per partes convelli poſſe, duos equos, validiſſimum unum, alterum debiliſſimum propoſuit, & hujus caudam a fortiſſimo juvene evelli, illius vero a ſenibus paulatim per partes auferri juſſit, quod iſti facile, non autem juvenis potuit.

§. XII. AUTHORES.

I. Henricus Engelgrave in Cælo Empireo in Feſto Pentecoſt.

II. Mathias Faber conc. 1. in Dom. 1. poſt Paſcha, & fer. 3. Paſch. conc. 6.

III. Thomas Stapletonus them. 3. Dom. 3. Quadr. & them. 3. Dom. 3. Pent. Item Dom. 1. poſt Paſcha the. 2. & Dom. Pent them. 4.

IV. Laurentius Beyrlinck in Promptuar. them. 8. in Feſto Omnium Sanctorum. Item in theatro vitæ humanæ. Vide eodem.

V. Joſephus Langius in Polyanth. V. eod.

VI. Ludovicus Granatenſis in locis communib. fol. 339.

TITULUS CXIV.

PECCATUM.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I. EST juxta S. Thomam, actus devians ab ordine debiti finis, contra regulam naturæ, rationis, vel legis æternæ. Vel averſio ab incommutabili bono, & converſio indebita ad commutabile bonum, juxta Sanctum Auguſtinum. Aut juxta eumdem: Eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam. Aut cum Jacobo Alvarez, ac Theologis, eſt actio libera, debita rectitudine carens, qua quis legem ſe obligantem tranſgreditur: Quemadmodum enim effigies peccatum artis eſt, ſi regulis artis ac exemplari non conſentiat; ita & humana actio peccatum moris eſt, ſi a dictamine rectæ rationis & legis divinæ, quæ ſunt exemplar, & regula recte vivendi, diſcedat. Unde S. Dionyſius Areopagita ſic illud deſcribit: Peccatum eſt malum, privatio & defectio, infirmitas, inconvenientia, atque fruſtratio, & deſtinatione, pulchritudine, vita, ſenſu, ratione, perfectione ac ſede, & cauſa privatim, indefinitum infœcundum, otioſum, imbecillum, inordinatum, diſſimile, infinitum, tenebroſum, carenſque ſubſtantia, & ipſum nullo modo, nuſquam & nihil exiſtens. *S. Th. 1. 2. qu. 161. ar. 2. & 1. 2. q. 21. ar. 1.* *S. Aug. l. de lib. arbitr.* *Id. lib. 22. cont. Fau.* *Jac. Alv. l. 5 p. c. 1.* *S. Dionyſ. de div. nom. c. 4. p. 4.*

II. Diſtinguitur peccatum a *crimine*, ſicut excedens ab exceſſu; eo quod *crimen* peccatum aliquod grande ſignificet, peccatum autem, & gravia & levia peccata involvat. Hinc S. Auguſtinus ait: Neque enim quia peccatum eſt omne crimen, ideo crimen etiam eſt omne peccatum. Itaque ſanctorum hominum vitam, quandiu in hac morte vivitur, inveniri poſſe dicimur ſine crimine: peccatum autem ſi dixerimus, quia non habemus, ut ait S. Apoſtolus, noſmetipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.

Diſtinguitur quoque peccatum a *Vitio*, quia peccatum ſignificat operationem, & actum malum: *Vitium* vero habitum, qui ad actum vitioſum inclinat, ſignificat, quod quidem vitium ſanctus Bernardus ſequentibus verbis optime depinxit. Vitium eſt privatio virtutis, cujus vaſtitas & enormitas tanta eſt, ut obruat, & opprimat: fœditas tanta, ut inquinet & inficiat: adhæſio tam pertinax conſuetudinis, ut vix a ſe eam natura excutiat. Vitium eſt quaſi corruptus humor, qui non in corpore, ſed in anima morbos peccatorum procreat, plagas & fœda vulnera generat, & ſpiritualem ſalutem dominari non ſinit. Vitium eſt radix mortis, omnium malorum origo, quia eſt origo peccati, in quo omnium malorum cumulus invenitur. Vitium eſt indicium infamiæ, & ſignum ignominiæ, quod illo affectos a nobilium, ideſt ſtudioſorum, ac profectorum hominum conſortio repellit. Vitium eſt ſordidum indu- *S. Bern. ad Frat. de monte Dei.*

mea-

Digitized by Google

mentum, quod nos ad nuptias agni vocatos illius convivio, & menſa reddit indignos. Vitium eſt catena, & vinculum animam in carcere rerum terrenarum retinens. Vitium eſt laqueus, de quo dictum eſt: In via hac, qua ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi, quod nos ſervos Adverſarii humani generis ac mancipia conſtituit. Vitium eſt dirus tyrannus juxta S. Chryſoſtomum, qui noſtram libertatem eripit, & operibus luti ac lateris ſatis laborioſis addicit. Vitia hoſtes noſtri ſunt, & gentes nobis infeſtæ atque inimicæ, de quibus in Deuteronomio dictum eſt: Non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis earum, neque ſociabis cum eis conjugia.

Diviſio.

III. Dividitur quinque potiſſimum modis. 1. *Ab objectis*: Et ſic dividitur in *carnalia*, & *ſpiritualia*, juxta illud Apoſtoli: Emundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus. Carnalia ſunt, quæ circa bona ſenſibus apprehenſibilia, puta cibum, potum, luxuriam verſantur. Spiritualia ſunt, quæ circa bona inſenſibilia, v. g. honorem, poteſtatem occupantur.

IV. Secundo dividitur *ratione originis*, in *habituale*, *actuale*, *originale*. *Habituale* eſt, quod nullam amplius phyſicam, ſed moralem tantum exiſtentiam habet, & ratione hujus exiſtentiæ perinde hominem afficit ac denominat, ac ſi actu exiſteret. *Actuale* eſt, quod a propria voluntate committitur, & actu etiamnum exiſtit. *Originale* eſt, quod a primo parente Adamo per carnalem propagationem hæreditatur.

V. Tertio dividitur *ratione legis* in peccatum *omiſſionis*, & *commiſſionis*. Illud eſt, quod contra legem aliquid affirmantem, aut imperantem committitur, ut cum quis parentibus debitum honorem non exhibet. Hoc eſt, quod cum lege aliquid prohibente pugnat, ut cum quis homicidium aut adulterium committit.

VI. Quarto dividitur *ratione eorum*, qui per illud offenduntur, in peccatum contra Deum, proximum, & ſeipſum; quam diviſionem S. Paulus indicaſſe videtur, dum dixit: Sobrie, & pie, & juſte vivamus in hoc ſæculo: ſobrie ſcilicet quoad nos: juſte quoad proximum; pie quoad Deum.

VII. Quinto dividitur ratione *reatus*, in *mortale* & *veniale*. Illud eſt, quod mortem animæ infert, & æternam damnationem annexam habet: atque adeo, teſte Richardo, non ſine grandi corruptione ſui, ſine gravi læſione proximi, & ſine magno contemptu Dei committi poteſt. Iſtud eſt, quod, quantum eſt in ſe, amicitiam Dei minuit quidem, non tamen omnino tollit, nec vitam ſpiritualem gratiæ aufert; Unde morbo decorem auferenti, aliiſque effectus ſimiles producenti comparatur; mortale vero peccatum ipſi morti, a quo nomen hauſit, æquiparatur.

Richard. de differ. mort. & ven. pecc.

VIII. Pleraque hæc peccata in alias ſpecies ſubdividuntur, nimirum. 1. In *proprium*, quod nos ipſi committimus: & *alienum*, quod ab alio quidem perpetratur, ſed a nobis ſive propter approbationem, ſive propter conſilium, aut conniventiam, aut aliam ſimilem cauſam participatur. 2. In peccatum *per ſe*, quod *ex genere ſuo aut natura* mortale vel veniale eſt; & per *accidens*, quod propter circumſtantiam aliquam, aut finem ſuperadditum ſpeciem ſuam mutat, & ex mortali veniale, aut viciſſim evadit. 3. In *internum*, quod ſola interiori voluntate peragitur; & *externum*, quod etiam actionem quandam exteriorem ſecum trahit; & in peccatum *oris*, & *operis* ſubdividi poteſt. 4. In *affectatum*; quod pura plena, & deliberata voluntate committitur, & *non affectatum*; quod cum ignorantia, inadvertentia, aut metu culpabili patratur.

IX. In ſpecie vero peccati venialis, (quod definitur: *Actio libera, dictamini quidem rationis, & juſſioni legis adverſa, ac ob id Deo inviſa; ſed quæ ob ſui parvitatem, nec vitam ſpiritualem animæ auferat, neque hominem a regno cæleſti excludat, nec æternis cruciatibus deſtinet; licet juxta ſuæ malitiæ quantitatem temporalem pœnam ſubeat*) tria aſſignantur genera, de quibus dicit Apoſtolus: *Si quis ædificaverit ſuper fundamentum hoc*, ſcilicet fidei, *ligna*, *fœnum ſtipulam*, *detrimentum patietur*, *ipſe autem ſalvus erit*; *ſic tamen quaſi per ignem*. Nota, lignum, fœnum, ſtipulam: Hæc tria ſignificant, tria peccata venialia. Lignum, quod difficilius comburitur, quam fœnum, ſignificat peccata venialia majora; quia pro talibus multum ſudat in purgatorio, Fœnum, quod citius comburitur, venialia peccata mediocria. Stipula, id eſt palea, ſignificat peccata venialia minima, de quibus ſtatim purgantur, & purificantur, transeundo per purgatorium.

Jac. Alv. to. 2. l. 1. p. 1. c. 1. ſol. 11. S. Vincen. Ferr. Dominic. 3. poſt Pent.

X. S. Auguſtinus longum culparum venialium in ſpecie texit catalogum, dum in ſermone quodam ita ſcribit: Quæ ſunt minuta peccata, licet omnibus nota ſint, tamen quia longum eſt, ut omnia replicentur, opus eſt, ut ex eis vel aliqua nominemus. Quoties aliquis in cibo aut potu plus accipit, quam neceſſe ſit, ad minuta peccata noveris pertinere. Quoties plus loquitur, quam oportet, aut plus tacet, quam expedit. Quoties pauperem importune petentem exaſperat. Quoties, cum corpore ſit ſanus, aliis jejunantibus prandere voluerit, aut ſomno deditus tardius ad Eccleſiam ſurgit. Quoties, excepto deſiderio filiorum; uxorem ſuam cognoverit. Quoties in carcere clauſos, & in vinculis poſitos, tardius requiſierit. Quoties infirmos tardius viſitaverit. Si diſcordes ad concordiam revocare neglexerit; ſi plus aut proximum, aut uxorem, aut filium, aut ſervum exaſperavit, quam oportet: ſi amplius fuerit blanditus, quam expedit; ſi cuicumque majori perſonæ, aut ex voluntate, aut ex neceſſitate adulari voluerit; ſi pauperibus eſurientibus cibum non dederit, aut nimium ſumptuoſa, aut delicioſa ſibi convivia præparaverit; ſi ſe in Eccleſia, aut extra Eccleſiam fabulis otioſis, de quibus in die Judicii ratio reddenda eſt, occupaverit. Si dum incaute juramus; & cum hoc per aliquam neceſſitatem implere non

S. Aug. ſer. 14. de SS.

non poterimus, utique pejeramus. Et cum omni facilitate vel temeritate maledicimus: (liviter intellige) cum aliquid ſuſpicamur temere, quod tamen plerumque non ita, ut credimus, comprobatur; hæc & his ſimilia ad minuta peccata pertinere non dubium eſt, quibus licet occidi animam non credamus, tamen eam, velut quibuſdam puſtulis, & quaſi horreoda ſcabie replentia, deformem faciunt.

Actus.

XI. Primus eſt: *Illicitam objecti alicujus concupiſcentiam concipere*. De quo actu S. Jacobus locutus eſt, cum dixit: Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt: Ipſe autem oeminem tentat. Unuſquiſque vero tentatur a concupiſcentia ſua, abſtractus, & illectus. Deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum vero cum coofummatum fuerit, generat mortem. *Jac. 1. v. 14.*

XII. Secundus eſt: *Delectari in objecto aliquo illicito*. Veluti cum quis voluntarie, & cum guſtu concupiſcentiæ objecti illiciti immoratur.

XIII. Tertius eſt: *Conſenſum præbere*. Ad perſecutionem objecti illiciti, vel fugam alicujus rei præceptæ, de quo conſenſu locutus eſt S. Gregorius, dum dixit: In ſuggeſtione ſemen, in delectatione nutrimentum, in conſenſu perſectionem ineſſe peccati. *S. Greg. ad inter. S. Aug.*

XIV. *Ipſum opus externum adjicere conſenſui*. Id quod prioribus octo præceptis Decalogi fere prohibetur.

XV. *Conſuetudinem ex actibus frequentatis contrahere*. De qua S. Iſidorus ſic loquitur: Iſtis fomitibus quaſi qoibuſdam gradibus coaleſcit omne peccatum. Cogitatio namque prava delectationem parit, delectatio conſenſionem, conſenſio actionem, actio conſuetudinem, conſoetudo neceſſitatem, ſicque his vinculis homo implicatus, quadam catena vitiorum adſtrictus tenetur; uti de ſeipſo faſſus eſt S. Auguſtinus, dum dixit: Cui rei ego ſuſpirabam ligatus, non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate perverſa facta eſt libido, &, dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas, quibos quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis, unde catenam appellavit, tenebat me obſtrictum dira ſervitus. *S. Iſidor. lib. 2. de ſumm. bo. c. 23. — S. Aug. l. 8. conf. c. 5.*

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Eccl. 38. v. 16. I. ERror, & tenebræ peccatoribus concreatæ ſunt: Qui autem exultant in malis, conſeneſcunt in malo.

2. Reg. 2. v. 25. II. Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt Deus; ſi autem in Deum peccaverit vir, quis orabit pro eo?

Eccl. 23. v. 21. III. Duo genera abundant in peccatis. Anima callida, quaſi ignis ardeos non extinguetur, donec aliquid glutiat; & homo ſcortator, qoi corpore carnis ſuæ non conqueſcit, donec ignem ſuccenderit.

IV. Non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum (ſemper) & non peccet (aliquando.) *Eccl. 7. v. 21.*

V. Qui facit peccatum, ex Diabolo eſt, quoniam ab initio Diabolus peccat. Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus. *1. Jo. 3. v. 8. & 9.*

VI. Senſus, & cogitatio hominis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. *Geneſ. 8. v. 21.*

VII. Egreſſus eſt a filia Sion omnis decor ejus. Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimos? Filii Sion inclyti, & amicti auro primo, qoomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli? Nazaræi candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores: denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis. Abalienati ſunt in confuſionem, & facti ſunt abominabiles, ſicut ea, quæ dilexerunt. *Thren. 1. v. 6. & c. 4. v. 1. — Oſea 9. v. 10.*

VIII. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. *Pſal. 50. v. 7.*

IX. Facti ſumus omnes nos ut immundus, & quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ: & cecidimus quaſi folium univerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos. *Iſai. 64. v. 6.*

X. Qui faciunt peccatum, & iniquitatem, hoſtes ſunt animæ ſuæ. *Tob. 12. v. 10.*

Qualitas peccati mortalis.

XI. Lucerna impiorum peccatum. *Prov. 21. 4.*

XII. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis, quas ſuccendiſtis. *Iſai. 50. 11.*

XIII. Quaſi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas: plagæ illius non eſt ſanitas. *Eccl. 21. 4.*

Qualitas peccati venialis.

XIV. Septies cadet juſtus, & reſurget. *Prov. c. 24. 16.*

XV. Qui in modico iniqous eſt, & in majori iniquus eſt. *Luc. c. 16. 10.*

XVI. Qui timet Deum, nihil negligit. *Eccl. c. 7. 19.*

XVII. Non eſt homo, qui non peccet. *3. Reg. 8. v. 46.*

XVIII. In multo offendimus omnes videl. etiamnum. *Jac. 3. v. 2.*

Damnum peccati.

XIX. Scito, & vide quia malum, & amarum eſt relinquere Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem ejus apud te. *Jer. 2. v. 19.*

XX. Ecce non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat: Sed iniquitates & peccata veſtra abſconderuot vultum ejus a vobis, ne exaudiat. *Iſ. 59. v. 1. & 2.*

XXI. Si averterit ſe juſtus a juſtitia ſua, omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur. *Ezech. 18.*

XXII. Juſtitia elevat gentem, miſeros autem facit populos peccatum. *Prov. 14. v. 34.*

XXIII. Per quæ quis peccat, per hæc & punitur. *Sap. 11. v. 17.*

XXIV. Super quo percutiam vos ultra, *Iſ. 1. v. 5.*

ad

addentes prævaricationem ? omne caput languidum, & omne cor mærens. Terra veſtra deſerta, civitates veſtræ ſuccenſæ igni: regionem veſtram coram vobis alieni devorant.

Pſal. 10. v. 6. XXV. Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis & ſulphur, pars calicis eorum.

Rom. 5. v. 12. XXVI. Per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors.

Pſal. 118. v. 155. XXVII. Longe a peccatoribus ſalus, quia juſtificationes tuas non exquiſierunt.

Sap. 14. v. 9. XXVIII. Similiter odio ſunt Deo impius, & impietas ejus.

Baruch. 4. v. 6. XXIX. Propter quod in ira Dei ad iracundiam provocaſtis Dominum, traditi eſtis Adverſariis.

Ezec. 18. v. 20. XXX. Anima, quæ peccaverat, ipſa morietur: juſtitia juſti ſuper eum erit, & impietas impii erit ſuper eum.

Levit. 26. v. 14. XXXI. Quod ſi non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea: Si ſpreveritis leges meas, & judicia mea contempſeritis, ut non faciatis ea, quæ a me conſtituta ſunt, & ad irritum perducetis pactum meum, ego quoque hæc faciam vobis. Viſitabo vos velociter in egeſtate, & ardore, qui conficiat oculos veſtros, & conſumat animas veſtras. Fruſtra feretis, quæ ab hoſtibus devorabitur. Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hoſtibus veſtris, & ſubjiciemini his, qui oderunt vos: fugietis nemine perſequente. Sin autem nec ſic obedieritis mihi, addam correptiones veſtras ſeptuplum propter peccata veſtra.

Judith. 5. v. 18. XXXII. Quoticſcumque præter ipſum Deum ſuum alterum coluerunt, dati ſunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium.

Damnum peccati mortalis.

Ezech. c. 28. 18. XXXIII. Polluiſti ſanctificationem tuam: Producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te, & dabo te in cinerem.

Pſal. 72. c. 19. 20. XXXIV. Quomodo facti ſunt in deſolationem, ſubito defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam. Velut ſomnium ſurgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges.

Iſ. c. 57. 20. XXXV. Impii quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt.

Pſ. 7. 15. XXXVI. Parturiit injuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.

Job c. 4. 8. XXXVII. Vidit eos, qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metunt eos.

Pſ. 13. 3. XXXVIII. Contritio, & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt; non eſt timor Dei ante oculos eorum.

Iſ. 34. 13. XXXIX. Orientur in domibus ejus ſpinæ, & urticæ: Et erit cubile draconum, & paſcua ſtruthionum, & occurrent Dæmonia.

Prov. c. 10. v. 29. XL. Pavor his, qui operantur malum.

Iſa. 64. 7. XLI. Abſcondiſti faciem tuam a nobis, & alliſiſti nos in manu iniquitatis noſtræ.

Damnum peccati venialis.

1. Cor. 3. v. 12. XLII. Siquis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc (Chriſtum) aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, uniuſcujuſque opus manifeſtum erit. Dies enim declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit.

XLIII. A ſcintilla una augetur ignis. *Eccl. c. 11. 34.*

XLIV. Ecce quantus ignis quam magnam ſilvam accendit. *Jac. c. 3. 5.*

XLV. Qui ſpernit modica, paulatim decidet. *Eccl. c. 19. 1.*

XLVI. Muſcæ morientes perdunt ſuavitatem unguenti. *Eccl. c. 101.*

XLVII. Peccata veſtra abſconderunt faciem ejus a vobis (in Purgatorio) manus veſtræ pollutæ ſunt ſanguine (peccati mortalis) & digiti veſtri iniquitate, ſeu peccato veniali. *Iſ. c. 59. 2.*

XLVIII. Pro menſura peccati erit & plagarum modus. *Deut. c. 25. 2.*

XLIX. Neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? *1. Cor. 5. 6.*

L. Nihil coinquinatum introibit in regnum Dei. *Apoc 21. v. 27.*

Relapſus in peccatum.

LI. Ecce, ſanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Jo. 5. v. 14.*

LII. Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus S. guſtaverunt nihilominus bonum verbum Dei, virtuteſque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes. *Heb. 6. 4.*

LIII. Terra ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam, illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo, proferens autem ſpinas ac tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima, cujus conſummatio in combuſtionem. *Ib.*

LIV. Melius erat illis, non cognoſcere viam Juſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato; contingit enim eis illud veri proverbii: Canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti. *2. Pet. 2. v. 21.*

LV. Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. *Prov. 5. v. 23.*

LVI. Fili peccaſti, ne adjicias iterum. Sed & de priſtinis deprecare, ut dimittantur tibi. *Eccl. 21. v. 1.*

LVII. Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas. *Jer. 2. v. 36.*

LVIII. Voluntarie peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccato hoſtia, terribilis autem quædam expectatio, judicii, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios. *Hebr. 10. v. 27.*

LIX. Cum autem immundus ſpiritus exierit ab homine, &c. vadit & aſſumit alios ſpiritus nequiores ſe, & intrantes habitant ibi, & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. *Matt. 12. v. 43.*

LX. Si quæ deſtruxi, hæc iterum ædifico: prævaricatorem me conſtituo. *Galat. 2. v. 18.*

Fuga.

Fuga.

Eccl. 5. v. 5. LXI. De propitiato peccato noli eſſe ſine metu: Neque abjicias peccatum ſuper peccatum; miſericordia enim & ira ab illo cito promanant.

Eccl. 7. v. 1. LXII. Noli facere mala, & non te apprehendent.

Eccl. 21. v. 2. LXIII. Tamquam a conſpectu ſerpentis fuge peccatum; Nam ſi acceſſeris mordebit te. Dentes leonini ſunt dentes ipſius, interficientes animas hominum.

Rom. 6. v. 12. LXIV. Non regnet peccato in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentis ejus; peccatum enim vobis dominabitur.

Tob. 4. v. 6. LXV. Cave, ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Domini Dei noſtri.

Rom. 6. v. 2. LXVI. Qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo.

§. III. EX SS. PATRIBUS, ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. August. ſuper pſ. 30. I. PEccatum nihil eſt, & nihil ſiunt homines cum peccant.

Idem ſuper pſ. 1. II. Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore. Non dicit: Non ſit, ſed: Non regnet; ineſt peccatum, cum delectaris: regnat, cum conſenſeris.

S. Hier. ſuper pſ. 80. III. Quicumque vitia habemus, & quotcumque peccata, tot recentes habemus Deus. Iratus ſum, ira mihi Deus eſt. Vidit mulierem, & concupivi, libido mihi Deus eſt. Unuſquiſque enim, quod cupit, veneratur, hoc illi Deus eſt.

S. Iſid. de ſum. bono l. 2. c. 19. IV. Tanto majus peccatum eſſe cognoſcitur, quanto major, qui peccat, habetur; Creſcit enim delicti cumulus juxta ordinem meritorum, & ſæpe, quod minoribus ignoſcitur, majoribus imputatur.

Idem c. 20. V. Majoris eſt culpæ manifeſte peccare, quam occulte: dupliciter enim reus eſt, qui aperte delinquit, quia agit, & docet.

S. Aug. in explic. ep. ad Rom. VI. Non pertinet ad te, Domine, nec de tuis eſt, qui non diligit te; nec te diligit, qui te ſcienter offendit.

S. Aug. l. 2. de civ. Dei c. 3. VII. Bonus, etiamſi ſerviat, liber eſt; Malus autem, etiamſi regnet, ſervus eſt, nec unius hominis, ſed quod eſt gravius, tot Dominorum, quot vitiorum, de quibus vitiis cum ageret divina Scriptura, a quo enim quis, inquit, devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt.

Ab. Theo. apud Caſſ. coll. 6. c. 3. VIII. In rebus humanis nihil malum eſt dicendum, niſi peccatum ſolum, quod a bono Deo nos ſeparans, malo facit Diabolo comparari.

S. Aug. l. de nat. & grat. c. 36. IX. Excepta S. Virgine Maria, ſi omnes illos Sanctos, cum hic viverent, congregare poſſemus, & interrogare, utrum eſſent ſine peccato? Quid fuiſſe reſponſuros putamus? niſi quod Joannes Apoſtolus: Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.

X. Singuli motus animi mei ſunt quædam in te, Domine Deus, convitia, utpute iracundiæ motus in manſuetudinem tuam, invidiæ in charitatem, turpitudinis in caſtitatem, & innumera his ſimilia, quæ de cœnoſo lacu prurientis pectoris mei etiam nunc inceſſanter ebulliunt, inundantes, & impingentes in ſerenitatem præfulgentis voltus tui. *S. Bern. ep. 42.*

XI. Talis eſt peccantium conſuetudo, omnia ſuſpecta habent, umbras tremunt, omnem ſtrepitum timent, & quemque putant contra ſe venire, & aliis inter ſe diffidentibus, peccati ſibi ipſi conſcii, putant illos de ſe ſermocinari: Talis res peccatum eſt, nullo prodit arguente, nullo condemnat accuſante, pavidum facit & timidum peccatorem, ſicut juſtitiam contrarium. Fugit, inquit Scriptura, impius nemine perſequente. Quomodo perſequente nemine fugit? Intus habet agentem conſcientiæ accuſatorem, & hunc ubique circumfert: & ſicut ſeipſum non poteſt fugere, ſic nec intrinſecus ipſum agitantem, ſe quocumque abeat, flagellatur, & vulnus habet immedicabile. At non talis juſtus: Sed qualis? audi: Juſtus tamquam leo, inquit, confidit. *S. Chryſ. ho. 8. ad pop.*

XII. Omne malum aut timore, aut pudore natura perfudit. *Tertull. Apol. c. 1.*

XIII. Etſi multi gehennam omnium malorum ſupremum atque ultimum putant, ego tamen ſic cenſeo, ſic aſſidue prædicabo, multo acerbius eſſe, Chriſtum offendere, quam gehennæ malis vexari. *S. Chryſ. ho. 17. in Matt.*

XIV. Dicere poſſumus, omne peccatum eſſe mendacium, non enim peccamus, niſi voluntate, ut bene ſit nobis, & tamen hinc male eſt nobis. *S. Aug. l. 14. de civ.*

XV. Quiſquis timore pœnæ adhuc bona agit, nondum penitus a malo receſſit, quia eo ipſo peccat, quod peccare vellet, ſi inulte poſſet. *Gregor.*

XVI. Peccatum, quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodo eſt, ſed peccatum eſt, & pœna peccati. *Id. l. 24. Moral.*

XVII. Nonnunquam in parvo deterius quam in majore peccatur; major enim quo citius culpa cognoſcitur, eo etiam celerius emendatur, minor dum quaſi nulla creditur eo pejus, quo ſecurius in uſu venit. *Idem in ſerm. 11.*

XVIII. Peccare levius eſt, quam poſt peccatum non pudere. *Chryſoſt.*

Fuga peccati mortalis.

XIX. Peccatum Dæmone pejus ejiciamus. Dæmon ſiquidem nos omnino ſpoliat regno cælorum, ſed ſubinde ſit, ut proſit modeſto ac vigilanti. Peccatum vero omnino excludit. Voluntarius quippe Dæmon eſt peccatum, ſpontanea inſania. *S. Chryſ. hom. 28. in epiſt. ad Rom.*

XX. Fugiamus peccata, & a via mala recedamus; ſi enim hæc fugerimos, etiamſi inter innumeros hoſtes fuerimus, nemo nos lædere poterit; ſi hæc non fugerimus, etiamſi ad ipſum verticem montium aſcenderimus, hoſtes etiam illic innumerabiles reperiemus. *Id. ho. 6. ad pop.*

Digitized by Google

Fuga peccati venialis.

S. Bona. in prol. ſpec. diſc.

XXI. Minima neglecta eo turpius moribus maculam ingerunt, quo vitari facilius cognita potuerunt.

Alvarez l. 6. c. 9. ſ. 63.

XXII. Frontem meretricis habet, qui poſt divinam Majeſtatem intime cognitam, poſt ampliſſima ejus dona ſuſcepta, poſt guſtatam cæleſtium contemplationum ſuavitatem, audet, ſciens & advertens aliquid Domino diſplicere, illud, licet leviſſimum, coram oculis ſui Domini & Creatoris patrare.

S. Chryſ. de lev. pecc. peri.

XXIII. Divina vindicta ipſam (uxorem Lot) in ſalis materiam tranſmutavit, ut ex hoc appareat, non qualitatem delicti debere quemquam intendere, ſed divina juſſa tota veneratione ſervare; nec debere hominem, quid jubeatur, expendere, ſed magis, quis juſſerit, cogitare.

Euſeb. Emiſſen. ho. 4. ad Mona.

XXIV. Quid prodeſt, quod nos pretioſis vigiliis, laboribuſque conficimus, & ea, quæ maxime Deus noſter deſiderat, non habemus? Hoc eſt, cor mundum, & liberum ab iſtis minutiis negligentiarum?

Alvarez l. c. c. 12.

XXV. Signum eſt amoris ſatis tepidi, velle amatum in ſolis rebus gravibus, & magni momenti non offendere, & in aliis, quæ non tanta ſeveritate præcepit, ejus placitum ac voluntatem procaciter violare.

Damnum peccati mortalis.

S. Ambr. in Pſ. 2.

XXVI. Qui ſemel in ſinu mentis flagitii flammam ferventis adoleverit, cito veſtimenta comburet. Et ut in ſtipulam ignis exiliens inhæret, ac permanet, ut omne, quod corripuit, abſumat; ita vel exigua ſcintilla peccati, ſi quo vitiorum fomite fuerit excitata, incendium grande eſcitat.

S. Hier. in c. 50. Iſaiæ.

XXVII. Omnes ſibi ignem ſuccendunt, flammamque corroborant, habent enim in ſe fœnum, ligna, ſtipulam, ſpinas, & tribulos ac lolium, quæ æterno tradentur incendio, unde & in Proverbiis ſcriptum eſt: *In multis lignis viget ignis.*

Oleaſter ap. Manſi diſc. 2. n. 7.

XXVIII. Fortia nimis ſunt incendia peccatorum, quæ comparantur incendio calcis, quod lapides ipſos ita comburit, ut, licet integri videantur, intus tamen diſſoluti ſunt, aut proximi diſſolutioni.

Did. Stella in cap. 16. Luc.

XXIX. Uſitatum eſt unicuique, ut in propria Parochia ſepeliatur: Jus ſuum Diabolus diſtricte ſibi defendit, nec patitur eum, qui ſuæ debetur Parochiæ, alio loco ſepeliri.

S. Chryſ. ſer. 213.

XXX. Reus peccati plus de conſcientia, quam de gehennæ cruciatur incendio.

S. Ambr. 2. de Jac.

XXXI. Etiamſi (peccatores) videantur vivere, miſeriores tamen ſunt omnibus mortuis, carnem ſuam ſicut tumulum circumferentes, cui infelicem infoderunt animam ſuam.

Cyprian. de lapſis n. 204.

XXXII. Si quem de tuis charis mortalitatis exitu perdidiſſes, ingemiſceres dolenter, & fleres, facie inculta, vultu nubilo, ore dejecto, indicia mæroris oſtenderes. Animam tuam miſeram perdidiſti, ſpiritualiter mortuam; ſupervivere hic tibi videris, & ipſe ambulans, funus tuum portare cœpiſti, & non acriter plangis, non jugiter ingemiſcis?

S. Fulg. ap. Manſi diſc. 7. n. 6.

XXXIII. Prima mors animæ, quam ſibi homo intulit, ſecundæ mortis eſt cauſa; & ſecunda mors, quam Deus homini reddit, primæ mortis eſt pœna. Et quia iſtam ſibi homo injuſtus injuſte intulit, illam a juſto judice juſte percepit, ut, qui in iſta volens ſemen iniquitatis ſeminat peccator improvidus, in illa metat fructum punitionis invitus.

Dionyſ. Carthuſ. de pecc. enor. a. 1.

XXXIV. Cum Deus ſit fons totius ſalutis, omniſque nobilitatis, ac ſuavitatis origo cauſalis, conſtat, quod mens creata ab ipſo averſa, vera beatitudine ſpolietur, ſpirituali gratuita nobilitate privetur, & omni ſyncera dulcedine denudetur.

S. Anton. ho. 31.

XXXV. Dona ſpiritus in peccatore reperiri non poſſunt; nam ſapientia per inſipientiam dejicitur, ut divina non guſtet; intellectus per hebetudinem obſcuratur; conſilium per præcipitationem periit, ut ſine examinatione cuncta faciat; fortitudo per puſillanimitatem, & impatientiam proſternitur; ſcientia per ignorantiam conculcatur, non ſufficienter diſcernens verum a falſo, circa mores & fidem; pietas, quæ eſt Dei cultus, vel proximo ſubveniens, ab impietate dejicitur; & timor per ſuperbiam abſorbetur.

S. Bona. in Theol. myſt. 2. 2.

XXXVI. Scito, & vide, quia durum, & aſperum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum, duplicem infelicitatem ipſam ſignificans incurriſſe. Quia enim per malitiam creaturæ inferiori inverecunde adhæſit, propter momentaneam delectationem, juſto Dei judicio non oblectationem, ſed amaritudinem potius reportabit, ut qui ſatiari voluit in ipſis delectationibus creaturarum, infinitis amaritudinibus repleatur.

S. Chryſ. in Pſ. 48.

XXXVII. Tale eſt peccatum, ut priuſquam factum ſit ſuam velet turpitudinem, ebrietate voluptutis ſuam prætexens abominationem; Sed poſtquam factum fuerit, & libidinis quidem voluptas parumper ceſſavit, conſcientiæ autem accuſatio invaſerit, nudam ac ſolam rationem flagellans, tum maxime cernitur, quam ſit pernicioſum.

S. Laur. Juſt. v. 4. lig. vit.

XXXVIII. Accuſator erit proprium ſcelus, tunc loquentur ſimul opera noſtra, & dicent: Tu nos egiſti, opera tua ſumus, non te deſeremus, tecum erimus, & tecum ad judicium pergemus.

S. Thom. lib. 3. de erud. pr. c. 3.

XXXIX. Peccator ad ſe ipſum male ſe habet, quoniam plus vult ſe eſſe malum, quam bonum, Diaboli ſervum, quam Dei filium, in ſtatu latronis, quam in ſtatu Regis; qui in mortali eſt, in ſtatu latronis eſt, infernali patibulo ajudicatus.

Abulenſ. tom. 6. in Matth. 6.

XL. Mali non vere diligunt ſeipſos, quia non volunt conſervare integritatem interioris hominis, neque appetunt bona ſpiritualia ejus, neque operantur ad hoc, neque eſt eis delectabile convivere ſibi ipſis, redeundo ad proprium cor; quia non inveniunt ibi niſi mala, quæ abhorrent; præſentia, quæ cogitant; præterita, quæ egerunt; futura, quæ timent ſe facturos, & paſſuros; & eſt diſſenſio, neque concordant ſibi ipſis propter conſcientiam remordentem.

S. Aug. in expoſ. ep. ad Rom.

XLI. Unuſquiſque peccando animam ſuam Dia-

Digitized by Google

Diabolo vendit; accepto tamquam pretio dulcedine temporalis voluptatis.

S. Chryſ. ho. 5. ad pop. XLII. Malorum omnium cauſam conſtat eſſe peccatum. Ex peccato triſtitia, ex peccato tumultus, ex peccato bella, morbi, atque omnes, quotquot nos premunt paſſiones.

S. Hier. ep. 2. XLIII. Noſtris peccatis Barbari fortes ſunt, noſtris peccatis Romanus ſuperatur exercitus, & quaſi non hæc ſufficerent cladibus, plus pene bella civilia, quam hoſtilis mucro conſumpſit. Non amputamus cauſas morbi, ut morbus pariter auferatur, ſtatimque cernamus pilis ſagittas, tiaras galeis, caballos equis cedere.

S. Laur. Juſtin. de S. Joann. XLIV. Unico peccati conſenſu immenſas corporis, ac animæ homo ſpirituales amiſit divitias, ſibique cum dolore vendicat, quod gratias, & ſine labore perceperat. Innocentiæ quidem candorem, immortalitatis ſtolam, carnis incorruptibilitatem, animæ puritatem, contemplationis dulcedinem, ſpiritus libertatem, Angelorum contubernium, amicitiam Dei perdidit, ad quæ maxima cum fatigatione aſſurgit.

S. Cypri. ſer. 5. de lapſis. XLV. Hoc ſunt peccata lapſis, quod grando frugibus, quod turbidum ſidus arboribus, quod armentis peſtilens veſtitas, quod navigiis ſæva tempeſtas. Omnes ſcilicet bonorum operum fruges deſtruit, animi facultates corrumpit, totum hominem ad interitum ducit.

Damnum peccati venialis.

S. Greg. hom. 12. XLVI. Nonnumquam in parvis deterius, quam in majori peccatur. Major enim, quo citius culpa cognoſcitur, eo etiam celerius emendatur; minor vero, dum quaſi nulla creditur, eo pejus, quo etiam ſecurius in uſu retinetur.

S. Baſil. in regul. fuſe diſp. prœm. XLVII. Qui ut filius, & non ut ſervus obedit Deo, etiam in minimis timet offendere.

Caſſian. coll. 20. c. 12. XLVIII. Cæterum ab iſtis minutis peccatis, in quibus ſepties cadit juſtus, ut ſcriptum eſt, & reſurgit, numquam deerit pœnitudo; aut enim per ignorantiam, aut per oblivionem, aut per cogitationem, aut per ſermonem, aut per obreptionem, aut per neceſſitatem, aut per fragilitatem carnis ſingulis diebus vel inviti, vel volentes frequenter incurrimus, pro quibus & David orans Dominum' purificationem atque indulgentiam deprecatur dicens: Ab occultis meis munda me.

S. Hiero. ep. 5. XLIX. Mens Chriſto dedita æque, & in majoribus, & in minoribus intenta eſt, ſciens, etiam pro verbo otioſo reddendam eſſe rationem.

S. Iſidor. 2. ſent. 19. L. Peccata levia, quæ ab incipientibus quotidiana ſatisfactione purgantur, a perfectis viris velut magna crimina evitantur.

S. Bern. ſer. 1. in converſ. S. Pauli. LI. Diſcite, Fratres juſtum Judicem Deum non modo, quid fiat, ſed, quomodo fiat, conſiderare, & cavete deinceps, ne quis parva reputet, quamlibet parva, ſi ſcienter delinquere convincatur. Nemo dicat in corde ſuo: Levia ſunt iſta, non curo corrigere: non eſt magnum, ſi in his maneam veniallbus, minimiſque peccatis. Hæc enim, dilectiſſimi, Impœnitentia, hæc blaſphemia in Spiritum S. hæc blaſphemia irremiſſibilis.

LII. Admonendi ſunt, qui, quamvis in minimis, ſed tamen frequenter excedunt, ut nequaquam conſiderent, qualia, ſed quanta committunt. Facta enim ſua, ſi deſpiciunt timere, dum penſant, debent formidare, dum numerant. *S. Greg. p. 3. poſt c. 14.*

LIII. Neſcio, an poſſimus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur; Eſtque ille prudentiſſimus, qui non tam conſiderat, quod juſſum eſt, quam quis juſſerit: neque quantitatem imperii, ſed imperantis cogitat dignitatem. *S. Paul. in ep. 24.*

LIV. Fugiamus modica mala, magna ſiquidem ab illis naſcuntur. Quiſquis enim ad quodlibet delictum dicere didicit conſuetum illud: Nihil erit ab hoc damni, paulatim omnia perdet. Iſtud quippe malitiam induxit, iſtud latroni portas aperuit, iſtud civitatis muros dejecit. Hoc & corporibus magni morbi contrahuntur, quando modici contemnuntur. *S. Chryſ. in cap. 7. in Rom.*

LV. Eſt peccatum veniale, inquit Alvarez, ſi attente ipſum inſpiciamus, non quidem mors animæ, quod tantum crimini, ſeu peccato lethali competit; Sed eſt adverſa valetudo, & infirmitas animæ, quæ & ipſam animam fœdat, atque deformat, & a debita diſpoſitione bene, & fervide operandi disjungit, citatque S. Bernardum in ſermone de triplici genere bonorum, ita ſcribentem: Sicut corporis natura eſt ſanitas, ita cordis natura eſt puritas, quia turbato oculo non videbitur Deus, & Cor humanum ad hoc factum eſt, ut ſuum videat Creatorem. Si vero ſanitati corporis ſollicita eſt providenda cuſtodia, puritati cordis tanta ſollicitior eſt impendenda, quanto pars iſta dignor illa eſſe convincitur. Subditque idem P. Alvarez hanc ſimilitudinem, inquiens: Sunt peccata iſta levia, ſicut peſtilentes morbi, quos ſi diligentiſſima medicina non comprimas, certiſſimam, & incitiſſimam mortem intentant. *Alvarez. c. 16.*

LVI. Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere: Eſus quippe, potuſque ad ludum impulit, ludus ad idololatriam traxit, quia ſi vanitatis culpa nequaquam caute compeſcitur, ad iniquitatem protinus mens incauta devolvitur, Salomone atteſtante, qui ait: *Qui modica ſpernit, paulatim decidet.* Si enim curare parva negligimus, inſenſibiliter ſeducti, audenter etiam majora perpetramus. *S. Greg. l. 30. moral. c. 8.*

LVII. Dum moderari lingua otioſa verba negligit, more inolitæ remiſſionis capta, audax, ad noxia prorumpit: Dum gulæ incumbitur, ad levitatis protinus inſaniam proditur; Cumque mens ſubigere delectationem carnis renuit, plerumque, & ad perfidiæ voraginem ruit. Unde bene Paulus plebis Iſraeliticæ damna conſpiciens, ut imminentia ab auditoribus mala compeſceret, curavit ex ordine tranſacta narrare, dicens: *Neque idolatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis, &c.* *Ibid.*

LVIII. Leviorum culparum nec affectus extinguere, nec occaſiones vitare laborant, libe- *Bloſius inſtr. vit. Aſc. div. 7.*

ben-

bertatem largioris vitæ deſiderant, a divinis officiis, cæteriſque actionibus conventualibus abeſſe gaudent, delicatum, ſuperfluumque cibum, ac potum percipere geſtiunt, opportunitates nugandi exquirunt, inordinati riſus ſolatia affectant, ſæcularia audire, vana videre, curioſa in ſuos particulares uſus accipere audent, propriam complacentiam, ineptam lætitiam, otium, vaniloquia, fabulas, geſtus incompoſitos, cæteraque hujuſmodi vitia, aut non eſſe vitia, aut vix eſſe vitia indicant, & ideo ſine ſcrupulo conſcientiæ ea admittunt. Nimirum inſenſibiles effecti, vulneribus acceptis ſe ſanos exiſtimant, ob idque nec mala ſua plangere, nec vitam corrigere ſtudent; ſed quid dicunt? Non ſunt, inquiunt, vulnera, aut ſi ſunt, vulnera admodum parva, ſere nulla ſunt. O Monachos infelices! o Monachos dementes! o Monachos non Monachos! nam quantumlibet parva vulnera videantur, quia tamen non cavent, ne ea ſuſcipiant, nec poſtquam ſuſceperunt, debitam curam adhibent, omnia mortifera redduntur; Ut interim omittam, quod etiam ex tali negligentia, frequenter ipſi in ſuperbiam, rebellionem, innobedientiam, murmurationem, ſurorem, detractionem, odium, invidiam, contemptum, gulam, & alia enormia peccata corruant.

Alv. to. 3. p. 2. l. 1. c. 16. LIX. Vere culpæ leves, & imperfectiones, vulpes parvulæ ſunt, in quibus nihil nimis noxium aſpicimus, ſed hæ vineam, id eſt animam demoliuntur, quia eam ſterilem faciunt, dum cælum ei æneum eſſe faciunt, & pluviam cæleſtis auxilii impediunt.

Dionyſ. Carth. in c. 19. Eccl. LX. Qui ſpernit modica, id eſt, qui non currat vitare parva peccata, ſucceſſive corruit ad majora; venialia namque minora diſponunt ad venialia craſſiora, & omnia ſimul ad mortalia; adducitque teſtimonium Eccleſiaſtis dicentis: *Qui timet Deum, nihil negligit*, nempe quo quis magis illuminatur a Deo, tanto amplius ponderat, & abhorret etiam minimas culpas.

Antb. in coll. ap. Manſ d. 39. n. 6. LXI. Culpa venialis majus eſt malum, quam ſint omnia mala pœnæ in unum collecta, quia malum ſuperioris ordinis eſt, quod gravitatem ſumit a perſona offenſa, quæ eſt infinitæ dignitatis. Hinc qui ingenui ſunt animi, metunt Deum offendere etiam in minimis, quia non reſpiciunt ad peccatum, quod parvum reputatur, ſed ad ipſum Deum, qui magnus eſt, & de minimis etiam rationem exigit, ſicut e contra, qui hoc non curant, abjectos & ignobiles ſe produnt ſervos, qui nolunt parere Domino niſi grandia imperet, aut ſtricto gladio, minisve eos terreat.

S. Hier. in reg. mon. LXII. Quis hunc præſumptionis ſpiritum, qui tantam in animo noſtro operatur audaciam, ut cum ſanctos homines de levibus etiam culpis videamus punitos eſſe, & nos quotidie in majoribus, & pluribus delinquentes, intactos in media damnatione fore credamus? Quamquam nuſquam leve ſit, Deum etiam in exiguo contemnere, quia non tantum ad qualitatem reſpicit peccati, ſed etiam ad perſonæ contemptum, propter quod non ſolum homini intendendum, quale ſit, quod jubetur, ſed quantus ſit ille, qui jubet.

Facilitas incurrendi in peccatum veniale.

LXIII. Neceſſe eſt de mundano pulvere etiam corda religioſa ſordeſcere; nec enim facile provenit cuiquam tam incruenta victoria, ut inter multos hoſtes, frequenteſque conflictus, etiam ſi ſit liber a morte, ſit quoque immunis a vulnere. *S. Leo ſer. 4. in Quadr.*

LXIV. Peccata illa, quæ ſtipulis deſignantur, & non ex vitiis noſtræ menti inſidentibus, neque ex malitia & inverecundia, ſcienter peccantis, ſed ex infirmitate carnis, & ex humanæ naturæ imbecillitate procedunt, difficillime caventur, adeo ut nullus Sanctorum præter Chriſtum Salvatorem, qui Deus eſt, & peccare non potuit, & præter B. Virginem, quæ Mater Dei eſt, & ſingulari privilegio omni caruit peccati nævo, ab illis inveniatur immunis. *Ib. c. 19.*

LXV. Quis numerat capillos capitis ſui? multo minus peccata, quæ excedunt numerum capillorum; minuta videntur, ſed multa ſunt. Præcaviſti magna, jam non facis adulterium, jam non facis homicidium, non rapis res alienas, non blaſphemas, non dicis falſum teſtimonium; moles iſtæ ſunt peccatorum. Magna præcaviſti, de minutis quid agis? Annon times minuta? Projeciſti molem; Vide ne arena obruaris. *S. Aug. in Pſ. 40.*

Relapſus in peccatum.

LXVI. Uſitata culpa obligat mentem, ut nequaquam ſurgere poſſit ad rectitudinem. Conatur, & labitur, quia ubi ſponte diu perſiſtit, ibi & cum noluerit, cadit. *S. Greg. in hom.*

LXVII. Cogita, o homo, graviorem eſſe culpam poſt veniam, renovatum vulnus pejus dolere poſt curam: moleſtius hominem ſordidari poſt gratiam. Quare indulgentiæ ingratus eſt, qui poſt veniam peccat. Sanctitate indignus eſt, qui ſemetipſum, poſtquam ſanatus eſt, vulnerat; nec mundari meretur, qui ſemetipſum poſt gratiam ſordidat. *S. Chryſ. h. 2. ſup. Matth.*

LXVIII. Inanis eſt pœnitentia, quam ſequens culpa coinquinat; Nihil proſunt lamenta, ſi replicentur peccata. Nihil valet a malis veniam petere, & mala de novo iterare. *S. Aug. in ſolil.*

LXIX. In peccato nil magis eſt impium, quam in eo ſtare, & in caſu nihil pejus eſt, quam in eo jacere. *Caſſ. l. 4. de caſu.*

§. IV. EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

I. Materia juſti doloris, & internæ compunctionis ſunt peccata, & vitia noſtra, quibus ita involuti jacemus, ut raro cæleſtia contemplari valeamus. *L. 1. c. 21. §. 4.*

II. O quanta fragilitas humana, quæ ſemper prona eſt ad vitia! Hodie confiteris peccata, & cras iterum perpetras confeſſa. Nunc *L. 1. c. 22. §. 6.*

pro-

propoſitis cavere, & poſt horam agis, quaſi nihil propoſuiſſes.

L. 3. c. 24. §. 3. III. Quid aliud ignis ille devorat, niſi peccata? Quem autem adhuc peccata delectant, non mirum, ſi mortem & judicium timeat.

L. 1. c. 35. §. 11. IV. Major labor eſt reſiſtere vitiis, & paſſionibus, quam corporalibus inſudare laboribus. Qui parvos non vitat defectus, paulatim labitur ad majores.

L. 1. c. 4. §. 3. V. Nil ſic timeas, ſic vituperes, & fugias, ſicut vitia, & peccata tua, quæ magis diſplicere debent, quam quælibet rerum damna.

§. V. EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Qualitas.

Spec. Ex. diſtin. 2. ex. 101. I. S. Arſenio quondam oſtenſum eſt, quomodo homines a ſalute impediantur, dum. 1. vidit Æthiopem ligna ſecantem, & cumulum ſemper augentem, quo indicabatur conſuetudo peccandi. 2. Hominem aquam in ciſternam pertuſam fundentem, quo ſignificabantur homines, qui, quod bonis operibus lucrantur, malis admixtis perdunt. 3. Duos lignum tranſverſum portantes, & cum eo templum ingredi volentes, ſed non valentes, eo quod neuter alteri cedere voluerit, & alterum ſubſequi, ut aditus illis ad templum fieret, quo ſuperbia figurabatur.

Vit. PP. l. 5. n. 18. Alias ead. Hiſtoria in hunc modum narratur: Sedebat quidam de ſenioribus Monachis in cellula ſua, & ſubito venit ad eum vox dicens: Egredere foras, & oſtendam tibi opera hominum, & ſurrexit, & egreſſus eſt foras: duxit autem eum, & oſtendit ei Æthiopem nigrum, cum ſecuri cædentem ligna, & facientem grande ſarcinam, & tentabat ſublevare ſarcinam illam, & non poterat præ magnitudine portare eam, ſed redibat, & cædebat iterum alia ligna, & addebat ſuper ſarcinam illam. Iterum autem oſtendit ei alterum hominem ſtantem ſuper lacum & haurientem aquam de lacu, & mittentem eam in collectaculum, & de alia parte deſluebat aqua deſubter in eodem loco. Quid vero hæc viſio ſignificarit, declarat idem Arſenius dicens: Ille, qui aquam de lacu hauriebat, homo eſt, qui aliqua bona operatur, ſed quia mala etiam amplius per peccata operatur, ea ideo pereunt, & delentur etiam opera bona, quæ facit.

Spec. Ex. diſtin. 5. ex. 81. II. Miles quidam ob adulterium humana facie ſpoliatus eſt, ut omnes eum tam homines, quam beſtiæ fugerent, qui tamen per confeſſionem, priſtinæ formæ reſtitutus eſt.

Ib. diſt. 9. ex. 102. III. Angelus quidam, cum Eremita peregrinatus, tranſeunte Juvene eleganter veſtito, ſed peccatis immerſo, nares cohibuit, cum tamen cadaver tranſiens id non feciſſet, monuit ſcilicet coram Deo peccatorem turpius, quocumque cadavere fœtere.

Vit. PP. l. de pat. & humil. IV. Abbas Paulus cum in templo orationi vacaret, vidit peccatorem a Dæmone naribus tractum intrare in templum, & totum denigratum, ſed eumdem poſt peccata ſua ſinceris lacrymis deplorata, a vinculis liberum, facieque clariſſima exeuntem.

V. Mulier quædam cum per interceſſionem S. Dominici a Dæmone, a quo obſeſſa fuerat, liberata advertiſſet, ſe poſtea in varia peccata labi, maluit iterum a Dæmone obſideri, quam peccati turpitudine fœdari. Spec. Ex. tit. infir. ex. 11.

Fuga peccati mortalis.

VI. Chriſtus cum omnes alias injurias, & etiam ſuſpicionem Dæmonii inhabitantis patientiſſime tuliſſet, in peccati tamen ſuſpicione tollenda acerrimus fuit, ideoque dixit. Quis ex vobis me arguet de peccato? Cujus rationem reddens Beza, ait: Quia non ſic horribile eſt viro juſto Dæmonium habere ac peccatum, hoc omni Dæmonio horribilius eſt, & multo magis vitandum. Beza in Jo. in Ev. 18. c. 8. §. 17.

VII. B. Virgo ipſamet quondam S. Birgittæ revelavit, & dixit: Tam affluenter me totum replevit Spiritus S. quod nihil in me vacuum reliquit, ad peccati alicujus introitum. Et ideo ego illa ſum, quæ numquam commiſi peccatum veniale, vel mortale: Ego quippe in charitate Dei tam ardens eram, quod mihi nihil placuit, niſi perfectio Divinæ voluntatis. Fervebat enim in corde meo ignis Divinæ charitatis. S. Birg. l. 1. revel. c. 8.

VIII. Suſanna Hebræa caſtiſſima ad adulterium a duobus ſenibus ſollicitata dixit: Melius mihi eſt, abſque opere incidere in manus veſtras, quam peccare in conſpectu Domini. Dan. 13.

IX. Eleazarus Judæus nonagenarius, Scribarum Princeps, ad carnes porcinas contra legem comedendas compulſus, reſpondit, malle ſe præmitti in infernum, quam Regis mandato obedire. 2. Mach. 6.

X. S. Chryſoſtomus nihil præter peccatum timebat; unde Eudoxiæ Reginæ inſidias adverſus ipſum molienti quidam ex aulicis illius dixit: Fruſtra tentas omnia, Chryſoſtomus enim nihil præter peccatum timet. Surius in Vita.

XI. De ſancto Ambroſio, Theodoſius Imperator dixit: Novi conſtantiam Ambroſii, & quod nullo Regiæ majeſtatis terrore divinam legem tranſgredietur. Theodor. l. 5. hiſt. c. 18.

XII. Sanctus Anſelmus Epiſcopus Cantuarienſis dicere ſolebat: Si hinc peccati horrorem, inde inferni dolorem corporaliter cernerem, & neceſſario uni immergi deberem, prius infernum, quam peccatum appeterem. Surius in Vita.

XIII. S. Edmundus Cantuarienſis Epiſcopus dicere ſolebat: Malo inſilire in rogum ardentiſſimum, quam in peccatum lethale conſentire. Ibid.

XIV. B. Catharina Genuenſis non valens ullo pacto Dei offenſam videre dixit Domino: Non detrecto, quin omnia Dæmonia, cum univerſis illorum terroribus, & ſuppliciis mihi morienti demonſtres, nihil enim illa facio cum intuitu offenſæ tuæ, licet minimæ, comparata: Quæ tamen non poteſt eſſe minima, eo quod tua celſiſſima Majeſtas offendatur. Vita c. 10.

Digitized by Google

Jouvit. in ejus vit. XV. S. Ludovicus Rex Galliæ cum ex Seneſcbalco Campaniæ quæſiviſſet, malletne lepra infici, an peccato? Iſque peccato ſe infici malle, reſpondiſſet, acriter eum objurgans Sanct. Ludovicus dixit: Toto cælo erras. Ecquæ enim lepra peccato fœdior, quod etiam poſt mortem affligit? Tu itaque, ſi me amas, eam mentem muta.

Fuga peccati venialis.

Manſi d. 1. n. 3. XVI. Florentiæ in Monaſterio S. Marci, quod eſt Ordinis Prædicatorum, duo erant hujus ejuſdem Ordinis Sacerdotes, quorum unus F. Zenobius Mediceus, alter vero F. Servantius Minus vocabatur. Convenerant iſti inter ſe, ut ſingulis quiſque noctibus, priuſquam ad Matutinas accederent, mutuo peccata confiterentur. At humani generis hoſtis tanti boni invidus, nocte quadam duas circiter horas, antequam conſuetum daretur ſignum, Zenobii cubiculum pulſat, inclamatque: Heus tu, ſurge, imminet hora. Hac voce experrectus ille, ſtatim lecto exiſiliens, ad Eccleſiam ſe confert, ibique ementitum Servantium reperit, prope ſedem deambulantem. Quamobrem Zenobius ratus, ipſum vere eſſe Servantium, ſupplex genuflectit, ut peccata confiteatur. Aſſidet Dæmon, & confeſſionem excipit, ad ſingulas tamen culpas, quas pœnitens confitebatur: Nil iſtud, nil culpæ, ajebat. Imo cum culpam ſibi graviorem viſam Zenobius ſubjungeret, ajebat itidem: Futilia ſunt iſta. Hæc audiens Zenobius, Satanæ laqueos veritus, Crucis ſigno ſe muniens, mendacii parentem ita compellat. Num tu Dæmon infernalis? Ad hæc is ſpe lucri fruſtratus, ignominiæ plenus evanuit. Nullus igitur, inquit Chryſoſt. ſe frivola illa ratione conſoletur, qua univerſa protervitas in animam introducitur; illa, inquam, ratione nullus utatur, dicens: Quid hoc eſt, aut illud? Mille certe hinc mala oriuntur. Veterator enim malorum diabolus cum ſit, magna malitia, multa opera, ingenti ſtudio, condeſcenſioneque, nonnulla ad perditionem hominum utitur. A minimis enim plerumque incipit, quod intueri hoc modo licet. Studebat in Pytoniſſæ nugas, ac deliramenta Saul Regem detrudere, ſed id ſi ab initio ſuaſiſſet, mentem ille non adhibuiſſet, quando enim id feciſſet, qui Pythoniſſas expellebat? Propterea ſenſim, & paulatim illum inducit; Nam quoniam Samueli non obtemperavit, & holocauſta illo abſente offerri præparavit, accuſatus ait: *Neceſſitas hoſtium facta eſt major*. Cumque flere oportuiſſet, quaſi nihil mali feciſſet, lætabatur. Juſſit rurſum nonnulla de Amalecitis Deus hæc quoque trangreſſus fuit. Hinc adverſus David inſanivit, & ſic paulatim labens, ad ipſum perditionis barathrum ſeipſum immiſit. Idque pariter in primo reprobo, Cain videlicet, exemplificat, quem aſtutus ille ſerpens ſenſim paulatim in magnum illud præcipitium deturbavit; Subdit enim ſimiliter etiam de Cain factum eſſe, videmus; non enim confeſtim cædem fratris ille ſuggeſſit, ne magnitudine rei commotus, tam ſceleſtum facinus abominaretur, ſed prius perſuaſit deteriora offerre, nullum eſſe id, dicens, peccatum; Deinde invidiæ veneno ſuccendit, nihil enim hinc mali ſecuturum, perſuadendo. Ita ſenſim in eum illapſus, ad cædem fratris, & ad negationem ſceleris impulit, nec prius ceſſavit, quam malorum omnium verticem impoſuit.

XVII. Quædam Monaſtici Ordinis Virgo, quæ pie admodum vixerat, veniens ad mortis horam, gravibus mentis anguſtiis, Deo permittente, purgari ante exitum debuit ab hac culpa, quod quandoque gratiam Sacramentalis Confeſſionis neglexerat; nonnumquam enim, cum aliæ ſociæ virgines ad Confeſſionem coram ſacerdote faciendam ſeſe præpararent, illa nullum in conſcientia ſua gravioris culpæ ſentiens remorſum, minime ſatagebat per verba Sacerdotis abſolvi, ſaltem a pulvere venialium culparum, ſine quibus humana vita non ducitur, ſed ſimulabat ſe interdum dormire, quando Sacerdos confeſſiones excepturus aderat. *Bloſius conſol. animi. c. 5. n. 2.*

XVIII. Refert S. Auguſtinus de Matre ſua S. Monica, quod, cum tenellæ etiamnum eſſet ætatis, ſurrepſerat ei vinolentia. Nam cum de more, tamquam puella ſobria, juberetur a parentibus, de cuppa vinum depromere, ſubmiſſo poculo, qua deſuper patet, priuſquam in lagunculam funderet merum, primoribus labris ſorbebat exiguum, quia non poterat amplius, ſenſu recuſante; Non enim ulla temulenta cupidine faciebat hoc, ſed quibuſdam ſuperfluentibus ætatis exceſſibus, qui ludicris motibus ebulliunt, & in puerilibus animis majorum pondere premi ſolent. Itaque ad illud modicum quotidiana modica addendo (quoniam qui modica ſpernit, paulatim decidit) in eam conſuetudinem lapſa erat, ut prope jam plenos mero caliculos inhians hauriret. *S. Aug. l. 9. conf. c. 18.*

XIX. In vita S. Pachomii ſcribitur, ſanctum hunc ſpiritus malignos in hiſce actionibus conſpexiſſe occupatos. Videbantur multo conſenſu concutere multa folia arboris, allatiſque funibus ea fortiter colligabant, utrinque autem ſtantes ſe invicem hortabantur trahere folia, tamquam maximum aliquem lapidem. Quoniam vero ſine ridiculam hanc actionem exercuerint, hiſtoria his verbis manifeſtat: Hoc vero faciebant, ſic exiſtimantes, cor ſancti ad riſum diſſolvere, ut vel in hoc poſſent de eo gloriari. *Surius 14. Maji.*

XX. Clericus Colonienſis Eccleſiæ vadum fluminis tranſibat, & ecce B. Severinus, ejuſdem Eccleſiæ nuper Epiſcopus, equi ejus habenas apprehendit, eumque retinens ſiſtit, cumque ille in ſtuporem verſus, & graviter admiratus, cur illic tam clarus, & tam celebris famæ vir moratur, inquireret: Da mihi, ait, manum tuam, & quæ circa me ſunt, non auditu diſce, ſed tactu: cumque datam manum fluctibus Epiſcopus impreſſiſſet: tantus eam ardor abſorbuit, ut undique carnes ejus reſolutæ diſfluerent, & oſſa nuda vix hærentibus articulis remanerent. Ad quem Clericus, Nomen, inquit, tuum in tan- *Petrus Dam. l. 7. ep. 15.*

Digitized by Google

tanta benedictione eſt apud nos, & fama tua conſonis totius Eccleſiæ præconiis cum celebretur, cur te peſtilens hæc vorago conſtringit, tantoque, proh dolor! incendio cruciaris? Ad quem ſanctus Epiſcopus: Nihil, ait: Aliud in me remanſit ultione plectendum, præter hoc tantum, quia cum in aula regia conſtitutus, Imperialibus me conſiliis vehementer implicui, Canonicæ Synaxis officia, per diſtincta horarum ſpatia non perſolvi. Mane quippe ſimul omnia coacervans, tota die negotiis ingruentibus ſecura libertate vacabam. Ob hanc itaque negligentiam horarum, ardoris hujus fero ſupplicium.

Surius in vit. Hug. XXI. Surius in vita Hugonis Abbatis Cluniacenſis, refert de Durando Archiepiſcopo Toletano (qui olim ejuſdem Ordinis Religioſus fuerat) quod, quia is ſibi mire in facetiis complacuerat; Ideoque ab eodem Hugone multoties fuerat correctus & monitus, quod niſi a ſimilibus ſe facetiis averteret, pro illis condignas poſt mortem pœnas eſſet daturus, ideo idipſum ei poſt mortem revera acciderit? Siquidem defunctus Durandus poſt aliquod tempus, cuidam monacho, cui Siguvinus nomen erat, apparuit præſeferens in facie os inflatum, & labia ulceribus plena, eumdemque rogavit, ut nomine ſuo Abbatem requireret, pro faciendis pro ſalute animæ ipſius acceleranda, orationibus: Quare dictus Abbas ſeptem præcepit Novitiis, ut ſeptem diebus continuis ſeſe per rigoroſum & indiſpenſabile mortificarent ſilentium, illudque in ſubſidium & favorem animæ dicti defuncti, Deo offerrent. Quia vero unus illorum ſeptem impoſitum ſibi mandatum tranſgreſſus fuerat, ideo Archiepiſcopus eidem apparuit, lamentando vehementer de Novitii illius innobedientia, utpote ob quam liberatio ejus etiamnum retardabatur; Mox vero ut præfata pœnitentia alteri impoſita, & ab eodem executioni mandata fuit, anima Archiepiſcopi in cælum feliciter evolavit.

Caſſian. collat. 2. c. 26. XVII. Abbas Paulus in tantum cordis puritate, quiete ſolitudinis, ſilentinque profecerat, ut ne dicam vultum fœmineum, ſed ne veſtimenta quidem ſexus illius conſpectui ſuo peteretur offerri; Nam cum eidem pergenti, ac eujuſdam ſenioris cellam una cum Abbate Archenio, ejuſdem ſolitudinis accola, caſu mulier obviaſſet, offenſus occurſus ejus, tanta fuga ad ſuum Monaſterium (prætermiſſo, quod arripuerat piæ viſitationis officio) recurrit, quanta nullus a facie leonis, vel immaniſſimi draconis aufugeret, ita ut ne memorati quidem Abbatis Archenii revocantis eum clamore, ac precibus flecteretur, ut ad requirendum ſenem, quemadmodum propoſuerat, cœpto itinere tenderent. Quod licet Zelo caſtitatis, & puritatis ardore ſit factum, tamen, quia non ſecundum ſcientiam præſumptum eſt, ſed in obſervantia diſciplinæ juſſæque diſtrictionis exceſſus eſt modus (non enim ſolam familiaritatem, quæ vere eſt noxia, fœminarum, ſed ipſam quoque figuram ſexus illius credidit execrandam) tali confeſtim correptione percuſſus eſt ejus univerſum corpus ut paralyſeos valetudine ſolveretur, nullumque in eo membrum penitus explere ſuum prævaleret officium; Siquidem non ſolum pedes ac manus, ſed etiam linguæ motus quo elocutio vocis exprimitur, Ipſæque aures ita auditus proprii amiſerant ſenſum, ut in eo nihil amplius ex homine, quam immobilis atque inſenſibilis figura remaneret. Eo autem redactus eſt, ut infirmitati ejus nullo modo virorum diligentia deſervire ſufficeret, niſi ſola ei mulieris ſedulitas miniſtraſſet, per annos ferme quatuor, ideſt, uſque ad vitæ ſuæ terminum.

XXIII. Abbas Moyſes, qui in deſerto commorabatur, cum ipſe ſingularis, & incomparabilis eſſet, ob reprehenſionem unius ſermonis, quem contra Abbatem Macharium diſputans paulo durius protulit, quadam ſcilicet opinione præventus, tam diro confeſtim traditus eſt dæmoni, ut humanas egeſtiones ore ſuo ſuppletas ingereret. Quod flagellum purgationis gratia ſe Dominus intuliſſe, ne ſcilicet in eo vel momentanei delicti macula reſideret, velocitate curationis ejus, atque auctore remedii demonſtravit. Nam continuo Abbate Machario in oratione ſubmiſſo, dicto citius nequam ſpiritus ab eo fugatus abſceſſit. *Id. c. 27.*

XXIV. S. Dorotheus illis, qui animam ſuam ſecure ſalvare ſerio contendunt, ſequens dedit ſaluberrimum documentum, videlicet illis valde cavenda eſſe prima peccati ſemina; Quod ſi tamen illis aliquis incaute, & inconſiderate patefactus eſſet aditus, ſubito extirpanda eſſe, ob ingens, quod ex iiſdem eis immineret alias, periculum; Hic ſtatim, niſi ſe revocet & reſipiſcat, ſenſim labitur: Idem quoque lapſum refert cujuſdam Monachi, qui Religioſum aliquem laudari audiens, eum deridendo contemnens, dicere ſolebat, neminem laude dignum eſſe præterquam Zoſimum, & Monaſterii ipſius fratres. Poſtea nec illos alicujus æſtimavit, aſſerendo neminem laudem mereri, præter Macharium. Paulo poſt vero dicebat: Et quis eſt Macharius? Nemo in pretio haberi meretur, quam ſolus Baſilius, & Gregorius. Nec multum præteribat temporis, cum ecce & hoſce contemnebat, dicendo, ſolos Apoſtolos Petrum & Paulum, paſſim ab omnibus in veneratione eſſe habendos. Cui ego prædixi, inquit ſanctus Dorothæus, quod & evenit, fore, ut hos quoque ſuo tempore cotemneret, quod ſane factum eſt; nam eos quoque ſprevit, & nullo habendos eſſe in pretio, præter Trinitatem aſſerere cœpit, ſtatimque in Deum quoque, factus inſolentior, exarſit, intumuit. Demum vero idem ſanctus Pater in hæc verba concludit: Nobis igitur luctandum eſt cum prima, ne in ſecundam paulatim labamur ſuperbiam. *S. Doroth. doct. 2.*

XXV. In vita S. Macarii Romani legitur, quod, cum in nuptiis ſuis, ad imitationem S. Alexii, eadem nocte, priuſquam conjugii frueretur fructibus, relicta poſt ſe ſponſa, ſecreto ſe, Angelo ſuo ſancto duce, in deſer- *Vit. PP. l. 1. c. 20.*

 tum

Digitized by Google

tum quoddam horridum contuliſſet, ad faciendam ibidem auſteriſſimam pœnitentiam, acciderit poſt aliquod tempus, quod graviſſime tentaretur a Diabolo, idque ſequenti adhibito ſtratagemate: Die quadam hora quaſi ſeptima (verba ſunt ipſiuſmet S. Macarii) e ſpelunca foras egreſſus, ſole ferveſcente reſedi, tunc ſubito ſubtile faſciolum, & oculis delectabile, juxta me in terra poſitum aſpexi. Ego vero in memetipſo cogitans, dixi? Unde in hac ſolitudine faſciolum? Æſtimans tamen, quia in veritate eſſet faſciolum, oblituſque ego miſerrimus me ſigno Crucis munire, (quoniam quidem ſacroſanctæ Crucis ſignaculum omnem inimici enervat phantaſiam) miſi manum, & levans faſciolum, reportavi in ſpeluncam. Ecce qualiter in hoc facto trangreſſum fuerit, licet ignoranter, illud S. Pauli conſilium: *Nolite locum dare Diabolo*. Hoc autem modicum lucratum pignus ei ſufficiebat, audenda circa ipſum majora, progrediendumque ulterius ad validiores ei tentationes inferendas; ſubdit enim idem S. Macarius: Altera nihilominus die egreſſus, calceos fœmineos reperi jacentes in terra, ſed nec tunc miſer ego inſidias Diaboli advertens, nec Crucis vexillo me muniens, calceos levavi; & in ſpeluncam portans, ſaſciolo junxi. Tertia autem jam die iterum exiens, Diabolum in decore, vel ſpecie mulieris, veſtibus pretioſis indutæ, ſtatim inveni: Ego vero miſerabilis, nec ſic quidem laqueos inimici recordans, nec aliquo modo me ſignans, ſed credens in veritate, quia mulier eſſet, ajo ad illam: Unde huc adveniſti? Aut quis te in hanc adducit ſolitudinem? Illa continuo flere amariſſime cœpit. Tunc ego miſellus ſimul cum illa veluti compatiendo, valde ploravi. Poſt hæc reſpondens dixit: Ego miſerrima, o Pater ſanctiſſime, filia ſum viri Romani, qui cum me invitam ac nolentem deſponſaſſet juveni cuidam nobiliſſimo Romano, ac dies nuptiarum venirent, & thalamum ac convivium ordinarent, inter nuptias ipſas ſponſus meus diſparuit. Cumque turbati omnes huc illucque eum inquirendo vagarentur, ego gaviſa effecta clam exivi, & noctu eadem iter arripiens, nec itineris ducem aliquo modo habens, per anguſta montium & vallium errando, huc uſque perveni. Hæc ego cum audiſſem, & omnia ita eſſe crediidiſſem, ſimul & ſponſam meam fore ſperans, per manus apprehendi illam, & in hanc introduxi ſpeluncam: Lacrymæ vero ab ejus oculis nullatenus ceſſabant. Tunc ego miſeriis, & lacrimis ejus compatiens, & valde ſuper eam dolens, ſedere eam juxta me feci, ſimiliter, & glandes illi ad manducandum præbui; Non enim inſidias Diaboli intellexi, neque ullatenus Crucis me ſigno munivi, ſed ſimiliter ſedentes diutius colloquia ſimul habuimus.

S. Hier. ep. 27. XXVI. S. Paula Romana levia peccata ita planxit, & deteſtata eſt; ut etiam graviſſimorum criminum ream diceres.

Teodor. ſeſſ. 4. XXVII. Euſebius quia ſub lectione ſacra oculos in campum conjecerat, lumbos zona ferrea conſtrinxit, & graviſſimum collare collo impoſuit, ut hoc modo inclinatus, cogeretur ſemper terram aſpicere; ſicque per quadraginta annos manſit.

XXVIII. De B. Maria Oegniacenſi Joannes de Vitriaco ſcripſit: Teſtem Deum invoco, me unquam in tota ejus vita vel converſatione, vel unum peccatum mortiferum potuiſſe deprehendere. Si quod autem veniale admiſiſſe videretur, cum tanto cordis dolore, cum tanta verecundia, & rubore, cum tanta contritione id confitebatur, ut præ nimio angore inſtar parturientis exclamare cogeretur. *Surius 21. Jun.*

Damnum peccati mortalis.

XXIX. Primi noſtri parentes, quia peccarunt, & ipſi Paradiſo ejecti, gratiaque originali privati ſunt, & omnes poſteros in eamdem miſeriam traxerunt. *Gen. 1.*

XXX. Filii Iſrael, quia fecerunt malum in conſpectu Domini, iratus eſt Dominus, & tradidit eos in manus diripientium, qui cœperunt eos, & vendiderunt hoſtibus. *Judic. 2.*

XXXI. Videns Deus, quod multa malitia eſſet in terra, & cuncta cogitatio hominis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum, quod hominem feciſſet in terra, & præcavens in futurum, & tactus dolore cordis intrinſecus, deleno, inquit, hominem, quem creavi, a facie terræ ab homine uſque ad animantia. *Geneſ. 6. v. 5.*

XXXII. Quia clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, peccatum eorum aggravatum eſt nimis, pluit Dominus ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur & ignem a Domino de cælo, & ſubvertit civitates has, & omnem circa regionem, & univerſos habitatores Urbium, & cuncta terræ virentia. *Gen. 19. v. 24.*

XXXIII. Anno 1506. Guntherus Henricii II. Cancellarius vidit in ſolio Majeſtatis ſuæ reſidere Deum, & elevato in altum brachio, diſtrictum gladium magno conatu vibrare & circumſtantibus dicere: Reddam ultionem hoſtibus meis, & his, qui oderunt me, retribuam. Quam viſionem protinus mors Principum regni ſecuta eſt. *Beirlin. in theat. vit. quæ l. P. fol. 147.*

XXXIV. Cum olim Metenſis Urbs a Chunis incendio vaſtata eſſet, Prior quidam S. Stephanum cum SS. Petro, & Paulo colloquentem, & talia dicentem audivit: Oro Domini mei, ut non permittatis Metenſem Urbem ab inimicis exuri; aut certe ſi aliter fieri non queat, ſaltem Oratorio, in quo reliquiæ meæ aſſervantur, parcatur. Cui illi reſponderunt: Vade in pace, Frater dilectiſſime, Oratorium tuum liberabitur ab incendio, pro Urbe vero non obtinemus, quia Dominicæ Sanctionis ſuper eam ſententia jam proceſſit; invaluit enim peccatum populi & clamor malitiæ eorum aſcendit coram Deo; ideoque incendio cremabitur. *Ibid. ex. Gregor. Tur. l. 2. hiſt. Fr. c. 6.*

XXXV. S. Simeon Stylita Edeſſenus ſolitus erat videre homines Angelis ſtipatos, ſed non eodem modo; Nam in gratia conſtitutis pone aſtabant, & tamquam fidi viarum duces lætabundi facem prælucebant: mortali ve- *Raderus in Virid. ſanct. p. 2. c. 2.*

ro

Digitized by Google

ro peccato obſtrictos circumſtantium Dæmonum conſtrictos vinculis, eminus ſequebantur illacrymantes.

Surius in vit. 23. Jul. XXXVI. S. Birgittæ Svecæ quondam apparuit Chriſtus totus ſanguine perfuſus, & ea ſpecie, qua olim crucifixus fuerat, dixitque: Intuere vulnera mea. Cumque illa illacrymans diceret: Heu, Domine mi, unde tibi hoc modo vulnera? Reſpondit ille: Ita me etiamnum vulnerant charitatis meæ contemptores.

Surius in vit. tom. 7. XXXVII. S. Coleta cum aliquando S. Dei Genitricem pro peccatoribus rogaret, iſta cum lance carnis, quaſi infantis recens occiſi fruſtis plena ſibi adſtantem vidit, & dicentem audivit: Qui vis, ut pro illis intercedam, qui peccatis Filium meum, quantum quidem ipſi poſſunt, ita, ut hic vides, in fruſta diſcerpunt?

Bovrie. to. 1. hiſt. ord. ann. 1513. XXXVIII P. Franciſcus Siacca Siculus Capuccinus Borcherii ditionis Siracuſanæ oppido, ad Concionem in peccatum lethale invectus, fœtorem illius, extinctæ recens lampadis nidori comparans, digitum in ardentem ante ſummum altare lampadem incendebat, quando illa ſubito, nulla cujuſdam opera interveniente, extincta tanto fœtore, tam putrido totum templum implevit, ut nemo eum ferre poſſet, omnes obturatas tenerent nares. Contra eodem mox hominis divina præditi gratia pulchritudinem ac ſuaveolentiam laudante, ac lampadi plenæ balſamo accenſæ comparante, eadem lucerna, ut ante ſua ſponte fuerat extincta, ita iterum ſponte accenſa, ex ſe gratiſſimum toti Concioni odorem aſpiravit. Credo, ut intelligerent homines, quam grata eſſet virtus Deo, tam eſſe illi peccatum abominabile.

Surius in vit. XXXIX. S. Catharina Senenſis, impudicæ ſecum loquentis mulieris fœtorem non tolerans, nares obturavit: Patri vero Raymundo, qui illi a Confeſſionibus erat, geſtum hunc admiranti, dixit, ſe, ni hoc feciſſet, præ animæ illius fœtore, fuiſſe vomituram.

V. Beda l. 3. hiſt. Angli. XL. Venerabilis Beda ſequentem refert viſionem de B. Furſco: Cum in altum eſſet elatus, juſſus eſt ab Angelis, qui eum ducebant, reſpicere in Mundum. At ille oculos in inferiora deflectens, vidit quaſi vallem tenebroſam ſubtus ſe in imo poſitam. Vidit & quatuor ignes in aere non multum ab invicem diſtantes, & interrogans Angelos, qui eſſent hi ignes, audivit hos eſſe ignes, qui Mundum ſuccendentes eſſent conſumpturi. Primum, ſcilicet eſſe mendacii, cum hoc, quod in Baptiſmo renuntiare nos Satanæ, & omnibus operibus ejus promiſimus, minime implemus. Secundum, cupiditatis, cum mundi divitias amori cæleſtium præponimus. Tertium, diſſenſionis, cum animas proximorum etiam in ſupervacuis rebus offendere non formidamus. Quartum, impietatis, cum infirmiores ſpoliare, & eis fraudem facere pro nihilo ducimus. Creſcentes vero paulatim ignes uſque ad invicem ſeſe extenderunt, atque in immenſam adunati ſunt flammam, cumque appropinquaſſent, pertimeſcens ille dixit Angelo: Domine, ecce ignis mihi appropinquat! At ille: quod non incendiſti, non ardebit te; Nam etſi terribilis & grandis rogus ille videatur, tamen juxta merita operum ſingulos examinat, quia uniuſcujuſque cupiditas in hoc igne ardebit; ſicut enim quis ardet in corpore per illicitam voluptatem, ita ſolutus corpore ardebit per debitam pœnam.

XLI. Decem Hæretici in urbe Argentina, quæ eſt Strasburg, comprehenſi ſunt, qui cum negarent, per judicium candentis ferri convicti, ſententia incendii ſunt damnati. *Cæſarius l. 3. c. 17.* Die ſtatuto, cum ducerentur ad ignem, quidam ex comitantibus uni illorum dicebat: Miſer, damnatus es, age vel nunc pœnitentiam, ne poſt incendia corporis, quæ momentanea ſunt, animam tuam ignis gehennalis æternaliter comburat. Cui cum ille diceret: Conſidero quidem me erraſſe, ſed timeo, pœnitentiam tantæ neceſſitatis minus acceptam eſſe Deo. Reſpondit alter: Ex corde tantum confitere: Deus eſt miſericors, & pœnitentem ſuſcipiet. Mira res; mox enim, ut homo confeſſus eſt perfidiam, manus ejus plenam recepit ſanitatem. Tardante in confeſſione, cum a Judice vocaretur ad pœnam, Confeſſor ejus judici reſpondit: Non juſtum eſt, ut homo innocens damnetur injuſte. In cujus manu, cum nullum veſtigium combuſtionis reperiretur, dimiſſus eſt. Habebat idem homo uxorem itidem hæreticam, non longe a civitate manentem, horum, quæ dicta ſunt, prorſus ignaram, ad quam, cum veniſſet gaudens, dixiſſetque: Benedictus Deus, qui me liberavit hodie ab interitu corporis & animæ, cauſam ei exponens, reſpondit illa: Quid feciſti, o miſerrime! quid exiſtis? ut quid propter momentaneum dolorem receſſiſti a fide tua ſana & ſancta? Immemor ille beneficii ſibi divinitus collati, immemor tam evidentis miraculi, conſilio uxoris acquievit, & errorem priſtinum reſumpſit. Deus vero non immemor vindictæ, pro tanta ingratitudine, manum plagavit utriuſque. Renovatum eſt incendium in manu hæretici, & quia conjux auctrix extitit reſumpti erroris, conſors facta eſt redivivi doloris. Tam vehemens erat incendium, ut oſſa manuum penetraret, & cum uti non auderent clamoribus in villa, quos vis extorſit doloris, fugerunt in nemus vicinum, illic, ut lupi ululantes. Quid verbis immorer? Proditi ſunt, in civitatem reducti ſunt, ſimulque in igne nondum plane extinctum miſſi, & in cinerem redacti.

XLII. Legitur de quadam Virgine, quæ diu caſte vixerat, & cum inſtigaretur a diabolo de luxuria ad experiendam delectationem ejus maximam, & quidem etiam vivens honeſte, nimis familiariter cum ea converſaretur, etiam tentatus eſt ipſe ad experiendam ejuſmodi delectationem. *ſ Ant. p. 4. tit. 14. n. 6. §. 7.* Demum victi a diabolo, commixti ſunt ſimul. Qua delectatione experta, ad tantam amaritudinem devenit, quod virginitatem amiſiſſet, propter vilem, & turpem, & momentaneam delectationem, quod pie amaritudine mortua eſt.

Digitized by Google

D. Ant. 4. p. ſur. ſum. tit. 24. c. 6. §. 1. XLIII. Cum Angelus tranſiret per eremum in forma hominis cum quodam ſancto eremita, obviam habuerunt qooddam cadaver hominis, & quia valde fœtebat, Eremita nares obturavit cum chlamyde ne fœtorem ſentiret. Angelus autem nihil tale egit: Poſtea obviam habentibus quendam pulchrum juvenem veſtibus ornatum redolentibus, Aogelus clauſit fortiter nares, eremita autem minime. Sed miratus de actu, quare nares obturaſſet juxta juveoem traoſiens, cum ita eſſet pulcher & redolens, non autem juxta illud cadaver ita marcidum & fœtidum, reſpondit: Tu cum ſis caro, ſentis fœtorem carnis: nos autem quia ſpiritus ſumus, ſentimus fœtorem ſpirituum qui procedit ex peccatis quorum juvenis ille laſcivus erat plenus, & ideo mihi fœtebat. Cum ergo Angeli boni ſint nobis amiciſſimi & ſocii, debemus peccata timere & cavere, ne iis abominabiles ſiamus.

Num. 11. XLIV. Filii Iſrael in Ægypto vix allia & cepas deguſtarunt, cum ſtatim lacrymæ per oculos defluxerunt; adhuc cibus erat in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.

Ex actiſ. Dan. St. XLV. Quomodo populus Conſtantinopolitanus, incendii cladem, peccatis id exigentibus e manibus Dei extorſerit, audiamus Marcellinum ita loquentem ex actis S. Danielis. Jampridem, (inqoit Auctor) principium habebat anni ambitus & menſis inſtabat, quem vocant Romani ſeptembrem, in quo magni martyris Mamantis feſtum pii celebrant; Veſpere ergo, quando feſtum a piis præparatur, & tota nocte agitur vigilia, finem accipit magni Danielis Profeta, & repente in maxima atque regia civitate incipit incendium: quod uſque adeo eſt exercitatum, & adeo invaluit, ut vere univerſam contriverit civitatem. Nam cœpit quidem a muro, qui eſt prope marc, quem etiam nominant navale; pervenit autem uſque ad forum Conſtantini, & pertigit ad portum Juliani, quaſi mediam cinxiſſet civitatem. Quo in loco & univerſa comprehenſa ſunt corpora, & quæcunque ſuere comprehenſa facile perierunt. Et ſic paſtus ignis in maximam crevit flammam: eratque malum inexpugnabile: quippe cum quicquid ad opem ſerendam afferebatur, argueretur nihil proficere. Quapropter multas quidem domos, molta autem templa, virorumque & mulierum proſerpit depaſcens multitudinem, multi vero partibus & membris corporis, quæ invaſerat ignis ſtatim mutilabantur, erantque ſemiuſtulati, & media parte cæſi miſerabiliores iis, qui omnino cum ſuis perierant.

Damnum peccati venialis.

Num. 20. v. 12. XLVI. Moyſes, quia cum modica dubitatione percuſſit Petram, audivit a Deo: Quia non credidiſti mihi, ut ſanctificares me coram filiis Iſrael, non introduces hos populos in terram, quam dabo eis.

2. Reg. 24. v. 15. XLVII. David quia populum ſuum numerari juſſit (in quo eum non niſi venialiter peccaſſe, plerique Authores putant) peſtilentia, quæ 7000. hominum abſtulit, caſtigatus eſt.

XLVIII. Ezechias quia Legatis Regis Babyloniorum theſauros ſuos oſtendit (quia in actione iterum veniale duntaxat culpam agnoſcunt probati Authores) audivit ab Iſaia: Audi ſermonem Domini: Ecce dies venieot, & auferentur omnia, quæ ſunt in domo tua, & quæ condiderunt Patres tui uſque in diem hanc in Babylonem: non remanebit quicquam, ait Dominus. Sed & de filiis tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, & erunt Eunuchi in Palatio Regis Babylonis. *4. Reg. 20.*

XLIX. Pueri, qui tranſuentem Eliſæum irriſerunt, dicentes: Aſcende calve: egreſſi ſunt duo urſi de ſaltu, & omnes quadraginta duos lacerarunt, licet venialiter tantum ob imperfectum rationis uſum peccarint. *4. Reg. 2. v. 23.*

L. Ananias, & Sapphira ob mendacium (quod docti viri, teſte Lancizlo, veniale tantum ſuiſſe putant) ſubitanea morte puniti ſunt. Unde S. Auguſtinus ibidem citatus ait, eorum peccatum per mortem corporalem extinctum ſuiſſe. *Actor. 5. Lancic. op. 16. c. 10. n. 191.*

LI. Cellarius quidam ex Monaſterio S. Rufi prope Valentiam poſt mortem quæſitus, cur ſic in Monaſterio tumultuaretur? reſpondit, ſe integro anno graviſſimas in Purgatorio pœnas luiſſe, quod aliquoties ob nimias occupationes Pſalmum *Laudate* loco Pſalmi *Miſerere* in gratiarum actione poſt menſam facienda dixiſſet. Vide plura in tit. Purgatorium. *Id. c. 11. n. 19°.*

LII. Laurentius Surius in vita S. Macarii Alexandrini refert, quod eidem nocte quadam io cella ſua quieſcenti, veſpa quædam ejus momorderit pedem, propter quod ipſe iratus veſpam occidit. Ad ſe vero reverſus, ut errorem emendaret commiſſum, ſemetipſum hac pœna mulctavit, ut ſcilicet per ſex menſes continuos, in agris Scythicis, in quibus circumvagantium veſparum non eſt numerus, nudus perſiſtens ab iiſdem eouſque transfigeretur aculeis, morſibuſque infeſtaretor, donec quis eſſet, dignoſci, niſi ex ſola voce, non poſſet. *Sur. in vit.*

LIII. In vita S. Antonini Archiepiſcopi Florentini refertur, quod aliquando temporis injuriis, & moleſtiis aliquamdiu infeſtatus, tamdem in verba impatientiæ proruperit, dicendo: Quouſque igitur hoc triſte, & moleſtum tempus durabit? Poſtea vero conſiderans, quod hac in re voluntatem ſuam divino non conformaſſet beneplacito, primo quidem erroris ſe commiſſi, a Deo humiliter poſtularit veniam, poſtea vero ad culpam hanc in ſeipſum caſtigandam, gravi quadam corpus ſuum accinxerit catena, eamque ſera aliqua clauſerit, clavem vero feræ illius, ne eam aperire poſſet, in Arnum Florentiam perlabentem fluvium conjecerit. Tandem vero poſt integrum elapſum ſeptennium, dum in culina ejus piſcis quidem exenteraretur, clavicula prædicta in piſcis hujus viſceribus inventa, ſancto Archiepiſcopo allata fuerit; qui cum claviculam hanc, illam ipſam eſſe agnoſceret, quam ipſe anta ſeptem annos in Arnum fluvium conjecerat, exinde conjecit, Deum hanc clavem ei remiſiſſe, ut illa mediante catenam ſnam diſſolveret, ac proinde illam *In vit.*

ape-

Digitized by Google

aperuit, & licet invitus a ſe abjecit, videbatur enim ei, quod pro culpa hac, licet veniali, noodum ſufficientem ſuſtinuiſſet pœnitentiam.

Sur. in vit. S. Pacom. LIV. Cum S. Pachomius in loco quidam ſui Monaſterii una cum multis aliis Monachis conſideret, quidam ejuſdem Monaſterii ſui religioſus, parvulas quaſdam ſtoreas, quas ea die contexuerat, ante cellam ex oppoſito loci illius, ubi Pachomius ſedebat, ſituatam collocarit, ut ab illis ſtoreas illas videntibus, tamquam aſſiduus, ſollicitus, & induſtrius laborator laudem reportaret; ſiquidem Regula Pachomii unicam ſolummodo per diem ſtoream confici præcipiebat. Cognovit igitur vir ſanctus laborem Monachi illius non alio fine ab eo factum fuiſſe, quam ut vanam ab aliis gloriam aucuparetur, ad circumſtantes itaque ſe vertens gemebundus dixit; Monachus ille in ſuo peracto labore mundi potius, quam Dei gloriam quæſivit: cui proinde ad ſe accerſito, poſt aſperam reprehenſionem, hanc injunxit pœnitentiam videlicet ut coram aliis Monachis, ad orationem faciendam congregatis, ipſe in medium illorum prodiret, & duas in humeris ſuis ſtoreas ferens, alta voce clamaret dicens: Patres, fratreſque mei chariſſimi, propter amorem Dei, enixe vos obteſtor, ut pro me Deum exoretis, qui duas haſce ſtoreas pluris æſtimavi, quam regnum cœlorum. Neque hic terminabitur injuncta ei pœnitentia, verum inſuper in anguſta quadam cella quinque menſium ſpatio recludi fecit, non permittendo, ut a quopiam hominum viſitaretur, & præterquam quod ſolo pane, & aqua illum ſuſtentarent, inſuper eum ad faciendas quotidie duas ſtoreas, nemini ad oſtentationem exhibendas, ſerio obſtrinxit.

Id. 15. Sept. 22. LV. Cum S. Aicardus Abbas in negotiis Monaſterii ſui occupatus, inadvertenter in die feſto accito tonſore capillos capitis forcipe ſibi æquari juſſiſſet, vidit, cum hoc ageretur, humanæ ſalutis adverſarium, quam promptus ſit ad nocendum, quomodo de noſtris offenſionibus exultet. Nam ecce diabolus intra tenebroſum cellæ angulum ſe continebat, nefandam cautionem in manibus tenens, & ſemper, ut attonſa coma deorſum influebat; ipſe colligere, & in numerum capillaturam omnem redigere videbatur. Res tremenda & ſollicite penſanda, (ſubjongit hiſtoria:) Cum enim ſanctus vir Dei dæmonem reprehendiſſet, eique temerarium auſum ſuum improperaſſet, reſpondit dæmon: Meum eſt officium, ſervorum Dei habitacula reviſere; & offenſas ſingulorum Breviario meo adnotare, & ſic Principi noſtro referre, ne ad concilium ipſius revertentem vacuum, ſupliciis durioribus jubeat excruciari. Nam hujus miniſterii ſors mihi de te ſingularem hodie palmam ad Principem meum obtinebit, dum te Dominicæ noctis feſtivum tempus illicito opere tranſgredi renuntio. Minime a tonſione, minime (inquam) ceſſa, ut de numero capillorum noſtræ cautionis abacus accumuletur.

Relapſus in Peccatum.

LVI. Pharao, qui poſt tot acceptas plagas non reſipuit, ſed in antiqua obſtinatione permanſit, cum toto ſuo exercitu in mari rubro ſubmerſus eſt. *Exod. 15.*

LVII. Canonicus quidam lubricus cum per S. Franciſcum a gravi infirmitate ſigno crucis curatus eſſet, admonitus tamen, ut ad vomitum non rediret, paulo poſt repetens antiquam libidinem, in domo alterius Canonici, domo tota corruente, omnibus aliis illæſis, ſolus oppreſſus eſt. *S. Bon. in Vit. S. Franc. c. 11.*

LVIII. Thomas Cantipratanus ſcribit, quod, cum quemdam ad ſe cum Sacerdote venientem, & conſuetudini malæ obnoxium, ſæpiuſque a ſe abſolutum ad Epiſcopum mittere vellet, Sacerdos eum rogarit, ut eum hac conditione adhuc abſolveret, ut ipſe pœnitens flexis genibus rogaret Deum, ut, ſi denuo in antiquum ſcelus recideret, eum mox divina vindicta ſequeretur. Abſolutus ergo cum tali pacto receſſit, ſed paulo poſt iterum lapſus horrenda voce clamavit: Vindicta Dei ſuper me, amariſſimaque morte mulctatus expiravit. *Thomas Cantipr. l. 2. c. 30.*

LVIX. Cum S. Anſelmus puerum cum avicula ludentem, & mox cum vinculo dimitentem, mox retrahentem vidiſſet, ad ſocios converſus, ſic inquiebat: Cum peccatoribus diabolus ludit; modo enim eos ad confeſſionem quaſi liberos dimittit, modo per conſuetudinis vinculum in antiquam captivitatem retrahit, ac reducit. *Sur. 21. April.*

§. VI. EXEMPLA DOMESTICA.

Fuga.

I. S. Ignatius rogatus a P. Brandano Luſitano, quomodo Scholaſtici Societatis peccata venialia confiteri deberent? reſpondit, hominem etiam de minimis peccatis confundi debere in præſentia divina, ſi pura conſcientia gaudere velit; eo quod objectum, contra quod ſunt peccata venialia, ſit infinitum, atque adeo etiam in infinitum aggravet. *Lancic. op. 10. n. 8.*

II. De B. Aloyſio P. Ferdinandus Paterno teſtatus eſt, dum ejus Confeſſarius eſſet in curia Regis Hiſpaniæ, per quinque, aut ſex annos ſæpe nec materiam abſolutionis inveniſſe, idque non ex defectu ſolertiæ aut judicii accidiſſe, quia etiam ab ea ætate elucebat in eo prudentia, & maturitas ſenilis in moribus. Idem poſtea de eodem etiam in Societate exiſtente P. Hieronymus Natalis teſtatus eſt, cum dixit, ſe in confeſſione generali ſex meoſium materiam capacem abſolutionis non reperiſſe. *Id. n. 266. ex proceſſu Can.* *Ib. n. 164. 2.*

III. De S. Franciſco Xaverio Vicarios S. Thomæ jorejurando teſtatus eſt, ſe, dum confeſſiones illius per hyemem excepiſſet, non inveniſſe peccatum veniale, quo Deus offendi potuiſſet.

IV. De B. Staniſlao Koſtka P. Alphonſus Ruiz, qui totius vitæ confeſſionem exceperat, poſt mortem publice edixit, eum tota vita, quæ fuit novemdecim annorum, peccatum

 mor-

Digitized by Google

mortale nullum, & venialia valde pauca commiſiſſe.

Lanciz. op. 3. n. 32. V. Cardinalis Bellarminus paulo ante mortem ſincere faſſus eſt, ſe tota vita ſua, quæ fuit ſeptuaginta novem annorum, numquam deliberate peccaſſe. Sed & P. Fuligatus in ejus vita ſcribit, ſe interdum per octo dies non inveniſſe in ejus confeſſione ullum peccatum.

Vit. c. 34. lb. n. 32. VI. P. Ludovicus de Ponte voto ſe obligavit, numquam deliberate offendendi Deum, hoc autem perfecte ab eo ſervatum fuiſſe juratus aſſeruit P. Petrus de Sandoval, qui per viginti annos confeſſiones ejus exceperat.

Litt. Peruan de viris illustr. VII. P. Jacobus Alvarez vinginti ſex annis ante mortem voto ſe aſtrinxit, ſe nullum peccatum veniale ſcienter admiſſurum, idque ſervatum litteræ Peruanæ teſtantur.

Vit. c. 32. VIII. P. Edmundus Campianus tam teneræ erat conſcientiæ, ut ſæpe a ſuo Confeſſario ad ſacrum faciendum ſine abſolutione dimiſſus fuerit.

Lanciz. op. 16. n. 267. IX. De P. Bernardino Realino P. Annibal Vitalis juratus edixit, ſe per quindecim annos in ejus confeſſionibus, ne unum quidem peccatum voluntarium reperiſſe.

Id. opu. 1. n. 32. X. P. Martinus Polorius operarius indefeſſus toto anno quo Sanctus Nicolaus Lancizius ejus confeſſiones exceperat, ne unicum quidem veniale minimum attulerat, etiamſi conſcientiam ſuam accuratiſſime diſcutere conſueverit.

Id. op. 26. n. 269. XI. Alphonſus Rodriquez, & ſi per quadraginta annos Janitoris fungebatur officio, ordinarie tamen in confeſſionibus materiam abſolutionis non afferebat. Eumdem cum S. Franciſcus cum Chriſto apparens quæreret, cur fleret? reſpondit ille: Cur non fleam, perſpectam habens gravitatem meorum peccatorum, quandoquidem unum peccatum veniale contra Deum commiſſum meretur, ut tota vita defleatur.

Vit. l. 3. c. 9. XII. Cum S. Ignatio quondam objiceretur, operam in curandis meretricibus fruſtraneam eſſe, eo quod illæ mox ad vomitum redituræ eſſent, reſpondit ille: Minime ſane. Sed ſi omnibus vitæ meæ curis atque laboribus id poſſim efficere, ut vel unam noctem aliqua iſtarum peccato abſtinere velit, omnes ego quidem nervos contendam, ut vel exiguo illo tempore Deus non offendatur.

Damnum.

Nieremb. doct. aſc. f. 199. XIII. P. Chriſtophorus Ortizius Vir Apoſtolicus, quia Superior Reſidentiæ deſignatus non prompte obedivit, fulmine ictus interiit; licet Deus gloriam ſervi ſui multis prodigiis illuſtraverit.

Ann. Ingolſt. 1618. XIV. P. Jacobo Rhem quondam unus e Societate in ſordida veſte, & forma apparens, cauſamque purgatorii rogatus reſpondit, non aliam eſſe, quam quod ſæpius ſine facultate ſe ipſum flagris caſtigaſſet.

Ann. neapol. 1605. XV. Quidam Theologiæ Studioſus prope Neapolim mortuus cuidam ſocio ſuo apparens dixit, ſe in purgatorio graviter cruciatum eſſe, quod aliquando ſub ſacro aliquantulum confabulati, nec confeſſi eſſent, ipſe prout adhuc iſtud peccatum confiteretur.

§. VII. EXEMPLA PROFANA.

I. PApinianus Jureconſultus, cum ab Antonino Caracalla Imperatore parricidium fratris ſui Gethæ approbare juſſus eſt, tam conſtanter id recuſavit, ut etiam mortem ea de cauſa oppetere non dubitarit. *Ælius Spartan. in Caracalla.*

II. Democles puer formoſus cum lavandi corporis cauſa balneum fuiſſet ingreſſus, idque Rex Demetrius, eum ſecutus abuti vellet, præcluſo omni effugio in ahenum aqua fervente plenum inſiluit, mori malens, quam peccato tali contaminari. *Plutarch. in Vita Demet.*

III. Philoſophus quidam dixiſſe fertur, ſe, ſi ſciret, Deum ſibi peccatum admiſſurum, & illud homines ignoraturos, nihilominus ob ſolam peccati turpitudinem iſtud ſtudioſiſſime declinaturum. *Plato.*

§. VIII. SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. SIcut elementum in loco ſuo naturali non gravat, ſecus vero ſi extra illum reperiatur; ſic peccatum adhuc in voluntate, & affectu manens non gravat, aut angit; ſecus vero, ſi affectus fuerit depoſitus. *Stapl. text. 6. in Dom. 11. poſt. Pent.*

II. Sicut lignum, fœnum, & ſtipula congregantur in domo, & non pertinent ad ſubſtantiam ædificii, & poſſunt comburi, ædificio manente; ita etiam peccata venialia multiplicantur in homine, manente ſpirituali ædificio, & pro iſtis patitur ignem vel temporalis tribulationis in hac vita, vel purgatorii poſt hanc vitam, & tamen conſequitur vitam æternam. *S. Th. p. 2. q. 89.*

III. Sicut in humana Republica ſunt aliquæ leges, ſine quorum obſervatione omnino ſtare non poteſt, quas præterire graviſſimum eſſe cognoſcitur; aliæ vero optimæ gubernationi conducibiles, quas tranſgredi leve, & non magoi momenti, judicatur; ita in regno Dei quædam ſunt leges, ex quarum cuſtodia charitas, & animæ vita dependent; aliæ vero ſine quarum obſervatione charitas, & ſpiritualis vita adhuc ſtare poteſt; & illarum tranſgreſſio, peccata mortalia; iſtarum vero, peccata levia & venialia conſtituit. Et ſicut inter homines, licet quælibet offenſa amicitiam aliquo modo lædat, non tamen offenſa levis amicitiam diſſolvit, nec amicum a participatione bonorum amici omnino rejicit, ſed aliqua levi ſatisfactione remittitur; eodem prorſus modo leves offenſæ adverſus Deum, quas homines ex humana fragilitate committunt, contractæ per charitatem, & gratiam, amicitiam non auferunt, atque ideo nec animam interficiunt, nec regnum illi cæleſte claudunt. Diſtinctiones porro, quas inter tranſgreſſionem mortiferam, & levem, aſſignat, ſunt hæ ſequentes: Peccatum mortale charitatem & gratiam tollit: veniale ſervata charitate, ejus fervorem extinguit. Illud præfert creaturam Deo: quia ob amorem creaturæ, Deum deſerit: iſtud non præfert, quia licet ſe ad creaturam inclinet, non tamen Deum propter illam derelinquit. Illud conſtituit ul- *Alvar. lo. 2. l. p. 1. c. 1.*

timum

Digitized by Google

timum finem in creatura, quia ab ultimo, propter quem creati ſumus, ſine recedit: iſtud non ponit finem in creatura, quia gratiæ decorem, & charitatis pulchritudinem, qua homo, tamquam in finem, tendit in Deum, non amittit. Illud animam interficit; iſtud fædat. Quare Gregorius dixit: In peccatorum & criminum diſtinctione penſandum eſt, quia nonnulla peccata animam polluunt, quam crimina extinguunt.

S. Greg. l. 2. mor. c. 9.

S. Th. l. c.

IV. Sicut in corpore eſt duplex nitor, unus quidem ex intrinſeca diſpoſitione membrorum, & coloris, alius autem ex exteriori claritate ſuperveniente: ita etiam in anima eſt duplex nitor: Unus quidem habitualis, quaſi intrinſecus: Alius autem actualis, quaſi exterior fulgor. Peccatum autem veniale impedit quidem nitorem actualem, non tamen habitualem, quia non excludit, neque diminuit habitum charitatis, & aliarum virtutum, ſed ſolum impedit earum actum.

S. Ber. de tripl. bono.

V. Sicut corporis natura eſt ſanitas; ita cordis natura eſt puritas; quia turbato oculo non videbitur Deus, & cor humanum ad hoc factum eſt, ut ſuum videat Creatorem. Si vero ſanitatis corporis ſollicita eſt providenda cuſtodia, puritati cordis tanto ſollicitior eſt impendenda, quanto pars iſta dignior illa eſſe convincitur.

Manſi diſ. 71. n. 3.

VI. Non eſt verus amicus, qui deliberate vellet amico infligere vulnus leve, etſi non lethale; imo, ſi quis non vellet adhibere curam, ne offendat Deum venialiter, hoc ipſo convinceretur, non eſſe amicus Dei.

Fuga.

Stapl. tom. 1. in Dom. 3. Quad.

VII. Sicut ſi ſeptem latrones domum tuam ingreſſi fuiſſent, & ſex ejeciſſes, non quieſceres, donec etiam ſeptimum ejiceres: ita non contenti eſſe debemus, ut unum dumtaxat alterumve peccatum animo ejiciamus, ſed omnia extirpanda ſunt.

Lanciz. opuſc. 16. n. 71.

VIII. Sicut ſi Mercator haberet famulum, quem adverteret fuiſſe cauſam, ne quotidie centum millia ducatorum lucratus fuerit, eum utique domo expelleret, nec unquam amplius admitteret; ita cum ſciamus, quod per peccatum ab inexplicabili lucro gratiæ, & gloriæ cæleſtis impediti fuerimus, merito id a nobis expellere, & numquam amplius admittere deberemus.

Damnum & qualitas peccati mortalis.

Manſi diſ. 2. n. 8.

IX. Sicut piſces in lacubus ſeu vivariis gelu rigidiſſimo obductis, nihil patiuntur, ſed ſunt veluti inſenſibiles, qui tamen tunc vel maxime moveri, & agitari incipiunt; quando torrendi ſuper prunis ardentibus in craticulis hærent; ita quoque multis accidit reprobis, in piſcibus præſignatis (quos Deus a ſacrificiis ſuis proſcripſit:) dum enim in hac mortali vita deguntin terris inſenſati, ac proinde in libro ſapientiæ ipſimet dicent: *Nos inſenſati* &c. ad minas, ad correctiones, denique ad flagella & ſupplicia iræ Dei nequicquam moventur, ſolum quando jam in limine inferni ſe poſitos eſſe conſpiciunt, ad Deum ſe convertere nituntur, ſed ſerius, & ſine ullo fructu.

S. Anton. l. c. n. 9. §. 6.

X. Sicut qui carcerem inhabitant, ſemper quidem in anxietate ac doloribus ſunt, ſed maxime eo die quo ſunt educendi, & ad ipſas fores judicantis ducendi, & ante cancellos ſtantes, judicantiſque vocem intus audientes, metu ſuffocantur, & nihilo meliori ſunt ſpecie, quam mortui; ſic & anima ipſo quidem peccati tempore maxime affligitur, & premitur, ſed multo magis, quando hinc avulſa, ad rationes illic reddendas, & ad terribile illud judicium adduci debet.

Id. p. 2. tit. 2. c. 8.

XI. Sicut ſi liber homo ambulans per viam, juxta quam eſt ſovea profundiſſima, projiceret ſe in eam, non eſt liber ad exeundum niſi alterius adjutorio; ita & in ſoveam peccati, quod ad infernum ducit, liber eſt quilibet per ſe ad intrandum, ſed non ad exeundum, niſi Deus porrigat ei magnum gratiæ, quod agnoſcens David Pſal. 143. dicebat: *Emitte manum tuam de alto, libera me & eripe me de aquis multis*, ſcilicet vitiorum, *quia ſcilicet per me non valeo.*

Manſi diſ. 12. n. 4.

XII. Sicut ſi miles aliquis ex omni parte bene ſit munitus, ſi tamen ex una fuerit nudus, & in ea parte lethaliter ſaucietur, ſic cadit, quemadmodum ſi totus fuiſſet nudus; ſic & Chriſtianus, ſi juſtitiam fecerit, & in uno peccaverit, ſimiliter peccator ſtatuitur, quemadmodum ſi ſemper peccaſſet.

Dionyſ. Cart. a. 12. de enorm. pec.

XIII. Sicut in inferno ſunt ignis, & frigus, fœtor, caligo, vermis, confuſio, ſitis &c. ita in peccatore eſt ignis iræ, impatientiæ, avaritiæ, frigus invidiæ, fœtor luxuriæ, vermis conſcientiæ, ſitis concupiſcentiæ, inordinatio, atque perverſitas animi, deteſtatioque virtutum.

B. Jord. apu. Bolland. 13. Febr.

XIV. Sicut ſi quis veniens ad portam iſtam, videret unum ſcholarem, ſedentem in porta, ſimiliter cras, ſimiliter multis diebus, non ne de facili cogitaret: Iſte Scholaris intrabit ordinem? Quomodo ergo non credibile, quod illi intrent in infernum, qui tamdiu ſedent ad portam inferni.

Diadacus Stella in c. 12. Luc. S. Baſil. ap. Beirl. in Theat. V. pecc. fol. 252.

XV. Sicut multi adverſus viduam inſurgere ſolent, quia neminem habet, qui ſuas partes poſſit defendere; ita omnes dæmones, & omnes creaturæ inſurgunt adverſus animam, Dei præſidio & auxilio deſtitutam; unde Regius vates: *Qui quærebant animam meam, conſilium fecerunt in unum, dicentes: Deus dereliquit eum; comprehendite, quia non eſt, qui eripiat.*

Pſ. 70. 11. Idem.

XVI. Sicut in diſceſſu Regis omnes, qui ſunt in curia, abeunt; ita cum Deus diſcedit ab anima, omnia bona opera, quæ peccator in ſtatu gratiæ eſt operatus, amittit, & nullius ſunt valoris.

Dion. Carth. a. 25. de enorm. pec.

XVII. Sicut virtutes, ac dona Spiritus Sancti, vires animæ reddunt ad bene agendum expeditas, ac faciles, a ratione quoque, & Spiritu Sancto bene prompteque mobiles; ſic peccata & habitu vitioſi vires prætatas a bonis retardant, ad bona agenda infirmas efficiunt, ad mala pronas conſtituunt, ad diabolicum inſtinctum, paſſionumque impetum aſſequendum, faciles reddunt.

S. Anton. p. 2. tit. 7. c. 1.

XVIII. Sicut corpus mortuum non poteſt ali-

Digitized by Google

aliquem juvare, nec ab aliquo juvari; ita mortuus per peccatum in anima, non eſt capax operis boni, quod fit pro eo, in quantum eſt ipſum ſatisfactivum; nec per ſe ſatisfacere poteſt per opera, quantumcumque pœnalia, ut jejunia, peregrinationes, & eleemoſynas, & hujuſmodi; Peccator enim inimicus Dei conſtituitur propter offenſam commiſſam. Durante ergo inimicitia, non acceptat Deus aliquam ſatisfactionem, cum deficiat amicitia: qua acceptatur.

Jac. Alv. t.1. proœ. XIX. Sicut ægrotus cibos dulciſſimos, & opiparos averſatur, non quia illi amari ſint, ſed quia ejus palato humoribus noxiis infecto, amari videntur; ita homo peccati tabe corruptus, & prope exanimis effectus, virtutem ori non admovet, non quia illa ſit injucunda, ſed quia palatum animæ, perditis moribus, quaſi malis humoribus vitiatum, ejus ſuavitatem non valet percipere.

S. Bern. t. 2. ſer. 12. n. 3. c. 4. XX. Sicut ſi quis in aliqua domo haberet perpetuum cenſum, qui illam irreparabiliter deſtrueret domum, non ſolum unius anni cenſum, ſed infinitorum annorum cenſus eidem auferret; ſic & qui ſe ipſum irreparabiliter deſtruit, non unius diei ſervitium ſolum ſibi aufert, ſed totius futuræ perpetuitatis innumerabilia, infinitaque ſervitia; Non enim ſola præſentis temporis ſervitia Deo debentur; ſed etiam futura, quæ tanto præſtantiora ſunt præſentibus, quantum gratiam gloria antecellit.

Author. oper. imp. ho. 24. XXI. Sicut, qui ſuſcipiunt jugum Chriſti, Chriſtus eos delectat in ſpiritu, ne fatigentur in bonis operibus; ſic & qui jugum ſuſcipiunt diaboli, diabolus, eos delectat, & decipit, ne diſcedant a malo impii uſque ad mortem ſuam.

S. Hieron. ap. Manſi diſ. 25. n. 6. XXII. Sicut mare fervens quieſcere non poteſt, ſed redundant fluctus ejus, & revolvuntur ad littora, atque iterum reſorbentur, & in ſe fracti lutum efficiunt: quod pedibus conculcatur; ſic impii æternæ conculcationi ſubjacebunt, quorum nullum eſt gaudium, qui & nulla pace requiſcunt, in eo quod impii perſeverant.

S. Chryſ. ho. 2. in Matt. XXIII. Sicut videmus oculos corporis, cum in fumo forte remorantur, lacrymas ſemper effundere; ſi vero potiantur aere purgato, & florentibus pratis, & hortis virentibus, & fontibus inter amœna fluentibus, & ſaniores eſſe, multoque majori aciei fulgore rutilare; Talis profecto eſt, & mentis oculus, ſi in pratis ſpiritualis paſcatur eloquii, erit totus ſine dubio purus, ac lucidus, & acutius cuncta perluſtrans; ſi vero in fumum ſæcularium negotiorum fuerit ingreſſus, ad innumera prorſus mala lacrymabitur, & flebit, & in hoc quidem ſæculo, ſed multo amarius in futuro; Fumo enim ſunt humana negotia comparanda: Propterea & Ille ait: *Defecerunt ſicut fumus dies mei*.

Berchor. v. peccat. XXIV. Sicut ſcorpio facie lambit, & cauda pungit: ſic peccatum in principio per tentationem allicit, & ultimo per mortem æternam officit. Ideo dicebat David: *Non eſt pax oſſibus meis a facie peccatorum meorum*.

Jac. Alv. to. 2. l. p. 2. ſ. 4. XXV. Sicut qui congereret guttulam mellis in magnum vas fellis, & abſynthii injectam ad potandum, non dulcedinem, ſed amarorem ſentiret; Ita qui modicam, & umbratilem peccati dulcedinem, tot angoribus, & conſcientiæ accuſationibus circumdata bibit, concupitam ſuavitatem experiri non valet.

XXVI. Sicut is, qui bibit, in actuali intemperantia ſua nihil aliud ſentit, præterquam guſtum vini, & ſaporem illius, poſtea vero peregrinos ebrietatis experitur effectus, propter damnum, quod animæ & corpori adfert; eodem modo quoad peccatum accidere ſolet, dum enim committitur, magnam ſenſualitati, & inordinato appetitui præbet ſatisfactionem, mox vero ut patratum eſt peccatum, acerbiſſimum peccator experitur remorſum; quia peccatum noſtrum contra nos eſt ſemper. *Manſi diſ. 20. n.*

XXVII. Sicut mulier ad tempus quidem diſſimulare poteſt, ſed tandem parturiendo, doloribus atteſtantibus, occulta prodit; ſic quiſquis ejuſmodi eſt, peccatum ſuum utcumque diſſimulare ad tempus, & abſcondere poteſt; ſed in tempore ſuo cuncta cordis ejus occulta cum dolore manifeſtabuntur; juxta illud: *Nihil opertum, quod non reveletur, neque occultum, quod non ſciatur*. *Rupert. Abb. l. 6. in Oſee.*

XXVIII. Sicut eſca in hamo decipit piſcem; ſic peccatum fallit peccantem, quia dum vane impieque delectat, ad triſtitiam ſempiternam perducit. *Dion. Carth. de enorm. pecc. c. 18.*

XXIX. Sicut fumus apes fugat, & fœdus odor columbas expellit; ita Angelum vitæ noſtræ cuſtodem abigit, multa lacrymarum aſpergine dignum, ac graveolens peccatum. *S. Baſil. in Pſ. 33.*

XXX. Sicut columba accipitrem fugiens, mutat ſemper locum, ipſiſque etiam vepribus ac ſpinis ſe immergit, nec tamen ſic evadit, ſed fatigata hoſti in prædam cedit; ſic peccatores undique urget conſcientiæ, & gehennæ metus, nec tamen illum evadunt. Unde dicere coguntur cum Davide: Cor meum conturbatum eſt in me, & formido mortis cecidit ſuper me. *Stapl. ser. 3. in Do. 7. poſt. Pent.*

XXXI. Sicut pater familias furem ſua diligentia jam non valentem fugere, ſinit plura furari, ut comprehenſum evidentius de furto convincat, & ſeverius puniat; ita Deus peccatorem ſinit in plura peccata labi, ut gravius poſtea caſtigetur. *Jac. Alv. to. 2. l. 1. p. 2. c. 4.*

XXXII. Sicut ſi homo aliquis per terram extenſus geſtaret pondus ingentis turris aut rupis, etiamſi omnes ei voluptates offerrentur, nihil ſolatii inde perciperet, donec pondus amotum eſſet; ita nec homo, cui immenſum pondus peccati incumbit, ſolidam conſolationem percipere poterit, donec pondus hoc ablatum fuerit. *Arriag. de gravitate pec. c. 38.*

Damnum peccati venialis.

XXXIII. Sicut hortus, licet quoad omnia bene excultus ſit, tamen vel a modica aqua illidentis fluminis alluatur, paulatim conſumitur; ita & animus hominis tandem collabitur, ſi frequenter a peccatis venialibus infeſtetur. *S. Macar. h. 43.*

XXXIV. Sicut in ſtipulam ignis exiliens inhæ- *S. Ambr. in Pſ. 1.*

Digitized by Google

inhæret, donec omne, quod corrupuit, abſumat; ita vel exigua ſcintilla peccati, ſi quo vitiorum fomite fuerit excitata, grande incendium excitat.

S. Chryſ. in cap. 2. Gal. XXXV. Sicut in corporibus, quæ vulnera neglexerunt, ſebres gignunt, & putrefactiones, ac mortem denique, itidem in animis, qui puſilla diſſimulant, majora invitant.

S. Auſ. l. de ſimil. c. 22. XXXVI. Sicut piſces decurrente aqua vivarii moriuntur, ſi clauſuræ ipſius minutatim ac ſæpe crepant, nec reficiuntur; ita omnis Religio (Monaſtici Ordinis præprimis) funditus perit, ſi cuſtodia ejus per modicarum contemptum culparum paulatim a fervore ſuo tepeſcit, atteſtante Scriptura: Qui ſpernit modica, paulatim decidet.

S. Chryſ. ho. 9. ad pop. XXXVII. Sicut juxta præcipitium vadens, quamvis non decidat, tremit tamen, & ſæpenumero ab ipſo ſubverſus timore decidit; ita & non procul peccata fugiens, ſed ſecus ipſa vadens cum timore vivit, & in ipſa labitur ſæpius. Tertullianus eoſdem funambulonibus in aere ſuper funes ſaltitantibus aſſimilat: hi enim quovis momento in evidenti ſunt præcipitii periculo, & communiter talis eſſe ſolet infelix ipſorum exitus.

Manſi diſ. 4. n. 2. XXXVIII. Sicut vulnera modica non curata infiſtulantur, & ſanam carnem corrumpunt: Eodem modo culpæ, licet leves, ſi non curantur, ſed negliguntur, gangrænam ſpiritualem inducunt.

Alvar. to. 2. l. 2. p. 2. c. 32. XXXIX. Sicut qui aſſuetus eſt loco infimo eadere, facile cadet, & neſciet ſubſiſtere in loco ſublimi poſitus; ita qui modicis peccatorum levium tentationibus vincitur, gravi tentatione pulſatus difficulter a gratia in mentis ſtabilitate retinetur.

Hug. Car. XL. Sicut nemo habitat libenter in domo plena muſcis, imo fugit & abominatur eam; ſic Deus mentes muſcoſas declinat: nec habitat in animabus, peccatorum venialium ſordibus contaminatis, id eſt, per gratiarum cæleſtium, & ſpecialium auxiliorum abundantiam non aſſiſtit, ſicut facturus fuiſſet, ſi quantum humana fert fragilitas, immaculatam ſe conſervaſſet.

S. Franc. Saleſ. l. 4. c. 2. de amor. XLI. Sicut adamas magnetem ſua præſentia impedit, quo minus ferrum ſibi attrahat, nec tamen magnetem ideo naturali ſua virtute, & proprietate privat, ſed ſolum pro tunc eamdem ſuſpendit; videmus enim per experientiam, quod, quam primum adamas a magnete recedit, ſubito hic ferrum ad ſe trahat. Eodem modo, licet peccatum veniale amorem Dei ab anima non auferat, ejus tamen æſtum refrigerat, ejuſque fervorem adeo retardat, ut illas virtutum actiones non operetur, quibus alias incubitura fuiſſet.

Manſi diſ. 7. n. 4. XLII. Sicut quando calor naturalis nimium ſe in exteriores corporis noſtri partes extendit, ſtomachum magno ad bonam digeſtionem ſubſidio privat, ac proinde generantur cruditates, & pravi humores, qui febres, aliaſque infirmitates mortales cauſant: Eodem modo ſi cor hominis Chriſtiani, quod ad Creatorem ſuum diligendum omnino intentum eſſe deberet, per inordinatas affectiones ad amorem diffundatur creaturarum, amor ille, quem creatori noſtro debemus, tanto magis intepeſcit, & diminuitur. Unde Alvarez tale format argumentum: Si magna perfectio, magna charitas eſt, & magna charitas eſt magnus amor, & magnus ac ardens amor eum, quem amamus, nec leviter contriſtare permittit, quomodo eximie amabimus Deum, & perfectam erga illum charitatem habebimus, quem quotidianis imperfectionibus lædere non veremur? Idem quoque alio in loco ſequentem adducit ſimilitudinem. *Alv. to. 3. l. 5. p. 2. c. 16. f. 1073.*

Id. t. 2. l. 2. p. 1. c. 11. f. 60. XLIII. Cinis carbonibus ſuperinjectus, ipſorum tum ſplendorem fuſcat, tum ardorem impedit, adeo ut juxta eos poſiti nullum ſentiamus calorem. Peccata hæc pulvis & cinis ſunt: pulvis, quia ſplendorem charitatis obnubilant; cinis, quia debilitant conceptum ex charitate fervorem. Videbis aliquos juſtos in meditatione frigidos, in oratione ſegnes, in divinis laudibus tepidos, qui numquam lacrymis irrigantur, numquam interna ſuavitate irrorantur, vix compunctionis ſenſu tanguntur; &, ſi cauſam hujus inſenſibilitatis ſcruteris, non aliam, quam defectuum multitudinem, & in vitandis modicis peccatis inſignem oſcitantiam invenies.

Ibid. XLIV. Sicut modici ſumptus imprudenter iterati magnam etiam ſubſtantiam exhauriuntur, & dum minus putamus, divitem pecuniis vacuum & egenum relinquunt: ſic per levia peccata paſſionibus crebreſcentibus, & inſolentius ſe oſtentantibus, virtutes ſubruuntur; & ingruente gravi tentatione, dum ei quis aſſenſum præbet, manifeſte deficit. Sunt velut irremiſſæ ægrotatiunculæ, quæ vitam quidem non diſſolvunt, ſed ita corpus extenuant, ut accedente aliquo gravi morbo, corpus vires non habeat reſiſtendi.

Manſi diſ. 8. n. 2. XLV. Sicut baliſta quænam, globo ſuæ vaſtitati proportionato onuſta, habilis, & idonea, ut repetitis exploſionibus turrim quandam optime munitam in terram proſternere, & demoliri poſſit, & tamen parvulus quidam clavus digiti longitudinem duntaxat habens, ad eamdem militarem machinam inutilem reddendam abunde ſufficit: Idem quoque in hac ſpirituali militia, quæ ab animo contra infernum geritur, contingit: Etenim unica culpa venialis, unica inordinata affectio, unica demum non penitus refrenata paſſio ſatis ſuperque ſufficit, ut, dum cum adverſario pugnam inire paramus, omnem noſtrum vigorem, & fortitudinem plane enervet. Pharao Moyſi indulgebat licentiam, ut omnes Iſraelitas ex Ægypto ſacrificii offerendi cauſa educeret, cum hac tamen conditione, ut greges, & armenta ſua poſt ſe in Ægypto relinquerent. Idem quoque eſt aſtuti ſerpentis gehennalis artificium, permittit enim, ut in multis his bonis operibus exerceamur; ita tamen, ut peccato alicui veniali, per affectum adhæreſcamus. Porro Moyſes, cui latentem ſub hac a Pharaone data licentia dolum ſuboluit, eidem Pharaoni proteſtatus eſt dicens: *Non remanebit ex eis ungula.*

S. Greg. l. 4. Dial. c. 40. XLVI. Sicut ad lucem ſolis minimi conſpiciuntur atomi, qui ſole abſente oculis etiam lynceis inviſibiles ſunt: ita culpæ etiam leviſſimæ,

mæ, quas nos nihili ducimus, vel non advertimus, aut minime agnoſcimus, coram oculis Dei graves ſunt, quæ proinde a nobis ex ejuſdem Dei ordinatione per ignem diluendæ ſunt.

ſ. Aug. ſ. 144. de temp. XLVII. Sicut quælibet ex modicis plagis modicum poteſt ſaluti corporali inferre periculum, veruntamen omnes ſimul junctæ vires corporales adeo extenuare poſſent, ut deinceps alteri ſuperventuro malo nequaquam poſſent reſiſtere: Eodem igitur modo licet ſingula peccata venialia animam necare nequeant; attamen quia, quodlibet peccatum veniale ſpiritualem animæ vigorem debilitat, tentatoriſque vires & temeritatem valde adauget, contingere poſſet, quod a tam impetuoſo infeſtaremur inſultu, ut inermes, ac aliunde uſquequaque haud bene proviſi cederemus turpiter, & laberemur.

Alvar. l. 1. ſ. 70. XLVIII. Sicut compedes, quæ affectus tenent infimis rebus obſtrictos, ne ad cæleſtia & ſuperiora ferantur, ſunt catenæ, quæ manus animæ ligant, ne noſtram perfectionem operentur; ita retardant hæc levia peccata hinc migrantes ad gloriam. Quantum damnum hoc ſit, norunt illi, qui ſciunt, quam intolerabile malum eſt animæ hinc diſcedenti, vel ad momentum Dei conſpectu, ac fruitione privari.

Manſi diſ. 18. n. 13. XLIX. Sicut ferculum pretioſum, ſi multis contegatur muſcis, propter hoc ſuam quidem non amittet ſubſtantiam, & ſaporem: veruntamen is, qui inde guſtaturus eſt, faſtidium illius propter hoc facile concipit, & nauſeam; eodem quoque modo in præſenti propoſito noſtro dicere poſſumus, quod, tametſi culpæ veniales nos Dei amicitia, bonorumque operum meritis haſtenus comparatis non privent, Deo tamen aliqualem diſplicentiam, & nauſam afferant: Quia tepidus es, incipiam te evomore.

Ib. diſ. 17. n. 2. L. Sicut, licet ex decem illis chordis novem aptæ ſint ad harmoniam faciendam diſpoſitæ, ſi tamen una ex illis diſcordet, hæc unica totam confundit, & deſtruit aliarum conſonantiam; ita quoque obſervantia novem præceptorum prorſus eſt ad ſalutem inutilis, ſi vel unius dumtaxat præcepti obedientia deficiat. Omne enim inſtrumentum muſicum, ut Philo Hebræus ait deficit, etiamſi unum tantum diſcrepet.

ſ. Chryſ. h. 19. ad pop. LI. Sicut ſæpius domos ædificantes homines, & tectum imponentes, unius tegulæ excuſſæ curam non gerentes, totam domum perdiderunt; Et in veſtimentis hoc ipſum evenire, quis cernere poſſit; etenim parva in illis facta ſciſſura magnam fecit diſruptionem. Hoc & in torrentibus multoties evenit, etenim & illi, ſi vel minimum ceperint ingreſſum, totum introducunt fluentem. Ita & tu, licet te undique munieris, ſi tamen aliqua pars immunita dimiſſa eſt, etiam hanc Diabolo obſtrue, ut ſis ab omni parte firmatus.

Manſi diſ. 20. n. 2. LII. Sicut filia Pharaonis numquam ſibi perſuadere potuiſſet, eumdem illum puerum progreſſu temporis, regnum illud decem ſeveriſſimis flagellis percuſſurum, ab eodemque patrem ſuum in maris Erithræi undis ſuboergendum eſſe; ſic quoque peccata venialia in primis principiis, eo quod exilia ſint, nobiſque ſatisfactionem, & complacentiam pariant, non repelluntur, aut fugantur a nobis, imo fovemus, & nutrimus ea, non conſiderantes, quam nobis in progreſſu temporis caro ſint pretio diluenda.

Relapſus in Peccatum.

LIII. Sicut is, qui in eamdem febrim incidit, graviorem ſemper experitur, ita ut denique omnino a medicis deſperetur; ita cum anima ab æſtu concupiſcentiæ ad priſtina peccata frequenter revocatur, denique omnino a Chriſto velut vero animarum medico deſeritur. *Roſignol. l. 3. diſt. rel. c. 19.*

LIV. Sicut ii, qui in luto ſe verſant, quo magis volutantur, eo amplius inquinantur; ita qui ſe ſemel luto improbitatis aſperſerit, niſi ab eo velociter exiliat, gravius ſibi dedecoris ſui cœnum per ſingulos dies lutulentæ converſationis obducit. *ſ. Ambr. in Pſ. 1.*

LV. Sicut qui ceraſa manducat, ab initio non niſi duo aut tria manducare proponunt, ſed illa tria ſua dulcedine ad viginti, imo ad centum trahunt, & graviter valetudinem lædunt; ita unum peccatum repetitum ad frequentiorem repetitionem allicit. *Stapl. ſ. n. 2. in Do. 13. poſt Pent.*

LVI. Sicut animalia, quæ anguſtas venas habent, ex veneno non facile pereunt, quoniam virus ad cor facile penetrare nequit; quæ autem venas amplas ſortita ſunt, celerius veneno extinguuntur; ſic qui conſcientiam anguſtam ex timore Dei & juſtitiæ ejus habent, difficulter venenum peccati in cor admittunt; quibus vero larga conſcientia eſt, nullo timore conſtricta, facile cuilibet peccato conſenſum præbent. *Id. ser. 7. in Do. 21. poſt Pent.*

LVII. Sicut qui ſæpius in carcerem conjicitur, tandem verecundiam, & pudorem carceris exuit, nec detentionem magnopere curat, ſic peccator ſæpius recidivus implet illud Jeremiæ: Frons meretricis eſt tibi, neſcis erubeſcere. *Id. ser. 6. in Dom. 2. Quadr.* *Jerem. 3.*

LVIII. Sicut veſtis ex nimio uſu tandem ſic deſtruitur, ut reparari nequeat; ſic peccata in conſuetudinem deducta ita debilem animam efficiunt, ut nec inſpirationes Dei, nec hominum admonitiones, quidquam proficiant in ea reſtauranda. *Ibid.*

LIX. Sicut ii, qui juxta rapidiſſima flumina commorantur, auribus uſu obſurdeſcentibus, moleſtiſſimum aquarum fragorem ſine ulla moleſtia perferunt; ſic conſuetudo delinquentium diminuit admirationem delicti, facitque, ut parum de eo emendando cogitetur. *Ibid.*

LX. Sicut, qui vicinium habet Fabrum, cujus malleus die noctuque incudem ferit, principio quidem moleſte fert, & ſomnum inquietum ducit; tandem tamen diu aſſuefactus nihil moleſtiæ percipit, ſed inter ipſos ictus altum ſtertit; ſic peccator ab initio quidem ſuos remorſus ſentit, ſed conſuetudine & uſu peccati ita induratur, ut nullo conſcientiæ quantumvis valido ictu excitetur. *Ibid.*

LXI. Sicut cum intus in domo omnia plena ſunt *Stapl. ſm Synag. ser. 3.*

Digitized by Google

ſunt tumultu & ſtrepitu, audiri non poteſt, qui foris pulſat, niſi fortiſſime, & crebro id faciat; ſic a corde inſanis cupiditatibus pleno audiri verbum Dei non poteſt, niſi fortius intonet.

Ibid. LII. Sicut ignis ſcintilla, facile accendit ligna arida, difficulter vero viridia, & humentia abſumit; ita auxilium Dei recenter lapſos facile, difficulter autem aut omnino numquam diuturna peccandi conſuetudine obduratos convertit.

Traplet. in text. LXIII. Sicut ſoporiferis febribus ſoporatos ſi vellices, & magnis clamoribus a ſomno excites, attollunt quidem oculos, ſed mox humoris abundantia ſuppreſſi iterum obdormiunt; ſic peccatorum ſomno, conſuetudine, ac voluptate conſopitis accidit, ut, ſi pro concione excites, vigilare & emergere quidem nonnihil conentur, conſuetudinis tamen pondere oppreſſi in priſtinum ſomnum & mores delabantur.

Traplet. text. 6. in Dom. 3. Quadr. LXIV. Sicut Sampſon primo duobus funibus lineis, deinde nerviceis; & demum ſeptem funibus novis alligatus fuit, & quanto magis in Dalilæ conſuetudine perſeverabat, tanto fortioribus eum vinculis alligabat; ipſoſque tandem oculos eruit, ac Philiſtæis illodendum, ac occidendum tradidit; ita peccator Dalilæ ſuæ, id eſt, carnis blanditiis obſequens, ex parvis malis in majora pertrahitur, & tandem crinibus (id eſt, verecundia) & oculis rationis privatus, diaboli poteſtati traditur.

§. IX. MOTIVA.

Pro peccati mortalis fuga.

I. Quia *Dei graviſſima offenſa eſt*: uti colligi poteſt ex triplici capite. 1. Ex eo, quod Deo cultum debitum, imo & ipſam Deitatem auferat; & idololatriam inducat, *Iſ. 2. v. 8.* de qua Iſaias dixit: Repleta eſt terra Idolis & opus manuum ſuarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum. Et incurvavit ſe homo, & humiliatus eſt vir: ne ergo dimittas eis. *S. Hier. in ep. ad Ruſt.* Nam, ut recte S. Hieronymus diſcurrit, ridiculum eſt, quod aliquis judicetur Idololatra, qui duo grana thuris offert creaturæ, quæ debuit Deo offerre; & ille non judicetur Idololatra, qui totum ſervitium vitæ, quod Deo debuit offerre, offert creaturæ. *S. Bern. ſ. 3. de Reſur.* Imo, ut S. Bernardus ait, in ipſum deſævit Authorem, &, quantum in ipſo eſt, Deum perimit. Omnino enim vellet Deum peccata ſua aut vindicare non poſſe, aut nolle, aut neſcire. Vult ergo eum non eſſe Deum, quia, quantum in ipſo eſt, vult eum eſſe aut impotentem, ac injuſtum, aut inſipientem. 2. Ex eo, quod Deus fecit in vindictam peccati; *S. Bon. in diæt. ſal. c. 3.* Nam, teſte S. Bonaventura, nihil poſſet cogitari, quin Deus fecerit propter odium peccati; ipſe enim propter peccatum ſemel diſſipavit fere omnia opera ſua, ſcilicet totum mundum per diluvium. Alii Reges, & potentes in præjudicium, odiumque ſuorum Inimicorum depopulantur terras eorum: Deus autem diſſipavit terram propriam, quia peccatum intraverat terram ſuam. Alii homines propter vinum corruptum non projiciunt in mare vaſa aurea, vel argentea, ſed ſervant vaſa, & vinum effundunt: Deus autem non ſolum peccatum, ſed etiam vaſa peccati, id eſt, creaturas rationales ad imaginem ſuam factas, & ſuo pretioſo ſanguine redemptas in odium peccati projicit in oceano infernali. 3. Ex eo, quod ordinavit, ut pœnitentia peccatoribus pœnitentibus ſemper valeat; nam, ut recte Sanctus Auguſtinus colligit, conſtat ei *S. Aug. de vera & falſ. pœn. c. 5.* peccata multum diſplicere qui ſemper preſto eſt, ea per pœnitentiam deſtruere. Si enim ea amaret, non ita ſemper deſtrueret. Sed ſemper deſtruit peccata, quæ invenit, ne ſolvatur, quod creavit, ne corrumpatur, quod amavit.

II. Quia *ipſius etiam Chriſti graviſſima offenſa eſt*: id quod præclare S. Bernardus oſtendit, dicens: *S. Ber. ſ. in nativ. Dom.* Ex conſideratione remedii, periculi mei æſtimo quantitatem. Neſciebam, & ecce mittitur Virginis Filius, Filius altiſſimi Dei, & jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioſo ſanguinis illius balſamo medeatur. Agnoſce, o homo, quam gravia ſunt vulnera, pro quibus ſecundum divinæ ſapientiæ ordinem neceſſe eſt, Dominum Chriſtum vulnerari. Si non eſſent hæc ad mortem, & mortem ſempiternam, numquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. Hinc merito S. Bonaventura dicit: Apparebit Dominus Deus *S. Bon. p. 2. ſtim. c. 3.* cum vulneribus ſuis, & clamabit dicens: Videtis quanta a vobis, in vobis, & pro vobis paſſus ſum: & tamen ingrati omnia contempſiſtis, & pro nihilo duxiſtis: Ite maledicti in ignem æternum.

III. *Quia graviſſimum pœnæ æternæ reatum adducit*: Si ergo nemo vel integrum etiam regnum acciperet, ut per unicum diem in fornace ardenti jaceret, & torqueretur; quanta inſania erit, æternum ſæviſſimis & inexplicabilibus inferni tormentis velle cruciari, ut leviſſima & momentanea voluptate quis fruatur?

IV. *Quia ſummum animi cruciatum etiam in hac vita affert*: juxta illud Jeremiæ: Arguet te malitia tua; & averſio tua increpabit te. *Jer. 2. v. 19.* Id quod Caino dixit Deus: Nonne ſi bene egeris, recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit. *Gen. 4. v. 7.* Hinc S. Auguſtinus: Peccatoribus, ait non eſt locus in his, *S. Aug. ſup. pſ. 16.* quæ foris ſunt, quia ibi patiuntur tribulationes, ubi conſcientia illos conſolatur. Non eſt illis bene ſecum, quia bene eſſe cum malo non poteſt. Quiſquis autem malus eſt, male ſecum eſt. Torqueatur, neceſſe eſt, ſibi, ſeipſo tormento. Ipſe enim eſt pœna ſua, quem torquet conſcientia ſua. Fugit ab inimico, quo poſuerit, a ſe quo fugiet? Sequitur ſe ipſe, inquit Seneca, & urget graviſſimus comes, animi morbus, & conſcientiæ maſtix. *Sen. epiſt. 98.* Tuta enim ſcelera eſſe, ſecura non poſſunt. Multos fortuna liberat pœna, metu neminem. Quare? quia infixa nobis ejus rei adverſatio, quam natura damnavit. Poteſt ergo nocenti contingere, ut lateat: latenti fiducia non poteſt. Hinc Job: Sonitus terroris ſemper in auribus *Job 15. v. 21.* illius, &, cum pax ſit, ille inſidias ſuſpicatur. Et ipſe Deus: Ponam faciem meam *Levit. 26. v. 17.* con-

Digitized by Google

contra vos, & fugietis nemine perſequente.

S. Ambr. l. 2. de Jacob c. 3.

V. *Quia turpiſſimæ ſervituti ſubjicit:* nam, teſte S. Ambroſio, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati, & quod pejus eſt, multorum ſervus eſt, qui ſubjectus eſt vitiis, multis ſe dominis adduxit, ut ſervitio ei exire vix liceat. Et juxta S. Chryſoſtomum, barbarum eſt, peccatum, tyrannidem exercens in animam ſemel captam, ſed in perniciem eorum, qui ipſum ſuſcipiunt. Imo ipſius etiam Diaboli ſervituti ſubjicitur, ut recte S. Auguſtinus dixit :. Unuſquiſque peccando animam ſuam diabolo vendit, accepto tamquam pretio dulcedine temporalis voluptatis; ſic ergo Eſau ſtultum judicamus, dum pro vili eſca primogenituram vendidit, quanto magis inſipientem cenſebimus hominem, qui pro viliſſima voluptate non jus dumtaxat ſuum, ſed ſeipſum vendit?

S. Chryſ. ho. 9. in 2. Eph. ad Coim.

S. Aug. in expoſ. ep. ad Rom.

VI. *Quia ſumme decet Chriſtianum*: nam S. Cyprianus Martyr, non pertinet, inquit, ad te, Domine, qui te non diligit, nec diligit te, qui ſcienter offendit. Indignum enim prorſus, & a ratione alienum eſt, ut anima voluntarie delinquens copuletur Verbo Dei; & cœleſti ſponſo, ut recte dixit S. Laurentius Juſtinianus.

S. Cyp. de Card. oper.

S. Laur. Juſt.

VII. *Quia eſt mors animæ*; ut S. Eucherius indicavit dicens: *In quocumque die comederis*, &c. Gen. 2. 17. Mortem dicit animæ, non corporis, quia non eo tempore mortui ſunt, quando comederunt; ergo hanc, quam tunc Deus comminatus eſt mortem, non eam debemus accipere, qua caro ſeparatur ab anima, ſed hanc, qua hæc alienatur a Deo, qui eſt vita ſua, tamquam ſi diceret: Qua die me deſerueritis per inobedientiam, deſeram vos per juſtitiam; ſicut enim corpus vivit ex anima, ita anima, ut beate vivat, vivit ex Deo. Ergo deſerta a Deo anima, jure dicitur mortua, ex qua tres poſtea ſecutæ ſunt mortes: Prima in anima: Secunda in carne: Tertia in damnatione. Et idipſum confirmans S. Auguſtinus quid eſt, inquit, mori ipſius (animæ) quid eſt mori carni tuæ? eſt, amittere vitam tuam: vita carnis tuæ anima tua, vita animæ tuæ Deus tuus; Quomodo moritur caro amiſſa anima, quæ vita eſt ejus, ſic moritur anima, amiſſo Deo, qui vita ejus. Unde merito, S. Iſidorus Peluſiota ait: Vehementer miror, ac ſtupore defigor, qui fiat, ut iis, quos peccata delectant, cum ſemper moriantur, numquam tamen mortuos ſe eſſe exiſtiment. Unde etiam, quemadmodum ſcripſiſti, in quæſtionem illud venire poteſt, quod ad primos fictos homines dictum eſt: *In quacumque die de ligno comederitis, morte moriemini*. Facinoroſus enim, ac ſicarius tum demum proprie moritur: cum leges violat, ac ſcelus admittit, quantum libet alioqui vitæ uſura frui videatur. Et Cæſaris Arelatenſis, carnem, inquit, quam non poſſumus, reſuſcitare, plangimus; & animam mortuam non plangimus, quam poſſumus ad ſtatum priſtinum revocare.

S. Eucher. in Caten.

S. Au. tr. 47. in Jo.

S. Iſidor. Peluſ l. 3. epiſt. 332.

VIII. *Quia per peccatum mortale homo a Deo deſeritur*; quod ſic explicat Didacus Stella: Peccatum, Deum in anima per gratiam exiſtentem, ab ipſa rejicit, non eo modo, quo alter te fortior, & excellentior a loco aliquo expellit; nam peccatum non eſt fortius Deo; ejicit tamen illum per propia demerita: nam cum peccator Deum exiſtentem in anima, vitiis turpitudinibuſque inhonorat, tunc dicitur Deus ejici & expelli a peccatore. Videt Deus, pluris æſtimare nos ſtercora, glandes hujus mundi, quam ipſum, & ideo hoſpitium deſerit, & abit, tot convitiis & injuriis affectus. Nam ſi tu in domo tua in capite menſæ Æthiopiſſam accumbere faceres immundam, incomptam, & inhoneſtam, & ipſa tamquam domina ſederet; uxori vero præciperes, quæ illuſtris & Princeps eſt, ut menſæ miniſtraret, nonne gravem injuriam dominæ huic inferres? Hoc modo peccator cum Deo agit, ſuos appetitus, & libidines pluris habet, quam illum, & creaturas Creatori anteponit, propter quod moleſte ferens hæc omnia, domum & hoſpitium Deus deſerit. Unde Dionyſius Alexandrinus concludit: Nihil extioſius eſt, quam a Deo ita deſeri, ut nulla noſtri cura, & providentia tangatur; nec ullum ob graviſſima crimina gravius ſupplicium irrogari poteſt, quam ut quiſpiam a Deo deſtituatur: qui enim Servatoris Dei ope ac præſidio caret, hic ſub hoſtium ac prædonum poteſtate eſt. Quia, ut S. Chryſoſtomus notat, diſcedente Deo, confeſtim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conſcientiæ vermis, & fit in corporis ſepulchro vivo funus, anima jam ſepulta: Hinc merito S. Bonaventura queritur: Perdit homo bovem, & ſolicite eum querit, equum, & non quieſcit, perdit ovem, & poſt eam vadit; ſed perdit homo peccando Chriſtum, & quieſcit, & comedit, & bibit, & non quærit.

Cæſarius rel. ho. 9.

Did. Stella in c. 15. Luc.

Dionyſ. Alc. apud Manſ diſ. 6. n. 4.

S. Chryſ. Jo. ſ. 29.

S. Bon. ſ. de S. Maria Mag.

IX. *Quia omnia merita auferuntur per tale peccatum*; hinc S. Baſilius exclamat: Miſerandum ſane ſpectaculum, poſt jejunium, poſt aſperam degendæ vitæ rationem, poſt aſſiduas preces, poſt uberes lacrymas, poſt continentiam annorum fortaſſe viginti, aut triginta, proter animæ negligentiam, & incuriam, omnibus orbari, ac ſimilem eſſe ei, qui mandatorum divinorum operatione ac quæſtu affluebat, locupletiſſimo cuidam negotiatori, qui ampliſſimas merces ſecum afferens, ac ſecundo vento periculoſa maria emenſus, in ipſo littore fracta navi omnibus opibus repente privatur, ſiquidem hic quoque ea, quæ innumeris laboribus, & ſudoribus quæſiverat, unico dæmonis impetu perdit, peccato nimirum, non ſecus ac ſævo quodam turbine preſſus, ac ſubmerſus. Hinc ſane, qui virtutes omnes tamquam naufragio amiſerit, vox hæc convenit; *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me*. Et confirmans idipſum S. Vincentius Ferr. ſuper verba Lucæ: *Diſſipavit ſubſtantiam ſuam*, diſcurrens; Ex iſto textu, inquit, habetur, quod quilibet, qui peccat mortaliter, perdit omnia bona, & merita, quæ congregavit. Unde ſi quis haberet omnia merita Prophetarum, & Apoſtolo-

S. Baſ. h. in princ. Prov.

S. Vinc. Ferr. ſ. 2. in Sabb. poſt Remin.

Digitized by Google

ſtolorum, ſi peccaret mortaliter, ſtatim perderet omnia illa, & nihil remaneret ſibi. Peccatum mortale ad inſtar mortis omnia mortificat. In morte homo omnia dimittit, etiamſi eſſet dominus totius Mundi; ſic peccatum mortale auſert homini omnia merita. Non ſolum perduntur virtutes contrariæ, ſed etiam omnia alia v. g. ſi peccas per ſuperbiam, non credas, te ſolum perdere merita, quæ acquiſiſti per humilitatem, ſed etiam omnia alia: Ratio eſt, quia omnia merita in gratia Dei fundantur, qua perdita, omnia merita perduntur, quia deſtructo fundamento, cadit omne ædificium.

Dionyſ. Carthuſ. a. 18 de enorm. pec. X. *Quia fœdiſſimam maculam affert animæ*; uti Dionyſius Carthuſ. indicat his verbis: Maculat animam, quæ maculatio gratuitorum ſpoliationem concomitatur, eſtque amiſſio ſpiritualis pulchritudinis & nitoris; nam ſicut in corporalibus macula eſt perditio propriæ pulchritudinis ac nitoris, ex contactu alicujus immundi; ita in ſpiritualibus, ponitur macula pro amiſſione ſpiritualis nitoris. Anima autem duplicem ſortitur nitorem: unus eſt luminis naturalis, ſeu rationis: Alius eſt Divinæ illuminationis per gratiam. Porro dum anima inferioribus, terrenis, atque carnalibus rebus inhæret, agit utique contra lumen naturalis rationis, & gratiam divinæ illuſtrationis, ſicque ſpiritualis nitor, quantum ad lumen naturale, minoratur, & obſuſcatur, ſed quoad lumen gratiæ omnino auſertur. Quod ſi nunc tanto turpior eſt macula, quanto pretioſior eſt, & pulchrior res maculata; quid anima, pretioſius? nil ergo peccato ſordidius, nil immundius, ait recte Chryſoſtomus.

XI. *Quia impotentiam ad bene operandum facit animam*, uti ſat clare indicat Sanctus Auguſtinus, diceus: Idoneus eſt homo ad vulnerandum ſe, numquid idoneus eſt ad ſanandum ſe? *S. Aug. in pſ. 90.* Quando vult ægrotat; non quando vult, ſurgit ut jaceret ægrotus, intemperantiam ſuam habuit neceſſariam; ut ſurgat autem, neceſſariam habet artificis medicinam. Sic ergo, ut peccet homo, ipſe ſibi ſufficit ad peccandum, ut juſtificetur, non ſibi ſufficit, niſi ab illo juſtificetur, quis ſolus eſt juſtus. Et iterum: *Id. in Enchir. c. 30.* Quid boni operari poteſt perditus, niſi quantum fuerit a perditione liberatus? numquid libero voluntatis arbitrio? Et hoc abſit. Nam libero arbitrio male utens homo; & ſe perdidit, & ipſum: ſicut enim qui ſe occidit, utique vivendo ſe occidit, ſed ſe occidendo non vivit, nec, ſeipſum poteſt reſuſcitare, cum occiderit; ita cum libero peccaret arbitrio, victore peccato, amiſſum eſt & liberum arbitrium, a quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt. *Id. l. 83. qq. 66. q.* Unde merito alibi hortatur: Implorat auxilium qui ſic poſitus eſt, & noverit ſuum eſſe, quod cecidit, non ſuum eſſe, quod ſurgit. Jam enim liberatus agnoſcens gratiam liberatoris ſui: *Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*. Clarus etenim eſt ſequens Oſeæ textus: *Perditio tua, Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum*.

XII. *Quia opera omnia mortificat*, uti Abulenſis indicat dicens: *Abul. in c. 21. Matt. q. 141.* Opera facta in peccato mortali ſunt mortua: id eſt, tunc quando fiunt, non ſunt meritoria vitæ æternæ: ſed quod res non habuit in ſua origine, ſi ſit de ſubſtantialibus, numquam poteſt poſtea habere: cum ergo non fuerit prædictum opus a principio meritorium, numquam poterit poſtea effici meritorium; atque ideo mirum non eſt, quod anima peccatrix, & quæ ab illa, dum in ſtatu peccati eſt, fiunt opera, Deo ſint abominabilia. Cujus fundamentalem rationem afferens S. Antonius ſic diſcurrit: *S. An. p. 2. tit. 7. c. 8.* Quia Charitas eſt radix merendi, ſecundum Thomam in 4. Quodlibet autem mortale contrariatur Charitati, ideo exiſtens in mortali, nullo modo poteſt mereri, nec pro ſe, nec pro alio aliquod bonum gloriæ, ſeu gradum præmii æterni. Nec etiam reverſo tali ad veram pœnitentiam, illa bona reviviſcunt ad præmium gloriæ.

XIII. *Quia aſperum jugum imponit homini*, uti S. Gregorius teſtatur his verbis: *S. Greg. in cant. S. Thom.* Aſperum jugum & durum ſervitutis pondus eſt, ſubeſſe temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle ſtare in non ſtantibus, appetere quidem tranſeuntia, ſed cum tranſeuntibus nolle tranſire. Dum enim contra votum cuncta fugiunt, quæ prius mentem ex deſiderio adeptionis afflixerant, poſtea pavore amiſſionis premunt.

XIV. *Quia vehementer torquet peccatorem*, uti S. Auguſtinus indicat ſic loquens: *S. Aug. in pſ. 36.* Peccatoribus non eſt locus in his, quæ foris ſunt, quia ibi patiuntur tribulationes, ubi conſcientia illos non conſolatur: Non eſt bene illis ſecum, quia bene eſſe cum malo non poteſt; quiſquis autem malus eſt, male ſecum eſt; torqueatur, neceſſe eſt, ſibi ſe ipſo tormento: ipſe eſt enim pœna ſua, quem torquet conſcientia ſua; Fugit ab inimico, quo potuerit; a ſe quo fugiet? Unde S. Petrus Damianus ait: Diaboli figuram etiam herinacius repræſentat, qui nimirum cum toto corpore ſpinis ſit obſitus, vindemiarum tempore ingreditur vineam, & quam meliorem viderit, occupat uvam, quam mox tam violenter exagitat, ut omnia ejus in humum grana proſternat, indeque diſcedens, tamdiu ſuper eadem grana provolvitur, donec ſpinarum ejus aculeis omnia transfigantur. Unde S. Ambroſius, *S. Amb. in c. 12. Luc.* adverſarius nobis omnis vitiorum eſt uſus, adverſaria eſt nobis libido, adverſaria avaritia, adverſaria omnis improbitas, adverſaria omnis iniqua cogitatio, omnis denique mala conſcientia, quæ nos & hic afficit, & in futuro accuſabit, & prodet. Et iterum alibi: *Id. l. 2. offic. c. 4.* Quæ enim pœna gravior, quam interioris vulnus conſcientiæ? quod ſeverius judicium, quam domeſticum, quo unuſquiſque ſibi eſt reus?

XV. *Quia omne lucrum ſpirituale impedit*; unde S. Antonius ait: *S. Ant. p. 1. tr. 1. c. 2. §. 13.* Fatuiſſimus eſt operarius ille, qui difficillimis laboribus ſe ſatigat, & tamen nihil ſtipendii, vel mercedis in fine reportat. Quot laboribus & periculis difficillimis ſe exponunt homines pro peccato? iſti pro voluptatibus, illi pro cupiditatibus, iſti pro vanitatibus: Inexplicabile eſt dicere: Et quod

erit

Digitized by Google

erit ſtipendium? Certe mortis ſupplicium, & infernale diſpendium. Rom. 6. *ſtipendium peccati mors*. Et ideo poſt quam Salomon præmiſit Sap. 1. 12. Nolitie aelare mortem in errore vitæ veſtræ; ſignanter adjuoxit: *Neque acquiratis perditionem in operibus manuum veſtrarum;* Quaſi dicat, nullum aliud lucrum habebitis propter peccatum.

S. Ber. l. 1. de conſid. c. 12.

XVI. *Quia occultari nequit*, nam, ut S. Bernardus recte advertit, eſt turpium pœna Deus, lux eſt enim; Et quid tam inviſum obſcœnis, flagitioſiſque mentibus? profecto omnis, qui male agit, odit lucem. Sed dico: Numquid non poterunt declinare? minime, lucet ubique, etſi non omnibus. Denique in tenebris lueet, & tenebræ eam noo comprehendunt. Videt tenebras lux, cui hoc eſt videre, quod lucere, ſed viciſſim a tenebris ipſa non videtur, quia tenebræ eam non comprehendent.

Fuga peccati venialis.

Dion. Car. c. 19. ep. de enorm. pecc.

XVII. *Quia peccata venialia ſunt magnum impedimentum ad perfectionem*, uti Dionyſius Carthuſianus indicavit, diceos; Veniale perfectionis adeptionem tanto plus impedit, quanto minus vigilanter vitatur, ac deploratur. Idcirco & multi Religioſi ad veram religionem parum propinquant, vel oumquam attingunt, quoniam venialia cum inceſſabili diligentia non declinant, nec mentem ſuam in divinæ æternæque lueis præſentia ſemper timoratam conſtituunt; imo facilius ad inania reſolvuntur. Nam perfectæ & ſinceriſſimæ ſanctitatis volens cultores ſuos facere Salvator, juſſit ab eis cautiſſime etiam minima ſervari, ſcilicet, ut quam pura eſt pupilla homois, tam pura eſſet Chriſtiani hominis vita.

Salvian. l. 3. de prov.

Ibid.

XVIII. *Quia impediunt devotionem*, teſte eodem Carthuſiano, dicente: Familiaritatem mentis cum Deo, ſpiritualemque illam ſecretam conſolatiooem Spiritus ſancti, & guſtum bonitatis divinæ non modice impediunt, niſi quis quotidiano fervore venialia iſta deploret, caſtiget, extirpet.

S. Bon. l. 7. c. 13. comp. Theo. Ver.

XIX. *Quia retardant a gloria*; nam homo, qui deeedens alioqui poſſet ſtatim evolare ad cælum, poſt mortem cogitur per venialia ad tempus in purgatorio expectare; numquam enim ab aliquo facies ejus videbitur, donec ſolvat minimum quadrantem venialium peccatorum, ſcilicet per pœoam. Quod confirmans S. Baſilius exemplo Moyſis dicit: Illum magnum, & qui tanto honore a Deo dignus habitus eſt, ut illud audiret: *Novi te, præter cæteros omnes, & inveniſti gratiam in conſpectu meo*; hic, cum de aqua contentio eſſet, nec ullius alterius rei gratia, niſi quod ſolum populo murmuranti, ob penuriam aquæ dixiſſet: *Num ex hac petra educam vobis aquam?* hujus ſolius rei cauſa, ſtatim ei Deus minitatus eſt dicendo: *In terram, quam recepi me vobis daturum, non intrabis*, quæ erat tum ex his promiſſionibus, quæ factæ eraot Judæis, princeps, & primaria.

XX. *Quia actiones hominis inficiunt*, nec enim dubium eſt inquit Alvarez, peeeata levia ſtudioſas actiones inficere. Cibus quidem, quamvis de ſe ſalubris, ac ſua vis, duabus de cauſis minus gratus invenitur, aut quia ipſe inſulſus eſt, & male præparatus, aut quia in vaſe immundo nobis offertur. Quare igitur non erunt minus gratæ Domino, quas offerrimus, virtutis actiones, ſi cor noſtrum, in in quo, velut in catino offerunt, peccatis immundum invenitur? Ubi Organum vitioſum eſt, inquit Ambroſius in Pſ. 35. in principio quomodo poteſt cautus non eſſe vitioſus.

Alvarez ap. Manſi diſ. 17. n. 8.

Ibid.

XXI. *Quia fontem divinæ largitatis obſtruunt;* videbis aliquem ſemper in oratione aridum, in divinis laudibus deſolatum, io Euchariſtiæ ſuſceptione durum, & in omni tempore nullo fere guſtu cæleſtis conſolationis affectum, nulla rerum divinarum cognitione compunctum: & tantæ paupertatis nullam aliam cauſam, niſi vivendi negligentiam, & incuriam quotidianorum defectuum vitandorum iovenies.

Abul. c. 25. in Matt. q. 704.

XXII. *Quia per accidens æterna pœna puniuntur:* Deus enim, ut ait Abulenſis, nihil inordinatum relinquit, ſed non poteſt ordinari culpa ſine pœna. In illis autem, qui damnantur, non poteſt aliqua culpa dimitti, neque aliquis reatus tolli, cum ſine charitate maneant, per quam culpa purgatur, & remittitur reatus? Et ideo in morientibus in mortali, ſemper remanebit culpa venialis, ſi erat, quando deceſſerunt; aut manebit reatus pœnæ, ſi erant obligati ad aliquam pœnam pro venialibus, dato quod culpa venialis dimiſſa fuiſſet; & illa pœna manebit in æternum, quæ fit eis æterna per accidens, ſcilicet quia eſt ſine charitate.

S. Valer. h. 20.

XXIII. *Quia fuga illorum juvat ad magna peccata vitanda*; nam virtus, quæ in parvis promitur, facilius in maximis exhibetur; ſic dum conſueſcimus minora vincere, majora diſcimus devitare. Quod confirmans Alvarez: Cura, inquit, fugiendi minora peccata, quodammodo a caſu majorum liberat, & ad ea declinanda facilem viam nobis oſtendit; quo eoim pacto in detractionem incidit, qui verbum otioſum timet? aut in rei minus honeſtæ conſenſum impinget, qui leviſſimam cogitationem virtuti adverſam fugit? & D. Chryſoſtomus: Si levium peccatorum magoitudo noſcatur, & majorum facillime pernicies noſcitur; unde fit, ut perpenſa diverſitate culparum, declinentur levia, deteſtentur enormia, atque omnia ob hæc omnino damnentur peeeata.

S. Chryſ. de peric. lev. pec. Alv. to. 2. l. 2. p. 2. c. 17.

XXIV. *Quia ſevera de illis ratio reddenda*, quis autem litigator in re minima Judicis ſui filium offenderet, ſi poſſet ob illam levem offenſam expeditioni cauſæ ſuæ aliquam afferre jacturam? at vero, ut S. Gregorius ait: Sic Dominus uniuſcujuſque conſiderat vias, ſic dinumerat greſſus, ut ne mioutiſſimæ quidem cogitationes ejus judicio, ne verba tenuiſſima, quæ apud nos uſu viluerunt, indiſcuſſa remaneant. Et in progreſſu ejuſdem capitis in hæc verba concludit: Sancti viri tanto ſe ſubtilius in cogitatione conſtringunt, quanto ſe a ſuperno Judice diſtrictius conſiderari conſpiciunt.

S. Greg. l. 24. mor. c. 4.

XXV.

Digitized by Google

XXV. *Quia ſi non ſolam mortem corporis,* *Alv. lat. c. cap. 2.* *& ea quæ mortem important, ſed quæcumque etiam adverſa corpori fugimus, cur ſolam mortem animæ; & quæ ad illam diſponunt, & non quoque mala alia fugiamus?* Maxime quod iſta mala, ſeu damna leviorum peccatorum non levia ſunt, ſed magni momenti.

XXVI. *Quia deformitas minimi peccati excedit omnem deformitatem corporalem*, etiam *Euſeb. Nier. de adorat. l. 2. cap. 13.* poſſibilem, cum pretioſioris rei pretioſior ſit corruptio.

XXVII. *Quia peccatum veniale eſt ſummum malum* poſt peccatum mortale, nocetque magis animæ, quam omnes morbi ſimul ſumpti corpori nocere ſolent.

XXVIII. *Quia pœna omnibus pœnis & doloribus hujus mundi ſimul etiam ſumptis graviori punitur?* quis autem, ſi videret juſſu Regis Sponſam & Reginam chariſſimam in ardentem fornacem conjectam, judicaret, leve ab illa crimen commiſſum.

XXIX. *Quia ſuſpendit munificentiam Dei, & amorem noſtrum erga illum in hac vita, & ejus viſionem in altera*; quomodo ergo parvum dicetur? an parvum videbitur, quod ingens ſaxum de cælo cadens in aere ſuſpenderet.

XXX. *Quia tantum malum eſt, ut prius omittere illum debeat homo, quam millies mori, quam cælum & terram permittere in nihilum redigi, quam totum genus humanum damnari.* Unde B. Virgo maluiſſet, filium ſuum ſine peccato propriis manibus occidere, quam in peccatum etiam conſentire.

XXXI. *Quia multitudo eorum periculum facit*: nam multæ arenulæ opprimunt navim, multæ locuſtæ agros deſtruunt, guttæ magnam inundationem faciunt, multa parva vulnera mortem afferunt; ita ſi parva hæc peccata vitare negligimus, inſenſibiliter ſeducti, audenter etiam majora perpetramus, teſte S. Gregorio.

S. Greg. l. 10. mor. cap. 24. XXXII. *Quia veniale peccatum vitando majus B. Virgini & Chriſto obſequium præſtatur,* quam ſi in monte Calvariæ quis ſe in loco Chriſti ſubſtituiſſet, ut pro illo crucem portaret, & in ea penitus affigeretur.

Pro relapſu.

XXXIII. *Quia per relapſum, ſummum ingrati animi vitium committitur*, dum pro ſummo bono, ſcilicet animæ noſtræ ſalute, ſummum malum rependimus, unde merito Deum ſumme offendi neceſſe eſt; nihil enim perinde Deo diſplicet, præſertim in filiis gratiæ, quam ingratitudo, teſte S. Bernardo.

XXXIV. *Quia impedit ab oratione, & fructu SS. Sacramentorum percipiendo*; ſi enim ii, qui morbo caduco laborant ad Sacrificium in altari offerendum non admittuntur, quanto magis, qui morbo caduco ſpirituali laborant, pro Sacrificio orationis offerendo indigni cenſebuntur?

XXXV. *Quia in manifeſtum ſalutis periculum* præcipitat: non minus, quam febris calida ſi frequentius in illam labi contingat, & plerumque vulnera recrudeſcentia periculoſiora ſunt.

XXXVI. *Quia turpiſſima homini notam inurit*: ſi enim cibos, quos ſemel ſumpſimus, reſumere turpiſſimum cenſemus: quanto magis turpe erit peccatum ſemel e corde ejectum ſponte reſumere.

XXXVII. *Quia difficiliorem emendationem reddit*: quo enim frequentius vas aliquod liquore imbuitur, tanto difficilius ab eodem liberatur.

§. X. MEDIA.

I. IN genere, *quot media nobis offerat Deus* *S. Thom. Villan. in Conc. de S. Ægid. Abb.* *ad peccata vindicanda*, indicavit S. Thomas Villan. dicens: Per varia media nos dirigit Deus in finem, nonnumquam minis, & terroribus nos concutit, objiciens nobis pœnas damnatorum, infortunia, & miſerias peccatorum, aſſidua flagella, & frequentes moleſtias inimicorum, & importabile tormentum iniquorum: malum enim & amarum nimis eſt, Deum habere inimicum; quod ſi minæ non ſufficiunt, flagellis & infortuniis affligit nos, in camo & fræno maxillas noſtras conſtringens, ut revertamur ad ipſum; & ſi hac via magis induratur cor noſtrum, mille blanditiis, & favoribus nos mulcet, augens dona, ſubſidia multiplicans, accumulans beneficia, ſi forte vel ſic ad amorem largitoris provocemur. Quod ſi hæc parva videntur, multo majora promittit, ingerens nobis futuram gloriam, quam præparavit diligentibus ſe; & innumerabiles gratias, quas hic confert cuſtodientibus præcepta ejus. Vi itaque & aliis modis exhortando, monendo, corripiendo, terrendo, mulcendo, favendo, promittendo, largiendo, diligendo, ut Pater piiſſimus, ac munificentiſſimus, vitam, ſalutemque noſtram inquirit, nihil omittens omnino eorum, quæ nobis prodeſſe poterunt ad ſalutem; unde per Prophetam ait: *Quid faciam tibi Juda? quid debui facere vineæ meæ, & non feci?* Sed o duritiam! O pertinaciam cordis noſtri! Hæc omnia Dei incitamenta & blandimenta quaſi nihil, contemnimus, & flocci pendimus, neque dignamur vel a longe ea inſpicere, & conſiderare, quaſi ex debito redderentur, neque terroribus flectimur, neque flagellis emollimur, neque beneficiis allicimur, neque promiſſionibus provocamur.

II. *Conſideratio gravitatis peccati hujus*, uti *D. Did. Stel. in c. 1. Luc.* Didacus Stella ſuaſit ſequentibus verbis: Tu, quiſquis es, qui Deum audes offendere, fac illud, quod Angelus Raphel conſuluit Tobiæ, exentera piſcem, & tolle fel; bonum enim eſt ad viſum; ſic tu exentera peccatum, ut videre poſſis ipſius amaritudinem, quo facto expelles ignorantiam, & oculos aperies, & videbis, quanta ſit peccati malitia, & feritas.

III. *Conſideratio præſentiæ Dei*, nam, ut *Did. Nyſ. p. 1. polit. c. 8.* bene diſcurrit Didacus Nyſſenus, ſi potens quiſpiam offendatur, id reliquum eſt ſolatii, quod ſcelus in ipſum commiſſum ſcientiam illius fugiat, notitiamque prætereat. Apud potentes terræ id accidere, & ratio iſta valere nonnumquam ſolet, nec enim ſemper ii vel vident, vel audiunt, quæ contra ipſos aguntur,

ſic-

ſicque offenſæ illorum, & injuriæ impune tranſeunt. Sed hoc locum non habet apud noſtrum ſupremum Conditorem, & Judicem, nam; ut Philoſophus noſter Seneca loquitur ep. 83. & Fides præclarius docet; nihil Deo occluſum eſt, intereſt animis noſtris, & cogitationibus mediis intervenit, nullæ fores lynceis illius oculis imperviæ, in abſtruſiſſima cordium noſtrorum ſuam habent oculi ejus juriſdictionem, nihil tam reconditum in peniſſimis animis noſtris, quod non ſtudioſe advertat, non attente notet, non perſpicacirer arbitretur, & expendat. Juxta hæc, quis illum offendere etiam in abditiſſima animæ ſuæ parte poſſit, vel auſit, cum nulla tam ſit remota ab oculis, nulla tam abſita, & occulta, quam ille non velut in medio ſole luculentiſſime pervideat? Unde merito ulterius tic infert: Nihil eſt, quod æque perhorreſcamus, ac rugitum leonis. Itaque Salomon, ut præferocis alicujus Regis furioſam iram expreſſam daret, non alia comparatione id commodius facere poſſe putavit, quam rugitus, quem hæc immanis fera edere ſolet, inquiens: *Sicut rugitus leonis, ita terror regis*; Proverb. 20. 2. Et propheta Amos cap. 3. v. 8. ait: *Leo rugiet, quis non timebit?* cujus non cor intra corpus emoriatur? cujus non contabeſcat metu animus? Huc ſpectavit Innocentius III. cum ait: Quis non timeat judicem potentiſſimum, ſapientiſſimum, juſtiſſimum? potentiſſimum, quem nemo poteſt effugere; ſapientiſſimum, quem nemo poteſt latere, juſtiſſimum, quem nemo poteſt corrumpere? Juxta hæc, quis eſt, qui videns talem potentiam, tam magnum Dominum offendat? qui cognoſcens talem ſapientiam exaſperet talem Deum, talem judicem irritet, non ignorans talem Juſtitiam? Quod confirmans S. Joannes Damaſc. Turbæ vitiorum, ait, univerſæ reſiſti poterit, ſi ſemper & aſſidue cogitaverit, Deum operum ſuorum inſpectorem, Angelum Cuſtodem, virtutis nobilitatem, voluptatem momentaneam, peccati ſpurcitiem, vitam labilem, mortem incertam, gaudium, ſeu cruciatum ſempiternum, puræ conſcientiæ pacem, hominis dignitatem, Dei beneficium, & ſuper omnia Chriſti vitam, mortem, & crucem. Quæ enim, & qualis vita, ſi vix homo ex ſepulchro progreſſus, rurſum ad ſepulchrum pergat, & demum in perpetua gehennæ flamma ſepeliat? Utique magna pars peccatorum (juxta Senecam) tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat; quanto magis ſi aſſiſtentem Deum cogitemus Certe hic cum veritate quivis peccator illa S. Marthæ verba uſurpare poteſt; Domine, ſi fuiſſes hic (per memoriam præſentiæ tuæ) frater meus non fuiſſet mortuus.

Innoc. III. l. 1. de contemp. Mund. c. 14.

S. Jo. Damaſc. de octo paſſ.

Jo. 11. v. 21.

IV. *Conſideratio Infernalium tormentorum*, uti S. Auguſtinus ſuaſit dicens: Supplicia terreant, quem præmia non invitant: vile tibi eſt, quod Deus pollicetur, contremiſce, quod minatur. Et confirmans idipſum S. Bernardus, primum, ait: Conſideret peccata ſua, qualia, & quanta perpetravit, quæ conſiderare non multum prodeſſet, ſi non pro illis in gehenna punire matureret: & ideo conſiderationi peccatorum, recte adjungitur conſideratio gehennæ. Item, ſi conſiderentur, quæ & quanta ſint tormenta gehennæ, & nulla peccatorum memoria haberetur, ſecura mens fortiran gehennam conſiderare, cum nulla eam recordatio peccatorum perterrer. Hac de cauſa in mente contemplatoris utrumque, & peccata, & gehenna conjungitur, ut ex utroque terror incutiatur, & timor, utpote qui ſecuriſſimum eſt peccati frænum: unde Poeta canit: Oderunt peccare mali formidine pœnæ. Chryſoſtomus ad populum ſuum Antiochenum prædicans, dicens ait: Nihil tantum peccata quidem conſumit, virtutem vero creſcere facit, & germinare, quantum continui timoris natura: propterea, qui non vivit in timore, recte illum agere non eſt poſſibile; ſicut viciſſim cum timore viventem, eſt impoſſibile peccare.

S. Aug. in Pſ. 40.

S. Bern. 4. in parab. de nuptiis Filii Regis.

V. *Conſideratio aliorum damnorum*, ea præcipue, de quibus S. Antonius Pad. locutus eſt, dum ſuper illa verba Prophetæ (*Meditatus ſuum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum*) ita ſcribit: Nota iſta tria: Meditari, exercitari, ſcopare. Peccator in nocte peccati exiſtens, debet meditari corde ſuo, quid amiſit, quid ſibi acquiſivit. Commiſit animæ ſuæ mortem, amiſit gloriam, acquiſivit gehennam. Et pro his debet ſe exercitare in contritione & amaritudine cordis peccati; & ſcopare, id eſt, mundare fœtorem cordis peccati, in confeſſione oris. Tempeſtive etiam S. Chryſoſtomus monuit, dicens: Quando parvam animæ perturbationem ſuſceperis, ne eam neglexeris, quod parva ſit, ſed conſideres, quod id, quod ex ea alitur, maxima mala parit. Etenim poſtquam in domo aliqua parum ſtuppæ accenſum viderimus, conturbamur, & tumultum movemus; non enim attendimus initium, ſed ex initio finem conſiderantes, movemur, & concurrimus, ut totum caminum extinguamus; hoc igne vehementius animam excedit vitium. Oportet itaque prævenire, nam ſi fuerimus negligentes, id correcta evadet difficilius. Et iterum: noli aſpicere, quod unum hoc verbum ſit, ſed quantum periculi habeat, expende: An ignoras inimicitiarum tempore, incandeſcente ira, animoque prorſus ardente, etiam minimum videri aliquid magnum? Hæc parvula, & homicidia ſæpe pepererunt, & urbes ſæpe integras ſubruerunt.

S. Anton. Pad. Dc. 16. poſt Pent.

S. Chryſ. in Pſ. 6.

VI. *Radicis evulſio*: de qua S. Hieronymus ſic diſcurrit: Donec recens eſt, parvam radicem & pectore tuo evelle, ne alioqui, cum pullularit, & radices ſuas alte infixerit, poſtea non niſi longo tempore ac magno cum labore extirpari poſſit. Ob id enim majora peccata quotidie ad nos aditum habent, atque in animas noſtras imperium obtinent, quoniam iis, quæ minora eſſe videntur, hoc eſt, improbis cogitationibus, inhoneſtis ſermonibus, maliſque colloquiis, conſentanea correctio minime adhibetur; ut enim in corporibus, qui parva vulnera negligunt, ſaniem plerumque, ac mortem ſibi ipſis accerſunt,

S. Hier. in vita Joſaphat. l. 1.

ſunt, ad eumdem modum etiam in animis hoc uſu venit, ut, qui minima vitia ac peccata nihili pendunt, graviora ſibi invehant. Aliam radicem aſſignavit V. Beda, dum dixit: Oriuntur cuncta peccata ex carnali concupiſcentia. Quicquid eſt peccatorum in dictis, in cogitationibus, in factis, non exoriuntur, niſi ex illicita cogitatione. Huic ergo illicitæ cogitationi reſiſtimus, ſi non conſentiamus, ſi non velut arma miniſtremus; Non regnet peccatum in noſtro mortali corpore, peccatum enim ante regnum perdit, & ſic perit; regnum perdit, quando poteſt concupiſcentias noſtras nos imus.

V. Beda ap. Manſ diſc. 3. tr. 79. n. 3.

Hanc doctrinam confirmat Abbas Prinuſſius apud Caſſianum, dicens: Nullus obtinere ſe poſſe credat, ut motus atque affectus, per quos pœnitenda commiſimus, de noſtris cordibus amputentur, qui non prius ipſas cauſas atque materias, pro quibus in illa collapſus eſt crimina, omnis ſpiritus farvore ſucciderit. Quænam autem ſit radix iſta, clare indicavit Sanct. Bonaventura, dum dixit: Peccatum omne originem ducit ex inordinata converſione ad triplex illud commutabile bonum, divitias, honores, & carnis voluptates. Ex quo manifeſtum eſt, ſummam omnem ſalutis noſtræ in hoc conſiſtere, ut offenſiones & lapſus in triplici hac materia evitentur. Qua ratione autem hæc radix tolli debeat, docuit Sanct. Ambroſius, dicens: Si a radice vitia vis evellere, charitatis ignem applica, quo paſſiones univerſæ ac vitia ſuperantur. Nam, ut S. Proſper recte dixit, ſi Deum ex toto corde diligamus, nihil erit in nobis, unde peccati deſideriis ſerviamus.

Caſſianus coll. 20. c. 10. *S. Bonav. in apolog. pauper.* *S. Ambr. apud Beir c. 3. in feſto S. Magd.*

VII. *Noviſſimorum memoria*: ſic enim Siracides ſuaſit, dum dixit: In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.

Eccl. c. 7.

VIII. *Uſus frequens Eucbariſtiæ*; Nam, teſte S. Bernardo, duo præſtat in nobis, ut ſcilicet ſenſum tollat in minimis, & in gravioribus tollat omnino conſenſum.

S. Bern. in ſerm. de cœn. Dom.

IX. *Paſſio Cbriſti in memoriam revocata*: hæc enim eſt Angelica contra peſtem; hæc eſt ſel piſcis, quo S. Raphael Dæmonium fugavit: maxime ſi ob oculos Chriſtus ponatur & fingatur iilis S. Auguſtini verbis alloqui: Cur me graviore tuorum criminum cruce, quam illa, in qua pependeram, affixiſti? gravior apud me peccatorum tuorum crux, in qua invictus pendeo, quam iila, in quam tui miſertus aſcendi.

S. Aug. ſ. 181. de temp.

X. *Oratio crebra*: nam, ut recte S. Innocentius ſcripſit, niſi magnis precibus gratia in nos implorata deſcendat, nec quicquam terrenæ labis & mundani corporis vincere conamur errores, cum pares nos ad reſiſtendum non liberum arbitrium, ſed Dei ſolum facere poſſit auxilium. E contrario vero impoſſibile eſt hominem congruo precantem ſtudio, & aſſidue Deum orantem, Deoque continue ſupplicantem, unquam peccare, unquam in peccatum incidere. Id quod ſuſe probat, ac demonſtrat Sanct. Chryſoſtomus loc. cit.

S. Innoc. ad conc. Chartag. *S. Chryſ. ho. 79. ad pop.*

XI. *Occaſionum fuga*: ſic enim hortatus eſt S. Gregorius, dicens: Non erubeſcamus fugere; glorioſa enim fuga eſt, fugere a facie peccati.

S. Proſp. l. de vit. cont. c. 19.

XII. *Præmunire ſe contra unum peccatum ſpecialiter*: ſic enim quondam Senex quidam fratri quærenti, quomodo vitiis reſiſtere poſſet? Reſpondit: non repugnes contra omnes, ſed contra unum; omnes enim cogitationes Monachorum habent unum caput; neceſſarium ergo eſt, quæ & qualis ſit, conſiderare, & adverſus illam reniti; ita enim & reſiduæ cogitationes humiliantur.

Vit. PP. l. 3. lib. 10. n. 10.

XIII. *Præparare ſe ad certamen, & prævidere boſtis inſidias & artes*: nam, ut ſapienter Theodorus Studita dixit, expedit conſtituta habere, quæ formides, ante terrorem; ut egregie bello commiſſo prodeamus in aciem. Facilis eſt enim animus vinci, imparatus, qui haud procinctus de repente ineat certamen.

Th. Stu. ſ. 116.

XIV. *Mature occurrere cogitationibus malis occurrentibus*; ita S. Bernard. monuit, dicens: Oportet, ſi mundas conſervare volumus animas noſtras, adhuc longe agentibus cogitationibus, hujuſmodi multa cum indignatione occurrere, & exſufflare a nobis, ut nullus eis detur acceſſus. Et primum quidem genus cogitationum otioſarum, ſcilicet ad rem non pertinentium, lutum eſt, ſed lutum ſimplex, id eſt, non inhærens ſed ſœtens, niſi forte diutius immoretur in nobis, & per incuriam & negligentiam noſtram in alterum genus cogitationum vertatur, quod quotidie experimur; Dum enim otioſa tamquam minima ſpernimus, ad turpia, atque inhoneſta dilabimur.

S. Bern. ap Manſ diſ. 22. num. 4.

XV. *Humilis agnitio*: Scito, inquit Bloſius, quia ipſa levia peccata efficacius in te delebuntur, ſi culpam agnoſcens, humiliter, & amanter te ad Deum converteris, quam ſi ea moroſius apud te pertractara, & in eorum conſideratione diutius cum puſillanimitate occupare volueris.

Bloſius in Parad. an. num. 5.

XVI. *Crebra Confeſſio*, uti Chriſtus ipſe S. Brigittæ revelavit, dicens: Qui ſpiritum & gratiam meam adipiſci ac retinere deſiderat, utile eſt, crebro peccata, & negligentias ſuas coram ſacerdote confiteri, ut expurgetur; Et cum ipſa Birgitta videret animam mariti ſui Ulfonis in purgatorio, dixit: O felix anima, quid præcipue tibi profuit ad ſalutem? Ille reſpondit: confeſſio mea, quam feriis ſextis, dum ſacerdotis copiam habebam, facere ſuum ſolitus, cum firmo me emendandi propoſito.

Idem in concl. ro. anim. c. 3. num. 1.

XVII. *Periculorum, quæ inde oriuntur proſpectio*, quam ſequentibus verbis S. Cyrillus commendat: Ad aquarum plenitudinem cum columba properandum eſt; in his enim ſponſæ deſcribitur pulchritudo. Ferunt hoc genus avis, cum ad aquas venerit, quia ibi ſolet accipitris inſidias pati, venientem deſuper inimicum, volitantis umbra in aqua conſpecta, deprahendera, & oculorum perſpicacia fraudem periculi imminentis evadere; quod ſi & tu ita proſpicere potueris inſidias Diaboli, & cavare, in ſacrificium Deo columbas obtuleris. Quod confirmans Alvarez: Quemadmodum, inquit, cum aliis pugnans, qui nec permittit ad ſa hoſtem accedere, nunquam ab eo dejicietur, neque illidetur in terram; ſic, qui primum adverſarii fugit acceſſum, difficilime

S. Cyrill. ap. Manſ diſ. 17. n. 1.

 in

in peccatum alicujus momenti deturbabitur. Sciebat hoc optime Euſebius Sanctiſſimus apud Theodoretum, qui zona ferrea io collum injecta, curvus & inclinatus incedens, cum interrogaretur, quamnam utilitatem ex illa mortificatione ſuſciperet, iſta memorabili ſententia reſpondit: Ne malignus Dæmon de magnis bellum gerat cooans auferre temperaotiam, & juſtitiam, & iram armans, & cupiditatem accendens, & ut faſtu efferar, & ſuperbia intumeſcam, efficiens, & quæcumque adverſus meam machinatur animam, conor hoſtem ad hæc parva traducere.

§. XI. ASCETICA.

De peccato mortali.

Did. Nyſ. in vita Abrah. l. 2. c. 8.

I. IN *primis noſſe debet Aſceta, quod nullum in terris detur verum malum, præter peccatum, præſertim mortale.* Id quod Didacus Nyſſenus bene declarat ſequenti diſcurſu: Noctæ cœnæ, cum orationem ad æternum Patrem ſuum, pro ſalute diſcipulorum Chriſtus funderet, ſic ad illum ajebat: *Non rogo, ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos a malo.* Joan. 17. v. 15. De hoc malo communiter affirmant omnes eſſe peccatum. Ita SS. Auguſtinus, Chriſoſtomus, Euthymius, Theophylactus. At ſi Chriſtus optavit diſcipulos ſuos ſervari a peccato, cur hoc perſpicuis verbis non petiit? Cur dixit: Rogo, ut ſerves eos a peccato? Fecit hoc, ut intelligeremus, nullum eſſe malum, niſi peccatum, ſicut nullum eſt bonum niſi gratia. Ærumnæ, adverſitates, perſecutiones, infirmitates, ſitis, ſames, tam non ſunt mala iis, qui ſunt in gratia Dei, ut potius ſint bona, & occaſio incrementi gratiæ. Propterea dicebat S. Joannes Chryſoſtomus in hom. de Abraham tom. 2. In rem noſtram ſunt tentationes. Quantum afflictionum, cruciatuum, calamitatum hujus vitæ habet juſtus, tantum habet auri, argenti, & gloriæ cæleſtis. Omnia in illius utilitatem, & honorem cedunt; Majeſtas autem, & potentia, bona valetudo, venuſtas, opulentia, & cætera fortunæ bona conjuncta cum peccato, tam non ſunt bona, ut etiam majorem damnationem adſerant illi, qui ea habet. Ergo non eſt aliud bonum, præter gratiam, nec aliud malum, præter peccatum. Audiamus hanc in rem etiam Cajetanum, qui in ſuperiora Domini verba ſic diſſerit: Non dicit, ut ſerves eos a tribulationibus, ab odiis, a perſecutionibus ſed a malo, hoc eſt, ut ſerves eos, ne aliquid proveniat eis in malum; quod eſt æternæ ſeparationis a Deo. Ea propter S. Paulus omnes creaturas provocabat, illaſque, & omnes vitæ hujus ærumnas, glorianter appellabat, dicens: *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?* Rom. 8. 35. *Nihil horum, certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei.* ib. v. 38. 39. Joan. Cluoiacenſis ſerm. 67. tom. 2. ait: Omoia provocavit, & de ſolo peccato tacuit. Cum pro animi ſui magnitudine omnia provocare Paulus auſus fuerit, ſolum peccatum timuit. Alia enim omnia non habentia ea vires, ut avellere quemquam ab amicitia Dei queant, unum, ſolumque peccatum obliterare, abolere, extinguere eam momento poteſt; Itaque ſolum etiam peccatum eſt malum, cætera bona eſſe poſſunt, ſi cum gratia Dei ſint conjuncta. Hinc etiam Eccleſia ait: *Tunc nulla nobis nocebit adverſitas, ſi nulla dominetur iniquitas.* Mala cætera, quæcumque hoc nomine cenſentur, non habent quidquam contagionis, ærumnæ non habent virus, non habent toxicum dolores, quo inficiant, & interficiant, niſi peccatum illis ſuum venenum affundat.

II. *Noſſe pariter debet, quod ſolum peccatum mortale ſit cauſa ignis & damnationis æternæ,* uti S. Salvianus præclare ſequentibus verbis oſtendit. Propheticum hoc (*Producam ergo ignem de medio tui; qui comedat te*) ad nos dicitur: Ecce omnes vos ignem accendiſtis, & vires præbuiſtis flammæ, ingredimini in lucem igois veſtri, & flammæ, quam accendiſtis; totum namque humanum geous hoc ordine in pœnam æternam ruit, quo ſcriptura memoravit. Primum enim ignem accendit, poſtea vero vires ignibus præbet, poſtremo flammam ingreditur, quam paravit. Quando igitur ſibi primum homo æternum accendit? ignem ſcilicet cum primum peccare incipit; Quando autem vires ignibus præbet? Cum utique peccata peccatis cumulavit. Quando vero ignem æternum introibit? Quando irremediabilem jam malorum omnium ſummam, creſcentium delictorum iniquitate complevit. Ezec. 28. num. 18.

III. *Noſſe etiam debet, quomodo peccatum hominem ad bona opera facienda inhabilem reddat.* Id quod egregie S. Antoninus ſic oſtendit: Voluntas multum eſt remiſſa ad bonum propter peccatum, adeo quod bonum, quod intelligit, & io generali proponit, agere non valeat. Figuratur per claudum, qui videt quidem, quo pergere debeat, ſed recto greſſu incedere non valet; quibus claudis per Eliam dicitur. 3. Reg. 18. *Uſquequo claudicatis in duas partes?* claudicat ex parte dextra, qui præcepta ad Deum nos ordinantia non ſervat; claudicat ad ſiniſtram, qui mandata erga proximum nos dirigentia non cuſtodit, nec talis diu in peccatis permanere poteſt, quin labatur in alia. Pergit idem Antoninus oſtendere, qualiter pars ioſerior, & ſenſitiva, ratione culpæ rebellet; ait eoim: Potentia ſenſitiva multipliciter vexatur paſſionibus propter peccatum; ſic enim Deus inſtituit hominem, ut ratio ſubjiceret ſibi, & inde ſenſualitas omnino erat ſubdita rationi, ſed propter peccatum inobedientiæ, rebellis ratio Deo immediate, & caro recalcitravit ſpiritoi; in cujus ſignum, ſecundum Auguſtinum, primi parentes ſenſerunt ſtimulum carnis, propter quod erubeſcentes ad invicem, fecerunt ſibi periaomata, id eſt, cooperimenta: & potentia quidem concupiſcibilis non appetit niſi delectabilia ſenſibus, S. Anton. p. 1. tit. 7. c. 1. §. 3.

etſi

Digitized by Google

etſi contraria ſpiritui : *caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum*, ut dicitur Gal. 5. in cujus figuram ancilla Agar concepiſſe ſe videns ex Abraham, deſpiciebat proterva Dominam ſuam Sarai, & cum verberibus angeretur, ab ea fugam arripuit, ad deſignandum, quod ſenſualitas, quæ eſt ancilla rationis, poſtquam per concupiſcentiam conceperit peccatum, ex viro, ex appetitu rationali, deſpicit poſtea rationem, nec vult ei obedire; ſed etſi aliquando cogatur quibuſdam pœnis, ut jejuniis, & diſciplinis, ipſa ſenſualitas fugit a ratione, nec propter hoc ei obedit, ſed ut libera vagatur, tantum excreſcit concupiſcentia, ut nec deferat naturali fœderi, ſeu propinquis; ut patet in Amnon primogenito David, qui amore concupiſcentiæ inſaniens in Thamar ſororem ſuam, violenter conſtupravit eam: & in Ruben, qui aſcendit cubile patris ſui: & in Semiramide bellicoſiſſima Regina Ninive, quæ duxit in maritum filium ſuum, ſed ab ipſo interfecta eſt. Iraſcibilis potentia plena eſt perturbationibus & vindictis illicitis: Unde Saul, qui prius erat pacatiſſimus, adeo quod deſpicientes Dominium ejus, ſibi a Domino traditum, patienter toleravit, nec in aliquo moleſtari voluit; poſt victoriam autem magnam habitam contra Ammonitas, poſtquam a Domino receſſit per peccatum, ita turbulentus, & furioſus effectus eſt, ut per ſe & per alios mortem quæſierit generi ſui David, ei fideliſſimi, & octoginta quinque ſacerdotes occidi fecerit, quia Abimelech Princeps eorum favorem præſtaverat Davidi, concedendo panes & gladium Goliath, & conſulendo pro eo Dominum. Quod etiam confirmans
S. Bern. t. 3. ſer. de calamit. ſemeſt. ar. 1. c. 4. S. Bernardinus, advertendum eſt, ait: ſecundum Thom. 22. q. 86. Quod triplex eſt bonum. Primum naturæ; ſecundum gratiæ, tertium habilitatis ad actum, ſeu aptitudinis ad benefaciendum. Primum eſt bonum naturæ, ut puta intellectus, atque voluntas; & hoc bonum per quodcunque peccatum nec tollitur, (ſicut nec per tenebras aer tollitur) nec ſubſtantia aeris minuitur. Secundum eſt bonum gratiæ, & hoc per peccatum omnino ab anima removetur: unde ſicut lumen per tenebras, & per cœcitatem, ſi per culpam gratiæ amovetur. Tertium eſt bonum habilitatis ad actum, & hoc non tollitur, ſed per peccatum diminuitur. Paulo aliter eandem doctri-
S. Bonav. l. 3. c. 7. com. Theo. nam declarat S. Bonaventura ſequentibus verbis: Per peccatum corrumpitur poteſtas liberi arbitrii dupliciter: ſcilicet in agendo, & ſuſcipiendo; in agendo quidem, quia non poteſt ſemper facere, quod oportet: nec vitare, quod nocet. In ſuſcipiendo autem, quia gratiam ſtabilem non poteſt ſuſcipere in hac vita. Item corrumpitur ratio in hac vita dupliciter; ſcilicet quantum ad diſcretionem judicii, inter bonum, & malum; & quantum ad deliberationem conſilii, inter expediens, & inexpediens. Item corrumpitur affectus dupliciter; ſcilicet in ordine, & in modo, quia nec ſemper eſt moderatus.

IV. *Noſſe debet, quam multa, graviaque*
Dionyſ. de enorm. pec. ar. 18. *damna afferat peccatum mortale*, quæ quidem clariſſime Dionyſius Carthuſianus enumerat

dicens: Peccatum ſemper pluribus nocet: Primo ei, qui peccat; ſecundo proximis & toti Eccleſiæ, quia interim proximus ſcandalizatur, & ipſa Eccleſiæ acies ad ſtandum contra Diabolum quodammodo minoratur, ac infirmatur in eo, qui impie converſatur. Nocet in Purgatorio conſtitutis, quia non juvantur tam efficaciter ab injuſtis, ſicut a bonis. Nocet damnatis, quia, quo plures in infernum deſcendunt, tanto eſt illic major horror, ululatus, ac cruciatus, ſiquidem ibi locum non habet, quod dicitur: Solatium eſt miſeris ſocios habere miſeriæ. Nocet quodammodo beatis in Patria, per modum ſubtractionis; quo etenim copioſior eſt numerus beatorum, eo præmium accidentale fit majus ex ſocietate felici, uno de felicitate alterius gloriante.

V. *Noſſe debet, quod non proſint opera in peccato mortali facta*; quod quidem egregie S. Laurentius Juſtinianus oſtendit, dicens: *S. Laur. Juſt. l. de ſpir. ani. interit.*
Ex ſola charitate ſingulorum merita cauſantur; ſuffragantur tamen (ſed non ad æternæ vitæ meritum) cætera bona opera ſine charitate, & non bene conſummata, valent ad mitigandam pœnam, quæ juſte ex omiſſione & præcepti tranſgreſſione debetur, ſi non fierent: præſtant temporalia bona, honores videlicet, divitias, incolumitatem corporis, longevitatem vitæ, terrenam felicitatem, propagationem filiorum, ſucceſſuſque proſperos. Occupant hominem, nec permittunt operantem ad exteriora labi. Aſſueſaciunt ad bene operandum, delectant mentem, reſtringunt fomitem, arcent peccati fluxum, atque ad ſuſceptionem gratum facientis habilitant cor. Exigua vero univerſa ſunt in comparatione retributionis æternæ. Quod etiam confirmans Gerſon: Fac *Gerſon l. 1. præl. reg. mor.*
interim, ait, dum es in peccato mortali, quidquid boni potes, ut Deus illuſtret cor tuum; nam bonum opus de genere, & morale, etiam factum extra charitatem, utilitatem affert multam, quoniam propter tale opus diſponitur homo ad opera virtutum, & ad facilius reſurgendum trahitur.

De peccato veniali.

VI. *De hoc primo noſſe debet, cur vitandum ſit*; nempe quia qui ſpernit modica, paulatim *Eccl. 19. v. 1.*
in majora decidet. Hinc, teſte S. Marco Eremita, Diabolus modica delicta elevat, & extenuat; alioqui enim ad majus malum aut vitium hominem adducere non poſſet. *S. Marco l. 1. de leg. ſpir. n. 90.*

XII. *Noſſe ſecundo debet, cur ejuſmodi peccata ab Aſcetis & virtutis affectis ſpecialiter vitanda ſint*; nimirum quia, ut S. Gregorius *S. Greg. de fuco.*
Nazianzenus recte dixit, his ruga una turpior eſt, quam maxima vulnera iis, qui in mundo vivunt; nec enim tam notabilem & conſpicuam in ſordidis, quam in puris unius coloris veſtibus labes aliqua fœditatem habet. Quo nitidiores manus, inquit S. Bernardus, *S. Bern. l. de trip. cuſt.*
eo gravius quivis nævus in eis oſtenditur: & ſicut pretioſam veſtem exigua quævis macula turpius decolorat, nobis ad immunditiam

Digitized by Google

minima qualibet Inobedientia ſufficit; nec jam nævus eſt, ſed gravis macula, ſi in actionibus noſtris vel minorum reſidet negligentia mandatorum. Quis enim ferat filium, inquit Claudius Aquaviva Soc. Jeſu, Generalis, dicentem: Revera diligo patrem, ſed citra lethalia vulnera & mortem, quidquid illi injuriarum & moleſtiarum inferre potero, faciam omnia ſine reſpectu ullo & liberrime: nec tantillum curo, magis an minus ei placeam, modo hæreditate me non privet, vel morte puniat.

Claudius Aquav. Ind. c. 11. num. 6.

VIII. *Tertia noſſe debet, quæ peccata venialia ſpecialiter ab Aſceta vitanda ſint.* Pro quo ſciendum, triplicis generis peccata venialia reperiri. Videlicet 1. *Majora*, quæ quidem ex ſe mortalia ſunt, ſed ob carentiam pleni & deliberati conſenſus, aut ob materiæ exiguitatem venialia redduntur. Qualia ſunt, cogitatio impudica, & appetitus vindictæ, cui negligenter, ſed ſine conſenſu, reſiſtitur: detractio in materia levi: violatio paupertatis in exigua quantitate, & ſimilia, quæ ligno comparantur, quia craſſiora ſunt, & graviori ac longiori igni in Purgatorio materiam ſubminiſtrant, niſi hic expientur. 2. *Media*, quæ ex genere quidem venialia ſunt ſed cum deliberata voluntate committuntur, ut ſunt officioſa mendacia, otioſi ſermones, ſcurrilitates, cachinnationes, curioſitate audiendi, aut legendi vana, adulationes Prælatorum, aut Majorum, ambitiones, & ſimilia, quæ fœno ſimilia dicuntur, quia ut fœnum ſunt pabulum jumentorum, id eſt, imperfectorum, & igni quidem ſatis grandi, ſed brevius duraturo materiam ſuppeditant. 3. *Minima*, quæ ex fragilitate & ſemiplena advertentia originem ducunt, ut ſunt modica diſtractio in oratione, motus vanitatis, affectus complacentiæ, immoderatus rigor ex bono zelo procedeos, nimia manſuetudo in corrigendo, nonnulla triſtitia & anxietas in operibus perficiendis, modicus exceſſus in cibo & potu ſumendo, indiſcretus fervor, & ſimilia, quæ ſtipulis aſſimilantur, quoniam ſicut palea citiſſime a vento rapitur, & tenui flamma conſumitur, ita & ipſa, quia multum infirmitatis, parum autem voluntatis habent, citius igne purgatorio abſumentur. Ex his ergo cum omnia collective accepta vitari non poſſint abſque ſpecialis Dei gratia, ea ſaltem, quæ ſub ſecundo & primo genere continentur, ſtudioſe ſunt ab Aſcetis vitanda, utpote quæ a perfectione aſſequenda ſpecialiter impediunt.

IX. *Quarto noſſe debet, cur Deus etiam a perfectis viris ejuſmodi peccata venialia, & quidem ſæpe illis occulta, committi permittat;* nimirum quod, ut Sanct. Climacus ait, ſint apud viros ſpirituales quædam vitia plerumque viliſſima, mira Dei diſpenſatione relicta, ut per illa, que ſine peccato ſunt, ſeipſos ſemper valde accuſantes, humilitatis opes inviolabiles acquirant. Occulta vero juxta Sanct. Auguſtinum (id eſt, talia, de quibus periculoſiſſimum ſit definire) permittat, ut ſtudium perficiendi ad omnia peccata cavenda pigreſcat: quoniam ſi ſcirentur, quæ vel qualia ſint delicta, pro quibus etiam permanentibus, nec profectu melioris vitæ abſumptis interceſſio ſit inquirenda, & ſperanda juſtorum, eis ſecura ſe obvolveret humana ſegnities, nec evolvi talibus implicamentis ullius virtutis expeditione curaret.

S. Clim. grad. 26.

S. Aug. l. 2. 1. de civ. c. 27.

X. *Quinto noſſe debet, cur nonnulla peccata Deus in hac vita puniat, & alia inulta relinquat;* nimirum quia, ut S. Gregorius ait, ſi nulla reſecaret, quis Deum res humanas curare credet? Et rurſus ſi hic cuncta percuteret, extremum judicium unde reſtaret? Quædam igitur feriuntur, ut Rectoris noſtri ſuper nos ſollicitudinem formidemus; quædam vero inulta ſervantur ut adhuc Judicem reſtare ſentiamus.

S. Greg. c. 36. mor. c. 18.

XI. *Sexto noſſe debet, quouſque poſſit homo omnia peccata venialia vitare*, nimirum quod 1. nemo Juſtorum viribus proprii, ſine divina gratia ab omnibus venialibus peccatis abſtinere poſſit; ita enim clare S. Joannes pronuntiavit, dum dixit: Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Impoſſibile namque eſt, quemlibet Sanctorum non iſtis minimis, quæ per ſermonem, per cogitationem, per ignorantiam, per oblivionem, per neceſſitatem, per voluntatem, per obreptionem, per ſomnium admittuntur, incurrere, ut notat Caſſianus. Nec facile, teſte S. Leone, provenit cuiquam tam incruenta victoria, ut inter multos hoſtes, frequenteſque conflictus, etſi jam ſit liber a morte, ſit quoque immunis a vulnere. 2. Poſſit tamen cum auxilio divinæ gratiæ vitare ſingula, & omnia peccata diviſim ſumpta, uti communis ſenſus SS. PP. & Theologorum contra Hæreticos docet. Unde recte S. Chryſoſtomus ait: Non potes dicere: non poſſum, neque accuſare conditorem. Si enim impotentes nos fecit, & deinde imperat, culpa ejus eſt; quomodo ergo inquis, multi non poſſunt? quomodo ergo multi nolunt? ſi enim voluerint, omnes poterunt, habemus quippe cooperatorem & adjutorem Deum tantum velimus, tantum opere accedamus ad rem ipſam. Deus enim, ut ait Sanct. Hieronymus, ita conceſſit liberum arbitrium, ut ſuam per ſingula opera gratiam non negaret. Quocirca juſte inſtar præcepto, ait S. Leo, qui præcurrit auxilio. 3. Poſſit cum divina gratia per totam vitam vivere ſine peccatis cum plena deliberatione commiſſis, ita enim maniſeſte docet S. Clemens Alexandrinus, dum ait: Optimum eſt nullo modo peccare, quod eſt ſolius Dei; Secundum nullum ex voluntariis attingere maleficiis, quod eſt proprium ſapientis: Et multorum exemplis ſumpta §. 5. & 6. oſtenſum eſt. 4. Poſſit etiam per longum tempus abſtinere ab omnibus indeliberatis peccatis; uti fuſe tum authoritate Conciliorum & SS. PP. tum exemplis plurimis probat Lancizius. Eamdem doctrinam confirmat S. Bonaventura ſic diſcurrens: Nota, quod homo poteſt eſſe ſine peccato mortali; ſed non ſine veniali; Et ratio hujus eſt, quia homo dum unum veniale vitat, aliud incurrit. Unde dicunt Doctores, quod homo poteſt vitare quodlibet veniale in par-

1. Joan. 1. v. 10.

Caſſian. coll. 12. c. 20.

S. Leo. ſ. 4. de jejun. dec. menſ.

S. Chryſ. ho. 16. in ep. ad Hebræos.

S. Hier. epiſt. ad Cypr.

S. Clem. l. 2. pæd. c. 1.

Lanc. op. 16. a n. 161.

S. Bonav. op. Manſ. diſ. 22. n. 4.

Digitized by Google

particulari, ſed non in generali: & eſt exemplum de navi, in qua ſunt multa foramina, quorum quolibet in particulari nauta oppilare poteſt, ſed non omnia ſimul, & ideo ſine veniali vix homo eſſe poteſt, dicente Joanne; *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.*

Bloſius l. de conſol. puſil. §. 4.

Unde Bloſius prudenter monet, quod ad veniales quotidianaſque culpas attinet (a quibus, dum hic vivimus, omnino liberi eſſe non valemus) monendi eſtis chariſſimi, ne nimis ſolliciti ſitis, neque conturbemini ſi non omnes in confeſſione expreſſeritis. Illas humiliter ac ſerio Deo confitebimini, & contrito, devotoque corde vos reos coram eo accuſabitis; ſic enim iis, qui Confeſſionibus audiendis adhibentur, nimis multum temporis non auferetur: ſane tales culpa generaliter expoſuiſſe ſatis eſt. Peccata venialia multis modis delentur, puta contritione, Dominicæ orationis prolatione, genuflexione, aquæ benedictæ aſperſione. (vid. n. 13.)

XII. *Septimo noſſe debet diſcrimen inter affectate, & deliberate, commiſſa peccata ab iis, quæ ex fragilitate committuntur*, de quo ſic

Bloſius in para an. c. 3. nu. 3.

loquitur Bloſius: Aliud eſt labi in levia peccata ex occaſione, aut humana fragilitate duntaxat, & aliud labi ex affectara negligentia; nam qui ex infirmitate ſola delinquit, dum liber apud ſemetipſum eſt, odit vitia, eorumque vitat occaſiones; quando tamen ſe ſe offerunt ipſæ occaſiones facile, aut linguæ incontinentia, aut ſenſuum nimia libertate, aut paſſione affectioneque indigna, aut conſimili aliqua tranſgreſſione offendit, ſed mox, ut ad ſe redierit, dolet, & penitus adverſatur vel minima peccatorum labem, ob idque veniam repente conſequitur. Ille vero, qui ex affectata negligentia peccat, dum malorum occaſionibus e medio ſublatis, liber apud ſemetipſum eſſe poteſt, miris modis concupiſcit eaſdem occaſiones, illiſque plurimum afficitur, non ſane propter peccatum, ſed propter oblectationem, labitur quidem & ipſe ex fragilitate fortaſſis: ſed non ex mera fragilitate t qui tamen, ſi ſtatim culpa admiſſa innovato propoſito vere pœnitentiam ageret, ipſe quoque celerrime obtineret delicti remiſſionem. Quod confirmans Alvarez, dictum eſt, ait, perfectam charitatem leviſſima quæque peccata non admittere, quia diligentiſſima cura ea cavet, &, ſi inciderit, lacrymis & gemitibus diluit. Perfectioris ergo hujus vitæ poritas in hoc ſita reperitur, ut omnia gravia peccata penitus fugiat, & corporalem mortem, immo & ipſos gehennæ cruciatus potius, quam aliquod grave crimen admittat; & ut levia peccata numquam de induſtria perpetret, & quæ humana fragilitas ſecum affert, quotidie numero minuat, imminuta qualitate extenuet, extenuata ſæpiſſimæ odio ipſorum, & Dei ferventiſſimo amore conſumat.

XIII. *Octavo noſſe debet triplicem modum,*

S. Tho. q. 87. & 3.

quo venialia peccata remittuntur, quem S. Thomas ſequentibus verbis aſſignat: Triplici ratione aliqua cauſant remiſſionem peccatorum venialium. Uno modo, in quantum in eis infunditur gratia, quia per infuſionem gratiæ tolluntur venialia peccata, & hoc modo per Euchariſtiam, Extremam unctionem, & univerſaliter per omnia Sacramenta novæ legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Secundo modo in quantum ſunt cum aliquo motu deteſtationis peccatorum; & hoc modo confeſſio generalis, tunſio pectoris, & oratio Dominica operantur ad remiſſionem venialium. Tertio modo, in quantum ſunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum & ad res divinas; & hoc modo benedictio Epiſcopalis, aſperſio aquæ benedictæ, quælibet Sacramentalis unctio, oratio in Eccleſia dedicata, & ſi aliqua alia ſunt hujuſmodi, operantur ad remiſſionem venialium peccatorum.

XIV. *Nono noſſe debet, quomodo venialia peccata ad mortale diſponant.* Quod S. An-

S. Antoninus p. 2. t. 26. c. 2.

toninus ſic oſtendit: Qui peccat venialiter ex genere, prætermittit aliquem ordinem; & ex hoc, quod conſueſcit voluntatem ſuam in minoribus debito ordini non ſubjicere, diſponitur ad hoc, quod etiam voluntatem ſuam non ſubjiciat ordini ultimi finis, eligendo id, quod eſt peccatum mortale ex genere, & ſecundum hunc ordinem, id eſt, diſpoſitionem, intelligendum eſt, quod dicit Auguſtinus de Pœnit. diſt. 1. c. Scilicet quod illa peccata, quæ humanæ fragilitati, quamvis parva, tamen crebra ſubrepunt, ſi collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt, & opprim–ent, ſicut unum aliquod grande peccatum, ſcilicet mortale. Et confirmans idipſum Alvarez: Le-

Alv. t. 1. l. 3. p. 2. c. 16.

via, inquit, peccata contempta nos in manifeſtum perditionis diſcrimen adducunt, non quia ipſa ſufficiant nos perdere, ſed quia ſæpe ſufficiunt ad grave crimen inclinare, in quo ſenſu dixit Auguſtinus Epiſt. 108. de levibus peccatis; quæ ſi collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt, & opprimen –t, ſicut unum aliquod grave peccatum; quid enim intereſt ad naufragium, utrum uno gravi fluctu navis operiatur, & obruatur, an paulatim ſubrepens aqua in ſentinam, & per negligentiam derelicta, atque contempta impleat navim, atque ſubmergat? Neque enim id ſapientiſſimus Pater dixit, quia putaret multa levia peccata, uni gravi coæquari, ſed quia hæc, ſi non navim noſtri cordis operiont, at aperiunt, ut magnum fluctum peccati gravis ſuſcipiant. Tannerus duplici modo ea diſ-

Tanne. t. 2. diſ. 4. q. 3. dub. 3. num. 55.

ponere docet: 1. *Directe & per ſe*: quatenus generatim quemdam Dei ac rerum divinarum neglectum inducunt, & in certa materia, frequentata habitum generant, quo animus facilitetur ad actus ſimiles etiam in gravi materia exercendos. 2. *Indirecte & per accidens*: quatenus removent prohibens ſeu obſtaculum peccati mortalis, ſcilicet fervorem charitatis, & aliarum virtutum habitum, peculiaria quoque gratiæ auxilia, quibus alioqui homo fuiſſet a peccato mortali inhibitus. Quæ omnia complexus eſt breviter Sanct. Alber-

S. Albert. l. 3. c. 13. com. Th.

tus Magnus, dum in compendio ſuæ Theologiæ dixit: Peccatum veniale minuit fervorem charitatis, ſicut aqua in ignem projecta, licet ignem non extinguat, fervorem tamen illius temperat. Item potentias animæ in

Digitized by Google

bonis operibus laſſat, ſicut quando ponitur pondus ſuper equum, minus erit promptus ad ambulandum. Item bona cæleſtis gloriæ diminuit, non quidem illa, quæ jam habemus illi per meritum repoſita, ſed quæ deberentur, ſi venialia non fuerint, quia in eo tempore poſſunt aliqua bona fieri, quando illa fiunt.

XV. *Decimo noſſe debet, cur periculoſiora* *Did. Stella c. 4. Luc.* *quandoque ſint venialia peccata, quam mortalia*: de quo ſic diſcurrit Didacus Stella: Febris magna, ut erat hæc, qua laborabat ſocrus Petri, cito curratur; at febris, quæ in oſſibus latet, hæc vires rapit, & ad interitum ducit. Ita magnum peccatum raro nos in infernum ducit, nam ipſius magnitudo nos terret, ita ut in cognitionem ejus veniamus, quo fit, ut illius pœnitentiam agamus cum mentis noſtræ meliori reſcipiſcentia. At hæc peccata parva, in quæ quotidie delabimur, & ad quæ, ob ipſorum parvitatem, non reſcipiſcimus; hæc, inquam, ſunt, quæ in interitum celeri curſu nos vocant. Et confirmans ite- *Alv. c. 3. l. 5. p. 2. c. 16.* rum Alvarez, magna, inquit, & aperta peccata eo juſtis minus periculoſa ſunt, quo vel aſpectu eorum ſatis enormem & tetrum exhorrent; at minima, eo ipſo, quod minima, periculoſiora videntur, quia diſſimulanter intrant, latenter cor poſſident, & abſcondite ad miſerabilem ruinam diſponunt.

XVI. *Undecimo noſſe debet aſtutias Diaboli in hac materia uſurpari ab eo ſolitas*, quas S. *S. Bernar. ſ. 3. ſer. 1. poſt Paſc.* Bernardinus paucis verbis indicavit, dicens: Tantæ quippe aſtutiæ eſt ſerpens antiquus, ut hominem Deum timentem non mox invadat ſuggeſtione aperti ſceleris, ſed primum paululum reſtringit rigorum juſtæ diſcretionis, qui autem modica ſpernit (ut dicit Eccleſiaſti- *S. Ephr.* cus) paulatim decidet. Unde merito S. Ephrem hortatus eſt, dicens: Vos hortor, obteſtorque, fratres, ut non ſolum a gravioribus peccatis ac vitiis temperetis, ſed etiam ab illis, quæ parva apparent, & levia, quæ tamquam minimi ac nullius momenti, fere ab omnibus negligi, ſpernique ſolent, quaſi nulla de ſimilibus reddenda foret ratio, cum interim per ejuſmodi nos ſpernere etiam quærat Diabolus. Omni ergo diligentia ac ſtudio, etiam in minimis illis, dolos atque inſidias Diaboli cavete, ut cum Chriſto ſempiterna gloria fruamini.

§. XII. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

De peccato mortali.

Luc. 7. v. 12. I. EX occaſione thematis: *Ecce defunctus efferebatur*: poteſt peccator adoleſcenti huic mortuo comparari, & 1. oſtendi, quod & ipſe per ſuggeſtionem a temperie & quiete mentis dimoveatur, per delectationem infirmetur: per conſenſum moriatur: per conſuetudinem efferatur: per contemptum ſepeliatur: per obdurationem gravi lapide opprimatur. 2. Quod loculus extinctæ animæ ſit corpus: Quatuor portitores amor peccati, timor pœnitentiæ, ſpes longioris vitæ, præſumptio de Dei miſericordia. Sepulchrum ſtulta ſecuritas conſcientiæ, quæ veluti gravi mole opprimi hominem, ne videat, in quo diſcrimine ſit. 3. Quod, ut ad vitam revocetur hic defunctus, debeat Chriſtus per ſuas internas Inſpirationes ei efficaciter dicere: Adoleſcens, tibi dico, ſurge. 4. Quod reſideat hic defunctus, quando per peccati deteſtationem ſe erigit ad Deum, & ad voluntatem ejus faciendam: incipiat loqui, cum peccata confitetur; ſurgat omnino, cum per opera ſatisfactionis, & vitæ emendationem ambulat in Dei lege: detur matri ſuæ, cum Eccleſiæ reſtituitur, ejuſque curæ ac ſollicitudini commendatur.

II. Ex occaſione thematis: *Noli me tangere:* *Jo. 20. v. 17.* poteſt narrari hiſtoria de Fenella Regina, quæ, cum odium concepiſſet erga maritum ſuum Kemetum, pomum præparari juſſit exteriori quidem ſpecie pulcherrimum, ſed intus ſagittis plenum, eaque arte confectum, ut in eum, qui pomum ab altero ablatum arriperet, omnes illæ ſagittæ erumperent, hoc ergo ſimulans amorem & ſpecialem benevolentiam cum obtuliſſet marito, ille incaute illud arripiens, miſere a telis erumpentibus interremptus eſt. Subinferatur poſtea idem cuivis peccatori contingere a Mundo, Carne, & Diabolo, dum & hi pomum pulcherrimum, ſcilicet concupiſcentiam divitiarum, voluptatum, honorum offerunt, ſeu, quod idem eſt, ad peccatum per conſenſum arripiendum invitant, ſed non alio cum effectu, quam quod innumera tela, id eſt, damna erumpentia miſere animam perimant. Unde poterunt breviter ejuſmodi damna explicari, præcipue quod noceat peccatum fortunis, famæ, corpori, animo, privans omni & ſummo bono, & onerans graviſſimo, & ſummo malo pœna ſcilicet æterna damni & ſenſus. Unde merito peccatori ſuadendum, ut prævideat hunc dolum Mundi, Carnis & Diaboli, ac in omnibus ſuis operibus ac tentationibus memoret noviſſima, ſeu exitum hujus pomi arrepti, ut in æternum non peccet.

III. Ex occaſione thematis: *Attende tibi a* *Eccl. 11. v. 33.* *peſtifero, fabricat enim mala*: poteſt peccatum peſti comparari, ob quatuor potiſſimum cauſas. 1. Quia, ſicut peſtis eſt malum valde hæreditarium, quod facillime ex conſortio peſtiferorum aut uſu rerum ab illis uſurpatarum contrahitur, unde monet tam ſollicite Sapiens: Attende a peſtifero. 2. Quia, ſicut peſtis, cito interitum affert animæ; anima enim, quæ peccaverit, ipſa morietur, teſte Ezechiele. 3. Quia, ſicut ulcus ſeu bubo per *Ezech. 18. v. 4.* peſtem generatus vehementer urit & cruciat corpus; ita peccatum graviſſimum cruciatum animæ per ſtimulum conſcientiæ affert. 4. Quia, ſicut ob peſtem averſantur, & fugiunt homines peſtiferum; ita peccator ob peccatum mortale a Deo, Angelis, Sanctis, & etiam hominibus in terra odio habetur, deſeritur, & declinatur. Inferatur ergo, ſi homines peſtem corporalem tantopere timent, & tam ſolliciti ſunt in mediis pro ea avertenda præparandis & adhibendis, quanto magis ſimilis cura & induſtria pro peſte hac ſpirituali avertenda ſit adhibenda. Et 1. quidem Deus & Sancti invocandi. 2. Conſortia peſtiferorum hominum, & loca peſte infecta ſeu occa-

Digitized by Google

occaſiones peccandi declinanda. 3. Varia remedia peſtiferum aerem excludentia uſurpanda præcipue Angelica timoris Domioi, ſuccus amarus [illegible] lacrymæ ex corde ſerio pœnitente, & amore divino accenſo expreſſæ; cibus S. Euchariſtiæ ſumptus, quia qui ab hoc abſtinent, & jejuni ſunt, facile contrahunt malignum peccati habitum: ungentum conſiderationis noviſſimorum temporibus, id eſt, iotellectui & voluntati illitum.

Gen. 2. v. 17. IV. Ex occaſione thematis: *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas*: poteſt peccatum huic ligno comparari, & peſſimi effectus ex ejus comeſtione ſecuti explicari, videlicet 1. *apertio occulorum* juxta illud Sacri textus: Et aperti ſunt oculi amborum, quia, ut bene Serapion Scriptor Græcus advertit, fit quotidie in nobis, quod io primis Parentibus factum eſt: quando peccamus, tunc cæci ſumus; ubi peccavimus, tunc primum agnoſcimus, quantum mali admiſimus, noſtrique facti nos pudet, tædet, ac pœnitet. 2. *Nuditas*: nam & illi cognoverunt ſe eſſe nudos. Quod & per peccatum tanto deteſtabilius contingit, quanto gravior eſt ablatio gratiæ & virtutum ſupernaturalium, quam veſtium corporalium. 3. *Confuſio & pudor*: ideo enim ſe foliis ficuum texerunt; magis autem peccator ſentit hunc effectum, ut cui merito objicitur illud S. Pauli: Quem fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus non erubeſcitis? 4. *Stimulus conſcientiæ*: hic enim abſconderunt ſe a facie Dei. Quod idem paritur peccator, quia, ut bene dixit Muſonius apud Gellium, cum quis per voluptatem aliquid turpe geſſit: quod ſuave eſt, abit: quod turpe & triſte eſt, manet. Hinc & Caino dictum a Deo: ſi autem male egeris, ſtatim io foribus peccatum eſt, id eſt, ſtimulus peccati. 5. *Metus pœnæ*, hinc enim dixit Adam: Vocem tuam audivi, & timui: tanto magis autem timere debet peccator, quanto plura & graviora peccata admiſit. Incitandi ergo Auditores, ut vel primorum Parentum exemplo ſapiant, & ab hoe pomo abſtineant. Vide Fabrum l. c.

(Marg.: Gen. 3. v. 7. — Apud Fab. conc. in Dom. 7. poſt Pent. — Rom. 6. v. 21. — Gen. 4. v. 7.)

Luc. 17. v. 14. V. Ex occaſione thematis: *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus*: poteſt peccatum lepræ comparari ob varias cauſas. 1. Quia ſicut lepra totum corpus, ita peccatum totam animam inficit. 2. Quia ſicut lepra tetrum odorem in corpore, ſic peccatum in anima infamiam, quæ peſſimus eſt odor moralis, generat. 3. Quia ſicut lepra ſeparat a conſortio hominum, ideoque leproſi ex urbe excluduntur: ſic peccatum a conſortio Dei & Sanctorum & civitate cæleſti excludit. Inferatur ergo, quam æquum ſit, ut cum decem leproſis, de quibus Evangelium Dominicæ decimæ tertiæ Penteeoſten loquitur, ad Chriſtum confugiatur, dicaturque: Jeſu, Fili David, miſerere noſtri. Et quoniam Chriſtus pariter dicit: Ite, oſtendite vos Sacerdotibus? huic ipſius conſilio ſerio pareatur.

Luc. 18. v. 31. VI. Ex occaſione thematis: *Ecce aſcendimus Jeroſolimam & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis*: poteſt oſtendi, quomodo per peccatum paſſio Chriſti renovetur, & 1. quidem *vendatur* pro vili pretio voluptatis cum Juda. 2. *Vinciatur* per ſunes & vincula inordinatorum affectuum. 3. *Negetur* cum Petro, dum verbis confitetur ſe noſſe ipſum, factis autem negat. 4. *Flagelletur* per actus peccatorum repetitos, ſicque impleatur illud Pſalmi: Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores. 5. *Coronetur*: per contemptum & cogitationes malas in capite præcipue reſidentes. 6. *Cruce gravetur*: peccata ſua quavis cruce graviora ipſi imponendo juxta illud Iſaiæ: Cum ſceleratis reputatus eſt, ipſe peccata multorum tullit. 7. *Crucifigatur*: juxta illud Apoſtoli: rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes. Unde merito S. Bernard. ſequentibus verbis homines peccatores alloquentem introducit. Cur me graviori criminum cruce, quam illa, in qua quondam pependeram, affixiſti? gravior enim apud me peccatorum tuorum crux eſt, io qua invitus pendeo, quam illa, in qua tui miſertus, mortem tuam occiſurus, aſcendi. Videri poteſt hæc omnia ſuſius deducens Henricus Engelgr. p. a. Lucis Evang. conc. in Dom. Quinq. & Julianus Hayneuſe in fer. 6. Paraſceve. Verit. pract.

(Marg.: Pſ. 128. v. 3. — Iſaia 53. v. 12. — Heb. 6. v. 6.)

Jer. 2. v. 12. VII. Ex occaſione thematis: *Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer, dicit Dominus; duo enim mala fecit populus meus*: poteſt gravitas peccati per ingenioſam Parabolam ab Euſebio Nierimbergio propoſitam in hunc modum proponi: Fœmina erat Æthiopiſſa & invenuſta (Anima) quæ pedibus & manibus ligata (funibus & vinculis peccatorum ſuorum) trahebatur a latronibus (Dæmonibus) & volutabatur per fœtida loca (turpium voluptatum) ut in fornacem ardentem (inferni) conjiceretur. Hujus Rex quidam (Chriſtus) cui nemo ſimilis, miſertus, ut eam liberaret, (ſolus erat) expoſuit ſe morti pro ea, & acceptis multis vulneribus, fuſo toto cruore, fugavit latrones, & illam ſanguine ſua mundavit, tum in Sponſam accepit, & Reginam coronavit; extruxit illi aulam magnificam (orbem terrarum) mireque eam exornavit (tot ſtellis & aliis rebus pretioſis) undique ſculptam relinquens imaginem ſui (nempe in omoibus creaturis) ut amorem illius ſibi conciliaret. Diſpoſuit quoque familiam; & donavit ei ſervos innumeros, quin & ipſe miniſtravit illi in obſequiis humilibus (tum per humanitatem aſſumptam, tum per cooperationem in omnibus actionibus) delicias ſuas reputans eſſe cum illa. Inſuper inſtituit hæredem regni ſui, promiſſis donis multo majoribus, ſi fidem ſervaret. Verum illa contempto Rege (per peccatum) ſollicitavit ad adulteria ſervos viliores, qui ſtabala curabant, & renitentes, fidemque Regi ſervare cupientes cogebat ad adulterium. Subinde cum benignior erga illam eſſet Sponſus, omnino illum hoſtibus (Muodo ac carni) prodidit, tradiditque, qui excæcarunt illum, &, illuſerunt. Denique imagunculas Regis, quæ per angulos aulæ inciſæ fuerant, contempto Rege venerabatur; cumque Sponſus coram illa eſſet, amplexus illius deſiderans, illa terga vertebat, pertæſa Regem & Icones illas quæritans.

(Marg.: Eu. Nierember. in l. de adorat. l. 1. c. 6.)

Quo

Digitized by Google

Quo facto duo illa mala commiſit, quæ populum ſuum feciſſe, Deus tantopere queſtus eſt dicens: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, quæ continere non valent aquas. Quæ omnia fuſius apud Nieremb. l. c. explicata videri poſſunt.

Mat. 9. v. 7. VIII. Ex occaſione thematis: *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*: poſſunt explicari potiora media ad peccatum vitandum. 1. Ergo demonſtretur, peccatorem eſſe ſimilem Paralytico ad probaticam piſcinam jacenti, cum vere & is langueat in omnibus membris, ſeu potentiis, non poſſit ſe juvare, atque adeo auxilio Chriſti opus habeat. 2. Oſtendatur, quod & ipſi curato dicat Chriſtus: *Surge* per veram pœnitentiam, ac deteſtationem peccatorum; *tolle lectum tuum* deferendo occaſiones peccandi, tam externas quam internas propriarum concupiſcentiarum inordinatarum. Et *vade in domum tuam*: Id eſt, totis viribus ea, quæ ad tuam ſalutem & commodum ſpirituale pertinent, pertracta; in his enim tribus tota ſubſtantia veræ converſionis ac pœnitentiæ conſiſtit. Vide Fabrum conc. 2. Dom. 18. poſt Pent.

Luc. 10. v. 30. IX. Ex occaſione thematis: *Homo quidam deſcendebat ab Jeruſalem in Hiericho, & incidit in latrones*: poteſt peccator huic homini comparari, & 1. oſtendi, quomodo & ipſe deſcendat ab Jeruſalem (ſeu ſtatu gratiæ) in Hiericho (ſeu ſtatum peccati) incidat in latrones (id eſt, Dæmones) qui ſpoliaverunt eum (virtutibus & meritis, & gratia) & plagis impoſitis (id eſt, vulneribus peccati inflictis) ſemivivum (nempe corporali dumtaxat, & non ſpirituali etiam vita viventem) reliquerunt. 2. Oſtendatur quomodo curari debeat, ſcilicet per *oleum miſericordiæ divinæ*, pro quo proinde ſæpius orandus eſt Samaritanus Chriſtus, & per *Juſtitiæ vinum* ideſt propriam cooperationem ac pœnitentiam. De quibus vide Fabrum conc. ultima in Dom. 12. poſt Pentec.

Luc. 15. v. 18. X. Ex occaſione thematis: *Surgam, & ibo ad patrem meum*: poteſt peccatoris ſtatus cum ſtatu filii prodigi comparari; Et 1. quidem oſtendi, quomodo & cum quo fructu receſſerit a patre, nempe quod in primis incurrat indignationem patris, hæreditatem amittat, diſſipet ſubſtantiam acceptam (id eſt, gratiam, virtutes, & merita tam præſentia, quam futura) paſcat porcos (id eſt, fœtentes cupiditates ac paſſiones ſuas) & delectetur ſiliquis porcorum (voluptatibus immundis, nec tamen illis ad votum ſatiari poſſit.) 2. Quomodo redierit ad patrem. Et ab initio quidem redierit in ſeipſum; Surrexerit & iverit ad patrem exequendo ſtatim propoſitum: doluerit de peccatis, eaque patri confeſſus ſit: ſatisfactionem ſe obtulerit dicendo: Jam non ſum dignus nominari filius tuus. De quo vide Julium Haynceuſe in veritatibus practicis. Fer. 5. infra hebd. 24.

De peccato veniali.

Eccl. 31. v. 8. XI. Ex occaſione thematis: *Beatus vir, qui inventus eſt ſine macula*: poteſt dici, quod multæ quidem ſint maculæ, quæ ſponſam aliquam ſponſo minus placentem & dilectam efficiunt, ſed præcipue ſcabies, utpote quæ totum plerumque corpus, atque adeo ſingula membra inficit, & maculat. Talis autem ſcabies eſt ipſum peccatum veniale; id quod fuſius ex comparatione oſtendi poteſt. Et 1. quidem propter *originem*: quia ſicut ſcabies ex nimia abundantia malignorum humorum naſcitur; ita peccatum veniale ex nimia concupiſcentia rei alicujus creatæ. 2. Propter *fœditatem*: quia ſicut ſcabies omnem corporis pulchritudinem tollit, ideoque, licet non omnino a conſortio ſponſi excludat, tamen minus amabilem facit, & horrorem ac diſplicentiam parit; ita idipſum reſpectu Dei peccatum veniale facit. 3. Propter *effectus*: quia ſicut ſcabies valde magnam corpori moleſtam & pruritum affert, ac interdum ſi ad interiores corporis partes repellatur, omnino mortem affert; ita & ipſa peccata venialia magnum valde pruritum animæ afferunt propter inordinatas concupiſcentias, quæ quieſcere eam non ſinunt, & ſæpe, ſi augeantur, ad mortem peccati mortalis diſponunt. 4. Propter *modum curandi*: quia ſicut ſcabies plerumque per aquas & balnea curatur; ita peccata venialia per aquas lacrymarum, ex pœnitentiæ fontibus hauſtas: ad quas proinde frequentius adhibendas Auditores excitentur.

XI. Ex occaſione thematis: *Socrus autem Simonis tenebatur magis febribus*: poteſt peccatum veniale febri comparari. 1. Quia omnem animæ ſpeciem, & pulchritudinem, ſicut febris corpori, aufert. 2. Quia ſicut febris immodico æſtu & frigore corpus graviter vexat; ita ipſum graves & moleſtos æſtus concupiſcentiæ, & frigus cupiditatis ſpiritualis in anima producit. 3. Quia ſicut febris corpus valde debilitat, & ad lucra ex laboribus capienda inutile facit; ita ipſum vires animæ ſummopere imminuit, atque a lucro meritorum cæleſtium impedit. 4. Quia ſicut febris invaleſcens ad mortem diſponit; ita & ipſum, niſi mature per pœnitentiam curetur, paulatim per habitus malos generatos ad mortem peccati mortalis perducit. Excitentur proin Auditores, ut mature ad medicum Chriſtum in Sacramento Pœnitentiæ & Eucharistiæ recurrant, quia, teſte S. Bernardo, hoc Sacramentum & ſenſum minuit in minimis, & in gravioribus, tollit omnino conſenſum. Vide Fabrum conc. 3. in Dom. 5. poſt Pent. *Luc. 4. v. 38.*

XII. Ex occaſione thematis: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*: oſtendi poteſt. 1. Quanti ſemper ab hominibus æſtimata ſit, & etiamnum æſtimetur pulchritudo, quantaſque vires ea habeat ad amorem omnium hominum conciliandum; quanto plures proin facienda ſit ſpiritualis animæ pulchritudo, per quam ipſius Dei, Cælitumque amor conciliatur. 2. Oſtendatur, ſicut pulchritudo corporalis, per tria vitia corrumpitur, nempe per vultus nigredinem, maculas, & rugas; ita id ipſum in ſpirituali quoque pulchritudine contingere, utpote quæ & in ipſa corrumpitur aut imminuitur, vel per nigredinem pec- *Cant. 4. v. 7.*

Thren. 4. v. 8. peccati mortalis juxta illud Jeremiæ: Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non *Job. 30. v. 30.* ſunt cogniti in plateis: Et Jobi: Cutis mea denigrata eſt ſuper me, & oſſa mea aruerunt præ caumate: vel per maculas peccati venialis, & rugas imperfectionum, ſeu languoris ſpiritualis, de quibus Apoſtolus locutus eſt dicens: Ut exhiberet ſibi ipſe glorioſam Ec-*Eph. 5.* cleſiam, non habentem maculam, neque rugam. 3. Oſtendatur gravitas hujus maculæ tum ex bonis, quæ impedit per diminutionem amoris, ex quo tamquam radice omnia bona oriuntur animæ; tum ex acerbitate lixivii aut balnei, quo in altera vita purganda eſt, nempe per purgatorii ignem. Qua de re videri poſſunt Nicolaus Lanciz. opuſc. 16. toto, ſed præcipue cap. 11. & Jac. Alvarez de extinct. vitior. p. 1. l. 1. c. 6. & ſeq.

De relapſu.

1. Cor. 10. v. 12. XIII. Ex occaſione thematis: *Qui ſtat, videat ne cadat*: poteſt peccatum morbo caduco comparari, ob tres præcipue cauſas. 1. Quia ſicut Epileptici frequenter cadunt & affliguntur in terram; ita & conſuetudinarii peccatores. 2. Quia ſicut illi arcentur a conſortio hominum, & miniſteriis ſacris; ita & Epileptici Spirituales ab uſu Sacramentorum, aliorumque miniſteriorum Sacrorum utili ſaltem uſu repelluntur, & ad optatam cum Deo & Sanctis familiaritatem non admittuntur. 3. Quia ſicut Epilepticus morbus præcipue ſanguinis humani hauſtu curatur; ita & relapſus in peccatum frequenti ſumptione corporis & ſanguinis Chriſti cavetur.

Luc. 11. v. 24. XIV. Ex occaſione thematis: *Non inveniens requiem, dicit: revertar in domum meam, unde exivi*: poteſt oſtendi gravitas relapſus ex triplici capite. 1. *Ex parte Dei*; quia talis peccator magis a Deo derelinquitur; nam, ut languor prolixior agravat Medicum, & ſemel atque iterum de Medico ſanatum, ſua tamen culpa recidentem, Medicus tandem fatigatus faſtidit, & irrito labore fatigatus deſerit; ita Dei indulgentia, & miſericordia ſæpius abu-*Joan. 5. v. 14.* tentem, Juſtitia Dei deſerit. Hinc Chriſtus ægroto dixit: Ecce ſanus factus es: jam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. 2. *Ex parte Diaboli*, quia ſicut, quando captivus ſemel elapſus, iterumque deprehenſus arctius a lictore cuſtoditur; ita & dæmon eum, qui ſemel iterumque per pœnitentiam illius evaſit, cautius cuſtodit, & vehementius impugnat, aſſumens ſecum ſeptem ſpiritus nequiores ſe. 3. *Ex parte peccatoris*: quia ut convaleſcens periculoſius labitur, & per frequentatos actus frontem & pudorem exuit, & conſuetudinem induit; unde, ut expertus eſt *S. Aug. l. 8. conf. c. 5.* S. Auguſtinus, ex voluntate perverſa fit libido, & dum ſervitur libidini, fit conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, fit neceſſitas, ſeu dura ſervitus. Ob quam cauſam S. *S. Amb. l. 2. de pœn. c. 10.* Ambroſius dixit: Facilius inveni, qui innocentiam ſervarent, quam qui congrue pœnitentiam agerent. Vide Stapl. tex. 6. in Dom. 4. Quadrag.

XV. Ex occaſione thematis: *Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*: poteſt explicari triplex potiſſimum motivum, ob quod relapſus caveri debeat. 1. *Propter ſummam ingratitudinem*: quæ enim major ingratitudo excogitari poteſt, quam ſi captivus ad mortem damnatus, & ſumma cum difficultate & pretio, ab interitu liberatus, ultro iterum ſe per antiquum delictum in priſtinam captivitatem conjiciat? aut æger pretioſiſſimis medicinis, & maximis impenſis liberatus, ultro ſibi & malitioſe antiquum morbum acceſſat? 2. *Ob turpitudinem ſummam*: quid enim turpius, quam cura porcis in luto; unde paulo ante exierat, & ablutus erat, denuo volutari? quid fœdius, quam materiam ex ore ejectam ſponte reſorbere, & ad antiquum vomitum redire? 3. *Ob ſtultitiam maximam*: quæ enim major ſtultitia, quam ſemel cum avicula e laqueis ereptum eſſe, & tamen ultro ad eaſdem inſidias redire? cumque ipſa etiam bruta, Aſini maxime, nulla vi adigi poſſint, ut ad locum, ubi ſemel ceciderunt, redeant, ſolum hominem ad priſtinas peccandi occaſione redire, & recidere?

§. XIII. ALII CONCEPTUS.

De peccato mortali.

Gravitas.

I. IN Epiſtola, quam S. Paulus ad Hebræos dedit, cum docere vellet, unde accerſe-*Did. Nyſſ. in vit. Abrah. l. 2. c. 9.* re nobis ſolatium inter ærumnas, & robur ad fortiter perferenda adverſa debeamus, jubebat attentis oculis Chriſtum Magiſtrum, & Ducem noſtrum arbitrari, qui omnia cruciatuum & dolorum genera expertus fuerit, atque idcirco non miſereri non poſſit eos, qui rebus affliguntur adverſis. Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, *tentatum autem per omnia, pro ſimilitudine, abſque peccato*; Hebr. 4. 15. Hic locus multas dubio procul patitur difficultates. Nam quantum verba Apoſtoli ſonant, videtur ille dicere, quod Chriſtus ſolum apparenter tentatus fuit: Tentatum pro ſimilitudine; quodque illius tormenta fuerunt magis picta, quam vera, ſed cum fidei certum dogma habeat, Apoſtoluſque ipſe doceat, quod Chriſtus reapſe, non imaginarie, vere, non apparenter paſſus eſt, quomodo verba ejus recte accipiemus? verus illorum ſenſus facilis eſt, & obvius. Nonne dicit S. Paulus, Chriſtum fuiſſe tentatum, vexatum, paſſum abſque peccato? certum eſt: Quod ergo dicit, tale eſt: Non ajo ego, Chriſtum non fuiſſe vere tentatum, afflictum, cruciatum, paſſum; hoc dicere volo, tantam eſſe peccati malitiam, ut omnes miſeriæ, cruciatus, dolores, ſi cum illo conferantur, magis picti, quam veri videantur, ut propterea Chriſtus, quia abſque peccato fuit, magis pro ſimilitudine tentatus, quam reapſe; & apparenter potius, quam vere paſſus fuerit; quamvis ineſplicabiles cruciatus tulerit. Granditer, & magnifice amplificavit Apoſtolus malitiam peccati, quæ tanta ſit, ut dolorum & cruciatuum nomen non mereantur quantivis illi dolores, & cruciatus a quibus abſit peccatum.

II. S.

S. Bruno S. de Nat. II. S. Bruno alicubi ait: Superflua, & nociva ſola peccata ſunt. Graviter dictum illud, ſuperflua ſola peccata ſuni. Superfluum vocatur id, quod nulli uſui eſt ex quo nihil utile fieri poſſit. Solum ergo peccatum ſuperfluum eſt; ex illo enim nihil niſi malum, & noxium hauriri poteſt. Cætera mala ſuperflua dici nequeunt, nam *diligentibus Deum* (ut ſanctus Paulus Rom. 8. 28. habet) *omnia cooperantur in bonum*, etiam illa, quæ mundus in malis non bene cenſet. Ingenioſa charitas & alchimiæ ſanctioris peritia, ſolerter ex ferro ærumnarum producit aurum, ad conficiendam coronam gloriæ, & tamquam ſedula apis ex omnibus legit mel, non ex ſuavi roſmarino ſolum; verum ex amariore geniſta etiam. Ex omnibus meritorum lucra facit ſervus Dei. Ergo ſi omnia mala, quæ conjuncta habent gratiam Dei, convertuntur in bona, nullum aliud malum erit præter peccatum, quod omnia bona ſic pervertit, ut convertat in mala.

S. Thom. 2.2. queſt. 144. art. 3. III. Quærit Angelicus Doctor S. Thomas, utrum in virtuoſis hominibus poſſet eſſe verecundia? hoc eſt, an quid ſit quod illis adferre ruborem queat. At poſtquam ventilavit quæſtionem, ſic de illa pronunciat: Senes, ſi virtuoſi carent verecundia, ſunt tamen ſic diſpoſiti, ut ſi in eis eſſet aliquid turpe, de hoc verecundarentur. Quam apposite hoc io loco Angelicus Doctor ſenes virtuoſis adjunxit! Senem quidvis decet, nullius rei illum pudet. Ubique loqui, & ſedem, quam vult, deligere poteſt. Non illum dedecet neglectior veſtitus, horridula verba quamquam proferat, tametſi ejus impexa ſit oratio, tametſi incompti inornatique ſermones, non erubeſcit. Tales ſunt etiam virtutis ſtudioſi, verecundia carent, ſolum peccatum eſt, quod illis dedecori eſſe poſſet, ſolum peccatum vident eſſe indecorum, & adferre poſſe igoominiam.

S. Ambr. lect. 18. in Pſ. 118. IV. Salomoo inter alia ſapienter dixit: *Laudavi magis mortuos, quam viventes, & feliciorem utroque judicavi, qui nec dum natus eſt*. Eccl. 4. v. 3. velut dixiſſet: Expeodi in ſtatera vivos, mortuos, nondum natos, & in altera quidem lance poſui vivos, cæteros in altera, & viſa ſunt mibi graviora pondera horum, quam illorum. Poſſemus hic jam ſciſcitari, cur Salomon mortuos ſupra vivos extulerit, & utriſque feliciores arbitratus fuerit eos, qui noodum in hanc lucem editi eſſent. Videtur enim is, qui non eſt, in comparationem eorum, qui ſunt, vel certe fuerunt, venire non poſſe. Sanct. Ambroſius hanc nobis adimit dubitationem, inquiens: Mortuo præfertur, qui natus non eſt, quia peccare neſcivit. Qui neſcit, quid ſit peccare, neſcit quid ſit eſſe infelicem: propterea ille vere infelix eſt, qui vivit, eoque nomine beatior illo eſt, qui mortuus; jam enim ceſſavit peccare, &, abſolute loquendo, major eſt infelicitas illius, qui actualiter peccator eſt, quam ejus, qui æternis apud inferos cruciatibus addictus, quia hic jam non eſt in eo ſtatu, in quo peccare queat: (quamquam viventi etſamnum peccatori ſpes ſit reliqua, quod a malo ſtatu ſuo cum opitulatricis gratiæ Dei auxilio avadere poſſit) & mortuum, cui vita, ſimulque poteſtas peccandi deceſſit, hac re ſuperat ille, qui numquam vivit, quia nunquam etiam, quid eſſet male agere, ſcivit. Itaque tametſi inter non natum, & damnatum, ſit quædam conditionis inæqualitas, alter alterum excedat, ambo tamen felicitate præſtant vivo, quia hic poteſt delioquere: Illi vero vel non poſſunt, vel prorſus neſciunt, quid ſit, Deum offendere. Hinc arbitrari licet, quanta ſit miſeria peccare, & quod hæc ſola ſit ſuprema infelicitas. Et videtur Salomon invenire non potuiſſe, unde cenſeret homiois beatitatem, niſi inde, quod vel peccare nequiret, vel quid ſit peccare, igooret.

V. Jacob Patriarcha quibuſdam domeſticorum ſuorum ſic ajebat: *Abjicite deos alienos: ſurgite, & aſcendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo*. Gen. 35. 3. Illud *ſurgite* eſt vox accendentis animos ad ſtrenue agendum, quemadmodum copiarum militarium ductor verbis exhortatoriis incitare, & inflammare ſuos milites ad fortiter dimicandum ſolet. Ubi notandum, quod numquam ſic locutus fuit familiæ ſuæ Jacob, in quantocumque periculo verſaretur, ac ne tunc quidem, quando fratrem cum manu armata venturum timebat, & nihil niſi certam ab illo necem, extremamque ſtragem expectabat. Tametſi enim domeſticos ſuos admodum aciei ordinatæ digeſſit; verum hic, cum eos ad abjiciendos Deaſtros hortaretur, tamquam ad rem ancipitem & diſcrimine plenam excitaſſet, ajebat: ſurgite, quod verbum curam, ſollicitudinem, diligentiam, ac vigilantiam ſignificat. Cur vero ſanctus Patriarcha ſuos ea occaſione tam vehementer erigere tam acriter incitare ſtuduit! Eratne periculi aliquid præ foribus? Aut hoſtis a tergo forte imminebat? Aut buccinarum clangor aures illi, pectuſque perſtringebat? Aut ſplendentium armorum hoſtilium apparatus, ſtrepitus, aſpectus cor illius exterrebant? Nihil horum. Quid ergo illum tam ſolicitum, & anxium habebat? Abdicatio falſorum deorum, quos vernaculorum quidam colebant: Abjicite deos alienos, ajebat, abſtinete a peccando, & unum, ſolumque Deum venerari ſuadens. Hoccine vero taotum curæ, ſolicitudiniſque illi adferebat? Hoccine aoimum illius diſcruciabat? Hoccine pervigilem & inſomnem faciebat? Prorſus iſtud illum ſolicitabat vehementer, & premebat graviter, & torquebat acriter. Nam peccatum eſt inter hoſtes maximus, perniciabiliſſimus inter inimicos, inter adverſarios omnes maxime formidandus. Nam iratus, & armatus ad necem frater, & furioſus Caban, & totæ ærumnarum cohortes contra hominem aliquem fœderatæ, parvi momenti ſunt, dummodo a conjuratione illa unum abſit peccatum. Ac propterea Jacob ad hoc abjiciendum, fugandum, fugiendum tam ſtudioſe excitat ſuos, & totis animis rem iſtam agere hortatur. Ad hunc nempe inimicum ex anima ejiciendum, & conficiendum, omne animæ robur verti debet; quia illud eſt ſola & ſuprema infelicitas, cui mala omnia de via cedunt, & conceduot, & tributa pendunt. *Nyſſ. pot. 7.1.9.6.2.*

VI.

Digitized by Google

Dion. Carth. ap. Nyſſ. in Phœni. l. 1. c. 6.

VI. Quæſtio non levis eſt, cur divina ſeveritas permiſerit; ut diſcipulorum, quotquot fuerunt, ac futuri ſunt perfidioſiſſimus, ſævus ille ſui ipſius carnifex, cum in ſublimiſſimo ligno ſuſpenſus eſſet, creparet medius. Quod ad communem aliorum cautionem annotandum Archi-Apoſtolus Petrus putavit, dicens: *Suſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus*; Act. 1. 18. Mirus ſupplicii, & vindictæ modus! cum autem tam varia eſſent pœnarum genera, quas expetere a perjuro illo, & ſacrilego proditore divina providentia potuiſſet, quid cauſæ ſit, quod ad eum modum plectere illum voluit, ut ex arbore pendulus diſrumperetur medius; ſuſpenſus crepuit medius? Ecſtaticus Doctor Dionyſius Carthuſianus in eorum verborum commentario ait: Crepuit medius, qui Dei, & hominum mediatorem tam vili pretio impiiſſime vendidit. Titulus honoris, quo Gentium Apoſtolus inſtauratorem orbis donat, is eſt, quod ſit Deum inter, & homines ſequeſter: *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus*, inquit: 1. Tim. 2. v. 5. Hoc ille in crucis arbore adminiſtravit, ibi extincta omnis inimicitia, & pax pretio ſanguinis illius conſtabilita. Quid vero ſceleratus diſcipulus egit? Magiſtrum ſuum indigniſſime, quia minimo pretio vendidit, Mediatoremque Dei, & hominum, in manus ſanguinariorum hoſtium illius contradidit, ut probroſæ crucis pœnali uncino laceratus, turpem vitæ faceret inter ſupplicia clauſulam. Hoc fuit maledicti Apoſtoli nefarium crimen. Quæ vero illius pœna? Ea, quod ſuſpenſus crepuit medius. Pendulus ex arbore, rupto ventre crudelia, fœda, & fœtida tota profudit viſcera: At ſi hoc illius flagitium fuit, quod Mediatorem Dei, & hominum vendidit, conſequenter io lignum egit, decet hoc ita Judas, ut in ligno moriatur, & rumpatur medius. Ut hinc intelligas, per ea plecti hominem, per quæ Dei incurrit offenſam: ſuſpenſus crepuit medius, qui Dei, & hominum Mediatorem tam vili pretio impiiſſime vendidit.

S. Ambr. l. 7. in Luc.

VII. Sanct. Ambroſius in Lucam ſcribens, dicere videtur, ſtridorem dentium, vermes, & fletum in inferno proprie & effective non eſſe, ſed Scripturam ſacram ſolum per ſtridorem dentium exprimere voluiſſe immenſam acerbitatem pœnarum inferni. En verba ipſiuſmet ſancti Doctoris: Neque corporalium ſtridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis eſt corporalis; ſed hæc ideo, quia ſicut ex mala cruditate febres naſcuntur & vermes, ita ſi quis non decoquat peccata ſua, velut quadam interpoſita ſobrietate, & abſtinentia, ſed miſcendo peccata peccatis, tamquam cruditatem quamdam veterum, & recentium delictorum, igne adduretur proprio, & ſuis vermibus conſumetur: unde & Iſaias ait: *Ambulate in lumine ignis veſtri* &c. Ignis eſt, quem generat mœſtitia delictorum; vermis eſt, eo quod, irrationabilia animæ peccata mentem rei, ſenſumque compungant, & quædam exedant viſcera conſcientiæ, quæ tamquam vermes ex unoquoque naſcuntur, tamquam ex corpore peccatoris. Denique Dominus id per Iſaiam declaravit, dicens: *Et videbunt membra hominum prævaricantium in me, & vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Stridor quoque dentium prodit indignantis affectum, eo quod ſero unumquemque pœniteat. Sed contraria aſſerens damnatos vero & corporeo igne cruciari, communis & certa eſt, teſte Tannero.

Tanner. t. 2. d. 4. n. 34.

Menſ. diſput. 2. n. 2.

VIII. Quæſtio eſt, quæ ratio ſit, quod, cum peccator portatilem quemdam ſecum deferat infernum, nihilominus tripudiet, ſaltet, rideat, gaudeat, & jucundetur, haud ſecus, quam ſi in deliciis degeret Paradiſi? Pro hujus quæſtionis reſolutione obſervandum eſt, quod, quando filii a parentibus in ea valle, a qua Gehenna nomen ſuum deſumpſit, Idolo Moloch ſacrificabantur, ne matres & proximo ſanguine filiis ſacrificandis conjuncti, ex eorum clamoribus, ululatibus, & gemitibus inauditis contriſtarentur, harmonicos ſolebant excitare organorum, cantuum, tympanorum, tubarumque ſtrepitus, qui horribiles infantium illorum ſtridores penitus abſorbebant, adeo ut nec quicquam audirent. Eodem pariter artificio ſerpens ille aſtutus utitur circa peccatores: ne enim ad conſiderandum miſerabilem, in quo degunt, ſtatum, mentem ſuam applicent, eoſdem voluptatum, deliciarum, gaudiorumque mundanorum blandimentis totaliter occupat: Tenent tympanum & cytharam, gaudent ad ſonitum organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.

Idem diſp. 3. n. 3.

IX. De talpa ſcribunt naturales Philoſophi, quod intra terram cæca vivat, eaque paſcatur, & nutriatur, oculos autem ſuos numquam aperiat, niſi quando moritur. Certe in ordine ad explicandam impii peccatoris conditionem, nulla poteſt in medium adduci aptior ſimilitudo; hic enim ad imitationem ſerpentis infernalis patris ſui (vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria Patris veſtri vultis perficere) terram comedit omnibus diebus vitæ ſuæ: ſtatuerunt oculos ſuos declinare in terram: conglutinatus eſt in terra venter eorum; ipſoque ſapiente teſte, cæci ſunt; Excæcavit enim eos malitia eorum; in articulo autem mortis aperiunt oculos ſuos, numquam in æternum in tenebris illis infernalibus claudendos. Unde S. Gregorius Magnus ait: Oculos, quos culpa claudit, pœna aperit; tunc igitur, quantumvis inviti, diſtincte videbunt, & intelligent omnia peccata ſua, quibus tot annis Creatorem & Salvatorem ſuum offenderunt; qui tamen tunc Salvator ipſorum non erit, utpote cujus juſtiſſima ſententia fuerunt ad æternæ perditionis barathrum condemnati. Tunc ſive quis rapuit, ſive avare quæſivit, ſive injuſte inimicus cujuſquam fuit, inquit D. Chryſoſtomus, ſive quid aliud improbum deſignarit, univerſus peccatorum chorus deſignatur, & oculis ſeſe offert, ſtatque acerbus conſcientiæ accuſator.

Damnum.

Nyſſen. in Phem. l. 3. c. 7. X. Cum in protoparentem noſtram iratus Judex pronunciaret, hanc illi pœnam inter alias denuntiavit: *In dolore paries filios*; Gen. 3. 16. velut aliis verbis dixiſſet: Acerbiſſimi erunt dolores, & vehementiſſimi cruciatus, quibus affligaberis, quoties uteri tui pignora edere, & ad uſuram lucis communem eniti, *Baſil. Seleuc. par. 3.* voles: Baſilius Seleucienſis ea ſacri textus verba ſic illuſtrat; Tu, cum fructu interdicto te non abſtinueris, fructu uteri tui miſere cruciaberis. Mortalium viventium ærumnoſæ matris prima culpa ea fuit, quod ad vetitam arborem manum cupidam prælicenter extendit, *tulitque de fructu illius, & comedit*, Gen. 3. 6. Quod filii vocentur fructus ventris, id ſacrarum litterarum trita phraſis habet. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*; ajebat ille Pſal. 131. v. 11. Et beata Eliſabeth Mariæ: *Benedictus fructus ventris tui*. Lucæ 1. 42. ſunt alia præterea ſine numero loca, ubi tali nomine donantur liberi. Ut ergo intelligeremus, in eo quemque plecti, in quo deliquit, & ex ferro culpæ ab artifice Deo cudi gladium pœnæ, idcirco hæc nobis doctrina in primo ſupplicio, quod de prima peccatrice ſumptum, tradita fuit, & ſalutare illud documentum datum, nam quoniam in arboris vetitæ fructu peccavit, in ſui ventris fructu, hoc eſt, filiorum difficili partu pœnas luit. Cum fructu interdicto te non abſtinucris, & fructu uteri tui miſere cruciaberis.

Nyſſ. l. 6. c. 8. XI. Non intempeſtive etiam huc veniet quædam Moyſis Bar-Cephæ obſervatio qui ſciſcitatur, quid myſterii ſubeſſe poſſit ſupplicio, quo Deus Protoparentum noſtrorum ſeductorem caſtigavit, illud his verbis expreſſit Dominus: *Quia feciſti hoc, ſuper pectus tuum gradieris, terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*. Gen. 3. v. 14. Sed quare hunc primi ſceleris ſollicitatorem, qui blandiloquentiæ ſuæ lenociniis primos peccatores in culpam impulit, tali pœna mulctavit, ut per terram ſecundum pectus reptaret, & ſolum pro victu tenuem pulverem haberet? & cum in victu decernendum ejus ſupplicium eſſet, cur magis ad terram, quam aliam quamdam rem vilem comedendam damnatus fuit? Ad hoc reſpondit Auctor, quem dixi, libri de Parad. part. 1. Pulverem comedes omnibus diebus vitæ tuæ, nempe in pulverem redegiſti primos parentes, pulvere igitur veſceris tota vita. Pœna, quam primis parentibus pro ſuæ prævaricationis merito Dominus inflixit, ſic habebat. *Pulvis, & in pulverem reverteris*. Ibid. v. 19. Hæc pœna ſuam originem duxit ex tranſgreſſione, in quam veterator ſerpens Evam, Eva conjugem ſuum Adam pertraxit; de vetitæ autem arboris fructibus comedere ſua certa inevitabilis mortis mulcta interdictum erat, idque his verbis: *De ligno ſcientiæ boni, & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*. Gen. 2. v. 17. ſed accedamus ad rem, ut videamus, quam congruat conceptus cum argumento hujus capitis. Evam per ſerpentem, tamquam inſtrumentum induxit Demon, ut ambitioſa cupiditate conſequendæ Deitatis vetitum comederet fructum. Male circumſcripta mulier recens nupto marito perſuaſit, ut eundem deguſtaret fructum, qui poſtquam illius precibus ceſſiſſet, ſolam ex convivio mortem cum ipſe, tum uxor reportavit, ex qua in pulverem ambo indeclinabiliter convertendi erant. Omnem hanc illis tragædiam doloſus ſerpens ſuis officiis adornavit. Dixit nunc Domious: Cum ſerpens eo deliquerit, quod fuit ſolicitus incitator, ut homines verterentur in pulverem, ſit etiam deinceps tam venenoſæ beſtiæ cibus non alium, quam pulvis, ut palam fiat, quod Deus parem ſceleribus inferre pœnam ſciat, & ad eum modum punire hominem, quo ab illo offenditur. In pulverem redegiſti primos parentes, pulvere igitur veſceris tota vita.

XII. Admiranda fuit olim divitis Epulonis obſecratio, qua ex ardenti pœnæ ſuæ flagno Abrahamum interpellavit: Guttulam aquæ nonniſi uoicam, ad inflammatæ linguæ refrigerium ſupplex depoſcebat. Oratio ejus talis erat: *Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intigat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam*; Luc. 16. v. 24. Oh! in quantam miſeriam, & penuriam redactus fuit homo, paulo ante tam ſplendide, & laute vivere, atque epulari ſolitus! Extremum Lazari digitum implorat, deciduamque ab illo ſtillulam aquæ petiit, qua linguæ ardorem vel nonnihil mitigaret, quo intollerabiliter affligabatur. O quam ſubtile, & commodum eſt themati noſtro, quod in hanc rem beatiſſimus Papa Gregorius excogitavit! Is lib. 18. moralium c. 12. ſic ſcribit: Videmus in verbis divitis ex ſubtiliſſimo Dei judicio, quam digna tali culpæ pœna reſponderit. Agente namque inopia illic uſque ad minima petenda compulſus eſt, qui agente tenacia uſque ad minima neganda pervenit. Quid retribui ſubtilius, quid diſtrictius poteſt? Diligenter conſiderandum ſecretum Dei judicium, quo in divitem illum Epulonem animadvertit, quando tam inopem fecit, ut inter ultrices flammas unicam ſolam, nec aliam, quam aquæ guttulam poſtularet. Quamobrem vero tali ſupplicio addictus fuit, ut unam aquæ guttulam anhelus peteret, & conſequi non poſſet? Attentis oculis legite quæ apud S. Lucam dives, & avarus Epulo pauperi Lazaro faciebat, cum ad ejus fores ſame tantum non enectus jaceret. *Jacebat ad januam ejus cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat*, ibid. v. 20. 21. Tam importuna, & moleſta eſuries ulceroſum infeſtabat Lazarum, & ut latratus & exactiones immanes inanis ventriculi, ſolis micis fortuito relictis, ante menſam avari divitis delapſis compeſcere vellet, & neque tam facile, tenueque, & parabile ſamia levamen illi quiſquam ferret. Dicit tunc Gregorius: Notate mihi hic magnitudinem ſapientiæ omnipotentis Domini, & juſti Judicis, quomodo divitem Epulonem eo torqueat, quo peccavit. Ille nolebat occurrere naturali deſiderio, quo miſer Lazarus ſuam diræ famis duram neceſſitatem micis *Ibid.*

Digitized by Google

micis decidui panis depulſam optabat: Luat ergo tantam inhumanitatem ſuam expectatione, & expetitione ſtillulæ aquæ, & numquam obtineat; ut vel hinc liqueat, num ſapienter ſupremus Judex noverit diſponere, ut ex ferro culpæ conflettur gladius pœnæ, hoc eſt, ut affligatur gutta aquæ petitæ, ocque impetratæ, qui deliquit mica panis poſtulati, & non conceſſi. Quam digna tali culpæ pœna reſpondit! namque illuc uſque ad minima petendia compulſus eſt; qui hucuſque ad minima neganda pervenit; quid retribui ſubtilius, quid diſtrictius poteſt?

Ibid. XIII. In ipſis adeo brutis animalibus reperiemus, quo thema noſtrum conſtabiliamus, de quibus patientiæ Sponſus Job dixit, ut iis nonnunquam pro magiſtris, & vitæ moderatoribus utamur, inquiens: *Interroga jumenta, & docebunt te*: Job. 12. v. 7. Videamus ergo, quid phœnix noſter Baſilius dicat de iis animalibus, quæ de morte vivunt animalium aliorum. Animalia, quæ ſanguine gaudent, & quæ aliis exitium adferunt, certom eſt longe minus fæcunda eſſe; quapropter leonis vis lena mater evadit. Hæc ille hom. 9. in Hexam. At quid latentis myſterii habere poteſt, quod animalia, quæ venatu, & cæde vivunt aliorum animalium, & vitali ſanguinis alieni paſcuntur liquore, eo plectuntur ſupplicio, ut rarum habeant propagationis ſuæ ſpeciei fructum, quem natura tam ardenter deſiderat? In promptu cauſa eſt ea, de qua hic agimus, quod videlicet Dominus ea re nos vult docere, quod eo ſoleat illi uti ad vindictam, quo peccans otitur ad culpam, id quod in ipſis adeo brutis animantibus oſſervat, ut propterea illis non permittat longam poſteritatis ſucceſſionem, quæ aliis abbreviant vitam, ut producant ſuam. Animalia, quæ aliis exitium adferunt, certum eſt, longe minus fœcunda eſſe, ſcilicet, ut ne diu in ſobole vivant, quæ vivere dio alia non ſinunt.

Idem ſ. 2. in Dom. 5. quadr. XIV. Peccatum quidem ſimile eſſe volunt particulæ negationis, *non*, quæ, ut Logicorum axioma habet, eſt malignantis naturæ, quia, quidquid poſt ſe invenit dictionis, deſtruit; ſit quiſquam prudens, ſapiens, ſanctus, ſolitarius & plurimis aliis virtutibus excultos, ut omnia hæc illi ornamenta detrahas, quid facto opus? A capite omnium encomiorum, quæ in illum congeſſiſti, unum *Non* ſtatue, ita illa elogia prorſum aboleviſti, ut ille, qoem antea tam multis commendaſti, jam non prudens ſit, non ſapiens, non ſanctus, non ſolitarius, quia negatio (quæ eſt illius inſignis malitia) omnia corrumpit, ac deſtruit, quæcumque poſt ſe invenit.

XV. Cicero dicebat, vitam juſti debere eſſe inſtar carminis, cui ſi vel ſyllaba deſit, aut exerret, ex ſyllabis: nihil accedere ſuperfluum verſui, nihil decedere neceſſarium debet; tantam requirit res iſta integritatem & æquitatem. Talis debet eſſe vita juſti, ſit quiſpiam amans aliorum, ſit patiens, ſit frugi, ſit dives virtutum, imo peccato evertere omnem illum apparatum poteſt.

Ibid. XVI. Quadrat huic propoſito illud cujuſdam ſancti emblema, quo ille pro conſiliorum ſuorum, & rerum, quas animo deſignarat, inſignibus utebatur: eratque brachium præferens gladium, quo detruncabat ſeptem capita Hydræ Herculeæ, cum hac adſcriptione: Aut omnia, aut nullum commodum eſt cauſæ præſenti emblema; ſerpens enim, ut ferunt, quo cum Hercules depugnavit, ſepticeps erat, quem ut expugnaret, neceſſum erat omnia, uno ictu ſimul demetere capita: nam cum unum ſolum amputabatur, ex illa alia ſeptem renaſcebantur. Itaque fortiſſimus Hercules ſeptem capita ejus ſimul defecuit, & ſic de Hydra triumphavit. Hoc propoſitum habere debet homo Chriſtianus, & curare, ut aut omnia flagitiorum monſtra obtruncet, aut nullum expugnaſſe putet: niſi enim omnia peccata capitalia ſubigas, numquam exibis victor; nam ſi unum ſolum reliquum facias, id te ſuperare, ac dejicere poterit. In quam rem dixit S. Dorotheus doctrina 11. Si unicam tantum paſſionem anima habituatam habuerit, ex ea ſubjecta jam hoſti mora etiam minima, in captivitatem duceretur.

XVII. Alexander Magnus Calliſthenem, *Ibid.* quod illius vitam reprehenderet, turpiter obtruncavit. Fuit Calliſthenes Philoſophorum ſui ſæculi facile ſapientiſſimus, ac modeſtiſſimus. Illud ergo Alexandri factum, cum expenderet Seneca qq. natural l. 6. c. 23. dicebat: Hoc eſt Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet, quod unum omnibus, quæ in illo ſunt, illuſtria, obſuſcandis ſufficit. Nam quoties quis dixerit: Occidit Perſarum multa millia, idque militum penc paucorum opera, opponetur: Et Calliſthenem occidit, cujus internecionis umbra totam triumphorum illius lucem, & gloriam obſcurat. Majus eſt hujus flagitii pondus, quam omnium virtutum. Quoties dictum erit: occidit Darium, penes quem tunc magnum regnum erat, opponetur: & Calliſthenem occidit: iſta occiſio tanti illius triumphi mors erit. Quoties dictum erit: omnium oceano tenus vicit, ipſum quoque tentavit novis claſſibus, & imperium angulo Thraciæ uſque ad Orientis terminos protulit, ſic, ut nullum eſſet regnum quod non invaderet, & occuparet; non aliqua natio, quam non ſubigeret, dicetur. Calliſthenem occidit, & quid illa omnia, quando una Calliſthenis obtruncatio perpetua Alexandrum fœdat nota; vel ſi illis multo plura, & memorabiliora præſtitiſſe, omnia licet antiqua Ducum, Regumque exempla tranſierit, ac ſuperarit, longiſſimoque poſt ſe intervallo reliquerit; nihil iam magnum erit, quam ſcelus Calliſthenis. Hinc videamus, quanta ſit onius peccati malitia, quam violentum illius venenum, cum Seneca putarit, unicum ſolum ſat fuiſſe obliterandis omnibus Alexandri triumphis, quos magnitudine animi, brachii robore, & induſtria ingenii ſibi paravit: Nihil tam magnum erit, quam ſcelus Calliſthenis.

XVIII. Per peccatum occidit homo animam ſuam; ubi nota, quod peccator aſſimilatur mortuo propter tria. Primo propter conſimilem defectum, propter ſimilem effe- *S. Antonin. p. 1. tit. 2. c. 5. ſ. 12.*

ctum

Digitized by Google

ſtum propter ſimilem aſpectum. Primo corpus diſtemperatur; Secundo infirmatur; Tertio moritur; Quarto portatur extra domum; Quinto ſepelitur; Sexto a vermibus conſumitur. Iſto modo anima; Primo deſtemperatur per tentationem & cogitationem de peccato; ſecundo infirmatur, per comitantem delectationem; Tertio moritur, per conſenſum; Quarto aſportatur, & elongatur ab hominibus, per culpæ ſuæ abominationem, & diffamationem apud homines; Quinto ſepelitur, per malam conſuetudinem; ſimiliter enim, ut terra vel lapis ſuperpoſitus onerat, & opprimit corpus, ut non reſurgat; ita mala conſuetudo, quæ eſt quædam moles graviſſima, opprimens, & incitans homines ad peccandum; Sexto corpus mortuum a vermibus conſumitur, & mens privata vita gratiæ, a verme conſcientiæ, deſperationis, & finalis impœnitentiæ, corroditur, mordetur.

Idem. XIX. Mors facit corpus rigidum, frigidum, putridum, horridum, terreum, atque ponderoſum; Iſto modo peccatum mortale facit animam rigidam, ſuperbam, & inobedientem ad Deum; Frigidam per invidiam; Fœtidam per luxuriam; Putridam per gulæ immoderantiam. Quantumcumque homo fuerit amabilis, pulcher, & delicatus, ſtatim poſt mortem erit horribilis, turpis, & abominabilis, & a communione hominum ſeparandus; ſic anima ante peccatum pulcherrima & formoſa videtur, adeo, ut de illa dici poſſit illud Canticorum quarto: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te;* ſed per peccatum ſpoliatur gratuitis, & vulneratur naturalibus, fit fœtida, & abominabilis coram Deo, ut dicat illud Ezechielis 16. *Abominabilem feciſti decorem tuum.* Et tunc per peccatum anima miſera ſeparatur a communione fidelium, & ab amicitia Dei, & Angelorum bonorum. Proverb. 14. *Miſeros facit populos peccatum.*

Did. Stella in c.15. Luc. XX. Didacus Stella de peccato ſequentem habet conſiderationem. Vipera non inficitur ſuo proprio veneno, nec Baſiliſcus, nec aliquis alius ſerpens, nec quidem beſtiæ ſuo proprio veneno interimuntur: at vero peccatum ita peſſimæ conditionis, & naturæ eſt, ut ſua propria ſubjecta perdat; & deſtruat: Apud Iſaiam dicitur: *Ova aſpidum ruperunt: qui commederit de ovis eorum, morietur, & quod confotum eſt, erumpet in regulum.* Porro ova aſpidum exteriorem ſpeciem habent pulcherrimam, valdeque placentem; at vero interius venenum continent peſtiferum, & ex iis, dum fota ſunt, aſpides egrediuntur. Ita quoque voluptates, & deliciæ mundanæ & carnales, appetitibus noſtris quidem placent, ſenſuſque carnis recreant, & oblectant, cum tamen animæ & corpori necem & ærumnas inferant æternas.

Manſi diſ. 8. n. 9. Judic. 17. & 18. XXI. Olim in monte Ephraim certus quidam vir nomine Micha habitabat, qui fabricatum quoddam a ſe idolum, in capellam quamdam collocarat, atque ad idem debito cultu venerandum prædivite ſtipendio Levitam quemdam, qui ei miniſtraret, conduxerat. Accidit autem, ut nonnulli de tribu Dan in illis finibus circum vagarentur milites, armata manu domum viri illius ingreſſi, ut tamquam in regione illa prorſus peregrini, de via, quam ituri eſſent, ab ipſo informarentur, conjectoque oculo in prædictum idolum, quod pretioſum erat, illud una cum ornamentis ſacerdotalibus ſuſtulerunt, reclamantem vero Levitam, ne ſe illis opponeret, Tribus ſuæ Sacerdotio proviſum ſecum duxerunt: Micha autem domum revertens, ſurtumque idoli ſui ſubito notans, propero greſſu milites inſecutus eſt, clamans & ejulans; Milites autem ſe ejulatus hujus cauſam neſcire fingentes, eum interrogarunt: Quid tibi vis? cur clamas? Quibus deſolatus Micha reſpondit: *Deos meos, quos mihi feci, tuliſtis, & Sacerdotem, & omnia, quæ habeo, & dicitis mihi, quid tibi eſt.* Mira profecto res hæc fuit, etenim hic Micha nihil aliud perdiderat, quam partem quamdam marmoris vel metalli, id eſt, falſum quoddam ſimulacrum, ex marmore vel mettallo fabricatum, in quo Deum ſuum venerabatur, tametſi revera dæmon honorem illum acciperet, & tamen tam amare plorabat, dicebatque, omnia ſibi ſublata eſſe, quæ habebat: Et omnia, quæ habeo. Nos vero revera ſumus illi, qui, quando per peccatum Deus nobis eripitur, ſeu a nobis recedit, vere dicere poſſumus: Deum meum, & omnia, quæ habeo, amiſi; Unde S. Seraphicus Franciſcus dicere ſolebat: Deus meus, & omnia, tamen tantum abeſt, ut propter hoc lamentemur, & ploremus, ut potius lætemur, cum male fecerimus, & exultemus. Porro Michæ invito fictum hoc numen ſublatum fuit; nos vero facimus, quidquid poſſumus, omnemqne induſtriam adhibemus, ut illud amittere valeamus, ſiquidem multis cum ſudoribus & moleſtiis peccandi occaſiones inquirimus, ut vere dicere poſſimus: Laſſati ſumus in via iniqnitatis, ambulavimus vias difficiles: cæterum vero nemo infinitum hoc bonum, id eſt, Deum nobis eripere poteſt, niſi ultro, citroque volentibus; ac proinde ſanctus ille Monachus, qui jugi ſemper gaudio perfuſus conſpiciebatur, gaudii ſui cauſam edicere rogatus, reſpondit: Quia Chriſtum a me tollere nemo poteſt.

XXII. Eſt certum quoddam genus fulminis, quod aurum ſacculo incluſum abſorbet, & conſumit, ſacculo exterius remanente, ſicut prius erat, ſine ullo læſionis veſtigio. Idem quoque per culpam mortalem accidit animæ: hæc enim inſenſibiliter theſaurum divinæ gratiæ animæ Chriſtianæ eripit, ipſa anima in oculis noſtris manente, ſicut prius erat, adeo, ut, licet peccator ad ignem condemnatus ſit immortalem, & extra gratiam Dei poſitus, poteſtati dæmonis ſit traditus, nihilominus ſæpe poſt exſatiatos appetitus ſuos lætior & jucundior erit, quam unquam alias fuerit. *Idem diſ. 11. n. 4.*

XXIII. Simile peccatum eſt Sacerdotis Degradationi, quo ſpectaculo nullum dari poteſt funeſtius, aut lacrymabilius, quia eidem indumentis ſacerdotalibus amicto, & calicem in manibus portanti, hic ab Epiſcopo e manibus illius tollitur, ornamentis quoque & veſtibus ſacerdotalibus ſigillatim exuitur, id- *S. Bon. l. 3. c. 7. compend. The.*

que

que verbis improperium indignitatis ſuæ expreſſivis, adhibitis; ac tandem juſtitiæ ſæculari extraditur, ut per ſeotentiam criminalem mortis ſupplicio pro merito adjudicetur. Sed eheu! quam eſt funeſtior, & compatibilior degradatio, qua anima ab æterno Pontifice Chriſto in conſpectu totius curiæ cæleſtis degradatur, dum opulentis deſpoliatur gratiarum, donorum, virttitum, & meritorum, omniumque aliorum bonorum operum ornamentis, ac tandem in manibus & poteſtate dæmonum relinquitur. Quid mirum igitur, ſi eidem animæ in poteſtate dæmonis relictæ, vires amplius non ſuppetant, eidem diabolo reſiſtendi?

Manſ. d. 12. n. 1. Horatius Manſ. XXIV. Deus in libro Levitici Moyſi, quoad ferentes ſacrificia, præcepit dicens: *Offeret pro peccato ſuo ſimilæ partem Ephi decimam, non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato eſt.* Porro, omnia hæc in figura contingebant illis; numquid enim de nobis cura eſt Deo; quid intererat ſapientiæ illi increatæ ejuſmodi ritus, & minutias pro oblationibus faciendis præſcribere, niſi in illis latuiſſet aliquod myſterium, animabuſque utile & ſalutare documentum? Porro quod in hoc ſacrificio pro peccato facieode, excluſum fuerit oleum, hujus ratio facile iotelligitur, quia cum per oleum denotetur lætitia: (unxit te Deus tuus oleo lætitiæ) minime conveniebat oleum, quia quando de peccati expiatione agitur, compunctio potius, & planctus requiritur? At vero quamobrem etiam incenſum, quod orationis eſt ſymbolum, ab oblatione facienda rejicitur? Oleaſter nodum hunc ſolvit dicens: Si enim per thus orationes intelligas, deprehendes, quam ægre ferat Dominus bona malis involuta. S. Hieronymus in Epiſtola quadam ad Celantiam, *S. Hier. l. 1. ep. 2.* multorum reprehendit errorem, qui multa bona opera, cum conſcientia & remorſu gravis peccati conjungunt, perſuadentes ſibi, illa quoque Deo placitura eſſe: ſuque inde habituros eſſe meritum ſalutis æternæ; ita enim ſcribit: Quid autem prodeſt tenuari abſtinentia corpus, ſi animus intumeſcat ſuperbia? Quam laudem merebimur de pallore jejunii, ſi invidia lividi ſimus? Quid virtutis habet, vinum non bibere, & ira, atque odio inebriari?

S. Greg. l. 13. mor. c. 9. XXV. S. Greg. ſuper illa verba Jobi: *Circumdedit me lanceis ſuis, convulneravit lumbos meos*: acute obſervat, Prophetam non dicere vulneravit, ſicut enim loqui aliquando unius eſt, colloqui vero duorum, vel fortaſſe multorum; ſic antiquus hoſtis, quia nos ad culpam ſine noſtra voluntate non rapit, nequaquam lumbos noſtros vulnerare, ſed convulnerare dicitur, quia hoc, quod ille malum ſuggerit nos ſequentes, & voluntate propria implemus, & quaſi cum ipſo nos pariter vulneramus, qui ad perpetrandum malum ex libero arbitrio ducimur. Quonam reſpicere creditis illud a S. Paulo nobis ſuggeſtum conſilium: *Nolite locum dare diabolo?* quiſnam adeo reperietur incurius, qui vel in domum ſuam, vel in lectum ſuum, maxime vero in ſinum ſuum excipere, aut admittere velit ſerpentem: Multo igitur minus admittet dæmonem: Et tamen quotidie videmus, quod illi indulgeatur aditus, non ſolum iotra ſinum, verum etiam intra cor noſtrum.

XXVI. Idem Sanctus exponendo textum alium Jobi: *Aſpergatur in Tabernaculo ejus ſulphur?* hanc ſupplicii hujus reddit rationem. *Idem l. 18. mor. c. 12.* Sulphur enim quid aliquid aliud, quam fomentum Ignis eſt, quod tameo ſic ignem nutrit; ut fœtorem graviſſimum exhalet. Quid itaque in ſulphure, niſi peccatum carnis accipimus? Quod dum perverſis cognitionibus, quaſi quibuſdam fœtoribus mentem replet, æterna ei incendia præparat, & cum fœtoris ſui nebulam in mente reprobra dilatat, contra eam flammis ſubſequeotibus quaſi nutrimenta ſubminiſtrat; nam quia per ſulphur fœtor carnis accipitur, ipſa ſacri eloquii hiſtoria teſtatur, quæ contra Sodomam, ignem, & ſulphur pluiſſe, Dominum narrat: Qui cum carnis ejus ſcelera punire decreviſſet, ipſa qualitate ultionis notavit maculam criminis. Sulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem, qui itaque ad perverſa deſideria ex carnis fœtore arſeant, dignum fuit, ut ſimul & igne & ſulphure perirent.

XXVII. S. Antonius Paduaous ait: Quinque porticus ſunt quinque conſiderationes, *S. Ant. ſ. 6. p. Dom. 1. Quadr.* quas debet babere peccator: debet enim conſiderare *Majeſtatem*, quam offendit: *Si peccaverit vir in virum, placari poteſt ei Deus, ſi autem in Dominum peccaverit quis orabit pro eo?* 1. Reg. 25. *Maculam*, quam contraxit? Quid enim tam fœdum: quam peccatum? Jerem. 3. 2. *Leva oculos tuos in directum, & vide ubi non proſtrata ſis? Bonitatem*, quam contempſit, Rom. 2. 4. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ & longanimitatis contemnis? Gloriam*, quam amiſit, Pſ. 108. 18. *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo*, *Pœnam*, quam promeruit æternam, Matth. 23. 41. *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum.*

XXVIII. Ab Apologo quodam de ericio *S. Chryſ. in c. 14. Iſaia.* dicitur, quod ſpinis toto corpore refertus, cum ſe velut in rotundum quemdam, & parvulum globulum conſtrinxiſſet, a diverſis animalibus locum ſibi in eorum cavernis indulgeri petierit, eo quod venatores ſuum latibulum totaliter deſtruxiſſent; At vero cum apud omnia apetitionis ſuæ paſſus eſſet repulſam, adeo blande ſe apud vulpem inſinuare novit, ut de nulla ſibi inferenda moleſtia ſecura, eum ſic intra ſe contractum hoſpitiolo ſuo exceperit; poſtquam vero ericius vulpis foveam ingreſſus fuiſſet, paulatim adeo ſe dilatare cœpit, ut ſpinæ vulpem pungentes eamdem foveam ſuam egredi, & derelinquere coegerit. Ex qua fabula utiliſſimam quamdam nobis elicere moralitatem licet, quæ, ni fallor, ab Iſaia Propheta tacite inſinuata fuit; nam de anima quadam Deo rebelli id ſenſu morali differens ait: *Ponam eam in poſſeſſionem ericii*; enim vero dæmon ſe ex multis animabus perfectis excluſum videns, ab iiſdem parvulum ſibi in corde ipſorum aditum indulgeri poſtulat, blandam illis ingerendo ſuggeſtionem, appetitui noſtro conſentaneam, v. gr. voluptatis ſenſualis, honoris, gulæ, vel alterius ſimilis;

& ſi contingat primos hoſce motus ab illis recipi, & per aliquam indultam moram blande tractari, mox ipſe pro obtinendo in peccatum conſenſu ſtrenue laborare non ceſſat, donec impetret, quod intendebat; hoc pacto, inquit Chryſoſtomus: Si introierit, cuncta dilatar, & amplificat, illi enim dumtaxat initiis opus, ſi vero nactus fuerit initium nocendi, omnia ſibi ipſi ſuopte ingenio veſtigat, & amplificat.

Manſi l. 4. n. 2. XXIX. Cancer marinus, dum oſtreis & conchyliis venando inſidiatur, a naturæ magiſterio hac præditus eſt proprietate, ut ad hoc, ut oſtreæ compos fiat, occaſionem expectet, qua illam ſuam aperiet domunculam, in qua latet; mox enim ut hæc aperitur, ipſe ſubito quemdam ejus labiis interjicit lapillum, vel lignum, vel aliud quid ſimile, ne totaliter claudi poſſit; & hoc adhibito artificio ingreditur domunculam, & oſtream devorat. Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, id eſt, diabolus; hic enim animæ noſtræ, quam Redemptor noſter margaritæ ſimilem dixit, indefeſſe inſidiatur; hic igitur mox, ut cor noſtrum, quod myſticum quoddam eſt conchylium, creaturis aperimus, in iiſque affectum aliquem inordinatum exponimus, hac occaſione bene uti ſciens per ſuggeſtiones, blandimenta, & illecebras ſuas, tantum efficit, ut ſenſim & paulatim animam ingrediatur, ejuſque poſſeſſionem capiens, inæſtimabilem illam devoret, aut deprædetur gemmam, de qua ſacer textus ait: *Inventa una pretioſa margarita, abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.*

ib. n. 4. XXX. Latrones magis experti hanc habent conſuetudinem, ut, quando domum aliquam directe & immediate ingredi nequeunt, ne dejiciendo portas, vel oſtia, aut aperiendo feneſtras ſtrepitum faciant, qui illos in auribus incolarum prodat, parvulum quemdam aſtutum, & ad hoc edoctum juvenem per crates ferreas, vel alias modicas domus aperturas, in eamdem domum immittant, qui tandem fores domus intus aperiat, per quas commode ad deprædandam domum ingrediuntur. Eodem quoque artificio latro infernalis nobiſcum frequenter utitur, ut domum animæ noſtræ omnibus ſpiritualibus donorum, gratiarum, & meritorum theſauris, quæ cælo comparando congregaveramus, deſpoliare poſſit. In Apocalypſi quidem Deus ipſe dicit: *Veniam ad te tanquam fur*: melius autem verba iſta inimico generis humani adaptari poſſunt; hic enim, ut nobis in tenebris ignorantiæ & cæcitatis conſtitutis, & ſalutem æternam furando eripere poſſit; diligenter attendit, ad aperturam malæ alicujus noſtræ propenſionis, per quam poſtea modicam quamdam venialis culpæ intromittit ſuggeſtionem, v. gr. alicujus verbi inhoneſti, incauti obtutus, vani geſtus, vel blandæ alicujus ſalutationis: ſingula enim iſta ei ſufficiunt, ut portam cordis ad delectationem moroſam, ad deſiderium, ad conſenſum, ac denique ad opus aperiri faciat, & ſic miſera anima omnibus bonis ſuis exuitur, & ſpoliatur.

XXXI. Peccatum, teſte S. Bonav. eſt ſicut falſitas in panno: nam ſicut mercator de falſo panno non oſtendit emptori medium, neque finem, ſed tantum caput; ſic diabolus, qui eſt mercator peccati, oſtendit fatuo emptori ſolum caput panni, id eſt, delectationem culpæ, non medium, id eſt, remorſum conſcientiæ, vel finem, id eſt, pœnam gehennæ. *S. Ben. in diat. ſal. vir. 1. c. 2.*

C O N C E P T U S.

De peccato veniali.

Damnum.

XXXII. Didacus Stella ad noſtram inſtructionem ita ſcribit: Cavendum eſt diligenter a prioribus peccatis, nam licet parva tibi in principio videantur, paulatim, & ſenſim in graviſſima incides, & in profundum malorum; ideoque Eccleſiaſticus ait: *Tamquam a facie colubri fuge peccatum.* Videbitur tibi parum commendaſſe fugam peccati, ſiquidem non dixit: Fuge peccatum tamquam ab unguibus leonis, aut tamquam a tigridis dentibus, aut tamquam a facie draconis, nam coluber parum veneni habet. Intelligit hic Eccleſiaſticus parvum peccatum, a quo fugere debet. Quare? quia Iſaias dicit cap. 14. quod *ex radice colubri egredietur regulus.* Baſiliſcus inter reliqua animalia venenoſiſſimus eſt, & adeo malus eſt, ut ſolo intuitu hominem interficiat, atque ideo per illud intelligitur graviſſimum omnium peccatorum. Fuge igitur a parvis, & a prioribus peccatis, ne forte oculis baſiliſci interficiaris, ſiquidem ex parvis peccatis graviſſima oriuntur. In Ægyptum miſit Dominus cyniphes, quæ muſculæ ſunt parvæ, at poſtea magnas muſcas miſit; ut inde intelligas poſt parva mala majora ſubſequi. *Did. Stel. in c. 2. Luc.*

Olaus Mag. l. 14. c. 12. XXXIII. Refert Olaus, quod, dum avis quædam in Svecia in celſiſſimis montibus Doſtrinis denſiſſima nive contectis volitaret, contigerit, ut alarum ſuarum concuſſione aliquantulam nivem commoverit, quæ ſuper aliam nivem decidens, eamdem ſecum raptabat, donec tandem magis, magiſque adauctæ nives in vaſtam quamdam molem, & veluti montem niveum excreverint, quæ ingenti cum impetu deorſum cadens, omniaque obvia ſaxa & ligna ſecum raptans, in caſtellum quoddam cecidit, ad radices dicti montis ſituatum, ejuſque muros, domuſque, cunctis caſtelli incolis interfectis, in terram proſtravit. Quam hiſtoriam credibilem eſſe exiſtimo, cum factum quod in ea refertur, non ſit impoſſibile. Et vero ſicut caſtri hujus totalis deſtructio, & tot hominum inibi habitantium ſtrages, a modica nive per volitantem avem in montis vertice commota ſuam traxit originem; ita quoque multæ civitates in periculoſas ſæpe rediguntur factiones & ſchiſmata, & per ſtrages & inteſtina, ac irreparabilia bella totaliter deſolantur; & ſi in harum irreconciliabilium inimicitiarum inquiratur cauſa, omnes haſce calamitates ſæpe ex unico laſcivio aſpectu, vel verbo pungente & contumelioſo, ſuam traxiſſe originem deprehenditur.

XXXIV. Debet nos ſemper illud Nabucho-

do-

Rich. a S. Vict. ap. Manſi d. 1. n. 2. donoſoris ſomnium, & cautos reddere, & ſollicitos efficere; vide obſecro viſionis ejus ſtatuam, vide, inquam, a quanta ſublimitate incipitur, & in qualem tandem finem deducitur. Sæpe videmus aliquos, quibus aliud in vita ſua tranſacta non fuit ſtudium, quam ut in virtutibus, & perfectione Chriſtiana proficientes quotidie vitam agerent integerrimam, optimis moribus decoram, exemplarem, & ædificatoriam, poſtea nihilominus horrendum in modum, quaſi de cælo in cœnum, ut S. Bernardus ait fuiſſe prolapſos. At vero quiſnam terribilis illius naufragii ſcopulus extitit? Quinam aries aut quænam machina fuit, quæ ingentem hunc Coloſſum in terram miſerabiliter proſtravit? *Abſciſſus eſt lapis ſine manibus*; exiguus lapillus, id eſt, unicus impudicus aſpectus id ipſum fecit; unicum verbum ex iræ paſſione prolatum, inteſtinum aliquod & veteratum odium parturire prævalet. Statua, quæ ex auro incipit, inquit præfatus Ricardus, & in teſtam deſinit, puto, quia nemo repente fit turpiſſimus, ſed qui minima negligit, paulatim defluit.

Fab. Juſt. in c. 4. Tob. XXXV. In occidentalis Indiæ Inſula, Iſabella dicta, minutiſſimi inſecti genus inter arenas naſci ferunt, quod Ninguam vocant, id poſtquam pedes incedentium invaſerit, intrans digitorum ungues, & cutem, vix initio ſentitur, attamen niſi crebra lotione, & ſcalpro interimatur, quidam in cute oriuntur folliculi, in quibus maxima lendium copia, ab eo generata, ita brevi tempore multiplicatur, ut cuncta exedens, nullum aliud inde remedium relinquat, niſi membri præciſionem, aut uſtionem.

Manſi d. 1. n. 3. XXXVI. In antiquis legitur hiſtoriis, quod dum ad transferendas ingentis magnitudinis, & ponderis militares machinas canabini funes, ſive rudentes deeſſent, fœminæ loci illius ad communem patriæ defenſionem, capitum ſuorum comas unanimiter ſibi præſcindi fecerint, ex [illegible]que in locum rudentum ex cannabe complexorum, validiſſimi confecti fuerint funes, canabinis minime cedentes. *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, in qua inimicus infernalis, munitiſſimum animæ juſtæ fortalitium ſtrenue impugnat, quia vero huic ad deducendas in ſuggeſtos tormentarios machinas ſuas peccatorum gravium & mortalium validiſſimi rudentes deſunt, ideo peccata venialia, levia licet, inſtar capillorum eouſque multiplicare ſatagit, ut exinde rudentes, validequé ad promovendas machinas ſuas funes fiant.

Ib. n. 4. XXXVII. Quod Abſalom comam nutrierit, quod eamdem eodem, quo aurum, pretio vendiderit, quod elegantem adeo & ſpecioſam in capite ſuo capillaturam portarit, ſoli vanitati attribui, adeoque parvi æſtimari poterat, & tamen videre, quiſnam hujus capillaturæ ejus finis fuerit. Ait enim ſacer textus: *Accidit, ut occurreret Abſalon ſervis David, ſedens mulo; cumque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum, & magnam, adhæſit caput ejus quercui, & illo ſuſpenſo inter cælum & terram; mulus, cui inſederat, pertranſivit*. Hocque modo ex capillis ſuis ad quercum ſuſpenſus, tribus lanceis perfoſſus fuit. In quo facto Deus nobis inſinuare voluit, quod, dum capilli, ideſt, peccata levia multiplicantur, ipſo permittente fiat, ut in peccata mortalia incidamus, ideoque tandem in patibulo infernali ſuſpenſi hærere cogamur. Verum quidem eſt, quod cor ejus tribus lanceis transfoſſum fuerit, hoc tamen infortunium capillorum ſuorum culpa ei accidit; Licet enim ſola peccata mortalia mortem homini æternam adſciſcant, attamen hoc homini ut plurimum contingit in pœnam peccatorum venialium, quorum emendationem ſocorditer neglexit.

XXXVIII. Cornelius a Lapide ait verba illa Eccleſiaſtici: *Qui ſpernit modica*, multis accommodari poſſe, ut ſtudioſo, qui parva negligit, in ſcholis, & ſtudiis, paulatim decidet, nec ſcientiam acquiret, ſed perdet; infirmo, qui morbos modicos negligit incidet in majores; militi & Duci, qui parva in bello negligit, paulatim decidet, ſeque & exercitum perdet; Patri familias, qui parva familiæ damna negligit, decidet in magna; Mercatori, qui parva lucra ſpernit, amittit majora: unde mercatorum diteſcere ſatagentium hoc eſt axioma: Nullum lucrum quantumvis exiguum negligito. Idem ſibi præfigat mercium ſpiritualium, id eſt, virtutum, meritorum & coronarum cæleſtium mercator, ut ne minimam quidem augendæ virtutis meriti, & coronæ occaſionem amittat. Quocirca Patres paſſim hanc ſententiam adaptant peccatis levibus, quaſi dicant: Qui ſpernit peccata levia, & venialia, ſenſim defluet, & tandem incidet in gravia & lethalia. Cornel. in c. 19. Eccl.

XXXIX. Videmus nonnumquam vaſtum aliquod navigium, opulentis mercibus onuſtum explicatis undique, ventoque tumidis velis Oceani undas tanta cum velocitate pererrans, ac ſi alas haberet; mox vero idem videbitis navigium, adeo fortiter in iiſdem undis immobiliter hærere defixum, ac ſi ad ejectam hæreret anchoram, & tamen hujus moroſæ hæſitationis & defixionis cauſa, eſt parvulus quidam piſculus, Remora communi nomine a Naucleris appellatus. Quis diceret, hunc piſciculum tanta eſſe naturali vi præditum, ut in alto mari vaſtum aliquod tam immobiliter, tantoque tempore firmare & immobiliter ſiſtere poſſe navigium? Quæ ergo talis mora, inquit Caſſiodorus, ut in tantis tranquillitatibus velocia necdum fuerint deſtinata navigia? Cum ſtellarum non mergentium lucidum ſidus, tendi carbaſa feſtinantes invitet, & aeris ſereni fides, properantium nequeant vota terrere? Aut forte incumbente Auſtro, remigiiſque juvantibus meatus navium Echeneis morſus inter undas liquidas alligavit? Aut Indici maris concha, ſimili potentia labiis ſuis navium dorſa fixerunt, quarum quietus tactus plus dicitur retinere, quam exagitata poſſint elementa compellere? Stat pigra ratis, tumentibus alata velis, & curſum non habet, cui ventus arridet. Sine anchora figitur, ſine rudentibus alligatur, & tam parva animalia plus reſiſtunt, quam tot auxilia pro- Caſſiod. l. 1. var. 11.

L 2 ſpe-

ſperitatis impellunt. Enim vero anima noſtra cælo poſſidendo a Deo creata, & pretioſo Chriſti ſanguine redempta, inſtar navigii cujuſdam, pretioſis virtutum, donorum, & gratiarum cæleſtium mercibus onuſti, in hujus mundi mari magno explicatis & vento tumidis velis velociter progreditur, ut ad fortunam beati Regni littora feliciter appellat; & tamen ſæpe contingit, quod in medio curſu, per aliquod notabile tempus, firmiter ſiſtatur, & retardetur, ut Deo ſe conjungere, & ad portum ardenter deſideratum pertingere non poſſit, ideoque ſuſpirat & ingemiſcens ſæpe dicit: *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus eſt: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Undenam vero faſtidioſam hanc moram provenire exiſtimas? Nimirum ab unica Remora, ab unico parvo piſciculo, id eſt peccato veniali; idipſum animæ noſtræ navigio contingit. Anima enim pœnam peccati venialis, non ſolum per dilationem beatificæ viſionis Dei punitur, quando jam eſt ſoluta a corpore, verum etiam quando adhuc corpori unita eſt, retardatur, ut S. Thomas de Aquino ait, ne prompte in Deum feratur.

S. Bern. ſ. 3. de Spir. S. XL. Anima electa in ſacris Canticis dicebat: *Si oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis.* At vero quonam myſterio oſtium illud ſolis tabulis cedrinis, non vero ex quovis alio ligni genere formatis occludi voluit? Pro reſponſione notandum eſt, quod lignum cedrinum ſolidum ſit, & denſum, nec ullas rimas admittat; nec tineas patiatur; per oſtium vero cor intelligitur: *Ego ſto ad oſtium & pulſo.* Vult igitur, ut oſtium illud, id eſt, cor compingatur ex tabulis cedrinis, id eſt, ita obturetur & occludatur diabolo, ne etiam per minimum quodvis peccatum eo penetrare poſſit: *Nolite locum dare diabolo.* Audite S. Bernardum dicentem: Quid a te quærit, qui tanta ſollicitudine te quæſivit, niſi te ſolicitum ambulare cum Deo tuo? Hanc autem ſolicitudinem non facit, niſi ſpiritus Sanctus, qui nec minimam paleam intra cordis, quod poſſidet, habitaculum patitur reſidere.

S. Greg. l. 19. mor. c. 23. XLI. Iſaias Propheta olim ſancte glorlabatur, dicens: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento juſtitiæ circumdedit me*: qualiſnam vero hæc prærogativa, qua ſanctus hic Propheta gaudebat, fuerit, ex ſequenti S. Greg. doctrina intelligere poſſumus; Hic enim ita ſcribit: Juſtitia indutus ſum, & veſtivi me, ficut veſtimento. Veſtimento utique, dum veſtimur, ex omni parte circumdamur. Ille ergo Juſtitia ſicut veſtimento veſtitur, qui ſe undique bono opere protegit, & nullam partem actionis ſuæ peccato nudam relinquit: nam qui in aliis actionibus juſtus eſt, & in aliis injuſtus, quaſi hoc latus cooperuit, illud nudavit, nec jam bona ſunt opera, quæ ſubortis aliis pravis operibus inquinantur.

Philol. ſe ſemui. XLII. Vide ſæpe cymbala magna & bene ſonantia inutilia redacta, non quia in fruſta contracta fuerint, ſed quia neſcio quo vulnere ſciſſa, & perdita reperiuntur. Dum autem vis in eis inutilitatis cauſam inquirere, etſi millies ea undique circum luſtres, non invenies, ſenties tamen, ſi pulſes, quia rauce ſonant: nam ſciſſura illa adeo ſubtilis, & imperceptibilis eſt, ut percipi, aut diſcerni nullo modo poſſit. Sic quoque ſæpe videbitis virum æſtimatum ab omnibus, tanquam eximia virtute & perfectione præditum, juvandis animabus plane deditum, auſteritate vitæ, continentia, & ſolitudine ſe conficientem: ejus tamen vox in auribus Dei ingrata erit, nec tamen hujus diſpilicentiæ cauſam, etiamſi ſtudioſe inquiratis, invenire poteritis, licet revera cauſa illius ſit, vel occulta quædam illius ſuperbia, & præſumptio de ſui ipſius virtute, & perfectione, vel aliqua interius in animo deliteſcens inordinata ambitio vel alia ſimilis paſſio: hæc enim ſola ad confundendam & deſtruendam omnium operum ſuorum cæteroquin virtuoſorum & meritoriorum harmoniam ſufficit.

XLIII. Si qua civitas contra inſidiantes inimicos magno valletur aggere, fortibus cingatur muris, ex omni parte inſomni muniatur cuſtodia, unum vero in ea foramen tantummodo immunitum per negligentiam relinquatur, inde proculdubio hoſtis ingreditur, qui undique excluſus videbatur, aſcendit. Civitatem mentis ſuæ quanta munitione vallaverit Phariſæus, audiamus: *Jejunio bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ poſſideo*, cui præmiſit: *Gratias ago tibi, &c.* magna certe munimina adhibuit; ſed videamus, ubi inſidianti hoſti immunitum foramen reliquit, *quia non ſum, ſicut Publicanus iſte*: Ecce civitatem cordis ſui inſidiantibus per elationem aperuit, quam fruſtra per jejunia, & eleemoſynas clauſit. Incaſſum munita ſunt cætera, cum locus unus, de quo hoſti patet aditus, munitus non eſt. Gratias recte agit, ſed perverſe ſe ſuper Publicanum extulit; civitatem cordis ſui extollendo prodidit, quam abſtinendo & largiendo ſervavit. Victa eſt per abſtinentiam gula, deſtructa ventris ingluvies, ſuperata eſt largitate tenacitas. Quibus hoc laboribus actum credimus? Sed o quot labores uno vitio percuſſi ceciderunt! quanta bona unius culpæ gladio ſunt perempta! *S. Greg. l. 6.*

XLIV. Chriſtus legem appellavit jugum omnium præceptorum: *Tollite*, inquit, *jugum meum ſuper vos*. Ubi diligenter eſt animadvertendum, quod non dicit: Tollite jugum ſuper collum veſtrum, aut ſuper humeros veſtros, ſed ſuper vos totos; Univerſa enim Chriſtiani hominis pars, jugum legis aſportare debet; quo ſane argumento concludimus, quod qui hujus oneris partem recuſaverit, ſciat, ſe totum jugum abjeciſſe. *Didac. Stell. in c. 1. Luc.*

XLV. S. Thomas Aq. in illud Chriſti: *Jota unum non præteribit, &c.* ſic diſcurrit: Secundum Rabanum Jota ſignificat Decalogum; apex ſignificat minimam particulam præcepti, vel minimum ſignificativum legis. Vult ergo dicere, quod jota unum, id eſt, unum de decem mandatis, aut unus apex, id eſt, minimum ſignificativum in lege, non peribit a lege, donec omnia fiant, id eſt, non remanebit, quin impleantur & perficiantur.

§. XIV.

§. XIV. MISCELLANEA.

Qualitas.

Vit. c. 35.

I. S. Catharina Genuenſis dicere ſolebat: Cognotiſſimum mihi eſt, quod quando amor purus vel exiguiſſimam imperfectionem deprehendit, ſi Deus non averteret, in pulverem redigeretur, non corpus modo, ſed & anima niſi eſſet immortalis.

Cicero l. 3. Tuſc. 94.

II. Cicero in adverſis caſibus hoc ſe ſapientem ſolari debere dicebat, quod ſciat, nullum malum eſſe niſi peccatum.

Vit. c. 35.

III. S. Thereſia dicebat: Faxit Deus, ut timeamus id, quod debemus timere, & intelligamus, majus malum poſſe advenire ab uno peccato veniali, quam a toto ſimul inferno, cum hæc ſit ipſiſſima veritas.

Vit. c. 10.

IV. S. Catharina Genuenſis alias dicebat: Quid putas præſtarem, quantive facerem, etiamſi tot ſanguineas lacrymas profunderem, quot maris ſunt guttæ, ut ſatisfacerem pro peccatis meis? arbitraris pro minimo peccato ſatisfactionem? nequaquam. Nam ſi tantum paterer, atque tamdiu, quamdiu ipſe Diabolus, adhæc tot cruciatus & martyria in hoc tempore ſuſtinerem, quotquot mente comprehendi poſſunt, non crediderim, amorem poſſe hæc apud Deum ſignificationis loco ducere, nec invenire vocabulum huic negotio congruum.

Juven. Sat. 8.

V. Recte de peccati gravitate majori cecinit Juvenalis:

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe,
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.

Senec. l. 2. de ira c. 8.

VI. Nec male Seneca: Cum videris forum multitudine refertum, & ſepta concurſu omni frequentiæ plena, & illum circum, in quo maximam ſui partem populus oſtendit, hoc ſcito, iſtbic tantundem eſſe vitiorum, quantum hominum.

Ped. Chr. p. 1. c. 2. §. 1.

VII. Philippus Rex dicere ſolebat, mirari ſe, quomodo peccati mortalis reus dormire aliquando poſſet.

Ibid.

VIII. S. Thomas mirabatur, poſſe hominem lethalis culpæ conſcium, atque adeo in damnationis æternæ periculo conſtitutum, unquam ridere & lætari.

Ibid.

IX. Cum Damocles Dionyſii Regis felicitatem aſſidue deprædicaret, juſſu ejuſdem Regis in aureo lecto, inter unguenta, coronas, odores, juxta menſam regiis cibis inſtructam collocatus experiri regiam fortunam juſſus eſt, quos tamen attingere non eſt auſus, eo quod fulgentem gladium e ſeta equina ſuſpenſum, capiti ſuo impendere viderit. Cum autem & peccator gladium vindictæ divinæ vertici ſuo ſemper imminentem videat, quomodo hic timor non omnes ei mundi delicias ſordere faciet? Non male ſane Plutarchus: Pravi homines, inquit, malitiam in ſe ſuam contemplantes, ob voluptatem vanam ſtatim gratiam habentem, inveniunt ſpei inanem eſſe eamdemque ſemper abundare metu, dolore, memoria triſti, & de futuro ſiniſtrarum ſuſpicionum plenam eſſe.

Plutarc. de Sera numinis vindicta.

Ibid.

X. Apollodorus aliquando in ſomniis vidiſſe ſcribitur, ſibi cutim a Segthis detrahi, deinde elixari ſe, & cor ſibi ex lebete dicere: Ego tibi horum cauſa ſum. Idem profecto etiam peccatoribus cor ſuum dicit, dum futuras inferni pœnas illis oſtendit.

Fuga.

Ariſt. l. 3. Eth.

XI. Ariſtoteles dicere in Ethicis ſuis auſus eſt: Melius eſt, mori, quam facere aliquid contra bonum virtutis.

Buſæus in Panar. fol. 383.

XII. Publius Mimus quoque dixit: Tolerabilior eſt, qui mori jubet, quam qui male viveret.

Stapl. text. in Dom. 3. Quadr.

XIII. Moyſes contrivit vitulum aureum in pulverem minutiſſimum, & dedit populo ex eo bibere: docens nihil prorſus peccati remanere in pectore debere.

Ibid.

XIV. Pharao multis plagis percuſſus tandem Dei populum dimittere voluit, ſed ita, ut oves, & armenta in Ægypto remanerent; cui Moyſes dixit: Cuncti greges pergent nobiſcum; non remanebit ex eis ungula, quæ neceſſaria ſunt in cultum Domini Dei noſtri. Applica Peccatori & diabolo.

Ibid.

XV. In Levitico præcepit Deus, carnem Juvenci & pellem ejus extra caſtra comburi, quia ſacrificium erat pro peccato, ut hac oratione inſinuaret, nullas reliquias peccato in animo remanere debere.

Deut. 7. v. 5.

XVI. In Deuteronomio quoque præcepit: Aras eorum ſubvertite, & confringite ſtatuas, lucoſque ſuccendite, & ſculptilia comburite: ut oſtenderet, etiam omnem peccati memoriam eſſe abolendam.

Thr. 2. v. 19.

XVII. Idem ſignificantius S. David expreſſit dicens: Effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini: nam de aliis liquoribus, ſi affundantur, vel pars aliqua, vel odor, vel color manet: nihil ſimile in aqua effuſa videre eſt.

1. Reg. 15. v. 1.

XVIII. Sauli præcepit Deus: Percute Amalec, & demolire univerſa ejus: non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid: Sed interfice a viro uſque ad mulierem, & parvulum atque lactantem, bovem & ovem, camelum & aſinum. Idem de peccato dictum ſibi credat peccator.

Damnum.

Kiſſelius t. 2. Nili myſtici. conc. 19. n. 9.

XIX. Tullia filia Servii Imperatoris, ut citius regnaret, patrem ſua manu interemit, & in plateas ejici juſſit, ubi ipſa in regio curru tranſire debebat; hortante autem auriga, patris corpus conculcatum iri, ſi pergat, dixit illa: Perge, perge, regium calca ſanguinem, dummodo imperem. Annon idem faciunt peccatores calcantes ſanguinem Chriſti, ut ſatisfacere queant cupiditatibus ſuis?

Seneca l. de mor.

XX. Recte de remorſu conſcientiæ dixit Seneca: Nullum conſcium peccatorum tuorum magis timueris, quam temetipſum. Alium enim potes effugere, te autem numquam. Nequitia autem eſt ipſa ſui pœna.

Stapl. text. 1. in Dom. 3. Quadr.

XXI. Quidquid præter Deum, & non in ordine ad Deum diligimus, pignus diaboli eſt: Quod a nobis, dum repetit, & ejus occaſione aditum in cor noſtrum habet, per illud

unum ad alia peccata nos trahit, vel certe a Deo noſtro ſatis diſtrahit.

Plut. in apopht. Reg. XXII. Lyſimachus Thraciæ Rex coactus ob ingentem ſitim, aquæ ſcypho ſe regnumque ſuum hoſtibus tradere; epota aqua exclamaſſe dicitur: Deus immortalis! Quæ hæc mea infelicitas! Qui me, totumque regnum meum tantillo corporis oblectamento vendidi. Quod ipſum tanto verius & majori cum dolore dicere poteſt peccator, quanto præſtantius eſt regnum, quod pro viliſſima voluptate vendidit.

Gen. 27. v. 34. XXIII. Eſau, ubi audivit præreptam ſibi a Jacob benedictionem eſſe, irrugii clamore magno; quanto magis peccator dolebit, ſi omnino Patris, & tanti quidem gratia excidiſſe ſe advertit.

Beirlinck tex. 1. in feſt. S. Magd. XXIV. Peccatum hydræ merito comparatur, quæ ſeptem capitibus conſtabat, ſed uno abſciſſo ſtatim alia pullulabant, donec Hercules obtruncato capiti ignem admovit, & protuberantiam novi capitis impedivit. Merito ergo & peccato ignem charitatis divinæ adhibet, ne amputato uno peccato aliud ſubnaſcatur.

Fab. conc. 3. in Do. 24. poſt Pent. XXV. Phœnici quoque non male comparantur Peccatores, quæ ad ſui combuſtionem ligna comportare dicitur; ſic enim & peccator per peccata ſua materiam pro æterno ioceodio congregat.

Id. conc. 3. in Do. 24. poſt Pent. XXVI. Caſſianus Tartarorum Rex cum Filiam Regis Armeniæ poſt devictam Syriam in uxorem petiiſſet, hæc tam deformem peperit filium, ut nulla ratione Rex perſuaderi potuerit, hunc ſuum eſſe filium, ideoque uxorem velut adulteram morti adjudicarit, a qua tamen per miraculum liberata eſt. Juſtius hanc ſententiam vereri poteſt peccator, ſi per gratiam in ſponſam a Deo electus tam deformem peccati partum illi pariat.

§. XV. AXIOMATA.

Horat. I. Recte Horatius cecinit:

Seditione, dolis, ſcelere atque libidine, & ira,
Iliacos intra muros peccatur, & extra.

II. Humanum eſt peccare: at in peccato perſeverare diabolicum.

III. Procul a peccato, procul a fulmine.

IV. Peccatum blande ingreditur, ſed in fine mordet, ut coluber.

V. Peccanti fructus, diri poſt crimina luctus:
VI. Peccatum & infamia ſunt inter ſe confinia.
VII. Nemo læditur, niſi a ſeipſo.
VIII. Nullum malum, niſi peccatum.

§. XVI. AUTHORES.

I. Franciſcus Arrias tr. Integro.

II. Joannes Buſæus io Panario. V. eodem.

III. Petrus Caniſius t. 4. de peccato in genere.

IV. Jacobus Alvar. de extinctu vitiorum.

V. Nicolaus Lancizius opuſ. 16.

VI. Bernardinus Roſignolius lib. 2. de diſc. relig. a c. 6.

VII. Philippus D'Outreman in Pædagogo Chriſtiano p. 1. cap. 2. & 3.

VIII. Ludovicus Granatenſis in locis communibus fol. 226. & ſeq. io Duce peccatorum paſſim.

IX. Joannes Peleus de ſummo bono.

X. Joſeph. Langius in Polyanthæa V. eodem.

XI. Mathias Faber conc. 3. in Dom. 5. poſt Pent. & cooc. 4. in Dom. 13. poſt Pent. Item conc. 5. & 4. in Dom. 19. poſt Pent. & conc. 3. io Dom. 24. poſt Pent.

XII. Laurentius Beirlinck in theatro vitæ humanæ, & io Promptuario text. 4. in Fer. 2. Pent.

XIII. Heoricus Engelgrave Dom. 6. poſt Epiph.

XIV. Antonius Dauroltius in Floribus Exemplorum c. 6. §. 1. 2. & 3.

XV. Joſephus Manſi io Bibl. morali, tr. 88.

T I T U L U S CXV.

PERFECTIO CHRISTIANA.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I. EST plena & abſoluta finis ſui ultimi conſecutio; tunc enim res quælibet in ſui genere perfecta cenſetur, cum finem, propter quem creata aut facta eſt, plene obtinuit, uti omnium introductiooe patet; unde cum finis hominis ſit, ut Deo ſerviat, eumque revereatur, laudet, & amet in hac vita, in altera autem perfecte poſſideat, facile patet, perfectionem illius in perfecta charitate coofiſtere, per hanc quippe moraliter unitur Deo, & quantum in hac vita fieri poteſt, poſſidet Deum. Hinc Apoſtolus ait: Super omnia autem hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis. *Coloſſ. 3. v. 14.*

Diviſio.

II. Dividitur in perfectionem Vitæ *Activæ*, *Contemplativæ*, *& Mixtæ*, de quibus S. Bernardus ait: Bonum acquirit gradum, qui bene miniſtraverit: meliorem ſorte, qui bene vacaverit Deo: optimum autem, qui perfectus eſt in utroque. *S. Bern. in S.*

§. II. EX SCRIPTURA.

Qualitas.

I. AMbula coram me, & eſto perfectus. *Gen. 17. v. 1.*

II. Timete Dominum, & ſervite ei corde perfecto. *Joſ. 24. v. 14.*

III. Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt. *Matth. 5. 48.*

IV. Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non eſt perfectus in charitate. *1. Joan. 4. v. 18.*

V. Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant. *Joan. 10. v. 10.*

VI. Qui ſervat Verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta eſt: & in hoc ſcimus, quoniam in ipſo ſumus. *1. Joan. 2. v. 5.*

VII. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, *Matt. 19. v. 21.*

Digitized by Google

omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me.

Jac. 3. v. 2. VIII. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.

Deut 18. v. 13. IX. Perfectus eris, & abſque macula eum Domino Deo tuo.

§. III. EX SS. PATRIBUS.

Qualitat.

S. Aug. l. de perf. juſt. I. SI vis perfectus eſſe, tu, qui perfectum te eſſe policirus es, quid aliud, quam perfectam ſecutus es vitam? Perfectus autem ſervus Chriſti nihil præter Chriſtum habet, aur ſi quid præter Chriſtum habet, perfectus non eſt, cum ſe parfecte Deo ſit pollicitus, aut mentitus eſt. Os autem, quod mentitur, occidit animam; igitur ut concludam, ſi perfectus, cur paterna bona deſideras? ſi perfectus non es, Dominum feſelliſti.

S. Ber. in epiſt. II. Nemo perfectus eſt, qui perfectior eſſe noo appetit, & eo perfectiorem quiſque ſe probat, quo ad majoram tendit perfectionem.

S. Proſp. l. 2. de vita Contempl. III. Deo, a quo nos ſumus facti, nos reddamus, nec dominari nobis ea, quibus ſumus naturaliter propoſiti, parmittamus, dominetur utilis ratio, ſubjiciatur corpus animo, animus Deo, & impleta eſt tota hominis perfectio.

S. Aug. l. c. 9. IV. Perfectus eſt, qui ad perfectionem irreprehenſibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipſa etiam peccata venialia non negligens mundare elecmoſynis.

S. Ber. in epiſt. 253. V. Indefeſſum proficiendi ſtudium, & jugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur.

S. Laur. Juſt. in proœm. de grad. perfect. VI. Hominis proprium eſt, ut ſemper proficere appetat & numquam ab inquiſitione torpeſcat, & ad hujuſmodi proficiendi ſollicitudinem naturali impulſu ducitur, & ad hoc eſt conditus, ut protiora ſemper concupiſcens perveniat quandoque ad id, quo nihil eſt melius, quod eſt ipſe Deus.

Granat. loc. com. fol. 215. VII. Summa rationalis creaturæ perfectio eſt, principio ſuo conjungi, illique, quatenus licet, aſſimilari. Quo enim fuerit illi ſimilior, eo erit perfectior.

S. Greg. l. 21. mor. cap. 31. VIII. Electis, cum foris ætas corporis, intus, ſi dici liceat, creſcit ætas virtutis.

S. Paulin. ep. 3. ad Sever. IX. Chriſtus, ſicut in illo ipſo homine, quem geſſit, ita in noſtris mentibus quoſdam gradus corporeæ ætatis exequitur. Naſcitur, craſcit, roboratur, ſeneſcit. Sed orandus, ne in nobis diu aut jugiter parvulus aut infirmus, & pauper ſit.

S. Laur. Juſt. c. 2. de caſt. connub. X. Verus amor gradu uno contentus non eſt, ad altiora ſemper nititur, & ad perfectiora indeſinenter concupiſcit attingere. Quas habet, non magni facit virtutes, proficiendi accenſus deſiderio.

Hier. in epiſt. ad Theoph. XI. Hæc eſt in omnibus ſola perfectio, ſuæ imperfectionis cognitio.

Greg. in Homil. XII. Tanto quiſque perfectior eſt, quanto perfectius ſentit dolores alienos.

Greg. & Moral. XIII. Valda perfectorum eſt, oſtenſo opere, auctoris gloriam quærere, ut illata laude privata neſciat exultatione gaudere.

Bernardus ſuper Cant. ſerm. 70. XIV. Hominis perfectio, continentia ſibi, innocentia proximo, patientia utrique.

XV. Homo perfectus cautus ſibi, placens Deo, utilis ſuis. *Id ibid. ſerm. 59.*

XVI. Quicquid verum eſt ac bonum, id perfectum non poteſt eſſe niſi fuerit ſingulare. *Lactant.*

§. IV. EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

I. OMnis perfectio in hac vita quamdam imperfectionem ſibi habet annexam. *L. 1. c. 3. §. 4.*

II. Quare quidam Sanctorum tam perfecti & contemplativi fuerunt? quia omnino ſeipſos mortificare ab omnibus terrenis deſideriis ſtuduerunt, & ideo totis medullis cordis Deo inhærere, atque libere ſibi vacare potuerunt. *L. 1. c. 11. §. 2.*

III. Totum & maximum impedimentum eſt, quia non ſumus a paſſionibus & concupiſcentiis liberi, nec perfectam ſanctorum viam conamur ingredi. *Ibid. §. 3.*

IV. Neque tunc aliquid magni te reputes, aut ſpecialiter dilectum exiſtimes, ſi in magna fueris devotione, atque dulcedine, quia in iſtis non cognoſcitur verus amator virtutis, nec in iſtis conſiſtit profectus & perfectio hominis. In quo ergo, Domine? in offerendo te ex toto corde tuo voluntati divinæ, oon quærendo, quæ tua ſunt, nee in parvo, nee in magno, nec in tempore, nee in æternitate, ita ut una æquali facie in gratiarum actione permaneas inter proſperas & contraria, omnia æqua lance penſando. *L. 3. c. 25. §. 2.*

V. Domine, hoc opus eſt perfecti viri, numquam ab intentione cæleſtium animum relaxare, & inter multas curas quaſi ſine cura tranſire, non morte torpentis, ſed prærogativa quadam libere mentis, nulli creaturæ inordinata affectione adhærendo. *L. 3. c. 26. §. 1.*

§. V. EXEMPLA.

I. NOe, ipſius S. Scripturæ teſtimonio, vir juſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulavit. Hinc & gratiam invenit coram Domino. *Gen. 6. v. 9.*

II. Abrahamo dixit ipſe Deus: Ego Dominus omnipotens: ambula coram me, & eſto perfectus, ponamque fœdus meum inter te & me, & multiplicabo te vehementer nimis, & iterum: Faciamque te in gentem magnam, benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus. *Gen. 17. v. 1. Gen. 12. v. 2.*

III. De David Rege ipſe Deus etiam teſtatus eſt: Inveni David filium Jeſſe, virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Hinc addit: Oleo ſancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum conſortabit eum. *Act. 13. v. 22. Pſ. 88. v. 1.*

IV. Sed & de Job dixit Deus ad Satan: Numquid conſideraſti ſervum meum Job, quod non ſit ei ſimilis in terra; homo ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo? Hinc & mortuus eſt ſenex, & plenus dierum. *Job. 1. v. 8.*

V. S. Paulus de ſeipſo ſcripſit Philippenſibus: Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter emioentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucriſaciam. Non quod jam accepe- *Philip. 3. v. 8.*

rim aut perfectus ſim: ſequor autem, ſi quo modo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum a Chriſto Jeſu. Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe; unum autem, quæ quidem retro ſunt, obliviſcens, ad ea vero, quæ ſunt priora, extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis. Quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus.

§. VI. EXEMPLA DOMESTICA.

Relat. pro Canoniz. I. S. Ignatius omnes ſuas cogitationes, verba, & opera in Deum tamquam finem referebat. Hinc & aſſiduo in Conſtitutionibus & Regulis verba iſta: *Ad majorem Dei gloriam: majus Dei obſequium ſemper intuendo*: repetebat, ita ut ducentis quadraginta duabus vicibus eum id repetiiſſe, Lancizius teſtetur. Ex his nimirum oriebatur gaudium illud ſpirituale, quo hic Dei ſervus plene repletus erat: illa ſerenitas, quam ſemper in vultu præſeſærebat, illa pax interior animi; ſed & perfectiſſimum dominium ſuarum commotionum & perturbationum conſecutus fuerat. Unde ipſemet aliquando dicere auditus eſt, ſe vivere non poſſe, ſi quid in anima ſua humanum, & omni ex parte divinum adverteret. Quocirca *Lanciz. op. 16. c. 7.* Julius III. Pontifex de eo dixit: Nihil, quod pium, ſanctumque non ſit, in exemplari Ignatii vita, moribuſque reperiri. *Ibid.* P. Andreas Frutius intimus S. Ignatii ſubditus, & Angelus ab eo nuncupatus, dicere ſolebat, cæleſtem Chriſti gratiam quaſi ingenitam eique connaturalem videri. Alii vero domeſtici excellenti judicio pollentes, admirati ejus ſanctimoniam dicebant, vere & ad vivum expreſſam eſſe in eo omnem illam perfectionem, quæ tum in Conſtitutionibus Societatis a S. Ignatio conſcriptis, tum in aureo libello Thomæ de Kempis, tum in libello exercitiorum legitur. *Lanciz. op. 2. nu. 323.* Nominatim vero P. Ludovicus Gonzalez Confeſſarius Regis Luſitaniæ, vir ſummi judicii & prudentiæ confeſſus eſt, ſe nullo tempore orationis, vel lectionis tantopere ad amorem Dei incitari, quam eo tempore, quo S. Ignatium aſpexiſſet. *Idem op. 23. ſ. 19.* S. Franciſcus Xaverius autem tanti eum æſtimabat, ut coram domeſticis, non niſi ſanctum vel beatum appellaret, litteras ad ipſum flexis genibus ſcriberet, & nomen illius adhuc viventis a litteris reſciſſum, in reliquiaria theca circumportaret.

Ibid. II. S. Franciſcus Xaverius perfectiſſima ſua vita tantam ſibi ſanctitatis opinionem conciliaverat, ut ſtatim ab obitu pro Sancto haberi & coli cœperit, non a Chriſtianis tantum, ſed Ethnicis etiam, pluresque etiam poſt mortem mortui fuerint reſuſcitati, lampades autem coram ejus imagine ſuſpenſæ ſola aqua ſuperinfuſa ſine oleo arderent, immo interdum extinctæ, ſponte accenderentur.

Lanciz. op. 6. n. 366. III. B. Aloyſius unice conabatur, ut mentis ſuæ lumen factis æquaret, & ut quodlibet munus, officium, negotium cum Chriſti, Sanctorumque exemplo conſentiret.

IV. B. Stanislaus Koſtka, teſte Sacchino, *Ibid. n. 164.* adeo in cunctis rebus abſolutam honeſti formam tenore æquabili tenuit, expreſſitque, ut vel conſueta diſciplinæ domeſticæ munera obiens, quemdam ſplendorem inſolitum & lucem adderet. Itaque etiam cum eadem ſolum, quæ cæteri faciebant, plura, tamen atque ampliora videbatur præſtare, quam cæteri.

V. P. Petrus Faber tum exemplo Chriſti, *Vita l. 2. c. 11.* qui triginta annis prius facto docuit, quæ verbo poſtea docturus erat, incitatus: tum, quod ſciret, Deum valde deſiderare profectum noſtrum, perſuaſus, nitebatur quotidie inſignem progreſſionem in perfectione facere. Quem in finem ſequentes induſtrias adhibebat. 1. Quotidianam ſingularum actionum ordinationem. 2. Accuratum examen conſcientiæ. 3. Triſtem peccatorum, & plenam dolore confeſſionem. 4. Sollicitudinem pie ſacrificandi. 5. Sacramentorum prudentem & conſideratam adminiſtrationem. 6. Diligentem & perattentam pſalmodiam. 7. Frugiferam Verbi divini tam in privatis colloquiis, quam publicis concionibus tractationem. 8. Frequentem renovationem & inſpectionem ſui ſtatus. 9. Compunctionis internæ, & aſſiduæ occupationis ſtudium.

VI. De P. Baltaſſare Alvarez revelavit Deus *Vit. c. 13.* S. Thereſiæ quod tunc in terris adeo excelſo in gradu perfectionis ſit conſtitutus, ut eo tempore nullus eſſet in altiori.

VII. P. Joannes de la Placa Hiſpanus, So- *Colleg. M. annuæ 1602.* cietatem jam Theologiæ Doctor ingreſſus, ita perfectionis omnes partes aſſecutus eſt, ut Novitius adhuc tyronum Magiſter fieret, & in rebus ſpiritualibus a graviſſimis Patribus conſuleretur.

VIII. P. David Locher per plures annos e- *Annuæ 1630. f. 22.* nixe precatus eſt, ut ex hac morte quantocyus evocaretur ad vitam, vel ſi porro hic vivendum eſſet, ut non viveret, niſi ſanctus. Unde illud illi non infrequens: aut mori, aut in ſanctum evadere.

IX. Joannes Berchmannus non ſolum in re- *Vita p. 2. pag. 61.* bus ſemel ſuſceptis conſtans fuit, ſed etiam ſemper nova excogitabat media ad profectum ſuum ſpiritualem. Ejus axioma fuit: Niſi ego ſanctus evadam interea, dum ſum Juvenis, numquam ero ſanctus.

X. P. Sebaſtianus Barradius tantam ſancti- *In Narr. præfixa itinerar. Fil. Iſrael.* tatis famam ſibi comparaverat, ut in Luſitania tota ſanctus audiret, & illa vox omnium eſſet, ſi illa adhuc tempora forent, quibus populi, doctiorumque conſenſus aliquos Sanctos declararunt, Sebaſtianum ſtatim illis fuiſſe annumerandum. Ultimis concionibus e cathedra deſcendens, ſat negotii habuit, ut veſtem a contrectantium oſculis evelleret. Multi peregre venere, ut ſolo ejus aſpectu ſanctitatis pleno ad virtutem accenderentur: alii, ut fimbriam aut capillos a Tonſore impetrarent, dicentes, ſe non minoris ea facere, quæ attigiſſet, quam ſi canonizatus eſſet.

XI. P. Sebaſtianus a Campo tantæ erat ſan- *Annuæ Sardiniæ 1609. Col. Salſaridano.* ctitatis, ut, ubi per urbem Campanarum pulſu mors ejus innotuit, omnes eum ſtatim ut Sanctum invocarint. Veſtes illius omnes ſciſſæ ſunt a populo concurrente, immo & aliquot pedum digiti amputati, ex quibus mox puriſ-

ſimus

Digitized by Google

ſimus ſanguis cum omnium ſtupore effluxit. Reliquiæ ejus omnes morbos & infirmitates curabant; & innumera miracula patrabant.

§. VII. SIMILITUDINES.

Qualitas.

Origen. l. 10. in ep. ad Rom. I. Sicut is, qui Grammaticam docet, perfectus quidem Grammaticus dici poteſt, ſuperior tamen illo, & perfectior eſt Rhetor, & his omnibus longe eminentior Philoſophicæ doctrinæ perfectio; & cum S. Paulus dicit: Non quod jam aſſecutus aut perfectus ſim; ad apicem cœleſtis perfectionis videbatur aſpicere. Cum vero dicit: Quicumque ergo perfecti ſumus &c. & humanæ tantum perfectionis gradum reſpexit.

Idem in ep. ad Ro. II. Sicut is, qui fundamenta jacit domus, aut unum, alterumve parietem ædificat, non dicitur domum extruxiſſe, ſed illi tantum hæc laus attribuitur, qui ſingula membra ædificii ad profectum perducit; ita neque is, qui in virtutum ſtudio ſe exercet, perfectus ſtatim dici poteſt, ſed inſuper requiritur, ut etiam ad charitatis apicem ædificium ſpirituale perducat.

Fab. concil. 3. in Dom. 4. poſt Pent. III. Sicut domus etiam illa mundiſſima dicitur, quam primum aliquis ſordidis pedibus ingreſſus eſt, ſtatim eluitur, & purgatur; ita perfectus dici adhuc poteſt, qui interdum labitur in levia peccata, modo illa ſtatim per confeſſionem aut contritionem deleat.

Ibid. IV. Sicut Dux militaris, ſi conſtanter hoſtem impugnet & vellicet, egregii Ducis nomen obtinet, licet non omnino expugnet, & deleat, imo quandoque minus feliciter pugnet: ſic perfectus Chriſti miles dici poteſt etiam is, qui interdum a paſſione vincitur, modo a contentione pugnæ non deſiſtat.

S. Greg. Nyſſ. in Pſ. Feſti, qui habitant. V. Sicut ſi nihil nutrimenti decederet ex quotidiana cibi ſumptione, in magnam proceritatem corpora excreſcerent; ita virtus perfectorum, cum admodum ciborum ingeſta non egeratur, altiores ſemper per ſeſe participantes efficit, ſui ſemper adjectione magnitudinem augens.

S. Petrus Da. apud Lanciz. op. 3. num. 286. VI. Sicut Zeuxis Dianæ ſimulacrum a Crotoniate depingere juſſus, omnes Virgines ſpecioſas in uno loco colligi juſſit, ut futuri elegantiam operis ex earum poſſet ſpecie mutuari; ſic & perfecti ex variis virorum Sanctorum virtutibus, unius in ſe veri Dei reſtaurant imaginem.

S. Macar. hom. 15. VII. Sicut in utero imperfectus infans non ſtatim concreſcit in hominem, ſed paulatim formatur, & gignitur; ita multo magis cæleſtia Myſteria multis gradibus atque promotionibus acquiruntur, & tum, qui per multas exercitationes & varia rerum pericula progreſſus fuerit, perfectus evadet.

S. Greg. Nyſſ. de perf. hom. Chriſt. form. VIII. Sicut participatione Chriſti, Chriſtiani appellationem adepti ſumus; ita per conſequens convenit, omnium quoque ſublimium virtutum ac perfectionum, nos adſciſcere communionem & ſocietatem.

Utilitas.

S. Bern. ſ. de dilig. Deo. IX. Sicut ſtilla aquæ modica multo infuſa vino deficere a ſe videretur, dum & ſaporem vini induit, & colorem: & quomodo ferrum ignitum, & candens igni ſimilimum fit, priſtina, propriaque forma exutum: & quomodo Solis luce perfuſus aer in eamdem transformatur luminis claritatem, adeo ut non tam illuminatus, quam ipſum lumen eſſe videatur; ita perfecti, dum Deo toti immerguntur, deificantur quodammodo, ut in Deum penitus transformentur.

Fab. conc. 3. in Dom. 4. poſt Pent. X. Sicut volucris, cum utramque habet alam, facile ſe per aerem librat; quæ tamen ſi unam tantum haberet, difficulter ſe a terra elevaret, cum ſola ſit onus, utraque vero levamen; ita qui ſola ſtatuit ſervare præcepta, cum magna difficultate ſe, ſuamque mentem ad cæleſtia attollet, atque in perpetuo labendi periculo verſabitur: ſecus vero, qui & præcepta, & conſilia Evangelica ſervare decrevit.

§. VIII. MOTIVA.

S. Leo ſ. 1. de jejun. 10. menſe. I. Quia ſic *Creationis* beneficium exigit: nam, ut ſapienter S. Leo dixit, ſi fideliter & ſapienter creationis noſtræ intelligamus exordium, inveniemus hominem a Deo ad imaginem Dei conditum, ut imitator ſui eſſet Authoris; & hanc eſſe naturalem noſtri generis dignitatem, ſi in nobis quaſi in quodam ſpeculo divinæ benignitatis forma reſplendeat.

S. Laur. Juſt. ſ. de Exal. S. Crucis. II. Quia *Incarnationis* beneficium id meretur: nam, ut recte dixit S. Laurentius Juſtinianus, hæc potiſſima Incarnationis Chriſti cauſa fuit, quatenus per aſſumptum hominem documenta ſaluberrima tribueret Deus, quibus peccator homo amiſſa recuperaret dona, deformatam reformaret imaginem, & cæleſtem, a qua elongaverat multum, remearet ad Patriam: Hinc merito monet S. Greg. Nazianz. *S. Gregor. Naz. or. 40. in Paſ.* Simus ut Chriſtus, quoniam Chriſtus quoque ſicut nos: efficiamur Dii propter ipſum, quoniam ipſe quoque propter nos homo factus eſt. Huc enim, ut alibi ait. Magiſtra lex tendit, huc exinanita Deitas, huc aſſumpta caro.

Eph. 5. v. 7. III. Quia beneficium *Redemptionis* idipſum ſuadet: nam ideo, teſte Apoſtolo, Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſeipſum pro ea, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata.

Gen. 17. v. 1. & 15. v. 1. IV. Quia etiam beneficium *Glorificationis* ad id impellit: hic enim quivis merito illud Abrahamo olim factum promiſſum applicat: Ambula coram me, & eſto perfectus: & noli timere, Abraham: ego ero protector tuus, & merces magna nimis.

S. Bern. ep. 347. ad Monach. V. Quia *Filiorum ſæculi exemplum* ſtimulos addit: Quem enim ambitioſum, ait S. Bernardus, vidimus aliquando contentum adeptis dignitatibus, ad alias non anhelare? ſic & curioſi cujuſque non ſatiatur oculus viſu, nec auris impletur auditu. Quid eorum, qui avaritiæ ſerviunt, aut amatores ſunt voluptatum, ſeu vanas ſectantur hominum laudes, nonne & ipſorum inſatiabilia deſideria arguunt

nos

Digitized by Google

nos negligentiæ ac tepiditatis? Pudeat certe ſpiritualium bonorum nos minus cupidos inveniri. Erubeſcat anima converſa ad Dominum, minori affectu ſectari juſtitiam, quam iniquitatem antea ſectaretur. Eſt enim cauſa valde diſſimilis. Stipendium quippe peccati mors: fructus autem juſtitiæ vita æterna. Pudeat proinde negligentius nunc in vitam, quam prius in mortem ire, & minore ſtudio ſalutis inquirere, quam perditionis augmentum.

§. IX. MEDIA.

Corn. in c. 4. Gen. I. V*Emens deſiderium*; nam, ut ſanctus quidam Doctor ait, quidquid toto corde, tota intentione, toto deſiderio vis, id es certiſſime. *S. Aug. tr. 4. in ep. 1. Jo.* Et, S. Auguſtino teſte, tota vita boni Chriſtiani ſanctum eſt deſiderium proficiendi. Hic ſinus noſter eſt, hic ſaccus, &, quia anguſtus eſt, extendendo ſacis capaciorem.

Sap. 7. v. 7. II. *Oratio aſſidua*: ſic enim Salomon exemplo ſuo ſuaſit, dum dixit: Optavi, & datus eſt mihi ſenſus, & invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ, & præpoſui illam Regnis, & ſedibus, & divitias nihil duxi in comparatione illius. Quæ omnia æque, imo potiori jure perfectioni applicari poſſunt.

2. Tim. 3. v. 16. III. *Lectio frequens librorum ſpiritualium*: nam huic convenit illud S. Pauli: Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. Cujus medii efficaciam S. Auguſtinus, S. Ignatius Lojola, aliique plures ſunt experti.

S. Greg. Nyſſ. l. de vita Moyſ. IV. *Vitæ & exempla Sanctorum frequenter ob oculos propoſita*: nam, ut S. Gregorius Nyſſenus ait, credendum eſt, idcirco vitas præſtantiſſimorum virorum exquiſitiſſime preſcriptas eſſe, ut vita noſtra imitatione ad virtutem & bonum rectius deducatur. Quod ipſum *S. Baſil. epiſt. 49. c. 7.* confirmans S. Baſilius: Vitæ beatorum hominum, inquit, litteris traditæ ſunt veluti imagines quædam vivæ, divinæ Reipublicæ ad bonum operum imitationem propoſitæ. Unde quemadmodum pictores, quando imaginem ex imagine pingunt, identidem ad exemplar reſpicientes, characterem ad ſuum opificium inde transferre conantur; ita oportet eum, qui ſtudet ſeipſum omnibus virtutum partibus perfectum reddere, Sanctorum vitas velut ſimulacra quædam viva & efficacia reſpicere, illorumque bona opera per imitationem ſua facere.

§. X. ASCETICA.

Rodrig. p. 1. t. 1. c. 21. I. S*Eptem fere ſunt capita, quæ de perfectione, tanquam proprio objecto, ſcire debet Aſceta. Primum eſt, ut ſciat, quid requiratur ad perfectionem ſcilicet, ut declinet quis perfecte a malo, id eſt, peccato; & faciat bonum, id eſt id *quod* Deo magis placet: & *modo*, qui ei magis placet: & *fine*, qui ei maxime placet. Hoc enim indicavit ipſe Chriſtus, dum dixit: Eſtote & vos perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt, ſcilicet cognoſcendo & amando perfectiſſime ſeipſum, ac omnia propter ſeipſum & gloriam ſuam perfectiſſime operando. Unde Rodriquez tres ponit gradus hujus perfectionis, ſeu perfecti amoris. Primus eſt, ut omni affectu erga terrena exuto, in ſolo Dei beneplacito quieſcat, dicereque poſſit cum Eſther: Tu ſcis, Domine, quod numquam lætata ſit ancilla tua, ex quo huc tranſlata ſum, uſque in præſentem diem, niſi in te, Domine Deus Abraham. *Eſther. 14. v. 18.* Minus enim te amat, teſte S. Auguſtino, qui aliquid amat, quod propter te non amat. Secundus eſt, ut etiam erga ſeipſum omnem amorem exuat, ſeque non niſi in Deo, & propter Deum amet: id enim Chriſtus inſtnuavit, dum dixit: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. *Luc. 9. v. 23.* Tertius eſt, ut operetur, non ut ipſe Deo placeat, ſed quia placet ipſi Deus, vel quia placet Deo, quod operatur; ita ut, quemadmodum S. Bernardus loquitur, delectet non *S. Ber. de dil. Deo.* tam noſtra vel ſopita neceſſitas, vel ſortita felicitas, quam quod ejus in nobis, & de nobis voluntas adimpleta videatur. Quem gradum extollens idem Sanctus, o amor ſanctus, exclamat, & caſtus! o dulcis & ſuavis affectio! o pura & defæcata intentio voluntatis, eo ſane defæcatior, & purior, quo in ea nihil de proprio jam admixtum relinquitur: eo ſuavior & dulcior, quo totum divinum eſt, quod ſentitur. Sic affici, deificari eſt.

II. Alterum eſt, ut meminerit, non omnes ad hanc ſummam perfectionem ſectandam vocatos eſſe, atque adeo etiam non promiſcue hortetur ad illam, aut inducat, ſed potius ſaluberrimæ doctrinæ a S. Gregorio prolatæ *S. Greg. in Gen. 19.* ſit memor: Mons, inquit, altitudinem virtutum deſignat, ad quam Angelus hortatur: qui non viderit, ſe poſſe conſcendere, melius eſt, ut in Segor, id eſt, in parvula civitate remaneat, contentus laicali, & communi vita, quam montem virtutis arripiat, & ad ſæcularia redeat. *Eſt civitas hæc juxta &c.* juxta dicitur, & tamen ad ſalutem tuta, quia activa vita eſt, nec a mundi curis ex toto diſcreta, nec a gaudio ſalutis æternæ aliena.

In Coll. PP coll. 1. III. Tertium eſt, ut ſciat perfectionem non in aſperitatibus corporis, aut aliis ſimilibus rebus, & exercitiis ſitam eſſe, uti interdum aliqui falſo ſibi perſuadent, ſed hæc media dumtaxat eſſe ad perfectionem, uti recte Abbas Moyſes apud Caſſianum advertit, dicens: Jejunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas ac privatio omnium facultatum, non perfectio, ſed perfectionis inſtrumenta ſunt, quia non in ipſis conſiſtit diſciplinæ finis, ſed per illa pervenitur ad finem.

Abbas Jo. in ſua coll. IV. Quartum eſt, ut firmiter ſibi perſuadeat, nunquam ſe veram quietem poſſeſſurum, niſi perfectionem, ad quam vocatus eſt, aſſequi ſincere ſtudeat; nam, ut ſapienter Abbas Joannes dixit, miſerum eſt cujuslibet ac ſtudii diſciplinam quampiam profiteri, & ad perfectionem ejus minime pervenire.

S. Bern. ſ. 1. de S. And. V. Quintum eſt, ut ordinate ad perfectionem tendendum meminerit; nam, ut recte advertit Sanct. Bernardus, nemo repente fit ſum-

ſummus, & aſcendendo, non volando, apprehenditur ſummitas ſcalæ. Quod confirmans (*S. Laur. Juſtin. in proœm. de grad perf.*) Sanct. Laurentius Juſtin. Quiſquis, ait, in ſpirituali exercitio cupit perfectionis culmen attingere, juxta Prophetæ admonitionem, aſcenſionis ſibi in corde ſpirituales componat gradus, per quos de virtute in virtutem proficiens, ipſum Deum ex parte comprehendere valeat, a quo pleniſſime comprehenſus eſt.

VI. Sextum eſt, ut non concidat animos, ſi interdum in perfectionis ſtudioſe languere, aut omnino cadere advertat, ſed potius novas vires, & ſervorem aſſumat, memineritque ſen- (*S. Hier. in epiſt. ad Cteſiph. S. Aug. ſ. 13. de ver. Apoſtol.*) tentiæ a S. Hieronymo prolatæ: Hæc una præſentis vitæ perfectio eſt, ut te imperſectum agnoſcas. Cui etiam S. Auguſtinus adſtipulans: Semper inquit, tibi diſpliceat, quod es: ſi vis pervenire ad id, quod non es. Nam ubi tibi placuiſti, ibi remanſiſti? ſi autem dixeris: ſufficit, & periiſti. Hinc ait, Apoſtolum prius ſuam imperfectionem confeſſum eſſe, & poſtea ſe perfectum dixiſſe, quia ipſa eſt perfectio hominis, inveniſſe ſe non eſſe perfectum.

VII. Septimum eſt, ut non ſtatim perfectum ſe eſſe judicet, ſi nullius aut certe non multarum imperfectionum aut culparum ſit con- (*S. Greg. l. 4. dial.*) ſcius; nam, ut ſapienter S. Gregorius dixit, plerumque hi, quos jam perfectos homines æſtimant adhuc in oculis ſummi Opificis aliquid habent imperfectionis. Sic ſæpe imperiti homines nedum perfecte ſculpta ſigilla conſpicimus, & jam quaſi perfecta laudamus, quæ tamen adhuc Artifex conſiderat, & limat: laudari jam audit, & tamen ea tandem meliorare non deſinit.

§. XI. MISCELLANEA.

Qualitas.

(*Laert. ap Langium.*) I. CRates impoſibile eſſe dicebat, quemquam inveniri, qui numquam lapſus eſt, ſed veluti in malo punico granum quoque aliquod putreſcere.

(*Caſſiod. l. 8. ep. 3.*) II. Rex Theodoricus dicere ſolebat: Culpæ genus eſt, non te ſeciſſe, quod ſummum eſt.

(*S. Ambr. l. 9. hex. c. 9.*) III. Recte quoque Sanct. Ambroſius: Imitatores, inquit, ſui nos voluit Deus, ut prius ſaciamus aliqua, poſtea venuſtemus, & ſemper venuſtemus magis ac magis.

(*Galen. l. 6. de Cur. morb.*) IV. Galenus dicere ſolebat: Cuique curandum, ut aliquando vivat continentius, & melius hodie, quam heri.

(*Plutarc. de cogno- ſc. profe- ſtu.*) V. Pulchre etiam Plutarchus: Materiam aliquam, inquit, aut ſepem conficientibus, nihil refert, obvium quodque lignum, aut lapidem humi jacentem adhibere, aut columnam a monumento delapſam ſubjicere; quomodo, & homines vitioſi omnia ſacta promiſcue, omnes temere actiones congerunt, & coacervant. At qui in virtute exercenda proficiunt, quibus vitæ veluti regil, & ſacri ædificii jactum eſt aureum fundamentum, nihil eorum, quæ temere aguntur admittunt, ſed veluti amuſſi rationis aptant ſingula, atque concinnant. Quo de ædificio uſurpari poteſt Polycleti dictum, qui difficillimum opus eos tractare pronunciavit, quibus lutum eſt ad unguem exigendum.

Dignitas.

VI. Nihil eſt ſimilius, & gratioſius Deo, quam vir animo perfectus bono, qui in tantum homines cæteros antecellit, quantum ipſe a Diis immortalibus antecellitur. (*Lucius Apuleius de Deo Socrates.*)

§. XII. AUTHORES.

I. ALphonſus Rodriquez de perfect. Chriſtiana.
II. Ludovicus de Ponte de perfect. Tomis quatuor.
III. Lucas Pinellus de perfect. Chriſt.
IV. Bernardinus Roſignolius de diſciplina Chriſt. perfect.
V. Nicolaus Lancizius opuſc. 3. cap. 30. & opuſc. 10. toto.
VI. Ludovicus Granat. in loc. comm. f. 114
VII. Matthias Faber con. a. in Fer. 3. Pent. & conc. 5. in Dom. 4. poſt Pent.
VIII. Joſephus Langius in Polyanth. V. eod.

TITULUS CXVI.

PERSEVERANTIA.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I. EST virtus, qua in bonis operibus ad finem uſque perſiſtimus, & moleſtiam ex rei laborioſæ diuturnitate provenientem ſuperamus. Unde differt a conſtantia, quod hæc difficultates aliunde, quam a diuturnitate provenientes ſuperet. (*Jac. Alv. t. 2. l. 1. p. 2. c. 3. §. 7.*)

Diviſio.

II. Dividitur plerumque in *finalem*, & non *finalem*. Finalis eſt, qua quis ad mortem uſque perſeverat in bonorum operum exercitio, ſine qua nemo ſalvari poteſt, uti Ipſe Chriſtus indicavit, dum dixit: Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. (*Matth. 10. v. 22.*) Non finalis eſt, qua quis ad tempus tantum aliquod, vel in particularibus quibuſdam virtutum exercitiis ad finem illarum perſeverat, de qua potiſſimum hoc loco agitur; nam prior eſt ſpeciale Dei donum, quam electis ſuis Deus ex ſingulari prædeſtinationis ſavore conferre ſolet.

Actus.

III. Pericula cadendi, & in virtute perſeverantiæ deficiendi, ſagaciter indagare, & ſalubribus contra illa mediis ſe præmunire.

IV. Seipſum variis motivis ad perſeverandum exſtimulare, maxime efficaci illo, & a S. Bernardo aliiſque frequenter uſitato ſtimulo: ad quid veniſti? Item illo a continentia erga S. Auguſtinum uſurpato: Potuerunt iſti, & iſtæ, & tu non poteris?

V. A lapſu, ſi forte per ſrugalitatem is contin-

Digitized by Google

tingat, cito reſurgere; hoc enim ut recte advertunt Theologi, & Aſcetæ, eſt unum ex mediis, quibus Deus ad prædeſtinationem hominis executioni mandandam utitur.

VI. Amorem vitæ, timorem mortis, minaſque, ac promiſſa generoſe contemnere; ob hæc enim plerumque a perſeverantia deflectunt homines.

Gradus.

in Roſis Mar. p. 3. c. 11. §. 1. VII. Tres aſſignantur, teſte P. Jeremia Drexelio. Primus eſt, velle ac cupere perſeverare: virtutis, quippe cultor ſeipſum exſtimulans, cur, inquit, tam ſtultus ſim, ut, cum cœperim Spiritu, conſummem carne: Nolo eſſe arundo ventis agitata: nolo mutari cum luna.

VIII. Secundus eſt, firmiter velle, quod recte ceptum eſt, ſeſeque cunctis obſtaculis acriter opponere: Perſeverantiæ, quippe cupidus cum S. Paulo exclamat: omnia poſſum in eo, qui me confortat.

Philip. 4. 13. IX. Tertius eſt, cum gaudio perdurare uſque ad finem: nam fatigationem quies, laborem ſequitur merces. Sic igitur curramus, ut comprehendamus.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Gal. 5. v. 7. I. CUrrebatis bene, qui vos impedivit veritati non obedire? Perſuaſio hæc non eſt ex eo, qui vocat vos.

Heb. 12. v. 7. II. In diſciplina perſeverate.

Pſal. 17. v. 38. III. Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non convertar, donec deficiant.

Pſ. 39. v. 3. IV. Statuit ſuper petram pedes meos, & direxit greſſus meos.

Pſ. 104. v. 4. V. Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem ejus ſemper.

Eccl. 27. v. 12. VI. Homo ſanctus in ſapientia manet, ſicut Sol, ſtultus ſicut Luna mutatur.

1. Cor. 7. v. 20. VII. Unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat.

Habac. 2. v. 1. VIII. Super cuſtodiam meam, ſtabo, & figam gradum ſuper munitionem: & contemplabor, ut videam, quid dicatur mihi; & quid reſpondeam ad arguentem.

Eccl. 11. v. 21. IX. Sta in teſtamento tuo (id eſt, pacto; quod cum Deo iniviſti, addicens te ejus ſervituti) & in illo colloquere (id eſt, de illo in animo tuo tracta, cogitans; quid illud a ſe requirat, & quomodo id obſerves;) & in opere mandatorum tuorum veteraſce. Ne manſeris in operibus peccatorum: Confide autem in Deo, & mane in loco tuo.

Hebr. 6. v. 11. X. Cupimus unumquemque veſtrum eamdem oſtendere ſollicitudinem ad expletionem ſpei uſque ad finem: Ut non ſegnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide & patientia hæreditabunt promiſſiones.

Jo. 17. v. 4. XI. Ego te clarificavi ſuper terram: opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam.

Jo. 4. v. 34. XII. Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus.

2. Theſſ. 3. v. 13. XIII. Fratres nolite deficere benefacientes.

Neceſſitas.

XIV. Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. *Luc. 9. v. 62.*

XV. Væ his, qui perdiderunt ſuſtinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas. Quid facietis, cum inſpicere cœperit Deus? *Eccl. 2. v. 16.*

XVI. Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. *Matth. 10. v. 22.*

XVII. Neſcitis, quod ii, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium. Sic currite, ut comprehendatis. *1. Cor. 9. v. 24.*

XVIII. Videte voſmetipſos, ne perdatis, quæ operati eſtis, ſed ut mercedem plenam accipiatis. Omnis, qui recedit, & non permanet in doctrina Chiſti, Deum non habet. *Jo. 2. v. 8.*

XIX. Memor eſto, unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: ſin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris. *Ap. 2. v. 5.*

Utilitas.

XX. Ecce miſſurus eſt diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini, & habebitis tribulationem diebus decem. Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. *Ap. 2. v. 10.*

XXI. Qui vicerit, & cuſtodierit uſque ad finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringentur. *Ib. v. 26.*

XXII. Itaque fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote, & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino. *1. Cor. 15. v. 58.*

XXIII. Bonum facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes. *Galat. 6. v. 9.*

XXIV. Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum: ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. *Luc. 22. v. 28.*

XXV. Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex, non ſolum autem mihi, ſed & iis, qui diligunt adventum ejus. *2. Tim. 4. v. 7.*

XXVI. Filii Sanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo. *Tob. 2. v. 18.*

Dignitas.

XXVII. Participes Chriſti effecti ſumus, ſi tamen initium ſubſtantiæ ejus uſque ad finem firmum retineamus. *Hebr. 3. v. 14.*

XXVIII. Manete in dilectione mea. Si mea præcepta ſervaveritis, manebitis in dilectione mea; ſicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione. *Joh. 15. v. 10.*

XXIX. Ecce venio cito: tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius, & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei. *Ap. 3. v. 11.*

XXX. Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum *Ap. 3. v. 21.*

in

in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus.

§. III. EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Bern. in ſ. 2. in vig. SS. Petri & Pauli. I. BOnam vitam ego puto, mala pati, & bona ſacere, & ſic perſeverare uſque ad mortem.

S. Hier. l. 2. contr. Jov. II. Non quæruntur in Chriſtianis initia, ſed finis & perſeverantia. Paulus male cœpit, ſed bene finivit. Judæ laudantur exordia, ſed finis proditione damnatur.

Id. in ep. 10. ad Fur. III. Vidit Jacob Deum in ſummitate ſcalæ, non in ejus fine vel medio, ut intelligeremus, non ſufficere bene cepiſſe, ſed bene conſummaſſe.

Euſeb. h. 3 ad Mon. IV. Spes omnes noſtræ in conſummatione atque fine conſiſtunt. Quid mihi prodeſt, ſi ſata viridantia herbis ſpem meſſis oſtendant, & me ſub ipſo ſalcis tempore, ſubita vel aeris intemperie, vel pluviarum inundatione decipiant.

S. Aug. V. Non eſt magnum inchoare, quod bonum eſt, ſed conſummare, hoc ſolum perfectum eſt.

S. Ephr. adhort. 4. VI. In quo vocatus es opere, firma anchoras & funes, ne in pelagus navis tua paulatim impellatur, & tunc docebit te experientia, quali pace in portu conſtitutus fueris.

S. Ber. ſ. 1. in Paraſc. VII. Neminem audiamus, non carnem, & ſanguinem, non ſpiritum quemlibet deſcenſum a cruce ſuadentem. Perſiſtamus in cruce, moriamur in cruce, deponamur aliorum manibus, non noſtra levitate. Virtus in pace acquiritur, in preſſura probatur, approbatur in victoria.

Idem de paſſ. c. 14. VIII. Sicut caput noſtrum pro peccatis noſtris acerbitatem ſuſtinens paſſionis uſque ad conſummationem, id eſt, uſque ad perfectionem omnium Scripturarum, quæ de ipſo erant, perſeveravit patienter; ita & nos, ſi hujus capitis membra eſſe volumus, in omnibus adverſitatibus noſtris virtutem perſeverantiæ conſervemus, ut in finè confidenter dicere poſſimus: Conſummatum eſt.

In Pſ. 67. IX. Seraphicus Bonaventura ait: Obedientia ſemen recipit, patientia fructificat, perſeverantia metit.

Aug. tr. 106. in Jo. X. Credere vere, eſt credere inconcuſſe, firme, ſtabiliter, fortiter, ut jam ad propria non redeas & Chriſtum relinquas.

Amb. l. c. 2. ad Cor. XI. Fides vera non eſt, ſi non ſit perpetua ſed poſſit deficere.

Hier. & h. ib. 10. Quæſt. 2. vos aut. XII. Quicquid neceſſitate fit, cito ſolvitur, quod voluntate arripitur, perſeverat.

Neceſſitas.

S. Ber. to. 2. ſ. 60. n. 1. & 3. XIII. Omnes virtutes abſque perſeverantia contra vitia pugnare poſſunt, ſed ſine perſeverantia omnino vincere non poſſunt, Domino dicente: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.*

S. Greg. 3. p. Paſt. c. 11. XIV. Admonendi ſunt, qui inchoata bona minime conſummant, ut cauta circumſpectione conſiderent, quia, dum propoſita non perficiunt, etiam quæ fuerint cœpta, convellunt.

S. Bern. ep. 254. XV. Quid prodeſt, Chriſtum ſequi, ſi non contingat conſequi? ideo Paulus ajebat: Sic currite, ut comprehendatis. Ibi, tu Chriſtiane, fige tui curſus, profectuſque metam, ubi Chriſtus poſuit ſuam. Factus eſt, inquit, obediens uſque ad mortem. Quantumlibet ergo cucurreris, ſi uſque ad mortem non perveneris, bravium non prehendes.

S. Greg. l. 1. moral. XVI. Incaſſum bonum agitur, ſi ante vitæ terminum deſeratur; quia fruſtra velociter currit, qui prius, quam ad metas venerit, deficit.

S. Bern. in ep. 129. XVII. Abſque perſeverantia nec qui pugnat, victoriam, nec palmam victor conſequitur: vigor virium, virtutum conſummatio eſt. Tolle perſeverantiam, nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui inceperit, ſed qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

S. Hier. & S. Aug. ſer. 8. ad FF. in Er. XVIII. Recte inchoare, & non conſummare recte, monſtri portentique eſt ſimile, cum enim ſic agitur, humano capiti cervicem pictor equinam jungit.

S. Greg. in 6. Pſ. pœnit. XIX. David non ait, clamor, ſed clamavi de profundis, dans in hoc perſeverantiæ documentum, ut ſi primo non exaudiris, ab oratione non deficias, immo precibus, & clamore inſiſtas. Vult Deus rogari, vult importunitate quadam vinci. Ideo tibi dicitur: Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Caſſiod. 5. ep. 11. XX. Alacriter incumbendum eſt inchoatis, cum vicinitas perfectionis affuerit, ſpes affectus, tædium laboris excludit. Magnum genus incitamenti eſt, credere deſiderata compleri.

Utilitas.

S. Bern. in. ep. XXI. Scias, diabolum ſoli perſeverantiæ invidere, quam ſolam novit a Domino coronari.

S. Aug. XXII. Uxor Loth reſpiciens retro, in ſtatuam ſalis converſa eſt. Quid eſt hoc, inquit S. Auguſtinus? & reſpondet: Salis condire eſt, & res conſervare. Vult igitur Dominus nos meminiſſe uxoris Loth, & dum, quid ipſi evenerit, mente evolvimus, a ſimili infortunio nobis diligenter caveamus, & hac cogitatione velut ſale conditi proſequamur cœptum iter noſtrum, nec oculos reflectamus, nec nos quoque ſimilem exitum malo noſtro experiamur.

S. Greg. l. 1. mor. c. 20. XXIII. Hinc Joſeph, qui inter fratres uſque in finem juſtus perſeveraſſe deſcribitur, ſolus talarem tunicam habuiſſe perhibetur. Nam quid eſt talaris tunica, niſi actio conſummata? Bene igitur cœpta, cunctis diebus agenda ſunt, ut cum malum agendo repellitur, ipſa boni victoria conſtantiæ manu teneatur.

S. Laur. Juſt. de lign. vit. c. 4. XXIV. Perſeverantia, & ſtabilitas in operatione patenter oſtendit, operantem in Electorum numero computandum, ac virtute perſeverantiæ eſſe redimitum; Solum non perſeveraſſe, eſt amiſiſſe coronam.

Ibid. c. 3. XXV. Perſeverantia filia ſingularis eſt ſummi Regis, finis virtutum, earumque conſummatio, ſine qua neque qui pugnat, victoriam, nec victor palmam conſequitur.

XXVI.

(*Ibidem.*) XXVI. Perſeveraotia ſola eſt, cui æternitas redditur, vel potius, quæ æternitati hominem reddit, dicente Domioo: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.*

(*S. Hier. ep. 34.*) XXVII. Felix, & omni dignus beatitudine, quem extrema dies Chriſto occupat ſervientem, quem Salvatori militantem invenit: *Qui non confundetur, cum loquetur inimicis ſuis in porta.*

(*S. Iſid. l. 2. Synod. in fine.*) XXVIII. Eſto in pœnitentia firmiter confirmatus, vitam bonam, quam cæpiſti tenere, non deſeras, propoſitum bonæ vitæ conſerva jugiter, beatus eris, ſi permanſeris; beatus, ſi perſeveraveris; Salus perſeverantibus promittitur, præmium perſeverantibus datur: *Beati qui cuſtodiunt judicium, & faciunt juſtitiam in omni tempore;* Non eſt beatus, qui bonum fecit, ſed qui booum inceſſabiliter facit.

(*S. Bern. ibid.*) XXXIV. Perſeverantia victrix eſt ad meritum, mediatrix ad prœmium, ſoror patientiæ conſtantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vioculum, ſanctitatis propugnaculum.

(*S. Laur. Juſt. de vit. c. 2.*) XXX. Perſeverantia impetrat, quod vult, unde Dominus ait de amico, qui media nocte vadit ad amicum, ut panem, ſi perſeveraverit pulſans, obtioeat, etſi non dabit, eo quod amicus ejus ſit, propter improbitatem tamen ejus ſurget, & dabit, quotquot habet neceſſarios; Si enim homo perſeveranti petenti dat ex tædio, multo magis Deus qui ſine tædio largiſſime donat, quod petitur, perſeveranter petenti donat ex amicitia. Et quomodo non dabit perſeverantibus in prece, qui ut gratis tribuat nobis, hortatur, ut petamus?

(*Bern. in ſerm.*) XXXI. Bonam vitam ego puto, mala pati & bona facere, & ſic perſeverare uſque ad mortem.

Dignitas.

(*S. Bern. de vit ſolit.col.26.*) XXXII. Magis Deo propinqua ſimilitudo eſt, in qua animus virtutis magnitudine ſummi boni quaſi geſtat magnitudinem; & perſeverantiæ in bono conſtantia æternitatis ejus iocommutabilitatem. Et hæc eſt ſimilitudo in tantum propria, ut non jam ſimilitudo, ſed unitas ſpiritus nominetur, cum ſit homo unus cum Deo ſpiritus, non tantum virtute volendi idem, ſed expreſſiore quadam uoitate virtutis, aliud velle non valendi.

(*S. Hier.*) XXXIII. Cæpiſſe, multorum eſt; ad culmen perveniſſe, paucorum.

§. IV. EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

(*L. 2. c. 11. §. 1, & 2.*) I. MUlti ſequuntur Jeſum uſque ad fractionem panis, ſed pauci uſque ad bibendum calicem paſſiooìs. Multi illum laudant, & benedicunt, quamdiu conſolationes aliquas ab ipſo percipiunt. Si autem Jeſus abſconderit, & modicum eos reliquerit, aut in querimoniam, vel in dejectionem nimiam cadunt. Qui autem Jeſum propter Jeſum, & non propter ſuam propriam aliquam conſolationem diligunt ipſum in omni tribulatione, & anguſtia cordis, ſicut in ſumma conſolatione benedicunt.

(*L. 3. c. 3. §. 2. & 3.*) II. Erubeſce Sidon, ait mare, & ſi cauſam quæris, audi, quare. Pro modica præbenda longa via curritur, pro æterna vita a multis vix pes ſemel a terra levatur. Pro vana re & parva promiſſione die noctuque ſatigari non timetur, ſed proh dolor! pro bono incommutabili, pro præmio inæſtimabili, pro ſummo honore, & gloria interminabili, vel ad modicum ſatigari pigritatur. Erubeſce ergo Serve piger, & queruloſe, quod illi paratiores inveoiuntur ad perditionem, quam tu ad vitam. Equidem a ſpe ſua nonnumquam fruſtantur, ſed promiſſio mea neminem fallit, me confidentem mihi dimittit inanem. Quod promiſi, dabo; quod dixi, implebo, ſi tamen uſque in finem fidelis in dilectione mea quis permanſerit.

(*L. 3. c. 30. §. 2.*) III. Ubi eſt fides tua? Sta firmiter, & perſeveranter. Eſto longanimis, & vir fortis, veniet tibi conſolatio in tempore ſuo.

(*L. 2. c. 12. §. 5.*) IV. Eja fratres, pergamus ſimul, Jeſus erit nobiſcum, Propter Jeſum ſuſcepimus hanc crucem: propter Jeſum perſeveremus in cruce. Incæptum eſt, retro abire non licet, nec relinquere oportet. Sequamur viriliter, nemo metuat terrores, ſimus parati mori fortiter in bello, nec ioſeramus crimen gloriæ noſtræ, ut fugiamus a cruce.

§. V. EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Qualitas.

(*Jo. 17. v. 4.* — *Jo. 19. v. 30.* — *S. Bern. in die Paraſcev.*) I. CHriſtus de ſeipſo dixit: Opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam. Et in cruce dixit: Conſummatum eſt. Sed & S. Bernardus de eo dixit: Deſcendat, ſi Rex Iſrael eſt; immo vero quia Rex Iſrael eſt, titulum regni noo deſerat; cum enim ſalvus eſſe non poterit, niſi qui perſeveravit uſque in finem, quanto mious poterit eſſe Salvator? Additque S. Thomas (*S. Thom. in Matt. c. 27.*): ſi de Cruce deſcenderet, virtutem nobis patientiæ uſque in finem non demonſtraſſet.

II. Nehemias Jeruſolymitanam civitatem renovans, etſi undique ſe opponerent Adverſarii (*2. Eſdræ 6. v. 1.*), & qua contumeliis, qua inſidiis, qua vi, & dolo impedire eum molirentur, invitus tamen in opere perſiſtebat; immo & ad fœdus ineundum vocatus dicebat: Opus grande ego facio, & non poſſum diſcendere, ne forte negligatur, cum venero, & deſceodero ad vos.

(*2. Mach. 6. 23.*) III. Eleazarus unus de Primoribus Scribarum, ad carnes manducandas compulſus, cogitare cœpit ætatis ac ſenectutis ſuæ eminentiam dignam, ingeoitæ nobilitatis canitiem, atque a puero optimæ converſationis actus, & ſecundum ſanctæ, & a Deo conditæ legis conſtituta reſpondit, præmitti ſe velle in infernum, quam carnes illicitas manducare.

(*Tob. 2. v. 12.*) IV. S. Tobias cum ab infantia timoerit Deum, & mandata ejus cuſtodierit, non eſt contriſtatus contra Deum, quod plaga cæcitatis evenerit ei, ſed immobilis in Dei timore per-

Digitized by Google

permanſit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ ſuæ.

1. Mach. 2. v. 19. V. Matathias Princeps clariſſimus, & magnus in civitate Jeroſolyma ad immolandum diis a Miniſtris Antiochi ſollicitatus, intrepide reſpondit: Etſi omnes Gentes Regi Antioco obediant, ut diſcedat unuſquiſque a ſervitute legis Patrum ſuorum, & conſentiant mandatis ejus, ego & filii mei, & fratres mei obediemus legi Patrum noſtrorum. Propitius ſit nobis Deus, non eſt nobis utile, relinquere legem & juſtitias Dei.

S. Gier. l. 3. c. 5. VI. Joſeph Patriarcha unum habebat propoſitum placere Deo, hoc nulla temporis varietate immutatum eſt, nec fratrum invidia, nec conditione ſervitutis, nec ætatis illecebris, nec Dominæ repromiſſis, nec ſqualore carceris, nec poſtea tumore Ægyptiæ poteſtatis, ſed ſemper unus fuit, & varietatem temporum redimens malos dies vertit in bonos.

Ibid. VII. Hoc idem, & de Job ſentiendum eſt, quod per varia tentamenta vexatus, nec divitiis, nec damnis, nec orbitate, nec vulnere, nec exprobratione amicorum, nec ſollicitudine, nec poſtea bonorum omnium reſtitutione mutatus eſt.

S. Ambr. exhort. ad Virg. VIII. Quis fortior Paulo? quis beſtior? Ille tamen vas electionis Dominicæ, non ante ſibi coronam vindicavit, quam certamen omne conſumaretur, ideoque ait: Certamen bonum certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi.

Marulus l. 5. c. 8. IX. Simeon Suſotionis filius tredecim annos natus, eum ad Monaſterium Timothei Abbatis admitti petens, repulſam tuliſſet, quinque diebus & noctibus ſine cibo, & potu perſeveravit, mori ibidem paratus, niſi quinta die receptus fuiſſet.

Drex. in Ref. mar. p. 1. c. 13. §. 4. X. In Mexico vir impudens conſtantis pudicitiæ fœminam aggreſſus, cum nec promiſſis, nec minis eam expugnare potuiſſet, tandem ſolitariam inventam apprehenſis capillis humi raptare, pugnis cædere, pedibus conculcare, & arbori alligatam verberibus crudeliter excipere auſus eſt, ſed illa invicto animo, malo, inquiebat, vitam potius per quoſvis cruciatus, quam pudicitiæ florem amittere: amiſiſſetque, ni Deus in tempore auxilium, id eſt, qui ſuo adventu nefarium proci conſilium turbaverant, ſubmiſiſſet.

Ibid. XI. In Anglia anno millesimo quingenteſimo nonageſimo, vir ſimplex, & pius, Georgius nomine, eo quod annis compluribus, Catholicis lateotibus operam, & obſequia ſua detuliſſet, mulctæ loco in piſtrinum detruſus, molam truſatilem circumagebat, ſed ita ut omnibus diebus feſtis B. Virgini ſacris, nec promiſſis, nec minis, nec verberibus, nec longa inedia adigi ad talem laborem potuerit; unde conſtantiam ejus (quam amentiam interpretabantur) videntes domeſtici, laceſſere ceſſarunt.

Vit. PP. lib. 5. XII. Frater quidam quotidie tollebat pelliculam, in qua jacebat ſolus, ut exiret e fratrum Congregatione. Et quando veſper advenit, dicebat ſibimetipſi: Craſtina die hinc recedam: Mane autem appropinquante dicebat: Extorquebo mihi hic ſtare & hodie propter Dominum. Quo modo cum impleſſet annos novem, abſtulit ab eo Dominus omnem tentationem.

XIII. S. Philippus Nerius tantus fuit perſeverantiæ amicus, & cultor, ut, poſtquam voluntatem Dei eſſe cognoviſſet, ut Romæ manens; bono ſpirituali publico illius urbis deſerviret, ibidem ſexaginta annis firmiter permanſerit, abſque eo, quod unquam inde egreſſus fuerit, præterquam ad viſitandas ſeptem Baſilicas, ac proinde jure dicere potuit: Juſtificationem, quam cœpi tenere, numquam deſerui. Suis quoque illud paſſim inſinuando repetebat: Non qui inceperit, ſed qui perſeveraverit uſque ad finem, hic ſalvus erit. *Vit. S. Ph. Ner. l. 2. c. 21. n. 3.*

XIV. Qui fortitudinis numeros omnes expunxerit, Heros ille mihi, Chriſtophorus Columbus occurrit, cujus nomen, dum ſtabit hæc rerum machina, quænam obliterabit vetuſtas? Id perſeverantia factum eſt, qua per annos plures ſuperbo aulicorum faſtidio rejectus, atque pro inſano facere creditus, quod novum orbem audentibus polliceretur, Anglicanam, Luſitanicam, & Caſtellanam aulas diu, ac fruſtra fatigavit. Sed vicit perſeverando, ipſaque repulſæ nobili patientia Iſabeliam Reginam a condito ævo ſapientiſſimam perpulit, ut levi Caravellarum (myoparonum id genus eſt) periculo, promiſſorum fidem vellet experiri. Idem, quamquam poſt primam navigationem, temporis vitio res eſſent implicatiſſimæ, navigare tamen, ac nova littora per ignota maria poſteris aperire perſeveravit, nulla laborum intermiſſione, donec quarto in Hiſpanias reverſus, in ipſo novarum rerum molimine, fato extinctus eſt, gloriæ immortalitate omnibus omnium ſæculorum heroibus anteferendus. *Jo. Rho. l. 6. c. 7. n. 1.*

XV. Qua die de Mauris capta eſt Ceptua urbs, hærentibus proceribus, atque ob formidoloſas hoſtium in propinquo vires in ejus præſidio futuros ſe negantibus, unus Didacus Meneſius inventus eſt, qui Regi operam ſuam deferret, Mauroſque ſcipione, quem in manibus haberet, abacturum ſe polliceretur. Audax dictum, & pugnacis animi nobilem impetum perſeverantia nobilitavit. Duodeviginti, quibus eo in præſidio ſuperfuit, annis, ut Mauro ſemper imminenti, occurrere ſemper promptus eſſet, humeris conſertam loricam numquam exuit, ut illa inſtar veſtis jam ſponte in ſcruta decideret. Plus quam ferrea homini fuit perſeverantia, cui ferrea fatiſcente lorica, vis illa indomiti animi perſeveravit; ſed gloriæ aurum nullo niſi ferro emitur perſeverantiæ. *Ib. n. 3.*

XVI. Triennalis Oſtendæ obſidio, merito Alberto Auſtriaco Belgii domino, debetur, in qua ſæpius periculo propriores fuiſſe legimus, qui vicerunt. Sed quamvis ſeneſcente militum, centurionum, ac tribunorum virtute, abſumptiſque copiis, abeundi conſilia non modo ut honeſta agitarentur, verum ut neceſſario urgerentur, perſeverandum tamen duxit Albertus, & vicit; Nam mala, quæ tempus invehit, tempore mitigata vincuntur; cum idem venenum ſit, & antidotum. *Ib. n. 4.*

XVII.

Digitized by Google

Ib. nu. 7. XVII. Stetit olim Mariæ Velæ Virgini Hiſpanæ ſententia, ut, quoties precationis, quam ſibi privata pietate præſcripſerat, appeteret hora, toties illa ad materteram, apud quam eodem Virginum Collegio fuerat Religione educata modeſte adiret, & rogaret, ſi quid ſe vellet, ſolemnibus verbis: Quid jubes domina? Id illa animam induxerat facere, memor laudatiſſimæ Pauli vocis, qua ſe Deo, utcumque placuiſſet, ſingendum, nulla exceptione, permiſit, dicens: *Domine, quid me vis facere*: Rem ut meditanti facilem, ſic experienti difficillimam, cum ſæpe curſandum per domum eſſet, & ſæpius veniret in mentem, operam ludi: ſatis jam conſtituto orationis tempore, tenuit tamen conſtantiſſime decennio toto, nec niſi materteræ morte finita ea eſt, obedientiæ, ac modeſtiæ exercitatio.

Ib. nu. 8. XVIII. Joannes Tellerius Ordinis Minimorum, hauſtæ a puero in Odeo canendi Deo diſciplinæ ad miraculum uſque erat retinentiſſimus. Quamquam enim tum Magiſtratibus plurimis, tum etiam ſupremo generalatus honore olim occupatus, ſupra octogeſimam ageret ætatem, conſuetas canendi vigilias numquam omiſit, & quamdiu vita ſuperfuit, a divinis laudibus numquam abſuit; quod & ſuis admirationi fuit, & omnibus exemplo erit, ne Magiſtratus aut ætatis excuſatione uſi, ea ſtudia intermittant, in quibus mori decorum eſt. Vera virtus non niſi ad metam mortis adjungit.

Mur. l. 3. XIX. Antonius cum primum ſolitudinem inhabitare decreverat, ne reberibus quidem dæmonum abſterreri potuit quin quod cœperat, perſequi pergeret. Perſeveravitque ita ab octavo decimo ætatis ſuæ anno, uſque ad centeſimum quintum, quo in Domino quievit, cui ſervierat, Angelorum ſortitus gloriam, quia in perſeverando dæmonum contempſerat injurias.

Id. Ibid. XX. Paulus primus poſt Chriſti Eremi cultor, ſic Deo ſerviens perduravit, ut a decimo ſexto ætatis ſuæ anno, quo ſolus deſertum adiit uſque ad centeſimum & decimum tertium annum quo vita defunctus eſt.

Ibid. XXI. Nathanael Anachoreta ſemper clauſus vixit, Epiſcopos ad ſe venientes reverenter excepit, abeuntes ad limen uſque officii gratia proſequutus eſt. Neque ut inde pedem efferret callida diaboli evocatione induci potuit, ſicque ſeptem & triginta perſeverans annos elatus inde non egreſſus eſt, & corpus pariter cellamque relinquens in conſortium receptus eſt beatorum.

Ibid. XXII. Elpidius Abbas per quinque & viginti annos nunquam ſe ad Occidentem vertit, ſemper fere orans & illum cui Nomen Oriens, jugiter contemplans. Non putavit nefas eſſe retro aſpicere, ſed ſibi voluit imperare, ut cum corporis appetitum ab eis etiam quæ licita erant refrænaſſet, facilius ab illicitis cuſtodiret.

Utilitas.

XXIII. Noe totus centum annis, quibus arcam ædificavit, *Gen. 6. 6.* licet varie illuſus a vicinis, & contribulibus ſuis, nequaquam tamen ab opere deſtitit; hinc ſolus cum uxore & filiis ſalvari meruit.

XXIV. Turba, quæ triduo Chriſtum ſecuta eſt, *Math. 14. v. 32.* meruit, ut Chriſtus de ea diceret: Miſereor ſuper turbam, quia ecce jam triduo perſeverant mecum, & non habent, quod manducent, & dimittere eos nolo, ne deficiant in via. Statimque tam liberaliter pavit, ut non ſaturati tantum ſint, ſed etiam duodecim cophini ex reliquiis impleti ſint.

XXV. Senex quidam a Juvene Monacho viſitatus, *Petrus Sanch. in regn. Dei l. 7. c. 9.* cum expectare eum juſſiſſet, & ipſe interea obdormiviſſet, ſeptem poſtea inſignes coronas eidem Monacho præparatas vidit ob ſeptemplicem coronam, quam propter ſeptem tentationes, quibus ad ſomnum incitabatur, generoſe ſuperatas promeruit.

XXVI. SS. Lupicinus, & Romanus cum Eremum *Ibid.* inhabitare volentes, a dæmonibus magno tumultu excitato, lapidibuſque, in eos projectis, receſſiſſent, & apud honeſtam Matronam divertiſſent, hæc ubi, quid ipſis in Eremo accidiſſet; intellexit, ad perſeverantiam eos adhortata eſt, illam S. Scripturæ ſententiam in memoriam revocans: Reſiſtite diabolo, & fugiet a vobis: Qua adhortatione animati in Eremum ſunt reverſi, & conſtanter ibi permanſerunt.

XXVII. S. Eulogius cum ægrum in platea *Pallad. in vit. 26.* repertum in domum ſuam deportaſſet, eique tempore ſat longo magna cum diligentia, & charitate inſerviiſſet, tandem poſt annos quindecim in tanto ſervitio exactos cum peſſime ab eo tractaretur, eumque ideo ad S. Antonium duceret, ab hoc uterque ad perſeverantiam animatus, ad domum ſuam cum feſtinatione redierunt, & Eulogius quidem poſt dies quadraginta, leproſus vero triduo poſt in Domino quieverunt.

§. VI. EXEMPLA DOMESTICA.

I. S. Ignatius in rebus arduis urgendis con- *Ribad. l. 5. vit. c. 9.* ſtantiſſimus erat. Cauſæ hujus conſtantiæ erant, quod ante, quam quidquam aggrederetur, omnia circumſpiciebat, & examinabat. Deinde quia multum orabat, lacrymis *Maff. l. 1. c. 9.* gratiam a Deo petens, unde ſæpe voluntatem Divinam divinitus intelligebat, non ſinens ſe ab ea evelli. Denique quia viros peritiſſimos, quorum curæ res commiſſæ erant, conſulebat. Idem ſi quæ negotia in certum diem deſtinaſſet, nulla tempeſtate, nulla difficultate ab eorum expeditione ad conſtitutum tempus impediri ſe permittebat. In adeundis viris Principibus cunctas aulæ moleſtias alacritate mirabili devorabat, ſemel aditu excluſus, commodam admiſſionem horas ipſas quatuordecim jejunus expectabat. Si quid ſemel re bene perſpecta, Conſiliariiſque adhibitis decreviſſet, non facile cedebat. Hinc Julius III. feſtive Principes monebat, ne cum Ignatio contenderent,

Digitized by Google

rent, ni victi vellent diſcedere, videlicet ob ejus in rebus agendis conſtantiam, & fortitudinem. Miram illius in ædificando Collegio Germanico conſtantiam, fuſius apud Orlandinum loco citato vidcre eſt.

Hiſt. Soc. l. 12. n. 9. Vit. l. 2. c. 23. II. S. Franciſcus Xaverius licet Meliaporæ in templo ita a dæmonibus cæſus ſit, ut tri-duo decumbendum fuerit, perſiſtebat tamen in oratione, invocans B. Virginem, & ſtatim ubi convaluit in templum rediit, qua conſtantia fracti dæmones nihil auſi fuerunt, niſi quod Monachorum more in Choro quaſi Matutinum *Vit. l. 3. c. 3. & 27.* recitarent. Ejuſdem miram in itinere ad Mauricenſes, & Japoniam ſuſpiciendo conſtantiam, quiſquis apud Turſellinum in ejus vita legerit, admirabitur profecto, potuiſſe reperiri hominem, qui contra tot difficultates ex omni omnino parte occurrentes, totque virorum ſapientiſſimorum, & Amicorum dehortationes in eo conſilio immotus perſiſtere, tam feliciter ad optatum exitum perducere potuerit.

Vita l. 2. c. 14. III. P. Petrus Faber in adeundis viris Principibus, in excubando præ illorum foribus pro Dei gloria amplificanda conſtantiſſimus erat. Imo ſemel Juvenem ex condicto ad confeſſionem venturum ſex horis expectavit, cumque temporis jacturam ægrius ferret, mire a Deo illuſtratus eſt, ſecum ipſe enim mox ratiocinans, ſi tu, inquit, tot horas propter Deum ad fores Principum ſæpe collocas pacate, cur in Chriſti minimo expectando non æque acquieſcas? an cenſes, minus hinc, quam illinc repoſitum in cælo coronarum? Quoties tu adi oſtium, tu pectoris pulſantem Jeſum ſurdis auribus detines, & tamen non vis, ut ille tædio victus recedat? eſto igitur & tu talis in minimos ejus, qualem ipſummet in eos fore credere, ſi corpore præſens eſſet.

Hiſt. Soc. p. 2. l. 13. n. 36. IV. P. Claudius Jajus mira ſubtilitate tempus in vitæ quotidianæ functiones partitus, mira præſcriptum tenebat conſtantia.

Vita c. 23. §. 2. V. P. Balthaſſar Alvarez in iis, quæ officium ejus poſtulabat, ſervandis, licet minutiſſima forent, conſtantiſſimus erat, neque deponebat eorum curam, & ſollicitudinem uſque ad ultimam diem & horam, quo illud perficiebat. Hinc cum ad obſervationem Regulæ Rectoris de viſitandis interdum exiſtentibus in oratione, feriam ſextam deſignaſſet, nullam prætermiſit unquam, etiamſi plures occupationes haberet, aut nocte præcedenti gravi aliqua moleſtia fuiſſet affectus. Idque adeo conſtanter tenuit, ut ipſa feria ſexta, qua diſceſſit Villagarzia, ut eſſet Provincialis Toletanus diſceſſurus, proxime poſt orationem, viſitarit adhuc pro more cubicula.

Vita P. Balth. Alvar. c. 30. VI. Joannes Ortunius examen particulare fecit, & defectus adnotavit uſque ad diem præcedentem ipſam mortem; ſemper enim habuit libellum abſconditum, in quo notaret eos, in quo imitatus eſt Sanctum Ignatium, de quo idem ſcribitur.

Ann. Per. van. 1596. f. 418. VII. P. Alphonſus de Barzena cum noctu ad orandum ſurgeret, crebro eum dæmon extractum e cubili varie cruciabat, & hoc duodecim annis, neque tamen unquam propterea ad orationem ſurgere intermittebat.

VIII. Joannes Berchmannus in rebus ſemel ſuſceptis vel maxime conſtantiam amabat; hinc modum dormiendi, quem in Novitiatu cœperat, per totam vitam ſervabat. *Vita p. 2. fol. 36.*

IX. P. Didacus Sotus quoad in Societate vixit, bis quotidie in ſe flagello ſæviebat, & cilicium continuum ferebat; ita ut octo ante obitum horis inventa ſint duo cilicia ferrea adeo conſtrigentia carnes, ut opus eſſet frangi, quo poſſent extrahi. *Engelgr. Do. 3. poſt Pent.*

X. P. Thomas Sanchez, quæ ſemel in animo conceperat, pietatis exercitia, totis quadraginta annis, quibus in Societate vixit, numquam interrumpit, nec quidquam in negotiationis ſtudio remiſit. *P. Rho in exemplis virt. l. 6. c. 7. §. 9.*

XI. P. Petrus Rodericus per dimidiam horam crudeliter ſe flagellabat, ea animi conſtantia, ut eo ipſe die, quo obiit, idem temporis ſpatium in eodem ſupplicio inſumpſerit. *Engel. l. c.*

XII. Immani triginta annorum tractu, tanta caſuum varietate, quanta legitimo prope humani ævi ſpatio, ignoto apud Sinas capiti, atque avitas Religiones conatu ultimo convellere nitenti, accidiſſe facilis eſt conjectura, probatam perſeverantiam in medium adfert Matthæus Riccius, quem Sinenſes ſuæ fidei Magiſtrum venerantur. Excellens hominem virtus imbuit, atque inter lenta difficillimæ molitionis tædia exercitum roboravit. Etenim cum ſibi parum pleriſque aliis nihil apud eam gentem proficere videretur, atque adeo alio migrandi, quo eum paratior atque uberior fructus invitaret, illi ſicret poteſtas, ipſe tamen locum, ſtationemque obtinere decrevit perſeverantia incredibili. Itaque perfecit demum ſedendo, quod alii properando impediverant; & quod ſuſpicacia inter ingenia, atque inextricabilis linguæ ambages quinque propemodum luſtra, quaſi operam luderet, pauculos ad Chriſtum Jeſum Dominum aggregaverat: extra demum ſeneſta plurimos genuit, ea virtutum, ac litterarum apud barbaros æſtimatione, ut & mortuum ampliſſimo ſepulturæ honore fuerint proſecuti, & ſocios operis ac laborum ejus maxime commendatione receperint. Certiſſimus igitur eſt perſeverantiæ fructus, qui licet ſero, numquam tamen dubio fallit eventu. *Jo. Rho. l. 6. c. 7. n. 3. ex noſtris.*

XIII. Extra hujus noſtræ mortalitatis fines, qui perpetua rerum viciſſitudine incurſantur, agere videbatur Thomas Sanctius; tam firma illi per omnem ætatem virtus fuit. Vivebat autem ex Ephemeride, in qua ſingulos per temporum articulos, ac diei cujuſque momenta, quid ſibi continuo eſſet agendum, anxie deſcripſerat. Non ipſi cælo, auſim dicere, tam fixæ ac ratæ ſunt leges, quam Thomæ ſuæ illæ virtutum tabulæ, quæ ſi æreæ fuiſſent, vim tamen temporis fortius non reſpuiſſent. Nulla unquam mutavit die, quod ſemel indixerat ſibi. Addebatur ad ſingula: Id vero non facias, etiamſi diſrumpatis; invenitque eum ſuprema dies propoſiti tenacem, adeo, ut in cilicio tantum non confecerit. Hoc demum eſt virtutem colere, quæ cum æternitatis rudimentum ſit, quis niſi peſſimo conſilio, eam temporis accommodet? *Ib. n. 2.*

XIV. Joannis Lorinis inſignem in ſtudiis per- *Ib. n. 4.*

Digitized by Google

perſeverantiam tum ſpiſſæ eruditionis ingentia decem volumina teſtantur, tum nos adoleſcentes Romæ ſatis admirari vix potuimus, quum in Bibliotheca ſtantem, atque laborioſiſſime ſtudentem ſtatis perpetuo horis, hoc eſt, majore ac meliore diei parte, nullo feriarum diſcrimine intueremur. Idem quinquaginta amplius annis ad primum nolæ ictum e lectulo exiliverat, idem divinum miſſæ Sacrificium ad ſupremam uſque ætatem nullo unquam die atro, niſi quo fieri nefas eſt, obtulerat; aliaque plurima virtutum decora, quamquam annoſus ſenex ab uſque prima retinebat adoleſcentia: ut non eadem eſſet ætas, eadem tamen erat virtus, quam nec fervor anni venientes, nec auferunt recedentes.

Ib. n. 7. XV. Jacobum Crucium ſenem annoſiſſimum (nam duos ſupra nonaginta annos natus exceſſit) proximis hiſce annis ſeveritatis priſtinæ, ac modeſtiæ retinentiſſimum vidimus; quum enim a puero in Societate hauſerat officiorum rationem, in ea nihil mutavit. Admonitus ſæpe ab amicis, ut ſibi aliquid indulgeret, poſſe hoc fieri, nullo virtutis, quam in tuto haberet, nullo exempli damno; quis enim grandævam illam ætatem mollius habendam ignoret? Nolle ſe deterioribus aſſueſcere, per jocum reſpondebat. Itaque præclaro modeſtiæ edito, relictoque poſteris exemplo, digniſſimus, ut puer centum propemodum diceretur annorum, in ſinu perſeverantiæ conquievit. Pari virtute Mantuæ Carpentanorum ſupremos bene longe vitæ dies tranſegit Gonzalius, cui & ipſi cum res geſtæ, tum ætas quietem, atque otium perſuadere poterant, ſi potuiſſet virtus pati, verum huic otiari, atque emori, idem cum ſit, Ægydius Gonzalius fruges ſe conſumere nolle, dicebat, poſſe virtutem ultra conſuetam ſenectutis metam decurrere, quæ ſæpius ante adoleſcentiæ carceres currere incipiat; ſui nempe illam juris eſſe, quæ nihil temporis debeat.

Ib. n. 7. XVI. Nunoius Ribera, qui ſuſcepta ſemel animarum procuratione apud Molucas, eo in opere per immenſa rerum diſcrimina plures jam annos magnis ærumnis perfunctus, ſalutem illis afferre ſatagerat, ad extremam uſque vitæ horam in opere perſeverare voluit, eique immori. Veneno a Barbaris propinato ſeptem ſupremos vitæ dies, dum conficitur, cum pedibus ingredi non poſſet, circumferri ſuorum manibus juſſit, & de fide, deque Chriſtianæ vitæ officiis diſputans, ac ſacramentorum ope confirmans; non antea de aliis benemereri deſtitit, quam vivere. Ut enim tunc flumina labi, terraſque irrigare definunt, cum in mare prorumpunt; ſic virtus, niſi ad Deum venerit, ceſſatione torpere neſcit.

Ib. n. 9. XVIII. Ineuntis, abeuntiſque anni dies perſeverantiæ ſemper habuit operatos Didacus Martinus; Nam ſub anni initium operum omnium, quæ ſibi facienda cenſeret, ſyllabum conficere, ſub ejuſdem exitum, eorum rationem exigere conſuevit, tanta perſeverantis animi laude, ut his vitæ rationariis omnibus ſubſcribere potuerit: Factum eſt. O viros vere numeris omnibus abſolutos, qui deſtinata feliciſſime abſolverunt!

§. VII. EXEMPLA PROFANA.

I. AGis cum in carcere interrogaretur ab Ephoro, num pœniteret eorum, quæ geſſiſſet? impavide reſpondit, ſe nulla tangi pœnitentia conſilii cum prudentia boneſtoque conjuncti, etiamſi præviderat, ſe mortem præmii relaturum loco, ſciens, ipſam virtutem ſatis magnum eſſe præmium, quicumque ſequatur eventus. *Jof. Lang. in Polyanth. fag. 146.*

II. Socrates morti adjudicatus propter ſinceram Philoſophiæ profeſſionem, ad Judices converſus dixit: Equidem vos omnes ſingulari benevolentia complector, parendum tamen & potius duco Deo immortali, quam vobis. Itaque quamdiu ſpirabo, & potero, numquam Philoſophiæ curam abiiciam, nec veſtri admonendi, moreque meo adhortandi ad virtutem, quemcumque ex vobis nactus fuero. *Ibid.*

III. Diogenes cuidam monenti, ut jam ſenex quieſceret a laboribus, quid, inquit, ſi in ſtadio currerem, utrum oporteret jam metæ vicinum curſum remittere, an magis intendere. *Laert. l. 6.*

IV. Anaxarchus cum a Nicocreonte Cypri Tyranno in ſaxo concavo tunderetur; tunde, ait, tunde Anaxarchi vaſculum, Anaxarchi conſtantiam non teris. *Polyanth. fag. 247.*

V. Xantippe de Socrate marito dicere ſolebat, quod ſemper vidiſſet illum eodem vultu domum reverentem, quo exierat. *Eraſmus l. 3. apoph.*

VI. Didacus Meneſius ut Mauro ſemper imminenti occurreret, ſemper promptus eſſet, humeris contextam loricam numquam exuit totis duodeviginti annis; ita ut illa inſtar veſtis jam ſponte in ſcruta decideret. *Eng. Do. 3. poſt Pent.*

§. VIII. SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. SIcut venatici canes dum vident unum leporem inſequentem, aliquamdiu cum ipſo currunt, ſed poſtea laſſati revertuntur, ſolus vero ille, qui videt leporem, pergit, & ſequitur, donec eum deprehendat, nec impeditur ab intentione curſus ſui propter illos, qui revertuntur, ſed neque de ſpinis, & vepribus cogitat; ita Chriſtianus, qui Chriſtum quærit, cruci indeſinenter intendit, quæ occurrunt, ſcandala præteriens, donec ad Crucifixum perveniat. *Vit. PP. l. 3. libel. 7. n. 15.*

II. Sicut is, qui domum ædificavit, vix ullam apud aliquos in fundamento ponendo difficultatem experitur, magnam tamen in ea conſumanda; ita ut quo altius muri aſſurgunt, eo & major ſit labor, graviorque expenſa; ita ſpiritualis ædificii fundamenta incipere, nullam quidem difficultatem habet; omnis autem in eo perficiendo labor eſt. *S. Ephr. exhor. ad pict.*

III. Sicut in agone omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium; ita virtutes quidem omnes currunt ad regnum Chriſti, ſed una ſola accipit bravium, nam currunt mundi contemptus, paupertas, vigiliæ, eleemoſynæ, obedientia, abſtinentia, patientia, ſed ſola perſeverantia coronatur. *Eng. Do. 3. poſt Pent.*

IV. Sicut ſtatua baſi, ita vir bonus inſtituto in-

Digitized by Google

innixus, ab honeſto nullatenus diſcedere debet.

Socrates ap. Stob. ſ. ſ. 1. de Prud. Lang. in Polyant. f. 821.

V. Sicut viator ab incepto itinere non deſiſtit, donec terminum attingat; ita, qui peregrinum ſe in hoc mundo eſſe meminit, non prius a virtutum ceſſat exercitio, quam terminum ſuæ peregrinationis, nempe beatitudinem, ſit aſſecutus.

S. Anſ. in Sim. c. 171.

VI. Sicut quadratus lapis ſex æqualia habens latera, in quocumque horum ceciderit, firmiter & immotus jacet; ſic non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit, ſed in omni caſu immobilis permanebit.

Neceſſitas.

Polyanth. f. 821.

VII. Sicut moleſtus eſt Diſcipulus Præceptori ſuo, qui perpetuo diſcit, & numquam proficit; moleſtior, qui priora negligit; ita apud Deum intolerabilis eſt, qui ad pejora ſemper deſcendit, & virtutis rudimenta amittit, quæ prius accepit.

S. Hier. l. 3. contra Pelag.

VIII. Sicut, qui adverſo flumine lembum trahit, ſi remiſerit manus, ſtatim retro labitur, & fluentibus aquis, quo non vult, ducitur; ſic humana conditio, ſi paululum ſe remiſerit, diſcet fragilitatem ſuam.

S. Ambr. l. de bon. mort. c. 8.

IX. Sicut Gubernator laudari non poteſt, quam in portum navim deduxerit; ita nec homo laudari poteſt, priuſquam in ſtationem mortis ſucceſſerit, nam & ipſe ſui Gubernator eſt, & jactatur profundo, quandiu in ſalo eſt, tamdiu inter naufragia.

Utilitas.

S. Greg. l. 19. mor. c. 28.

X. Sicut palma vaſtior eſt in ſummitate, quam eſſe cœperat in radice; ita ſæpe Electorum converſio plus finiendo peragit, quam proponit inchoando, & ſi tepidus primam inchoat, ferventius extrema conſummat. Hinc Job dixit: Sicut palma multiplicabo dies.

Anonym.

XI. Sicut in luſu Damæ ruſticus, qui totam aream percurrit, & ad finem tabulæ pervenit, in Regem mutatur, & pro libitu vagatur; ita & homo quivis ſi aream hujus vitæ conſtanter feliciter percurrat, in Regem cæli eligitur, ubi plena libertate fruetur.

§. IX. MOTIVA.

S. Laur. Juſt. c. 2. lign. vit.

I. E*Xemplum Dei, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*, ut dicit S. Jacobus c. 1. Boetius quoque ait: Immobiliſque manens dat cuncta moveri.

Manſi tr. 20. d. 1. n. 24.

II. *Exemplum Sanctorum*, qui in amando & fruendo Deo omnes ſunt fixi, ſtabiles, & immobiles abſque eo, quod unquam per totam æternitatem retrocedere poſſint: in qua beatitudine, inquit S. Auguſtinus: quod ſemel adipiſcitur, ſemper tenetur. S. quoque Bernardus de cæleſtis Paradiſi incolis ait: Inceſſanter laudant Creatorem ſuum.

S. Bern. ep. 2. c. 41.

III. *Exemplum ſæcularium*: videmus enim per quotidianam experientiam, quod avari in habitis divitis non quieſcant, ſed eas magis, magiſque ſemper accumulent; Carnales in voluptatibus carnalibus ſectandis inſatiabiles exiſtant; Ambitioſi, tametſi ad dignitates, & honores capacitate & meritis ſuis ſuperiores aſcenderint, iis tamen minime acquieſcant, ſed ad gradus altiores ſe vehere continuo ſtudio ſatagant. Erubeſcat igitur anima converſa ad Deum (verba ſunt Sancti Bernardi) minori affectu ſectari juſtitiam, quam iniquitatem antea ſectaretur. Sed audite differentiam, quam ſanctus & mellifluus Doctor hac in re aſſignat; Ita enim ibidem ſubdit: Eſt enim quoque cauſa valde diſſimilis, ſtipendia quippe peccati mors: fructus autem ſpiritus vita æterna; Pudeat proinde negligentius nunc in vitam, quam prius in mortem ire, & minori ſtudio ſalutis acquirere, quam perditionis augmentum. Nonne ipſorum inſatiabilia deſideria arguunt nos negligentiæ & tepiditatis? Pudeat certe ſpiritualium nos bonorum minus cupidos inveniri.

S. Aug. de ver. conviv. tr. 20.

IV. *Exemplum irationabilium creaturarum*; nam cæleſtia corpora, ex quo a Deo creata ſunt, continuo peragunt curſus ſuos. Idem aquæ fontium, & fluminum ſervant, quæ continuo fluunt. Naturæ arborum, & plantarum ſemper continuant, quoaduſque perveniant ad debitum fructuum complementum. 2. Petr. 3. *Omnia perſeverant ab initio creaturæ;* Et dicit Eccleſiaſticus: *Opera, quæ fecit Deus, perſeverant*; unde Propheta ait: *Ordinatione tua perſeverat dies.*

V. *Neceſſitas*: cum nemo ſalvus eſſe poſſit, niſi qui in finem uſque perſeveraverit.

VI. *Æquitas*: cum enim Deus æque ſemper, & conſtanter in nos liberalis ſit, an non æquum erit, ut nos quoque conſtanter illum diligamus, eique ſerviamus.

Luc. 22. v. 28.

VII. *Utilitas*: quod enim majus præmium optari poteſt, quam audire olim illud Chriſti elogium? Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis: & ego diſpono vobis regnum, ut comedatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos judicantes duodecim tribus Iſrael.

S. Bern. de vit. ſolit. ſol. 26.

VIII. *Dignitas*: quid enim magis honorificum, quam Deo ſimilem fieri? Certe hanc clauſulam omnis perfectionis, vocat idem Sanctus? pro qua Chriſtus oravit, dicens: Pater volo ut, ſicut ego & tu unum ſumus, & ita & ipſi in nobis unum ſint.

2. Tim. 4. v. 7.

IX. *Jucunditas*: quid enim jucundius, quam dicere in morte poſſe cum S. Paulo: Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi; in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex.

X. *Facilitas*: quam vel ipſi filii ſæculi, leviſſimis plerumque præmiis illecti, & inter graviſſima quoque obſtacula perſeverantes demonſtrant. Potuerunt ergo iſti, & iſtæ, ob tam parva lucra & commoda, & tu non poteris ob Infinities majora?

§. X. MEDIA.

Manſi l. c. d. 1. n. 5.

I. E*Xemplum Chriſti*; nam ut recte S. Bernardus advertit, a Chriſto dicti ſumus Chriſtiani; Nonne igitur ea via, qua Chriſtus ambulavit, ambulare debemus; qui non ſolum ad redemptionem noſtram conſumandam de cælo in terram deſcendit, verum etiam, ut nobis Chriſtianis in operibus noſtris velut norma, ſpeculum, & exemplar imitandum ob

oculos verſaretur? Unde S. Paulus exhortabatur Hebræos, dicens: *Curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum.* Quaſi diceret, ne in ſtadio virtutis currentes aberremus, vel defatigemur, vivæ conſiderationis oculum in Salvatorem dirigamus, qui nullum unquam opus inchoavit, quod noo pariter ad ultimam ſuam perfectionem uſque perduxerit? Ac proinde priuſquam in cruce expiraret, in celebri illo ſermone, quem præcedentis veſperi crepuſculo ad Apoſtolos ſuos peroravit, his æternum Patrem ſuum verbis eſt affatus: *Opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam.*

Rupertus lib. 2. in Ap. c. 2. Idem medium etiam Rupertus Abbas ſuaſit, dicens: Ejuſdem perſeverantiæ, quam perſuadet, dicens: *Eſto fidelis uſque ad mortem,* in ſemetipſo exemplum præbuit, *factus obediens uſque ad mortem, mortem aut crucis.* Quando in crucis patibulo ſuſpenſus hærebat, obſtinatiſſimi Hebræi hiſce verbis ei acclamarunt: *Deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* Quam vero ob cauſam de cruce deſeendere noluit, maxime, quando id faciendo omnes Hebræos ad fidem amplectendam inducere poterat? Numquid de cælo eo fine deſcenderat, ut ſe Filium Dei eſſe manifeſtaret: Ut credat mundus, quia tu me miſiſti? Numquid ſpecialiter Judæis proteſtatus fuerat dicendo: *Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael?* Enim vero ad hoc, ut in eum crederent, per triginta tres annos inter ipſos cæleſtem potius quam humanam vita duxerat, Evangelium prædicarat, patraverat miracula, Eccleſiam fundarat, inſtituerat Sacramenta; ob eumdem quoque finem præcedenti veſpere ſe captivum abduci permiſerat, ſanguinem ſudarat, amariſſimumque paſſionis calicem lubens acceptarat; Et tamen nunc, quando ſe ipſum credere velle proteſtantur, dummodo de cruce deſcendat, nullum eis præbet auditum, & haud ſecus, ac ſi ſurdus eſſet, eorum petitionibus ne verbum quidem reſpondit. Quid ad hæc dicemus? Sanctus Bernardus in ſerm. 1. de reſurrectione ita ſcribit: ſed dicunt: *Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere?* Immo vero, ſi deſcenderit, neminem ſalvum faciet. Cum enim ſalvus eſſe non poſſit, niſi qui perſeveravit uſque in finem, quanto minus poterit eſſe Salvator? Alios ergo ſalvos fecit, nam ſalvatione cum ſit ſalus, ipſe non indiget. Operatur ſalutem noſtram, nec eamdem deeſſe patitur Sacrificio veſpertino, hoſtiæ ſalutari. Novit, inique, quid cogites. Non tibi dabit occaſionem ſurripiendæ nobis perſeverantiæ, quæ ſola coronatur.

Vita S. Ph. Ner. l. 1. c. 21. 8. II. *Oratio*: hinc S. Philippus Nerius ſuos aſſiduo exhortabatur, ut Dominum continue rogarent pro doni perſeverantiæ conceſſione, ac proinde laudabilem illa introduxit conſuetudinem, quotidie circa crepuſculum dicendi quinque Pater & quinque Ave Maria, ut Deus iis permotus, conſtantem in ejus ſervitio perſeverantiam clementer concederet. Egregium inſtitutum! Cum eoim omne donum optimum atque perfectum (quale vel maxime eſt donum perſeverantiæ) deſurſum ſit, deſcendens a Patre luminum, merito inſtanter a Deo peti debet.

III. *Propoſitorum renovatio crebra*: hinc iterum S. Philippus Nerius ſuos monebat, ut quotidie optima quæque renovarent propoſita, nec unquam in tentatioibus, quæ contra illa a dæmone patiuntur, a ſpe deciderent, quoniam Deus, quotieſcumque hominem vult inſigni aliqua decorare virtute, vitiis eum prius oppugnari oppoſitis permittit. Docebat amplius, ſpiritum devotionis initio abunde cælitus impertiri, ſed poſtea Dominum nonnumquam fingere ſe longius ire, ac proinde in tali caſu hominum conſtantem eſſe debere. *Ibid.*

IV. *Pauca ſibi proponere, nec ſupra vires aſſumere negotia.* Hanc ipſam ob cauſam S. Philippus Nerius aſſerebat, non facile intermittenda eſſe pietatis opera, quæ unuſquiſque ſibi præſcripſerit, ideoque minus prudenter agere eos, qui ſpiritualibus exercitationibus plus nimio ſe onerant. Suos igitur monebat, ut modicam ſibi rerum ſpiritualium provinciam diligerent, eamque ſemel ſuſceptam numquam deponerent: Quoniam ſi dæmon vel ſemel ad quid pium intermitteodum hominem inducat, eumdem iterum ac tertio ad idem inducere non deſiſtet; quo tandem prorſus omnia evaneſcant. Quam ob cauſam ſæpenumero illud ſuis repetebat: *Nulla dies ſine linea.* Idem medium ſapienter ſuaſit Seneca, dicens: Æſtimanda ſunt ipſa, quæ aggredimur, & vires noſtræ cum rebus, quas tentaturi ſumus, comparandæ. Debet enim ſemper plus eſſe virium in latore, quam in onere. Neceſſe eſt, opprimant onera, quæ ferenti majora ſunt. Quædam præterea non tam magna negotia ſunt, quam ſecunda, multumque negotiorum feruot, & hæc reſtringenda. *Vit. l. 6.* *Seneca l. de tranq.*

V. *Aliorum ruinas conſiderare*; uti S. Hieronymus ſuaſit dicens: aliorum ruinæ exempla juſtorum ſunt. Quantumvis enim Tertullianus zeloſiſſimus fuerit fidei Catholicæ profeſſor; Quantacumque etiam Origenes penes eamdem Eccleſiam ſibi merita compararit, prout de utroque tum ex eorum libris, pietate & doctrina plenis, tum ex Annalibus Eccleſiaſticis abunde conſtat; attamen ambo in hæreſim turpiter ſunt prolapſi; unde deducitur, quanti referat illud obſervare documentum Apoſtolicum: *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operemini.* Seneca moralis ait: Felix ſapientia, quæ ex aliorum diſcitur inſipientia. *S. Hier. in Ezech. c. 26. n. 15.*

VI. *Amor Dei purus*: ſicut enim ignis tamdiu non deficit, quamdiu materiam habet; ita amor Dei numquam extinguitur, cum materiam illius, ſcilicet Deus, deficere non poſſit.

VII. *B. Virginem quotidianis, licet parvis, obſequiis ſibi demereri*: hujus enim amor, uti prædeſtinationis ita perſeverantiæ quoque obtinendæ ſignum probabile jure merito exiſtimatur.

VIII. *Eleemoſynæ tam defunctis, quam vivis exhibitæ, conſtans frequentatio*: de hac enim vere ſcripſit S. Hieronymus, non meminiſſe, ſe mala morte fuiſſe defunctum, qui libenter opera charitatis exercuit, eo quod multos

tos habeat incerceſſores ; impoſſibile autem ſit, multorum preces non exaudiri.

IX. *Quotidie de novo incipere: ſeque ad perſeverantiam exſtimulare*: ita enim S. Antonius ſuis ſuaſit, dum morti proximus ad eos dixit: Ego quidem, filioli, ſecundum eloquia Scripturarum, Patrum gradior viam; jam enim Dominus me invitat, jam cupio videre cæleſtia; ſed vos, viſcera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repente perdatis, hodie vos religioſum ſtudium arripuiſſe arbitremini, & captæ voluntatis fortitudo ſuccreſcat.

S. Bern. ſuper Cant. ſ. 54. X. *Timor Dei*: uti S. Bernardus ſuaſit dicens: In veritate didici, nihil æque efficax eſſe ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam ſi omni tempore coram Deo inveniaris non altum ſapere, ſed timere. Certe Oſius Epiſcopus, cui parem ulla vidit, & luxit Bar. an. 317. ætas, quem Ariani ipſi Synodorum Principem appellarunt, Orbis univerſus velut ævi ſui miraculum ſuſpexit, Conſtantinus Imperator uti Patrem venerabatur, laterique ſuo velut aſſiduum monitorem adhærere volebat, in conciliabulo quodam Smirnienſi ignominioſe proſtratus, & Nicænæ fidei, quam extulerat ipſe, proditor atque deſertor extitit, & in extremam centum annorum ætate Urſacii & Sur. 31. Ian. Valentis hæreſin amplexus eſt. Sed & Jacobus Anachoretes poſt quadraginta annos in eremo exactos, miraculaque multa patrata, cum ea ipſa Virgine, ex qua dæmonium expulerat, primum fornicatus eſt, poſtea omnino eam interemit.

Petrus Sanch. in reg. Dei p. 7. c. 9. XI. *Brevem ſibi vitæ ſuperſtitis periodum circumſcribere*: ſic enim, quidquid difficile videbitur, ipſi temporis brevitas leniet, atque ad perſeverantiam incitabit. Sic SS. Theodorus & Lucius Spiritu inconſtantiæ afflati, ſemper modicum tempus, quo adhuc perſeverarent in propoſito, præfiniebant, donec omnino tentatio evanuit.

Engelgr. Do. 1. poſt Pent. XII. *Affectuum moderatio*: nam ſicut poma verminoſa ante tempus decidunt, bona vero & integra in arbore per radios Solis excoquuntur; ita plures turpiter deciderunt, quos intus vermis ſuperbiæ, impatientiæ, aut alterius inordinati affectus corroſit.

§. XI. ASCETICA.

I. TRia potiſſimum de hac virtute ſcienda ſunt, beneque aliis inculcanda ab Aſceta, quæ percommode per ſimilitudinem Navarchi navim pretioſis mercibus onuſtam ex aliena ragione in Patriam tranſvehentis, indicantur.

II. Primum eſt, ut, quemadmodum Navarchus tanto magis æſtimet officium ſibi commiſſum, tantoque majorem diligentiam adhibet in navi ad ipſum portum perducenda, quanto plures ac præſtantiores merces ſibi commiſſas novit; & ipſe Aſceta tanto majorem habeat, de vita ad finem uſque rite inſtituenda æſtimationem, quanto plura magiſque præclara merita jam jam ſibi pro altera vita collegit. Quem in finem ſæpius proderit ponderare infelicem conditionem illorum Mercatorum, qui poſt ingentem mercium quantitatem comparatam, poſt innumera pericula ſuperata, in ipſo portu naufragium faciunt. Quam quidem deplorandam ſortem pathetice S. Baſilius his verbis deſcribit: O miſerabile ſpectaculum! o ſortem lugendam! poſt jejunia multa, poſt durum vitæ genus, poſt longas ad Deum preces, poſt uberes effuſas lacrymas, denique poſt annorum viginti ſeu triginta abſtinentiam, ob indulgentiam, inconſiderantiamque, nudum omnibus ac tot laborum mercede privatum reperiri, & ſimilem fieri Mercatori cuidam diviti, qui in portu naufragium facit omnium, quæ tanto labore ac ſudore ſunt parta! S. Baſil. h. 21. in Prol.

III. Secundum eſt, ut, quemadmodum Navarchus ſtudioſe, & conſtanter præparat, ac illæſa conſervare ſtudet omnia inſtrumenta ad navim feliciter dirigendam neceſſaria; ita idem etiam Aſceta ſuo modo facere conetur. Quinque autem ſunt Navarcho ſpecialiter neceſſaria. 1. *Notitia viæ*, quam per inſpectionem chartarum, & ſiderum cæleſtium potiſſimum comparare oportet: per quam ſpiritualiter intelligitur ſcientia earum rerum, quæ ad vitam Chriſtiano modo, id eſt pie ac modeſte inſtituendam requiruntur, quæque tum lectione librorum Spiritualium, tum conſideratione ſaluberrimorum exemplorum a Chriſto & Sanctis (qui ſunt quaſi ſidera cæleſtia) relictorum obtinenda eſt, 2. *Velum*, quod ſuo tempore pro vento excipiendo expandatur; per quod in ſenſu myſtico voluntas ad omnem divinum impulſum, omneſque S. Spiritus inſpirationes excipiendum paratiſſima ſignatur. 3. *Anchora*, per quam tempore tempeſtatis ingruentis contra impetum ventorum ac procellarum adverſantium atque quaſſantium firmetur, per quam merito ſpiritualiter ſpes ac fiducia in Dei Sanctorumque auxilio intelligitur, juxta illud S. Pauli: In quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam. 4. *Alimenta* cibi ac potus, per quæ myſtice intelliguntur corporis ac ſanguinis Chriſti, nec non verbi Divini, & aquæ in vitam æternam ſalientis, id eſt, gratiæ actualis crebra, imo aſſidua participatio. 5. *Remorum duplex ordo*: per quorum primum intelligi poteſt virium ac potentiarum tam corporearum, quam ſpiritualium ordinata applicatio: per ſecundum vere virtutum tam Theologicarum, quam moralium ſerium conſtanſque exercitium.

IV. Tertium eſt, ut, ſicut Navarchus ſumma cum ſollicitudine præcidere, & declinare ſatagit pericula, ex quibus jacturam navis aut mercium pati poſſet; ita ſimilem cautelam ac diligentiam ipſe quoque Aſceta adhibeat. Quatuor ſunt autem ejuſmodi pericula, videlicet. 1. *Tempeſtates*: per quas recte tribulationes variæ, ad impatientiam, & deſperationem impellentes intelliguntur, contra quas proin ſe per generoſam, & invictam patientiam armare debet. 2. *Piratæ*: per

per quos dæmones, divitiis ſpiritualibus meritorum ſpoliare ſatagentes intelliguntur, contra quos proin fortiter audaci, & conſtante repulſa tentationum pugnandum eſt, juxta Sancti Jacobi monitum: Reſiſtite diabolo, & fugiet
Jac.4. v. 7. a vobis. 3. *Syrenes*; per quos carnales tentationes recte intelliguntur, contra quos proinde obturatione aurium, id eſt, oculorum & mentis ab iiſdem averſione pugnandum eſt. 4.
1. Tim.6. v. 9. *Scopuli*: id eſt, deſideria inutilia & nociva divitiarum, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem; Qui proinde generoſo contemptu, & directione navis, id eſt, mentis ad portum cæleſtis Patriæ, per conſiderationem, æſtimationem, & dilectionem cæleſtium bonorum declinandi ſunt.

§. XII. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Jo.19. v. 30. I. EX occaſione thematis: *Conſumatum eſt*: dici poteſt, multos quidem hactenus conatos fuiſſe compendia brevi doctrinarum, ad vitam recte inſtituendam pertinentium ſuggerere, ſed nullum brevius, univerſalius, & aptius unquam aſſignatum fuiſſe, quam a Chriſto in Cathedra crucis exiſtente, dum dixit: *Conſummatum eſt*: id quod proinde per totam concionem demonſtrari poteſt. Et 1. quidem de brevitate conſtat. 2. Univerſalitatem quod attinet, probari poteſt ex eo, quod omnis generis homines, præcipue Artifices, Mercenarii, Agricolæ, Vinitores, Navarchi, Milites, Peregrini, Curſores, Pugiles, Oratores hac doctrina indigeant, utpote quorum omnium felicitas & gloria in eo conſiſtit, ut diſcere poſſint; Conſummatum eſt; Vere enim reſpectu omnium, operis victoria finis. 3. Aptitudo ex eo probari poteſt, quod nulla doctrina æque excitet ad vitiorum conſtantem fugam, & aſſiduum virtutum exercitium ac iſta utpote ſine qua obſervata conſtat, neminem poſſe ad ſupremæ felicitatis poſſeſionem pervenire, cum fixum ſit Chriſti effatum: Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Vide Engelgr. in Dom. 3. poſt Pent. §. 2.

II. Ex occaſione thematis: *Hic homo cœpit*
Matt.13. v. 23. *ædificare, & non potuit conſummare*: dici poteſt quemvis hominem ſibi propriam habitationem pro altera vita exſtruere debere, juxta illud S. Pauli teſtimonium: Scimus, quoniam
2 Cor. 5. v. 1. ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cælis. Unde. 1. oſtendi poteſt, quam pretioſa, & jucunda ſit domus illa, utpote de qua merito dici queat: Beati, qui habitant in do-
Pſ.83.v. 5. mo tua. 2. Quibus ſumptibus, & operis ædificanda ſit, ſcilicet ſumptibus Dei, id eſt, gratiæ Divinæ, opera cooperationis noſtræ in bonis operibus perficiendis, uti oſtenſum eſt illi ſutori, qui, quoties die Sabbati lucrum ſuum per hebdomodam factum in pauperes diſtribuit, domum auream in cælis ædificare viſus eſt. 3. Quantopere conetur diabolus nos impedire, ne domum iſtam abſolvamus, utpote ſciens, neminem in eam admittendum, qui non perfecte eam abſolverit; quomodo proinde imitandi ſint Judæi murum ædificantes, qui altera manu opus faciebat, altera gladium tenebant, quo hoſtes repellebant.

III. Et occaſione thematis: *Bonum certamen* 2. Eſdra
certavi curſum conſummavi, fidem ſervavi: 4. v. 17.
dici poteſt vitam noſtram certamini curſorum ſimilem eſſe; eo quod. 1. Sicut curſores num- 2. Tim.4.
quam ſubſiſtere ſolent; ita neque nobis id li- v. 7.
ceat, juxta S. Auguſtini teſtimonium: Quan- S. Aug.in
tumcumqe hic vixerimus quantumcumque pro- Pſ. 66.
fecerimus, nemo dicat: Sufficit mihi, juſtus ſum, qui dixerit, remanſit in via: non novit pervenire. Ubi dixerit: Sufficit, ibi hæſit. Hinc & S. Bernardus non proficere, in- S. Bern.
quit, ſine dubio deficere eſt. 2. Quia ſicut ep. 341.
nemo accipit bravium & coronam, niſi qui ad metam pervenerit; ita neque in cælis olim coronabitur, niſi qui curſum conſummarit, uti ex citato S. Pauli teſtimonio liquet; non enim quæruntur in Chriſtianis initia, ſed finis, teſte S. Hieron. hinc quia Paulus male quidem cœpit, ſed bene finivit; coronari meruit. 3. Quia ſicut qui currit, omnes a ſe veſtes non neceſſarias, aliaque impedimenta curſus abjicit, ut expeditior ſit ad currendum, ita idem etiam ab eo, qui curſum vitæ ſuæ feliciter peragere deſiderat, agendum eſt, uti S. Paulus ſuaſit dicens: Omnis, qui in agone 1.Cor. 9.
contendit, ab omnibus ſe abſtinet; & illi qui- v. 25.
dem ut corruptibilem corooam accipiant, nos autem incorruptam.

IV. Ex occaſione thematis: *Nemo mittens* Luc. 9. v.
manum ad aratrum & reſpiciens retro, aptus 62.
eſt regno Dei: dici poteſt vitam noſtram Agriculturæ ſimilem eſſe, utpote cujus unicus finis ſit, hac in vita ſerere, & metere, quod in horrea celeſtia inferamus, & unde æternum paſcamur. Oſtendatur proinde. 1. Quam impigre Agricolæ exequantur omnia officia ad agriculturam pertinentia; quam conſtanter, &, fortiter omnes difficultates, ſive a tempeſtatis incommodis, ſive laboris diuturnitate, ſive aliunde proveniente ſpernent; Quamque adeo, quivis homo agrum animæ ſuæ arare per mortificationem, fœcundare per bonorum operum exercitium, occare per mortificationem, ſtercorare per humilitatem, cuſtodire, & munire per prudentem cautelam debeat. 2. Pariter oſtendatur, ſi Agricolæ omnes labores ſpe meſſis jucundos, & leves facit, quanto magis quemvis Chriſtianum ſpe meſſis ſpiritualis, quæ bonitate ipſa, & quantitate, & duratione incomparabiliter meſſem corporalem ſuperat, animare debeat ad quaſvis difficultates fortiter atque conſtaoter ſuperandas.

V. Ex occaſione thematis: *Viditque in ſo-* Gen. 28.
mnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen v. 12.
illius tangens cælum: *Angelos quoque Dei aſcendentes per eam; & Dominum innixum ſcalæ*: dici poteſt, nos omnes per hanc ſcalam, id eſt, mandatorum obſervationem, & virtutum variarum exercitium, aſcendere debere: Cacumen autem hujus ſcalæ eſſe perſeverantiam, cui merito Deus inniti dicitur, eo quod per illam ſolam ultimate obtineatur poſſeſſio Dei. Per Angelos autem deſceodentes, & aſcendentes ſignificari: numquam homines per hanc ſcalam aſcendere conantes quoad profectum ſpiritualem in eodem ſtatu per-
ma-

manere, ſed vel aſcendere, vel deficere juxta commune Aſcetarum effatum dicentium: In via Dei non progredi, regredi eſt.

Prov. 31. v. 14. VI. Ex occaſione thematis: *Facta eſt quaſi Navis inſtitoris*: poteſt dici vitam noſtram ſimilem eſſe Navi Inſtitoris pretioſiſſimas merces meritorum cæleſtium in ſupremam Patriam tranſvehenti, Oſtendat proinde 1. quanti momenti ſit hæc navigatio, quam quivis homo velut Navarchus dirigere, & peragere debet. 2. Quomodo omnia neceſſaria inſtrumenta, puta velum, anchoram, remos, tormenta, & ſimilia præparare, & adhibere debet. 3. Quomodo varia pericula ab hoſtibus, Syrtibus, Syrenibus, fluctibus vitare oporteat. Quæ omnia fuſius ſupra §. 11. explicata ſunt.

VII. Ex occaſione thematis: *Fratres, nolite deficere benefacientes*: proponi poſſunt tria motiva præcipua, ad perſeverantiam in bonis operibus incitantia. Nimirum Primum ex conſtanti beneficientia Dei, quam oſtendit per beneficium conſervationis, protectionis, & conſolationis; an non enim conſtantiam mutui amoris, & ſervitii extorquebit? Secundum ex utilitate, & commodo noſtro, quod percipiemus, ſi nullum quaſi momentum præterire ſinamus, quod non in Dei honorem gloriamque promovendam impendamus. Tertium ex conatu diaboli, quo perſeverantiam impedire nititur, deſumptum eſt, eo quod norit, omnem noſtram felicitatem ab illa pendere, cui proinde vel hac ipſa de cauſa fortiter, atque conſtanter reſiſtendum.

§. XIII. ALII CONCEPTUS.

Qualitas.

Manſi tr. 80. diſc. 3. n. 3. I. SAnctus Paulus Apoſtolus Corinthios, quos ad fidem converterat, catechizare volens, virtutem perſeverantiæ in operibus bonis, utpote proprium veri hominis Chriſtiani characterem, præcipue commendavit; Nam, ut Sanctus Hieronymus in epiſtola quadam ait: Non quæruntur in Chriſtianis initia, ſed finis; Paulus male cepit, ſed bene finivit; Judæ laudantur exordia, ſed finis proditione damnatur. Sanctus Auguſtinus uſque ad triginta, & amplius annorum ætatem ſenſualitati habenas laxavit, reſipiſciens autem divinoque ſe ſervitio addicens, ad ultimam, & decrepitam uſque ætatem baptiſmalem conſervavit innocentiam. Idem S. Paulus Coloſſenſes pariter ita monet: *Sicut ergo accepiſtis Jeſum Chriſtum Dominum; in ipſo ambulate radicati, & ſuperædificati in ipſo, & confirmati.* Ubi Divus Chryſoſtomus ly radicati in favorem noſtrum, hoc modo exponit: Radicati, hoc eſt, fixi, ac ſtabiles; Quod enim eſt radicatum, ſeu radices egerit, non poterit tranſplantari. Vide quam proprias, & appoſitas ponit diſtinctiones. Similiter aliud verbum, ſcilicet, & confirmati in ipſo, ponderans ait: Hoc eſt, ipſum tenentes tamquam ſuper fundamentum ædificati; ſi quis in tuto non ædificaverit, labaſcit. Enim vero radix eſt, quæ truncum arboris ſuſtinet, ramos arboris vegetat, totamque arborem fructificare facit. Cumque profundius in terram penetraverit radix, arborem evellere, aut eradicare impoſſibile eſt, niſi forte recenter plantata fuerit. Apoſtolus igitur in primis illis fidelibus, ad inſtar fundamenti alicujus, requirebat ſtabilitatem, & firmitatem, ut bonorum operum fructus reddere poſſent.

II. Ludovicus Granatenſis in introductione ad ſymbolum refert, quod dum quidam ex Germaniæ Primatibus interrogaretur, quamnam ſectam, populi territorio ſuo vicini profiterentur, reſpondit: Anno ſuperiori talem quidam tenebant, qualem autem hoc anno profiteantur, profecto ignoro. Idem Granatenſis de ſuperiori ſuo ſæculo, id eſt, immediate præterito, ſcribit, quod habita ſectarum, ad illud uſque tempus in diverſis locis traditarum ratione, deprehenſum fuerit, quod hæretici a primo hæreſeos exordio, uſque ad tempus illud centum octodecim diverſas ſectas profeſſi fuerint. *Infymb. pag. 2. §. 3.*

III. Notum eſt illud Spiritus ſancti teſtimonium dicentis: *Juſtus ut palma florebit.* S. Gregorius exponens locum illum Jobi: *In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies*; de palma ita ſcribit: Palma tarde proficit, ſed diu in viriditate ſubſiſtit. Idem Sanctus Doctor aliam ejuſdem palmæ aſſignat proprietatem, inquiens: Palma vaſtior in ſummitate eſt, quam eſſe cœperit in radice, quia ſæpe electorum converſio plus finiendo peragit, quam proponit inchoando; Quam eamdem proprietatem paulo poſt melius declarat, dicens: Hoc habet palma, quo e cunctis aliis arborum generibus differt. Omnis namque arbor in ſuo robore juxta terram vaſta ſubſiſtit, ſed creſcendo ſuperius anguſtatur, & quanto paulliſper ſublimior, tanto in altum ſubtilior redditur. Palma vero minor ab imis inchoat, & juxta ramos ac fructus ampliori robore exurgit, & quæ tenuis ab imis proficit, vaſtior ad ſumma ſuccreſcit; Cum igitur palma, quæ paulatim magis ſemper proficit, virtutem perſeverantiæ adeo vivaciter repræſentet; conſequens eſt, ut ab illa deſumpta ſimilitudo, juſtis & fidelibus conveniat. *S. Greg. l. 19 mor. c. 30.*

IV. Sanctus Petrus primos fideles, & cum illis omnes ſucceſſive illorum poſteros, in Epiſtola ſua paterne monet, ne in hoc nimium confidant, quod ſcilicet ad fidem vocati fuerint, niſi etiam eidem per opera bona perſeveranter fuerint cooperati; *Satagite*, inquit, *ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Quonam vero modo vocationem noſtram certam facere poſſimus Gloſſa nos docet, inquens: Certam facit vocationem, qui in bonis operibus perſeverat. *2. Pet. c. 1.*

V. Paradiſus utique terreſtris, cæleſtis Paradiſi verus eſt typus; obſervaſtis ne autem, quodnam Deus ad illius Paradiſi januam ſtatuerit impedimentum, ut aditum nobis ad eumdem præcluderet? *Collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem*; ad denotandum, quatuor eſſe præcipue quæ nobis obſtaculo ſunt, ne conſequamur gloriam, ſcilicet cupiditas nimia ſciendi, quæ in Cherubim denotatur, cui propria eſt ſcientia. Secundum, concupiſcentiæ carnali nimis deditum eſſe, quæ ſignificatur *Manſi l. c. diſc. 2. n. 1.*

in igne (flammeum). Tertium eſt odium, ſive vindicta. Quarum typus eſt enſis, vel gladius. Quartum denique nimia noſtra in bene operando inſtabilitas, & volubilitas (verſatilem).

Iſ. 26. 7. VI. Iſaias ait: *Semita juſti recta eſt, rectus callis juſti ad ambulandum*. Dic ſodes, quænam eſt differentia inter viam rectam, & curvam? Hæc nimirum, quod in via recta, quanto magis proceditur, tanto magis homo a termino a quo elongatur. Non vero id fit in via, quæ in gyrum vertitur, quanto enim diutius in illa procedis, tanto magis appropinquas ad locum, unde receſſeras. Idem prorſus accidit reprobis, de quibus dicitur: In circuitu impii ambulant; tametſi enim ab hac vel illa ſuſpecta converſatione receſſiſſe videantur, in bonis tamen propoſitis nequaquam perſiſtunt, ſed ſubito ad peccata priſtina revertuntur. *Præcordia fatui, quaſi rota carri, & quaſi axis verſatilis cogitatio illius*, inquit Eccleſiaſticus: Talibus proinde dici poteſt: *Vos ex patre diabolo eſtis, deſideria patris veſtri vultis perficere*; tales enim eadem cum ipſo via incedunt, circumeundo; Ipſemet namque dæmon apud Jobum ait: *circuivi terram*; Et S. Petrus de eodem inqnit: *circuit quærens, quem devoret*. Cæterum via viri juſti, & perfecti recta eſt, rectus callis juſti, *viam mandatorum tuorum cucurri*, inquit Pſalmiſta; Et S. Apoſtolus ad Philippenſes de ſeipſo ſcribit: *Ad anteriora extendens me ipſum, ad ſupernæ vocationis bravium*. Conſideratione digna ſunt, quæ S. Bernardus in hæc verba ſcribit: Qui in circuitu ambulat proficiſcitur quidem, ſed nibil proficit: Væ homini, qui ſequitur hunc circuitum! ſi conaris avellere, paululum ſequi videbitur, ſed in dolo, circuitus eſt, aliunde reditum parat. Væ homini illi, qui ſequitur hunc circuitum! Ly autem væ, communiter eſt æternæ comminatio damnationis.

S. Hier. in Pſ. 83. VII. Propheta Regius inquit: *Beatus vir cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit*. Circa quæ verba S. Hieronymus ita ſcribit: Propterea dicuntur, & in Pſalterio Pſalmi Graduum quindecim, & primis dicitur: *Ad Dominum cum tribularer, clamavi*: Et in ſecundo: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi*; & *ſemper procedit & proficit, & aſcendit in ſublimiora*. Quod dicit, hoc eſt, *aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit*; felix eſt, qui quotidie proficit, qui non conſiderat, quid heri fecerit, ſed quid hodie faciat, ut proficiat. Sanctus aſcenſiones in corde ſuo ponit, peccator deſcenſiones. Quomodo qui Sanctus eſt, quotidie proficit; ita qui peccator eſt, quotidie deſcreſcit. *Beatus vir, qui diſponit aſcenſiones in corde*. Videte conſequentiam ſcripturarum: *Etenim benedictionem dabit, &c.*

S. Chryſ. ſ. 91. VIII. D. Chryſologus de magni Baptiſtæ genitoribus differens (de quibus ſacer Textus hoc perhibet teſtimonium: *Erant ambo juſti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis*). Incedentes, inquit, ut oſtenderet, cucuriſſe in virtutibus, non ſtetiſſe, & ambulaſſe in via juſtitiæ, non ſediſſe.

Manſi diſc. 6. n. 12. IX. In ſacris Canticis anima ſancta tribus vicibus in ſublime aſcendiſſe legitur, & quotieſcumque de hiſce aſcenſionibus fit mentio, ſacer Textus ſemper loquitur cum admiratione. Etenim Cantic. 3. dicitur: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi?* Cant. 6. habetur: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens?* Denique Cant. 8. dicitur: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* Sciendum vero eſt, quod tribus hiſce aſcenſionibus tres correſpondeant gradus, vel ſtatus vitæ ſpiritualis, incipientium videlicet, proficientium, & perfectorum. Prima aſcenſio fit a terra, & e deſerto ad inſtar ſumi, qui ſuam a terra habet originem, & hæc eſt aſcenſio eorum, qui ſe noviter Dei ſervitio dedicare incipiunt; Horum enim converſio ſumo aſſimilatur incenſi & myrrhæ, ob amaritudinem, quam pœnitentia extrinſecus ſolet habere annexam. Secunda aſcenſio eſt proficientium, eaque cælum verſus dirigitur, ubi planetæ lucidiſſimi, ſtellæ nimirum, luna, ſol reſplendent: & virtutes, exempla, operumque virtuoſorum, & Sanctorum merita denotat; unde Chriſtus ait: *Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona*. Tertia aſcenſio eſt perfectorum, & hæc donis & gratiis adeo copioſis, & abundantibus eſt referta, ut dicatur deliciis affluens, ſiquidem conſolationes, quibus anima Deum intime amans perfunditur, ſunt inexplicabiles; Obſervandum vero eſt id, quod vel maxime propoſito noſtro deſervit, quod in omnibus hiſce tribus ſtatibus, etiam perfectorum ſemper fiat mentio ſaliendi, aſcendendi, &c. quia ut S. Bernardus ait: Nemo perfectus eſt, qui perfectior eſſe non appetit, & in eo quiſque perfectiorem ſe probat, quod ad majorem tendit perfectionem.

X. Dilaudat cæleſtis Magiſter fidum quemdam, & officio ſuo probe functum œconomum, inquiens: *Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram*. Luc. 12. 24. Probi & integri diſpenſatoris partes in multis hæ ſunt, ut domeſticis annonam, & quæcumque victus requirit humanus, tempeſtive miniſtret. Subdit autem ſtatim divinus Magiſter: *Beatus ille ſervus, quem cum venerit Dominus ejus: invenerit ita facientem*, ibid. verſ. 43. Notavit in modo loquendi Chriſti, Cardinalis Cajetanus, quod non eum, quem ſic aliquando feciſſe, ſed quem ita facere tunc invenerit, cum Dominus illius venerit, beatum fore affirmavit! Beatus ille ſervus, inquit, quem invenerit, ſic facientem, non quod ita fecerit, ſed quod perſeveret faciendo. Beatus, non quia, in bonis actibus diu vixit, ſed quia his immortuus fuit. Itaque parum proderit homini Chriſtiano, quod tanquam ſtrenuus miles in palæſtra virtutum contra paſſiones ſuas fortiter dimicare cœpit, bellumque ſanguinolentum omnibus animæ ſuæ hoſtibus indixit, ſi mox ut ignavus cedat, & tanquam meticuloſus fugiat. Perſeverare conſtanter, pugnare pertinaciter debet, ut labor illius ſit fructuoſus, & deſatigatio ſuam obtineat coronam. Nyſſen. l. 3. c. 7. in vit. Abra.

XI. Quæ-

Digitized by Google

Ibid. XI. Quæſtio eſt, quid myſterii habeat, quod Simoni Petrus adjungitur, quando obedientia cum ſalute, hoc eſt, Simon cum Jeſu locutus fertur? Non ſatis erat dixiſſe: *Dixit Simon ad Jeſum?* Non erat ſatis, inquit, præclare S. Petrus Damianus. Tametſi enim Simoni, hoc eſt, obedienti jure ſit debita ſalus æterna, debet tamen comitem habere Petrum, qui ſignificat petram, ut ſit nobis documento, quod ille ſolum obediens lauro in cælis immortali coronabitur, cujus obedientia pro baſi habet petram, ſive rupem, ſic ut neque nutet, neque vacillet, ſed religioſa cum pertinacia, & glorioſa contumacia in finem uſque pergat. Verba, qui ſanctiſſimus Cardinalis ea expreſſit, ſic habent: Solis obedientibus æterna ſalus hæreditario jure debetur, ſi tamen ibi ſit Petrus, ideſt, ſi obedientia non vacillet, aut titubet, ſed fundata ſit ſupra firmam petram.

S. Greg. l. 4. mor. c. 18. XII. Huc ibant Regis Prophetæ oculi, quando ajebat: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*, Pſalmo 64. verſ. 12. Beatiſſimus Papa S. Gregorius Magnus de his verbis ſic habet: Quaſi corona anni benedicetur, cum finito laboris tempore, virtutum remuneratio confertur, dies vero hujus anni ſunt ſingulæ quæque virtutes. Sed quid eſt, quod non menſibus, non diebus, non horis, ſed anno tantum benedicetur: *Benedices corona anni?* Cum annum hunc dies virtutum faciant (dies vero hujus anni ſunt ſingulæ quæque virtutes) cur non eiſdem præmium addicitur, ſed ſoli anno corona promittitur? Cauſa ea eſt, quod tametſi ſingulæ virtutes ſuam habebunt remunerationem, eam tamen abſque perſeverantia conſequi non poſſumus, idcirco anno promittuntur benedictiones, quia ille eſt finis pugnæ, terminus laboris, exitus vigiliarum, clauſula defatigationum: Nam fuiſſe pium, & virtutis ſtudioſum uno menſe, fuiſſe una hebdomade, ſanctum, una hora caſtum, humilem, probum, parum proderit, niſi in finem vitæ verſemus in illis. Itaque annus, & finis benedictionem habebit, non menſis, non hebdomas, non dies, non hora, quia ſolus ille ſalvus erit, qui in finem anni, ſeu vitæ perſeveraverit.

S. Petr. Damia. ep. 7. opu. 13. c. 27. XIII. Suadet S. Petrus Damianus, ut firmiter, animoſeque perduremus in itinere virtutum, ut perennis quietis palmam conſequamur; & concludit exhortationem his verbis: Vitæ modum, quem ſemel arripueris, perſeveranter tene, conſtanter exequere, ne ſcenica, quod abſit, a temetipſo vertigine videaris diſcrepare. Hæc ille difficilia verba: Quid autem voluit ſibi vir Sanctus, cum ait: Ne ſcenica a temetipſo vertigine videaris diſcrepare? Quid eſt vertigo ſcenica? Ego dicam. Prodit in ſcenam hiſtrio, ut perſonam amantis, Principis, Capitanei, Imperatoris referat. Repræſentat ille amantis blanditias, Principis potentiam, Capitanei fortitudinem, Imperatoris Majeſtatem. Et quid poſthæc? Statim a ſcena ad ſuum hominis vulgaris ſtatum redit. Facile eſt cernere, hunc neque Capitaneum eſſe, neque Principem, neque Imperatorem, quia Regiis tam ſubito depoſitis inſignibus non alia, quam quilibet e vulgo, veſte utitur. Dicit tunc Damianus: Perſta firmus, & animoſus in fœlici virtutum via, quam ſemel tenere cœpiſti, ne ſcenica a temetipſo videaris vertigine diſcrepare, ne videaris velut in ſcena repræſentare aliquandiu perſonam hominis pii, pœnitentis, humilis, religioſi, liberalis in egenos, continentis, & caſti, denique vero exeas, qua intraras, virtutiſque, & pœnitentiæ, & religioſitatis, & liberalitatis, & continentiæ, & caſtitatis veſtitum abjicias. Nihil feceris, ſi ita feceris, neque optatum laborum tuorum fructum conſequeris. Ut obtineas, quod expetis, non debes eſſe hiſtrionicus Chriſtianus, ſed in uno ſanctæ vitæ propoſito uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtanter perdurare. Forte aliud quid voluit magnus Cardinalis, quod cum Bernardi ſententia ſuperiori admodum congruat, cum jubet curare, ne ſcenica quis videatur a ſemetipſo vertigine diſcrepare. Quid agitur in comœdia, quid in ſcena, ſive theatro? Nullus locus crebriores habet viciſſitudines, & mutationes, nullus tam varias larvas, quam confabulatio ſcenica. Qui pridie factum referebat, is poſtridie latronem viarum repræſentat, qui heri perſonatus erat Amaſius, ille hodie paſtorem agit. Quælibet dies habet ſuas ſpeciales figuras. Dicit nunc S. Petrus Damianus. Si vis conſequi, mi frater, beatitudinem, ſi Deo æternum frui, vitæ modum, quem ſemel eripueris, perſeveranter tene, conſtanter exequere, unam tantum boni, & religioſi hominis perſonam repræſenta, unum ſemper bonum, & impigrum Dei ſervum referre ſtude, cujus unicum perpetuumque ſtudium ſit, colere virtutem, & mandata Dominica obſervare, & hiſce operibus uſque ad ſupremam vitæ periodum immorari.

XIV. Hunc in finem creavit Deus hominem, & poſuit illum in theatro hujus Mundi, ut repræſentationi det operam. At quemnam repræſentabit? Deum ipſum. Hoc Dominus affirmaſſe videtur, quando de homine creando liberans ajebat: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, Gen. 1. 26. Qui Imperatorem repræſentat, ille imaginem, ſimilitudinem, figuram illius referre dicitur. Idem dicit ſupremus Conditor, & Benefactor, cum ait: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, ut imaginem, & ſimilitudinem noſtram repræſentet. At quomodo id recte, & decenter perficiet. S. Ambroſius hoc dicet: Qui Deuteronomium adire jubet, illudque legere, quod ibi dicitur: *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt*, Deuteron. 6. verſ. 4. Quid voluit Dominus iis verbis indicare? Reſpondet ſacer Doctor, id voluiſſe, ut, velut ipſe ſemper unus eſt, ita ſemper unus ſit, qui illum ſic vult repræſentare in terris, ut comprehendere, & conſequi poſſit in cælis. Quare ſic concludit: Ad ſimilitudinem Domini unus eſt, atque idem, non hodie ſobrius, cras ebrioſus, hodie pacificus, craſtina die litigioſus. Hæc ille epiſtol. 1. Nyſſen. l. 2.

tom.

tom. 5. Qui hodiernum diem ineſus tranſmittit, cras cibis ſe infarcit ſuperfluis: Qui hodie eſt pœnitens, cras laxus: Qui heri modeſtus, hodie diſſolutus, ille imaginem Dei non repræſentat. Verum qui in colenda caſtitate, in obſervantia, temperantia, in ſtudio virtutum ſemper unus eſt, ille bene refert ſimilitudinem ejus, ad cujus imaginem eſt factus, eoque æternum fruetur. Soli enim perſeverantiæ decreta eſt palma conſtituta laurus. Quare recte dicebat Bernardus: Stude perſeverantiæ, quæ ſola virtutum coronatur, non inveniatur apud vos, Eſt, & Non, ut ſitis filii Patris veſtri.

Neceſſitas.

Manſi tract. 80. diſc. 2. n. 5. XV. Ingens illa ſtatua Nabuchodonoſoris in ſomno repræſentata caput habebat aureum, pectus argenteum, ventrem æneum, tibias ferreas, ac denique pedes teſtaceos. Quæ ſtatua adeo vivaciter delineat illum, qui virtuoſe vivendo cœpit, peſſime tamen poſtea conſummat, ut aptior ad illum exprimendum ſimilitudo excogitari non poſſet. Etenim auro amor Dei denotatur: qui vitæ perfectioris eſt fundamentum; Per argentum vero divinæ legis obſervantia innuitur, juxta illud Pſalmi: *Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum*. Per ferrum & chalybem ſolidiſſima metalla, diuturna in operibus bonis ſtabilitas, & perſeverantia deſignatur. Per pedes vero teſtaceos, qui cauſa fuerunt, ut ingens illa ſtatua corrueret, & comminueretur, omniaque prædicta metalla in pulverem redigerentur, peſſimus intelligitur finis, quem illi, qui ad ultimum uſque ſpiritum non perſeverant, communiter habere ſolent. unde Ricardus de S. Victore ait: Opus deteſtabile, & dignum confuſione, quod inchoatur ex auro, & conſummatur in teſta & ferro. O confuſibiles operarios! qui in initio converſionis ſuæ opus ſuum inchoant ex auro, & conſummant in luto.

Ib. n. 9. XVI. Nulli ignota eſt ingens illa ſtrages, quam Deus Ezech. c. 9. inter homines cujuſcumque ætatis, ſexus, conditionis, & profeſſionis, cum hoc tamen pacto inſtituit: *Omnem, ſuper quem videritis Thau, ne occidatis*. Verum ſcire percuperem, cur omnes illi, qui hoc ſigno Thau inſigniti erant, ab hoc flagello remanſerint immunes, & exempti? Hugo Cardinalis obſervat, hanc litteram Thau, in Alphabeto Hebraico eſſe poſtremam, figuramque crucis præſeferre; Ac proinde figurare perſeverantiam: Ultima littera in Alphabeto ſignatur, inquit Hugo, ad denotandum, quod qui omnia præcepta non ſervaverit uſque ad ultimum occidetur. Idem quoque S. Bernardinus in ſupradicto ſermone innuit: Ecce igitur, qualiter in hac ſtrage a Deo ordinata, univerſum genus humanum edoceatur, qualiter irreparabilia æternæ mortis damna redundent in eos, qui hoc perſeverantiæ charactere ſignati non ſunt.

Ib. diſc. 4. n. 2. XVII. In Exodo increata Sapientia veſtem in nobis deſcribit ſummi Sacerdotis, qua Sanctuarium ingreſſurus indui debebat; Inter alias autem hujus veſtis conditiones, una eſt, quod ſcilicet in extremitate ceu fimbria veſtis illius, quæ ad pedes uſque propendebat, mala punica per circuitum ſuſpendi debuerint: *Deorſum vero ad pedes ejuſdem tunicæ per circuitum, quaſi mala punica facies*. Circa quod naſcitur quæſtio, cur potius Deus mala punica, ſeu poma granata, non vero alia poma, maxime in fimbria veſtis ſuſpendi voluerit? Omnia in figura contingebant illis. Petrus Bleſenſis in epiſtola quadam ita ſcribit: Omnis gloria ejus filiæ Regis ad intus, in fimbriis aureis; fimbriæ ſunt veſtimenti extremitates. Eſt ergo gloria ſanctimonialis in fimbriis; nihil enim prodeſt gloria bonæ converſationis in principio, niſi ut glorioſus ſit & finis. Porro nemo eſt, qui malum granatum inter omnes alios arborum fructus hoc privilegio gaudere ignoret, quod ſcilicet verticem coronatum habeat. Atque ideo ſymbolum eſt perſeverantiæ, quæ ſola coronatur; Unde anima, quæ in cæleſte Sanctuarium ingredi deſiderat (de quo Pſalmiſta canit: *Donec intrem in Sanctuarium Dei;*) In fimbria, ideſt, in vitæ ſuæ fine perſeverantiam habere debet.

XVIII. Ingenioſam apud Doctorem Seraphicum obſervationem invenio, ſiquidem ad illum ſe Apoſtoli textum reflectens: *Omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium*. Ita ſcribit: Sic de virtutibus poteſt dici, nam virtutes ad Regnum Chriſti currunt, ſed una ſola accipit bravium. Nam currunt Mundi contemptus, paupertas, vigiliæ, eleemoſynæ, abſtinentia, patientia, ſed ſola perſeverantia coronatur; Nam *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. *Ib. n. 4.*

XIX. De mancipiis Hebræorum hæc in veteri lege ſtatuerat Dominus: *Si emeris ſervum Hebræum, ſex annis ſerviet ſibi, in ſeptimo egredietur ſervus liber gratis. Cum quali veſte intraverit, cum tali exeat*, Exodi 21. 2. 3. An forte Sacramenti aliquid habeat, quod poſt abſolutam ſexennem ſervitutem cum tali veſte ſervus abire juſſus eſt, qua cum advenit? Quid emolumenti adferre poterat homini jam libero, quod ſimiliter veſtitus eſſet poſt exantlatos labores, ac tum, cum primum eos adierat? Beatiſſimus Pater S. Gregorius monet, a cortice litteræ tranſire ad nucleum ſpiritus, ut inveniamus myſterium, quod hac in re eſt, magnum, Servus eſt omnis homo, ſex anni omne tempus præſens, quo vitam hanc laborando exigimus, quia enim Deus ſex diebus mundum hunc fabricatus eſt, & die ſeptimo requievit, recte ſenario numero omnis vita, quam in Mundo agimus, ſignificatur, poſt quam dabitur denarius diurnus quietis æternæ his, qui ſtrenue laborarint. Sex ergo annos, hoc eſt, per omnem vitam, homo Deo ſervit, demum vero donabitur quiete, ſi tamen, cum quali veſte intravit, cum tali exeat. Quomodo hoc fiet? ſi primordiis vitæ extrema reſpondeant, ſi, quod ſtrenue cæpit, fortiter proſequatur, & in finem conſtanter perducat. Nam ſi mox languere incipiat, & remittat primos ſpiritus, & torpeſcat, ſtatimque veſtem mutet, ideſt, a bono propoſito deſiſtat, quid juvat inchoaſſe? Verba Magni *D. Neſ. p. 2. §. 2. in Dom. Sexag.*

gni Gregorii in hanc rem ex homil. 3. lib. 1. in Ezechiel. ſic habent: Cum quali veſte intraverit, cum tali exeat; quia omnino neceſſe eſt, ut unuſquiſque noſtrum in hoc, quod incipit, perſeveret, atque uſque ad finem operis in ea, quam inchoavit, intentionc perduret.

Utilitas.

Manſ. diſcor. 4. n. 7. XX. Axioma Philoſophorum eſt ab omnibus receptum: *Quod ſcilicet forma dat eſſe rei.* Sicut igitur charitas eſt, quæ operibus noſtris valorem, & pretium attribuit, ita perſeverantia omnibus virtutibus dat formam, omniaque merita ita extollit, ut neque charitas, & amor Dei præmium vitæ æternæ ſine perſeverantia acquirerent, quia ut S. Auguſtinus ait: Perſeverantia informat meritum. Et Sanctus Bernardus in epiſtola quadam dicit: Perſeverantia ſola meretur viris gloriam, coronam virtutibus.

Id. diſc. 5. n. 3. XXI. In Deuteronomio legitur: *Aperiet Dominus theſaurum ſuum optimum, cælum.* At vero quandonam Deus hoc ærarium aperturus erit? In tempore ſuo; Deus enim tempus hoc opportunum longe melius novit, quam nos. Unde S. M. Eccleſia in Collecta quadam ſic Deum precatur: *Tua nos, quæſumus Domine, gratia ſemper præveniat, & ſequatur, ac bonis operibus jugiter præſtet eſſe intentos.* Cum igitur quando myſticæ hujus meſſis tempus futurum ſit, ignoremus, neceſſum eſt, ut ſemper præparati ſimus, atque in operibus bonis perſeveremus.

Id. n. 3. XXII. Apud S. Marcum c. 8. legitur: Copioſam quandam multitudinem pedeſtri itinere nulla prorſus ciborum annona proviſam, in aſperum quoddam deſertum Chriſtum ſecutam fuiſſe diu, noctuque, idque non uno aut duobus diebus, ſed per integrum triduum (*cum turba multa eſſet; nec haberent, quod manducarent*, vel, ut Syrica legit: *Nec eſſet quicquam, quod ederent,*) tandem vero miraculoſo illo convivio ad ſatietatem uſque fuiſſe refecta; nam ſacer textus ait: *Manducaverunt.* Nec hoc ſolum, verum etiam *ſaturati ſunt, & ſuſtulerunt, quod ſuperaverat de fragmentis, ſeptem ſportas.* Hæc autem ſaturitas illam figurabat cæleſtis convivii abundantiam, de qua David ait: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* At vero quinam illi fuerunt, qui huic menſæ accubuerunt? Utique non omnes, qui Chriſtum a principio fuere ſecuti, ſed illi tantum, qui cum patientia ad finem uſque illum ſuſtinuerunt, & ad tertium uſque diem in fame, & ſiti illum perſeveranter fuere ſecuti. Unde Paulus de Palatio ait: Satiantur in fine tridui, non initio converſionis, vel in medio, ſed in fine. Motivum quoque, quod Salvatorem noſtrum induxit, ut tam lauto illos convivio paſceret, fuit illa perſeverans patientia, quam triduo in fame & ſiti, illum ſequendo exhibuerant, ait enim: *Ecce jam triduo ſuſtinent me.* Apud S. Matthæum loco ſuſtinent, habetur: *Perſeverant mecum.*

Dignitas.

XXIII. Ibat quondam ſponſa tam concitis pedibus, ut ſuavi admiratione perſunderet non ſolum terræ habitatores, verum etiam cælorum Palatinos, ut certatim utrique (ex ſententia melliflui Bernardi, Hailgrini Cardinalis, Abbatis S. Pantaleonis Wolver, & aliorum) non ſine magno ſtupore exclamarent: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, pulchra, ut luna, electa ut Sol,* Cantic. 6. 9. Matthæus Cantacucenus ex Rege Monachus Baſilianus, Vincentius, Richardus illius interpres, & alii, quos jam dixi, ajunt: Admirantium eſt iſta vox. Sed unde iſta naſci admiratio potuit, unde tam novum videri illis, quod ſponſa lentis ſenſim incrementis augeſcere, & luce paulatim majore ſplendere cœpit, ac primum quidem ut aurora obſcure micare, deinde ut luna rutilare amplius, demum ut Sol radiis ſuis Mundum totum implere? Hoccine tamquam novum ſit, & inauditum, in ſtupore adducere potuit, homines pariter, ac Angelos? Potuit. Immo ſi contra egiſſet, atque ut Sol primum ſplendicare cœpiſſet, dein vero ut aurora paucula luce ſcintillaſſet, nihil mirum feciſſet, quia hoc fit communiter, & paſſim ab omnibus, ut cum fervore bonum ſuſcipiant, & mox cum tepore & torpore dimittant. Luctuoſum, ac miſerandum; quam vulgare Chriſtianorum pene omnium vitium. At ſi quæ anima progrediatur, quaſi aurora conſurgens, tacitiſque, & continuis profectibus eo perveniat, ut ſolis inſtar fulgeat, illa admirabundorum hominum, & Angelorum voces meretur, digna, cui ſuperi, atque inferi acclament: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, &c.* Digna, quam velut ſingulare quoddam prodigium attoniti prædicent, & in cælum laudibus vehant. Nyſſen. in vit. Abra. l. 3. c. 6.

XXIV. Eſt & alia hiſtoria in S. Scriptura propoſito noſtro accommoda. Etenim Spiritus S. qui Hagiographorum movit, & direxit calamos, totus eſt io vaccis quibuſdam nobis commendandis, animalibus cæteroquin, prout conſtat, ſtolidis, ut proinde illis Apoſtolus dicat: *Numquid de bobus Deo eſt cura?* Cum enim Philiſthæi Arcam plauſtro novo ſuper impoſuiſſent, eidem trahendo duas admoverunt vaccas. Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethſames, & itinere uno gradiebantur, & pergentes & mugientes, & non declinabant, neque ad dexteram, neque ſiniſtram, ob quam in gradiendo conſtantiam, & ſtabilitatem, abſque eo, quod retroſpicerent, licet vitulos ſuos mugientes audirent, dignæ æſtimatæ ſunt, quæ in Sacrificium Divinæ Majeſtati offerentur, & excitato ex lignis plauſtri, quod taxerant, igne concremarentur. Omnia autem in figura contingebant illis. Etenim in Arca, quam vaccæ ſuper plauſtrum deducebant, recluſæ erant divinæ Legis tabulæ; Animalia autem hæc, quæ Arcam hanc, abſque eo, quod retrogrederentur, aut retroſpicerent, portabant, illos præfigurabant fideles, qui conſtanter, & perſeveranter, non reſpicientes retro, humeris ſub præ- Manſ. diſc. n. 3.

præceptorum Evangelicorum jugum ſubmiſſis gradiuntur in Bethſames, ideſt, in veram ſolis illius civitatem, qui tribus radiis ſeu luminibus in una luce reſplendet.

Ib. diſc. 4. n. 9. XXV. Sponſa in Sacris Canticis, per quam Eccleſia figurabatur de cæleſti Sponſo ſuo ait: *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſſes aureas*. Ex quibus verbis deduci poſſe videtur, tam caput, quam plantas ſponſi aureas ſuiſſe, nam paulo ante eadem ſponſa dixerat: *Caput ejus aurum optimum*. Ergone viliorem, & infimam corporis partem, qualis pes eſt, qui ſordes, & immunditias continuo tangit, & calcat, a ſponſa per inſtinctum Spiritus Sancti ex eodem metallo concretam ſuiſſe dicit; ex quo caput factum ſuerat? Ergone tam caput, quam pedes aurei ſunt? Omnino, ita ſe res habet, ſed omnia in figura. Per caput enim aureum principium operis boni ex amore Dei eliciti, & in gratia Dei facti intelligitur: Quando vero in anima hæc capitis & pedum mutua relatio, & correſpondentia reperitur, certum nobis æternæ prædeſtinationis ſignum ab eadem inſinuarur, quia qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

§. XIV. MISCELLANEA.

Qualitas.

Daniel. l. 2. v. 31. I. QUI a perſeverantia deficit, ſimilis eſt ſtatuæ aureæ a Nabuchodonoſore viſæ, cujus caput aureum, brachia & pectus argenteum, venter æreus, crura ſerrea, pedes lutei erant. Sic enim multorum Infantia aurea eſt propter ſtatum innocentiæ: Pueritia argentea, quia jam peccare leviter incipiunt: Adoleſcentia ærea propter graviora peccata: Juventus ferrea propter peccandi conſuetudinem: Virilis ætas lutea, dum, qui ſpiritu cœperunt, carne conſummant.

Exod. 22. v. 29. II. Deus in veteri teſtamento non tantum primitias, ſed & decimas, quæ ultimum quaſi ſunt in meſſe, petiit. Item ut omnia animalia, quæ ei offerebantur, caudam haberent, ut per hanc perſeverantiæ neceſſitatem indicaret. *Lev. 3. v. 9.* Unde S. Gregorius, ille ait, bene immolat, qui ſacrificium boni operis, ad finem debitæ perducit actionis.

Vit. PP. l. 5. III. Quidam ſenex, deſperantem, quod aſſiduo in peccata reincideret, atque adeo ea penitus vitare non poſſet, excitavit exemplo filii, qui juſſus a patre agrum amplum a zizaniis purgare, cum impoſſibile id ſibi judicaret, modica, quam quotidie expurgaret, parte aſſignata, intra breve tempus purgationem abſolvit.

Lyræus in apoph. S. Igna. l. 2. IV. Inter Apophtegmata antiquorum Patrum hoc non minimum erat: Quocumque in loco conſederis, non te cito inde moveris, ſed in eo permane.

Senec. ep. 47. V. Habet hoc inter cætera boni mores, placent ſibi, & permanent: levis eſt malitia, ſæpe mutatur, ſed non in melius.

Idem ep. 120. VI. Maximum indicium malæ mentis eſt fluctuatio, hoc ergo a te exige, ut, qualem inſtitueris præſtare te, talem uſque ad exitum ſerves. Effice, ut poſſis laudari, ſin minus, ut agnoſci. De aliquo, quem vidiſti heri, merito dici poteſt: Hic quid eſt? Tanta mutatio eſt.

VII. Horatius juſtum, & conſtantem virum pulchre ſequentibus verſibus deſcribit: *L. 3. carm.*

Juſtum, & tenacem propoſiti virum,
Non Civium ardor parva jubentium,
Non vultus inſtantis Tyranni,
Mente quatit ſolida, neque Auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna manus Jovis;
Si fractus illabatur Orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

VIII. Ageſilaus cum audiſſet, maleficum quendam tormenta ſumma cum conſtantia ſuſtinuiſſe, dixiſſe fertur: Quam miſer eſt homo, qui conſtantiam in res tam flagitioſas, ac turpes collocat. *Plut. in Laco.*

IX. Zeno dicebat, facilius eſſe, utrem inflatum mergere, quam quemvis probum virum invitum ad aliquid agendum cogere; Nam invictus animus, rationis recte placitis conformatus, cedit nemini. *Polyanth. f. 247.*

X. Chilon dicere ſolebat, tarde quidem aggredienda eſſe omnia: Verum cum ſemel excepta ſunt, conſtantiſſime in agendo perſeverandum. *Sabb. S. de prud.*

XI. Quidam dixit: virtutes omnes profeſſas, & voti tenaces eſſe debere, alludens ad clauſtrum Monialium, quibus puellæ ſæculares ad tempus commorantur, & ſubinde evagantur, ipſæ autem Moniales ob profeſſionem conſtanter perſeverant. *Engelgr. in Do. 3. poſt Pent.*

XII. In veſtis Aaronicæ ora infima inter campanulas aureas mala punica purpureſcebant; Quæ quia inter fructus excellunt, merito virtutum præmia ſignificant, ſed non conferenda niſi iis, qui opus ad extremam fimbriam, ideſt, ad finem perduxerint. *Exod. 28. v. 33.*

XIII. Ante omnia hæc cura, ut conſtes tibi. Majus eſt, ut propoſita cuſtodias, quam ut honeſta proponas. Sed pleriſque vita per luſum agitur, judicia noſtra tantum prava, ſed & levia ſunt. Fluctuamus aliudque ex alio comprehendimus: petita relinquimus, relicta repetimus: alternæ inter cupiditatem noſtram, & pœnitentiam vices ſunt. Nemo proponit ſibi, quod velit, nec ſi propoſuit, perſeverat in eo, ſed tranſilit, nec tantum mutat, ſed reddit, & in ea, quæ deſeruit ac damnavit, revolvitur. *Senec. de otio. Cap. 6. 7. & ep. 20.*

XIV. Perſeverandum eſt, inquit idem Seneca, & aſſiduo ſtudio addendum robur, donec bona mens ſit, quod bona voluntas eſt. *Ep. 16.*

Neceſſitas.

XV. Petrus Aldobrandinus Cardinalis dicere ſolebat, perſeverantiam eſſe virtutum baculum, quo niſi nitantur, omnes corrunt. *Drex. in Triſmeg. l. 1. c. 2. §. 10.*

XVI. Pulchre ad perſeverantiam hortatur S. Cyprianus his verbis: Hortamur vos per communem fidem, per pectoris noſtri veram circa vos & ſimplicem charitatem, ut gloriam veſtram forti, & perſeveranti virtute teneatis. Adhuc in ſæculo ſumus, adhuc in acie conſtituti, de vita noſtra quotidie dimicamus: *L. 3. ep. 2.*

dan-

Digitized by Google

danda opera eſt, ut poſt hæc initia ad incrementa quoque veniatur, & conſummetur in vobis, quod jam rudimentis felicibus eſſe cœpiſtis. Parum eſt adipiſci aliquid potuiſſe; plus eſt, quod adeptum eſt, poſſe ſervare.

In hexam. l. 4. c. 8. XVII. Si te Lunæ contriſtat occaſus, inquit S. Ambroſius, quæ ſe ſemper reparat, ac reformat, multo magis contriſtare te debet, ſi anima profectu virtutis impleta cum fuerit, poſtea per incoſtantiam mentis atque incuriam a ſuo deflexa propoſito, ſtudia ſua ſæpe commutet, quod eſt inſipientiæ ac ſtultitiæ. Uode & Scriptura ait: Stoltus ut luna mutatur.

Fauſtus Regienſis ſol. 2. ad Monach. XVIII. Quid prodeſt, quod diſcedis, qui undique adſtrictus es vinculis paſſionum: Quin hinc atque illinc circomvallant vitia ſua? Digoe aliquis diſcederet, ſi eo ire poſſet, ubi enim Diabolus invenire non poſſet. Nemo ſe fallat: non fugiet Adverſarium de loco in locum, ſed de vitio ad virtutem, de paſſione ad emendationem, ſi eum fugias, ſequitur: Emenda te, & fugiet te, ſicut ait Apoſtolus. Reſiſtite Diabolo, & fugiet a vobis.

Utilitas.

Seneca ep. 65. XIX. In excelſo eſt beata vita, ſed perſeverantia penetrabilis.

Serm. 8. XX. O Fratres mei, inquit Sanctus Auguſtinus, non tædeat incipere magna, nec faſtidiat tenere inchoata, ſcientes, quod perſeverantia informat meritum, colorat boni propoſitum, remunerat currentem, coronat pugnantem, ducit ad bravium, cunctos conducit ad portum.

Ibid. XXI. Hæc (ſcilicet Perſeverantia) eſt virtus, quæ Deum ligat, quæ omne bonum informat, qua laureantur Martyres, qua Virgines coronantur, qua Sacerdotes ſublimaotur, & Confeſſores.

Dignitas.

S. Bern. ep. 129. XXII. Hoc ſummæ honeſtatis inſigne eſt, hanc totius probitatis unicam fidamque cuſtodem cuſtodiri a vobis firmiter hortor, & precor.

Chronol. Princ. & ſeries Imper. XXIII. Flavius Veſpaſianus dicere ſolebat, Imperatorem ſtantem mori oportere, ut ſignificaret, conſtantiam Imperatorum propriam eſſe virtutem.

Anonym. XXIV. Rupes alta in mari aſſurgens cum inſcriptione: nec flumine, nec fulmine, nec flamine: (intellige movetur) animi generoſi, & conſtantis ſymbolum eſt.

§. XV. AXIOMATA.

Digeſt. de inoff. teſtament. l. 14. I. VEtus Juriſtarum pronuntiatum eſt: Non ſufficit litem inſtituere, ſi non io ea perſeveres.

II. Operis victoria finis, ſeu, finis coronat opus.

Ovid. Metam. 6. III. Principium fervet, medium tepet, ultima frigent. Hoc, corrigit Perſeverantia faciens, ut rectius dicatur: Principium friget, medium tepet, ultima fervent.

Engelgr. Dom. 3. poſt. Pent. IV. Eodem modo illud Proverbiom: Mane pſalterium, meridie coovivium, veſperi convitium, & propudium: mutat in hoc: Mane principium, meridie convivium, veſperi delicium & gaudium.

V. Exitus acta probat.

§. XVI. AUTHORES.

I. THeophilus Bernardinus de Perſeverantiæ præſidiis.

II. Joaones Buſæus in Panario V. Inconſtantia.

III. Jeremias Drexelius in Roſis Marianis, p. 1. c. 15.

IV. Euſebius Nierembergius in l. de adoratione in Spiritu, & veritate l. 3. c. 7. Item in doctrinis Aſceticis l. 2. doctr. 6. c. 4.

V. Petrus Sanchez in regno Dei, p. 7. c. 9.

VI. Jacobus Alvarez tom. 2. l. 3. p. 2. c. 9. §. 7.

VII. Hieronymus Platus de bono ſtatus religioſi l. 3. c. 32.

VIII. Lucas Pinellus de perfect. l. 3. c. 12.

IX. Bernardin. Roſignolius de diſcipl. l. 4. c. 32.

X. Henr. Engelgr. conc. in Dom. 3. poſt Pent.

XI. Joſephos Manſi Bibl. moral. l. 21. tr. 80.

XII. Joanoes Rho virtut. var. l. 6. c. 7.

TITULUS CXVII.

PIETAS ERGA PARENTES.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I. EST virtus, qua iis, qui ortus & educationis noſtræ principium ſunt, debitum cultum tribuimus. Unde hæc virtus parentes quidem primario, ſecundario tamen etiam ad Patriam, fratres, alioſque ſanguioe conjunctos ſe extendit. *S. Aug. l. 10. 19. c. 1.*

Diviſio.

II. Dividi poteſt in pietatem erga parentes *carnales*, & *ſpirituales*, quorum illi vitæ temporalis, hi ſpiritualis vitæ authores ſunt, dum vel ex baptiſmo nos ſuſceperuot, vel in rebus ad fidem Chriſtianam pertinentibus inſtruxerunt, vel alio modo ad ſalutem noſtram cooperati ſunt. *Feirlinck to. 6. fol. 348.*

Actus.

III. *Non erubeſcere conditionem parentum*; uti recte S. Ambroſius ait, etſi pauper eſt (Pater) & non habet divitiarum copias, quas relinqoat filiis; habet tamen ultimæ benedictionis hæreditatem, quas ſanctificatiooum opes ſucceſſoribus largiatur. Et multo plus eſt, beatum, quam divitem fieri; ideoque, & Jacob feſtinabat ab Iſaac ſumere benedictionem. Hanc conditionem filiorum Benedictus Pontifex diligenter obſervavit, dum matrem ſuam pretioſis veſtibus indutam in conſpectum *S. Ambr. l. de bened. Patriarc.*

Digitized by Google

ctum admittere noluit, niſi vilioribus ſtatum ſuum humilem decentibus indueretur.

S. Hieron. in verba illa. Honora Patrem. IV. *Eoſdem honorare*; nam, teſte S. Hieronymo, primus gradus pietatis eſt, ut, quos Authores tibi voluit eſſe Deus, honores obſequiis, abſtineas contumeliis, ſed nec vultu lædenda eſt pietas parentum. Meretur cæcitatis ſubire ſupplicium, qui parentum vultus torvo viſu deſpexerit.

Levit. 19. v. 3. V. *Eos timere*; quemadmodum ipſe Deus præcepit: Unuſquiſque patrem ſuum, & matrem ſuam timeat.

In Pſal. 118. VI. *Etiam amare illos;* nam ita ipſa lex naturæ jubet, teſte S. Ambroſio, quæ omnibus animantibus tenerum erga parentes ſuos amorem indidit.

Epheſ. 6. v. 1. VII. *Obedientia debitam illis præſtare*; ita enim Apoſtolus præcepit dicens: Filii, obedite parentibus veſtris in Domino, hoc enim juſtum eſt.

Lib. de hon. Parent. VIII. *Victum, aliaque neceſſaria ſi his indiguerint, ſubminiſtrare;* ut S. Hieronymus monet: Fauces tuæ necdum lacteum perdiderunt ſaporem, quem tibi pia mater infundens, linguam tuam pavit potu corporis ſui; impende patri, matrique ſervitium, qui numquam tuos vagitus horrentes totum in te lambebant oſculis corpus. Aliam hujus obſequii rationem aſſignat S. Ambroſius, dum ait: O Fili, quantum tibi ſumes judicium, ſi non paſcas parentem? Illi debes, quod habes, cui debes, quod es. Si non propter gratiam, & ſalutem, propter verecundiam paſce.

IX. *Periculo eripere*: Sicut Æneas fecit, patrem ſuum ex incendio Trojano eripiens, ut Virgilius teſtatur ſic loquentem introducens:

Mene efferre pedem, Genitor, te poſſe relicto
Speraſti, tantumque nefas patrio excidit ore?
Alterum in alterius mactatos ſanguine cernant.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Prov. 23. v. 22. I. AUdi patrem tuum, qui genuit te: & ne contemnas, cum ſenuerit mater tua.

Eccleſ. 3. v. 8. II. Qui timet Dominum, honorat parentes, & quaſi dominis ſerviet his, qui ſe genuerunt.

Ib. v. 9. III. In opere, & ſermone, & omni patientia honora patrem tuum.

Ib. v. 14. IV. Fili, ſuſcipe ſenectam patris tui, non contriſtes eum in vita illius, & ſi defecerit ſenſus, veniam da, & ne ſpernes eum in virtute tua eleemoſyna enim patris non erit in oblivione.

Neceſſitas.

1. Tim. 5. v. 8. V. Si quis ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.

Eccl. 3. VI. Quam malæ famæ eſt, qui derelinquit patrem, & eſt maledictus a Deo, qui exaſperat matrem.

Exod. 21. v. 15. VII. Qui percuſſerit patrem ſuum aut matrem morte moriatur. Qui maledixerit patri ſuo, vel matri, morte moriatur.

VIII. Maledictus, qui non honorat patrem ſuum, & matrem: & dicet omnis populus, Amen. *Deut. 27. v. 16.*

IX. Oculum, qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ. *Prov. 30. v. 17.*

Æquitas.

X. Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ: Memor enim eſſe debes, quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te in utero ſuo. *Tob. 4. v. 3.*

XI. Filii obedite parentibus veſtris in Domino, hoc enim juſtus eſt. *Epheſ. 6. v. 1.*

XII. Filii obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum eſt in Domino. *Coloſſ. 3. v. 20.*

XIII. Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviſcaris. Memento, quoniam niſi per illos natus non fuiſſes, & retribue illis, quomodo & illi tibi. *Eccleſ. 7. v. 29.*

Utilitas.

XIV. Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram. *Exod. 20. v. 12.*

XV. Honora patrem tuum, & matrem tuam, ſicut precepit tibi Dominus Deus tuus, ut longo vivas tempore, & bene ſit tibi. *Deut. 5. v. 16.*

XVI. Audi, fili mi, diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. *Prov. 1. v. 8.*

XVII. Qui honorat patrem ſuum, jucundabitur in filiis, & in die orationis ſuæ exaudietur. *Eccleſ. 3. v. 6.*

XVIII. Sicut qui theſaurizat, ita & qui honorificat matrem ſuam. *Ib. v. 5.*

XIX. Honora patrem tuum, ut ſuperveniat tibi benedictio illius, & in noviſſimo maneat. *Ib. v. 10.*

§. III. EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. CHriſtianorum eſt prima pietas, honorare parentes, & labores educationis rependere, atque omni ſtudio quæcumque ad eorum quietem pertinent, curare. *S. Cyrill. Hier. catech. 7.*

II. Amandus eſt Genitor, at præponendus Creator. Hoc audivimus in Canticis Canticorum: ordinate in me charitatem; ideſt, facite gradus & cuique, quod debetur reſtituite. Nolite anteriora poſterioribus ſubdere: amate parentes, ſed præponite Deum parentibus. *S. Aug. ſer. 7. de verb. Do.*

III. Honora patrem tuum, ſed ſi te a vero patre non ſeparat. Tamdiu ſcito ſanguinis copulam, quamdiu ille ſuum noverit Creatorem. Alioquin David protinus tibi dicet: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum. *S. Hier. ep. 10. ad Furium.*

IV. Ordinate in me charitatem. Rectus ordo eſt, poſt Deum amare patrem & amicos. Si tamen neceſſitas venit, ut utrumque ſervari non poſſit, odium in ſuos, pietas eſt in Deum. *Idem in Cant.*

V. Primus gradus pietatis eſt, ut quos authores tibi voluit eſſe Deus, honores obſequiis, *Ambr. ſup. Matt.*

Digitized by Google

quiis, abſtineas contumeliis, nec vultu lædenda eſt pietas parentum.

Chryſoſt. ſup. Joan. hom. 24. VI. Parentum cura habenda eſt ad ultimum uſque ſpiritum.

Greg. in Evang. VII. Diligamus illos, qui nobis cognatione conjuncti ſunt, & quos proximos novimus, digamus, & quos adverſarios in via Dei compatimur, odiendo & fugiendo neſciamus.

Hier. in Matth. VIII. Meretur cæcitatis ſuæ ſubire ſupplicium, qui parentum vultus torvo viſu deſpexerit, & elatis oculis læſerit pietatem.

Æquitas.

S. Ambr. lib. 9. in Luc. c. 7. IX. Honora tuos parentes, quia Dei Filius ſuos honoravit: Legiſti enim, & erat ſubditus illis. Si Deus ſervulis, quidni tu parentibus? Honoravit igitur Joſeph & Mariam Chriſtus non naturæ debito, ſed pietatis officio: Honora ergo & tu parentes.

S. Ambr. lib. 8. in Luc. c. 3. X. Diſce, quid parentibus debeas tuis. Tu matris debes pudoris injuriam, virginitatis diſpendium, partus periculum, matri longa faſtidia, diſcrimina, cui miſeræ in ipſis votorum fructibus majus periculum eſt, & cum ediderit, quod optavit, partu abſolvitur, non timore. Quid anxios patres loquar pro filiorum profectu multiplicatos alienis uſibus cenſus, jactaque Agricolæ ſemina, poſterorum ætatibus profutura.

Id. l. 8. c. 17. XI. Paſce matrem tuam. Etſi paveris matrem, adhuc noo reddidiſti dolores? Non reddidiſti cruciatus, quos pro te paſſa eſt: non reddidiſti obſequia, quibus illa te geſtavit: non reddidiſti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris ſuis ubera: non reddidiſti famem, quam illa pro te tolleravit, ne quid, quod tibi noxium eſſet, ederet, ne quid, quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa jejunavit, tibi manducavit, tibi illa, quem voluit, cibum non accepit: tibi quem noluit, cibum ſumpſit, tibi vigilavit, tibi flevit, & tu illam egere pateris?

Utilitas.

S. Cyrill. Alex. l. 4. in Gen. XII. Qui rectam viam ſequi voluerint, mirum in modum proficient: ſi didicerint, nullam rem excellentiorem fore, quam pietatem filiorum, obſervantiamque in ſuos parentes, ideo dixit: Honora patrem tuum, & matrem, tuam, ut bene ſit tibi. Parentes enim imaginem Dei quodammodo geruot.

§. IV. EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Pietas exercita.

Luc. 2. v. 51. I. CHriſtus ſubditus erat parentibus ſuis uſque ad trigeſimum annum, ideoque ætate, ſapientia, & gratia profecit coram Deo & hominibus.

Pedag. Chriſt. p. 2. cap. 6. §. 3. n. 3. II. Thomas Morus Angliæ Primas flexis genibus a patre ſuo benedictionem ſolitus eſt petere.

Faber. p. 1. conc. 3. in feſto III. Alphonſus Aragonum Rex patri Ferdinando obviam progreſſus, equo deſiliit, ac pedibus eum comitabatur; monenti autem patri, ut procerum more equo conſcenſo adequitaret, reſpondit: Aliis liberum ſit agere, quod voluerint. Ego nunquam adducar, quin Regem & eum ægrotum pedibus ſequar. *S. Nicol. n. 8.*

IV. Salomon Rex venienti ad ſe matri ſuæ ſurrexit in occurſum ejus, adoravitque eam, & ſedit ſuper thronum ſuum, poſituſque eſt thronus matris Regis, quæ ſedit ad dexteram ejus. *3. Reg. 2. v. 19.*

V. Joſeph Patriarcha videns patrem ſuum mortuum ruit ſuper faciem ejus, flens & deoſculans eum. Præcepitque ſervis ſuis, & medicis, ut aromatibus condirent patrem. Et celebravit exequias planctu magno, ac vehementi ſeptem diebus. *Gen. 50. v. 1. 10.*

VI. Rex Britaniæ, nomine Leyr partiturus regnum ſuum inter tres filias, quærebat ex ſingulis, quantum ipſum diligerent. Reſpondentibus primis duabus, ſeipſum diligere, plus quam animas ſuas, tertia dixit, ſe diligere eum ut patrem, addiditque, quantum habes, tantum vales, tantumque te diligo. Ob quod dictum iratus pater ipſam exhæreditavit, reliquis duabus regnum diviſit. Quæ tamen ſceneſcentem patrem maritorum opera regno ſpoliarunt; ad eam vero, quam exhæreditaverat, Regni Franciæ nuptam confugiens dixit: O filia, quam vere mihi dixiſti: Quantum habes, tantum vales, tantumque te diligo. Dum enim habui, quod darem, multum valui apud ſorores tuas: tunc vero cum nihil habeam, nihil prorſus valeo. Itaque a filia ſua receptus, & benigne habitus, iterumque regno reſtitutus eſt. Vide. *Plura in Appendice, quorum ſeriem index dabit.* *Fab. conc. 8. in Paraſcev. §. 10.*

VII. Conſtantinus Imperator, tanti habuit Helenam matrem ſuam, ut poteſtatem ei faceret regiis theſauris utendi pro ſuo arbitratu, utque civitates duas matris nomine ad ſempiternam ejus memoriam inſigniret; defunctam etiam honoribus maximis proſequens, ac eidem ſtatuam publice inſtituens, quæ Svida teſte Auguſtæum nuncupata eſt. *Ruffinus l. 10. Hiſt. Eccleſ. 7. & 8.*

VIII. Civis Toletanus quidam, cujus pater faber aurarius a Petro primo Rege Caſtellonis ob falſas ſuſpiciones morte damnatus erat, amore erga patrem compulſus, lacrymis precibuſque agere non deſtitit, ut ſervato patre ipſo pro eo occideretur. Quod aſſecutus vitam amiſit, ut in vita ſervaret eum, a quo ipſe per genituram acceperat vitam, tanto omnibus aliis in hac charitatis laude præferendus, quanto aliis rebus omnibus vita charior eſt. *Fulgoſ. l. 5. c. 4.*

IX. De Joſepho legitur, quod patrem una cum filiis & nepotibus ſuis in Ægyptum vocaverit, & magno cum honore lætitia & amplexibus eos ſuſceperit, & tempore famis ſuſtinuerit. *Gen. 45. 46. & 47.*

X. David cum Regis Saulis furorem fugiens incertis vagaretur ſedibus, parentes ſuos Regi Moabitarum commendavit. *1. Reg. 22.*

XI. Tobias Tobiæ filius, ut paternæ cæcitati remedium quæreret puer adbuc, omniumque rerum ignarus domo peregre profectus, cæleſtem meruit ducem ſortiri, cujus ducta felix exitu, felicior reditu puer præſentiſſimum *Tob. 12.*

Digitized by Google

mum attulit patri remedinm, eumque ſenem manuum ſuarum labore ſuſtinuit.

Fab. tom. 4. in feſto S. Nicol. n. 2. XII. Philippus Romanorum Principum primus fidei ſectator patrem ſuum adeo reverenter habuit, ut in Imperium ſe conſentiente evectus gloriaretur ſe patrem habere, cui poſſet obedire non tantum ut filius, ſed etiam ut Imperator.

Ibid. XIII. Quædam filia, Calviniſtis in Gallia graſſantibus, & ingentem ſtragem edentibus per media cadavera irruit, & patrem quæſivit, inventumque adhuc ſpirantem humeris extulit & curavit.

Sabell. l. 3. c. 5. XIV. Childebertus & Clotarius fratres regia Francorum ſtirpe orti, atque ipſi Reges, cum de regni poſſeſſione armis diſceptarent, eſſentque acie dimicaturi, Clothildis matris interventu, ferrum inhibuere, maternis precibus & lacrymis moti: inde non ſolum prælio abſtinuerunt, ſed concordes facti mutuo ſe complexi ſunt.

Pietas male neglecta, & punita.

Gen. 9. v. 22. & 25. XV. Cham, quia debitam patri reverentiam neglexit, & nuditatem illius fratribus manifeſtavit, cum tota poſteritate maledictus eſt.

Geneſ. 26. v. 34. XVI. Eſau contra parentum voluntatem uxores ſecutus alienigenas, primogeniti benedictione ſpoliatur, & natu minori Jacob tamquam ſervus ſubjicitur.

Ib. 27. v. 41. & 40. XVII. Rebellis Abſalom impia in patrem Davidem arma movere auſus, tribus lanceis ex arbore ſuomet crine ſuſpenſus transfoditur.

2. Reg 18. v. 9. 14. XVIII. Carolus Ludovici Germaniæ Regis natu minor filius celebri Epiſcoporum, & Nobilium Francofurti conſeſſu a Dæmone poſſeſſus eſt, quod adverſus patrem rebellaſſet. Ita ipſemet deinde liberatus a Dæmone faſſus eſt, addiditque, toties ſe maligno iſto hoſte correptum fuiſſe, quoties impia illa ſtudia animo verſaſſet.

Baron. an. 873. tt. 2. ſer. 27. Do. 2. Quadr. XIX. S. Bernardinus refert, adoleſcentem octodecim annorum in patibulum actum, derepente capillo, & barba cana viſum eſſe, Deumqne hoc prodigio docuiſſe, ad quam ætatem perveniſſet hic adoleſcens, ſi morigerum ſe parentibus præbuiſſet.

Pedag. Chriſt. p. 2. cap. 6. S. 1. n. 8. XX. De alio narrat S. Bonaventura, & alii, quod cum coram patre prandere cum ipſo volente caponem abſcondiſſet, hunc, ubi pater diſceſſit, recipere volens in horridum bufonem converſum viderit, qui ex lance in faciem inſiliens, totam a mente in frontem occupavit, nec ante mortem avelli potuit. Quin & ſi qua parte bufoni moleſtia afferebatur, eadem ipſe in ſimili corporis parte ſentiebat. Unde juſſus ab Epiſcopo per Provinciam circuire, ut omnes ejus exemplo ſaperent.

Ib. n. 10. XXI. In Friſia quidam a filio ſuo male tractatus, & per domum raptatus cum ad limen domus perveniſſet, dixit: Satis nunc eſt, fili, nam & ego hucuſque tantum patrem meum, & avum tuum crinibus traxi.

Ib. n. 11. XXII. Servus quidam, cum Dominum ſuum eques ſecutus fuiſſet, & pecuniam, quam ille perdiderat, non advertiſſet, ab eodem irato pede truncatus, facta confeſſione intellexit ab Angelo, hanc pœnam a Deo immiſſam in caſtigationem culpæ, quam admiſiſſet, eo pede quondam ſuam matrem indigne ex curru deturbando. Vide. *Plura in Appendice.*

Pietas laudabiliter intermiſſa.

XXIII. S. Franciſcus cum a patre coram Epiſcopo urgeretur, ut bonis cederet, veſtem exuit, eaque projecta ante Patrem dixit: Hucuſque te patrem judicavi in terris, amodo ſecure dicere poſſum: Pater noſter, qui es in cælis, apud quem omnes theſauros repoſui. *S. Bon. in vit. c. 2.*

XXIV. Nivardus S. Bernardi Frater, etſi omnibus Fratribus cum Bernardo Fratre ad Religionem abeuntibus; ex aſſe hæres a parentibus ſcriptus, atque adeo ad manendum in domo paterna incitatus fuerit, generoſe tamen conditionem reſpuit, iniquum dicens: Si Fratres cælo rapto ſibi terram relinquant. *In vit. S. Bern. l. 1. c. 3.*

XXV. S. Baſilius etſi multis lacrymis, & lamentis eum mater a propoſito vitæ Monaſticæ arripiendæ deterreret, neutiquam tamen a propoſito ut diſcederet, emolliri atque moveri potuit, ut de ipſo S. Chriſoſtomus narrat. *S. Baſil. l. de ſal. docum. 104.*

XXVI. Albertus Falchenbergenſis Comitis filius & Regi Galliæ affinitate conjunctus, Ordinem Prædicatorum ingreſſus, cum a Theodorico conſobrino variis argumentis, & præcipue commemoratione materni doloris, ex quo aut jam obiiſſe, aut brevi obitura credebatur, ad redditum impuliſſet, Albertus oculos, ac digitum in tabulam, quæ ex adverſo pendebat, & Chriſtum inter B. Virginem & S. Joannem in cruce pendentem repræſentabat, intendens dixit: En Dei Filius, cum matrem, & conſobrinum, utrumque ſibi tam charum, doloris gladio confoſſum videret, tamen e Crucis patibulo, quod facile poterat, deſcendere noluit, ſed in ea cum ſuo, & illorum cruciatu uſque ad mortem permanſit. Quare nec ego quidem hanc religioſæ vitæ crucem, quam ſemel conſcendi, deſeram unquam, quamvis matrem, quam narras, & te conſobrinum ad pedes meos exanimes jacere videam. Quin potius tu quoque in hanc eandem crucem mecum conſcendis, teque Mundi hujus laqueis expedis, in quibus hæres cum tanto periculo? Qua oratione motus Theodoricus, idem inſtitutum ſecutus eſt. *Hiſ. Plat. de bo. ſtat. Rel. l. 2. c. 34.*

§. V. EXEMPLA DOMESTICA.

Affectus erga parentes, & conſanguineos depoſiti.

I. S. Ignatius, dum ei inter orandum litteræ e Patria redduntur, eas mox ne apertas quidem in caminum ardentem conjecit. Idem in Epiſtola ad Ducem Najanæ ſcripſit: Poſſum tibi omni aſſervatione affirmare, totos decem undecimve annos ad nullum ex Loyolea familia ne litteram quidem me ſcri- *Vit. l. 2. c. 1.*

ſcripſiſſe, perſuaſi enim mihi, cum ſæculo univerſo nuntium miſi, illam quoque propter Chriſtum me ſemel reliquiſſe, neque debere eam repetere.

Hiſt. Soc. p. 2. l. 2. n. 91. II. S. Franciſcus Xaverius in Indiam proficiſcens perſuaderi non potuit, ut modico diverticulo Patriam reviſeret.

Vita. III. B. Aloyſius de propinquis adeo curam ex animo depoſuerat, ut eos omnino ex memoria deleviſſe putaretur. Unde ipſemet faſſus eſt, eos numquam ſibi in memoriam venire, niſi cum ſingulariter eos Deo commendaret.

Vita l. 1. c. 6. IV. S. Franciſcus Borgia poſtquam a Deo vocatus eſt, nihil antiquius habuit, quam oblivíſci populum ſuum, & domum patris ſui. Imo ne in ſermone quidem deprehendi cognatorum affiniumque ullum amorem paſſus eſt. Litteris ea de re ab Antonio Araozio Roma miſſis reſpondit: Meos equidem amare non deſii, Deumque quotidie venerans precor, ſalvos incolumeſque eſſe jubeat. Et forſitan gratior Deo precatio, quæ quam minimum carnis, & ſanguinis habet admiſtum. Pereat ille amor, ut vivat, quem quæro, cæleſtis. Audita morte Iſabellæ filiæ inſperato extinctæ dixit: Depoſitum acceperam, repetiit Dominus. Reddamus itaque quod par eſt, alacriter: Quodque tandiu uſuram ejus dederit, grati teſtationem animi debemus. Igitur non lugendum, præſertim cum his vitæ miſeriis, & corporis vinculis ſoluta emerſerit, & in Beatorum ſedes Dei clementia, ut ſpero, & opto, commigrarit.

Hiſt. Soc. p. 1. l. 3. n. 66. V. P. Petrus Faber ex Hiſpania in Germaniam proficiſcens, ſuam ipſe Patriam in conſpectu poſitam, & prope quam tenendum erat iter, ne quidem ſpe lucri animarum, a religioſa ſeveritate deflectens, averſis oculis miſſam fecit.

Ait. p. 2. fol. 44. VI. Joannes Berchman audita patris morte, jam verius, ajebat, dicam » Pater noſter, qui es in cælis: de reliquo nihil commotus.

An. Pro. v. Euſ. Col. Ebo. 1608. VII. P. Antonius Pinnas cum aliquando e noſtris unus aliunde veniens, nomine Fratris ejus Germani eum ſalutaſſet, & quædam etiam mandata ſollicite dediſſet, quid hoc rei eſt? Ajebat, adhuc mihi unus Frater? Adhuc, ait hoſpes, imo valet, ac viget, ac plurimam tibi ſalutem dicit. Hic Pater ſubridens ait: Ejus epiſtolam adhinc tres annos accepi, quam etiamnum obligatam ſervo, & pro attramentarii operculo commode utor.

Vita c. 4. VIII. P. Baltaſſar Alvarez affectum erga conſanguineos adeo mortificatum habuit, ac ſi nec patrem, nec matrem, nec cognatos haberet. Numquam ab eo audiebantur, unde eſſet, aut quos haberet cognatos, nec in eorum negotia ſe ingerebat. Cum Romam proficiſceretur, licet tribus tantum miliaribus a Patria diſtaret, noluit tamen eo divertere, aut nullo indicio ad ſe accerſere. Nihil ab eis volebat accipere. Dicebat, Religioſum debere eſſe quaſi Melchiſedech ſine patre, & matre.

Vita l. 1. c. 8. IX. P. Gonzalus Sylveira a conſanguineis ad domum invitatus, reſpondit, ſe humanum amorem qui ſenſu magis, quam ratione percipitur, perfectiori jam charitate permutaſſe, nullius apud ſe pretii eſſe ullum ſanguinem præter eum, qui redemptionis humanæ pretium fuit, a quo in ara crucis effuſo a peccatis ablutus, & a Dæmone vindicatus eſſet, eo ſe quotidie ali, dum Sacra peragit myſteria, indeque effectum, ut modo quodam mirabili Chriſti conſanguineus ſit: turpe autem ſibi videri, ut, qui tali propinquitatis vinculo cum Deo ipſo conjunctus eſt, ullam præterea in humanis curandam putet conſanguinitatem.

X. P. Franciſcus Pavonus amorem conſanguineorum ita exuerat, ut ne parentem quidem ſuum, ex quo Societatem ingreſſus eſt, aut viſerit, aut allocutus ſit, præterquam cum ex Provincialis imperio bene ſibi ab eo precari poſtulavit. *Biblioth. Scriptor. Soc.*

§. VI. EXEMPLA PROFANA.

I. CUM mater quædam capitali crimine damnata, Triumviro in carcere ſtrangulanda tradita eſſet, cuſtos carceris vero non ſtatim ſtrangulare, ſed inedia conficere decreviſſet; interea vero filiam diligenter excuſſam, ne quid cibi aut potus inferret, in carcerem ſolatii cauſa admiſiſſet, hæc aliquot diebus uberum ſuorum lacte comperta eſt ſuſtentaſſe; unde Senatus tanta pietate commotus, vitam matri, matrem filiæ dedit, & utrique perpetuam alimoniam aſſignavit, ipſum vero locum Pietati templo exſtructo conſecravit. *Val. Max. l. 5 c. 4.*

II. Lyparis adoleſcens Neapolim profectus eſt, ut patrem e prædonum manibus liberaret: itaque in ſervitutem ſe dedit, patreque libertati reſtituto, ipſe remo addictus in prædonum poteſtate permanſit. *Jovian. Pontius l. 2. c. 4. de obed.*

III. Scythæ olim cedebant Dario Regi eorum regionem vaſtanti uſque ad ultimas Aſiæ ſolitudines. Interroganti deinde ab eo per Legatos, quem tandem fugiendi finem, aut quod pugnandi initium facturi eſſent? Reſponderunt, ſe neque urbes, neque agros, pro quibus dimicent, habere; cæterum cum ad parentum ſuorum monumenta devenirent, ſciturum demum quomodo Scythæ pugnare conſueviſſent. *Herodotus l. 4.*

IV. Decii Imperatoris filius, cum pater eum Regem nominare, & diademate inſignire vellet, renuit dicens. Vereor ne ſi Imperator fiam, dediſcam eſſe filius. Malo non eſſe Imperator, ſed humilis filius, quam Imperator, & filius indevotus. *Ibid. ex Pet. Bleſ. ep. 4.*

V. Cornelius Scipio patrem luminibus orbatum Scipionis inſtar regebat. Unde Scipionis cognomentum ſibi, & toti familiæ acquiſivit. *Id. n. 3. ex Chev. de prud. l. 1. c. 10.*

VI. Quintus Cicero Marci Ciceronis fratris filius patrem ad necem quæſitum occului, nec ullis tormentis ad eum prodendum compelli potuit. *Ibid. ex Dice. l. 47.*

VII. Atys filius Craſi, cum eſſet natura mutus, ubi tamen vidit hoſtilem gladium paterno jugulo imminentem, ſolutus dentium clauſtris prorupit in verba, quibus docuit affectum animi ſui. *Val. Max. l. 5. c. 4.*

VIII. Coriolanus cum a Romanis inique damnatus ad Volſcos deſciviſſet, & ab his in Du- *Ibid.*

Digitized by Google

cem electus Romanam Urbem oppugnaſſet, Romani deſperata defenſione Veturiam matrem, & Voluminam uxorem ac liberos ejus in caſtra miſerunt, veniam precaturos, quorum precibus ita permotus eſt, ut exercitum ab Urbe abduxerit, atque ab obſidione liberarit.

§. VII. SIMILITUDINES.

Qualitas.

Anonym. I. SIcut, quo fortius connexa ſunt duo vincula, tanto difficilius ſeparantur; ita quo magis per vinculum cognationis adſtricti ſunt filii parentibus, tanto magis iiſdem per amorem adhærere debent.

Idem. II. Sicut is, cui multum datum eſt, ad multa reddenda obligatur; ita cum nemo plus dederit, quam parentes, haud dubie etiam illis major reverentia, amor & obſequium debetur.

Idem. III. Sicut ciconiæ decrepitos parentes humeris ſuis ab uno loco ad alium portant; ita parentum quiſque ſuorum onera, & imperfectiones magna cum charitate in ſe ſuſcipere, ferreque debet.

Idem. IV. Sicut catuli, & pulli parentes ſuos, quocumque præcedant, ſequuntur; ita veros filios laudabilia parentum ſuorum veſtigia præclare æmulari decet.

Neceſſitas.

Idem. V. Sicut is, qui viæ ignarus ducem non eligit, aut ſequi recuſat, graviter erret, neceſſe eſt; ita felicem vitæ ſuæ progreſſum fruſtra ſperant filii, qui parentum ſuorum ductum ſequi recuſant.

Idem. VI. Sicut pomum ab arbore ſeparatum, putredine obnoxium, exitioque proximum eſt; ita liberi, qui Genitoribus velut arboribus ſuis per amorem conjuncti non manent, non longe abſunt a perditionis periculo.

Utilitas.

VII. Sicut palmites conjuncti viti multum,
Joan. 15. & pretioſum fructum afferunt; ita liberi per amorem & obedientiam bene uniti parentibus multum fructum producent, atque ætate, ſapientia, gratia coram Deo & hominibus, ſicut olim Chriſtus parentibus ſubditus, proficient.

Anonym. VIII. Sicut pullis ex omni capite melius proſpectum eſt, ſi gallinæ ſollicitudini curæque ſe committant, quam ſi proprio conatu arbitrioque vivere, alereque ſe vellent; ita liberi numquam commodum ſuum melius promovebunt, quam ſi parentibus ſuis totos ſe regendos, alendoſque committant.

Jucunditas.

IX. Sicut artificem nihil magis recreat, quam ſi opus undequaque perfectum produxiſſe ſe advertat; ita & parentes nulla majori voluptate afficiuntur, quam ſi filios omnibus numeris abſolutos genuiſſe ſe advertant, juxta illud
Prov. 10. v. 1. Salomonis: Filius ſapiens lætificat patrem: Filius vero ſtultus mæſtitia eſt matris ſuæ.

X. Sicut agricola vehementer exultat, ubi genoroſos fructus ex arbore legit, quam ſuis ipſe manibus conſevit, magnaque cura produxit; ita parentes ſummum percipiunt gaudium, cum optimos mores, vident liberorum, quos ipſi genuerunt, tantaque ſollicitudine educarunt. *Polit. l. 6. Epiſt.*

§. VIII. MOTIVA.

I. PRæceptum naturæ: Uti colligitur ex omnium brutorum, præcipue vero ovium inſtinctu, quæ vel ex mille aliis omnino ſimilibus matrem ſuam agnoſcunt, & ſequuntur. *Deuter. 5. v. 6.*

II. *Præceptum Dei*: Juxta illud Deuteronomii: Honora patrem tuum, & matrem tuam, ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus. *Eccl. 7. v. 29.*

III. *Æquitas*: Quam Salomon indicavit dicens: Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviſcaris. Memento, quoniam niſi per illos natus non fuiſſes. Et Tobias: Memor enim eſſe debes, quæ & quanta pro te ſit paſſa in utero ſuo. *Tob. 4. v. 3.*

IV. *Utilitas*: Quam Deus per Moyſen promiſit, dum præcepto ſupra citato addidit: Ut longo vivas tempore, ut bene ſit tibi. *Deut. 5. v. 16.*

V. *Neceſſitas*: Ob metum pœnarum, hanc virtutem negligentibus decretarum: Si enim jam olim in veteri lege præcepit Deus, ut filius protervus, & contumax, commeſſationibuſque ac luxuriæ vacans lapidibus obruatur; quanto magis in lege gratiæ, ubi, ſicut major parentum erga filios cura exigitur, ita major quoque ab his reverentia, & amor expectatur, degenerum, & protervorum filiorum contumacia plectetur. *Deut. 21. v. 18.*

§. IX. MEDIA.

I. E*Xemplum Chriſti frequenter conſiderare*: Qui, cum tantus eſſet, tantam reverentiam, amorem, & obedientiam, tanto tempore, nempe triginta annorum ſpatio exhibuit. *Luc. 2. v. 51.*

II. *Exemplum Ethnicorum §. 7. allata perpendere*: Ut vel ſic erubeſcamus, quod filii hujus ſæculi (& tenebrarum) prudentiores (& parentum amantiores) ſint filiis lucis. *Luc. 16 v. 8.*

III. *Exempla brutorum ſæpe ob oculos objicere*: Quibus etſi natura denegavit rationem, non tamen denegavit pietatem, teſte S. Chryſoſtomo. *S. Chryſ. hom. de Abſal.*

IV. *Beneficia a parentibus accepta crebro ponderare*: Sic enim excitabimur ad illud Siracidis monitum implendum: Retribue illis, quomodo & illi tibi. *Eccl. 7. v. 30.*

V. *Exempla filiorum ob pietatis officia neglecta caſtigatorum, diligenter conſiderare*: Ut vel eorum damno ſapientes, ad debitum parentibus honorem atque amorem exhibendum compellamur. Ideo namque Deus Abſalonem in alta arbore pendere, & perire voluit, ut tam tragicum exemplum facilius caderet in oculos illorum, qui ſimilem ipſi protervíam irreverentiamque committere non verentur. *2. Reg. 18. v. 9.*

§. X. ASCETICA.

I. TRia ſunt præcipue, quæ circa hanc virtutem bene apprehendere, aliiſque incul-

Digitized by Google

culcare debet Aſceta. Primum eſt, ut bene ſciat & doceat, quæ officia filii debeant parentibus, quæ quidem omnia ad tria fere revocari poſſunt. Scilicet *ad amorem*: Ad quem ſpectat, eos magni eſtimare, & revereri (ideſt, non lædere vel minima ratione,) ac honorare tam verbis, quam factis. 2. *Ad obedientiam:* Ad quam ſpectat, ut illorum non tantum imperia, ſed nutus etiam, & conſilia inquirantur, & impleantur. 3. *Ad ſubventionem*: Sive in victu, ſi opus eſt, ſubminiſtrando: ſive in periculis hoſtibuſque avertendis: ſive in auxiliis pro morte feliciter obeunda, ſupplicioque Purgatorii devitando præſtandis.

II. Alterum eſt, ut bene cognoſcat, quando, & cur non obediendum ſit parentibus, *S. Hier. ep. 10.* nimirum juxta regulam a S. Hieronymo indicatam, dum dixit: Honora patrem tuum, ſed ſi te a vero patre non ſeparat; tamdiu ſcito ſanguinis copulam, quandiu ille ſuum noverit Creatorem. In hoc ergo caſu non eſſe parentibus obediendum, cum communi Theologorum ſententia docet. S. Thom. idque ob *2. 2. q. 104. art. ult.* triplicem rationem. 1. Quia, & ipſe etiam Ariſtoteles, aliique Etnici agnoverunt, in iis, quæ ad corporis naturam pertinent, omnes homines pares, nec quiſquam altero ſuperior aut inferior eſt. 2. Quia, cum paternum jus ſit participatio authoritatis a Deo, a quo eſt omnis paternitas, merito Deo potius, tamquam ſupremo Domino, quam parenti tamquam Vicario obediendum eſt. Hinc pulchre S. Bernardus, ſola, inquit, cauſa, qua non *S. Bern. ep. 111.* liceat obedire parentibus, Deus eſt. Ipſe enim dicit: Qui amat patrem, & matrem pluſquam me, non eſt me dignus. 3. Quia a Deo infinities plus, quam a parentibus accepimus, nempe corpus, & animam, cum tamen ab his nec ipſum corpus ſine Dei opera accepiſſemus, uti Job indicavit dicens: Nonne ſicut *Job 10. v. 10.* lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti, oſſibus, & nervis compegiſti me, & viſitatio tua cuſtodivit ſpiritum meum? Unde merito S. Hieronym. dicebat: Non es ejus, *S. Hier. epiſt. ad Heliod.* cui nata, ſed cui renata es.

III. Tertium eſt, ut ſciat, quomodo non obedientiam tantum negare in certis caſibus, ſed etiam amorem parentibus, atque adeo odiſſe eos debeamus. Id quod præclare S. Au- *S. Aug. ep. 38. ad Lætum.* guſtinus oſtendit ſequentibus verbis: Sicut præceptum, quo perdere jubemur animam noſtram, non ad id valet, ut ſe quiſque interimat, quod inexpiabile nefas eſt: & tamen valet, ut interimat in ſe carnalem affectum animæ, quo cum impedimento futuræ vitæ præſens vita delectat. Hoc eſt enim quod dictum eſt: Oderit animam ſuam, & perdat eam. Quod tamen diligendo fit, quandoquidem apertiſſime fructum ejuſdem animæ acquirendo in eodem præcepto commemorat dicens: Qui perdiderit eam in iſto ſæculo, in vita æterna inveniet eam. Ita & de parentibus recte dicitur, ut, qui eos amat, perdat eos, non more parricidarum interficiens, ſed ſpirituali gladio Verbi Dei carnalem affectum eorum, quo & ſeipſos, & eos, quos genuerunt, irritamentis hujus ſæculi obligare conantur, pie fidenterque percutiens & occidens, illud in eis vivere faciat, quo fratres ſunt, quo cum filiis ſuis temporalibus parentes æternos Deum Eccleſiamque cognoſcunt. Neque triſtitia parentum inde ſecutura abſterrere debet; nam, ut bene D. Climacus dixit: Melius eſt contriſta- *S. Clim. grad.* re parentes, quam contriſtare Dominum Jeſum: hic enim nos creavit, & ſalvavit, illi ſæpe ſuos amando perdiderunt. Amor Dei, *L. 1. c. 14.* ipſiuſque ſanctum deſiderium, extinguit in anima carnalem parentum amorem: Qui autem utroſque amores in uno corde claudi poſſe putat, is ſeipſum decipit. Vetus iſta eſt ars Diaboli, inquit Platus, quæ illi in parente noſtro Adamo nimium bene proceſſit. Nam quid intereſt, inquit S. Auguſtinus, utrum in *S. Aug. ep. 38.* uxore, an in matre, dum tamen Eva in qualibet muliere, caveatur; nam iſta umbra pietatis de foliis illius arboris venit, quibus ſe primi parentes noſtri damnabili pietate texerunt. Merito ergo S. Hieronymus Nepotia- *S. Hier. ep. 1.* num adhortatus dixit: Ecce adverſarius in pectore tuo Chriſtum conatur occidere. Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet ſparſo crine & ſciſſis veſtibus ubera, quibus te nutrierat, mater oſtendat: licet in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem. Siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem.

§. XI. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occaſione thematis: *Subditus erat* *Luc. 2. v. 51.* *illis*: explicari poteſt. 1. Quomodo filii debeant eſſe ſubditi parentibus, ſcilicet integre, prompte & fortiter exequendo omnia, quæ Dei legi & voluntati non ſunt contraria: Ubi obiter, breviterque indicari poteſt, quando & cur interdum obediendum non ſit parentibus, ut §. priore oſtenſum eſt. 2. Explicari poteſt fructus ex tali obedientia ſperandus, ſcilicet is, quem Chriſtus reportavit *Eccl. 3. v. 83.* creſcens ætate (quem Deus indicavit dicens: Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram) ſapientia (ad quam vel maxime conducit obedientia juxta illud Siracidis: Fili concupiſcens ſapientiam conſerva juſtitiam, & Deus præbebit illam tibi) & gratia coram Deo & hominibus (quia nihil perinde gratum utriuſque facit, quam ſi deprehendatur) in omnibus & per omnia prompte parere.

II. Ex occaſione thematis: *Honora patrem* *Deut. 5. v. 16.* *tuum, & matrem tuam*: Explicari poſſunt commoda ex debito cultu parentibus exhibito oriri ſolita, quæ quidem breviter Moyſes loco citato indicavit, addens: Ut longo vivas tempore, & bene ſit tibi. Quibus verbis tres videtur ſignificaſſe fructus, ſcilicet. 1. Ut bene ſit in bonis temporalibus, quæ vel maxime a filiis morigeris ſperari poſſunt. 2. Ut bene ſit in corpore, dum a malis intrinſecis & extrinſecis cuſtodietur, qui talem cultum exhibet, ſicque longo vivet tempore. 3. Ut bene ſit in anima, dum ſicut ipſe ſuis ſuperioribus, ita paſſiones ipſi ſubjectæ erunt, ſicque fiet, ut ſuaviſſima animi pace fruatur, meritaque ſpiritualia in immenſum augeat.

Eccl. 3. v. 9. III. Ex occaſione thematis: *In opere & ſermone, & in omni patientia honora patrem tuum*: Explicari poſſunt officia filiorum erga parentes, nimirum. 1. Honor & reverentia. 2. Obedientia. 3. Obſequium & ſervitium. Quæ omnia tum ex hactenus dictis facile amplificari, tum apud Fabrum conc. 5. in Feſto S. Nicolai fuſius explicata videri poſſunt.

Matt. 23. v. 37. IV. Ex occaſione thematis: *Jeruſalem, Jeruſalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Poſſunt per comparationem pullorum explicari officia filiorum erga parentes. Nempe. 1. Quod agnoſcant matrem ſuam, & ament. 2. Quod magna cum fiducia ad ipſam tum pro alimento, tum pro defenſione confugiant. 3. Quod ei perfecte obediant, ſequentes ſemper & ubique ductum ejus. Ut autem hæc omnia promptius & perfectius præſtentur, explicari poteſt, quomodo viciſſim parentes talibus filiis omnia gallinæ officia nempe ſollicitam curam in generando, educando, protegendo impleturi ſint.

Exod. 25. v. 40. V. Ex occaſione thematis: *Aſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi monſtratum eſt*: Poſſunt filii ad pietatem triplicium exemplorum propoſitione excitari, nimirum. 1. Chriſti aliorumque hominum Sanctorum. 2. Ethnicorum. 3. Brutorum, præcipue ciconiarum, dicique, hunc eſſe funiculum triplicem, quo filii ad pietatem erga parentes obſtringuntur, quique difficulter rumpitur. Quem in finem exempla §. 4. & 6. allata ſervire poſſunt.

Eccl. 7. v. 30. VI. Ex occaſione thematis: *Retribue illis*, (parentibus) *quomodo illi tibi*: Explicari poſſunt beneficia a parentibus accepta, ſcilicet, *generatio*, *educatio*, *nutritio*, *protectio*, *ditatio*: ac ſingulorum magnitudo, tum ex difficultate ipſius operis, tum ex intentione affectus, tum ex aliis circumſtantiis demonſtrari. Deinde oſtendi poteſt, quomodo compenſari debeant filii hæc beneficia, ſcilicet, pro generatione amorem, pro nutritione reverentiam, pro educatione obedientiam, pro protectione fiduciam, pro ditatione gratitudinem exhibendo.

§. XII. MISCELLANEA.

Qualitas.

Alex. l. 21. c. 3. I. SOlon cum nullam pœnam in parentum percuſſores lege ſanciviſſet, cauſam rogatus, eam eſſe dixit: Quod nullam prolem tam efferam fore crederet, quæ tantum nefas auſura eſſet.

Plato l. 2. de leg. II. Parentes negligere, nec Deus, nec homo mentis compos ullus conſulet, dicebat Plato.

Plato l. 4. de leg. III. Alibi vero dicebat idem Plato: Putare quiſque debet omnia, quæ poſſidet, eorum eſſe, qui genuerunt & educarunt.

Stobæus in ſent. IV. Talem te, dicebat olim Iſocrates, erga parentes præſta, quale ſe tibi liberos tuos exhibere optares.

Cicer. de orat. post redit. V. Parentes, juxta Ciceronem, chariſſimos habere debemus, quod ab his vita, patrimonium, civitas, libertas tradita eſt.

VI. Parentes non amare, impietas eſt, non agnoſcere, inſania, ut recte ſenſit Seneca. *Senec. l. 3. de benef. c. 1.*

VII. De ciconia ſic ſcribit Sanctus Ambroſius: Quam vero rationabilium excedat pietatem ac prudentiam ciconiæ clementia, conſiderandum. Nam depoſiti patris artus, per longævum ſenectutis, plumarum tegmine alarumque remigio nudatos circumſtans ſoboles, pennis propriis fovet. Et quid dicam: Collatio cibo paſcit, quando etiam ipſa reparat naturæ diſpendia, ut hinc atque illinc ſublevantes ſenem fulcro alarum ſuarum ad volandum exerceant, & in priſtinos uſus deſueta jam revocent pii patris membra. Quis noſtrum levare ægrum non faſtidiat patrem? Qui feſſum ſenem ſuis humeris imponat; quod in ipſa hiſtoria vix credibile habetur? Quis, ut pius ſit, non hoc ſervulis mandat obſequium? At vero avibus non eſt grave, quod pietatis eſt plenum; non eſt oneroſum, quod ſolvitur naturæ debito. *Lib. 5. c. 16.*

VIII. Pelicanus a filiis, ejus ſanguine ſuperinfuſo ad vitam revocatis, unanimi cura fovetur, & nutritur. *Beirlinc. them. 9. in feſt. S. Andreæ.*

Utilitas.

IX. Pietas fundamentum eſt omnium virtutum; Parentem ut Deum venerari ac vereri debemus. *Cicero. pro Planc.*

X. Pietas ciconiæ eo uſque frequenti teſtificatione increbuit, ut congruæ mercedem remunerationis invenerit. Nam Romanorum uſu pia avis vocatur. Habet etiam univerſorum ſuffragia; nam retributio beneficiorum ἀντιπελάργωσις vocatur πελαργὸς, enim ciconia dicitur. Virtus itaque ab his nomen accipit, eum relatio gratiarum ciconiæ vocabulo nuncupatur. *S. Ambr. l. 5. c. 16.*

Dignitas.

XI. Nihil eſt tam honorificum liberis, quam debitum honorem parentibus offerre. *Euripid. in Herc.*

XII. nulla vi verborum, nulla ingenui facultate exprimi poteſt, quantum opus ſit, quamque laudabile, quamque numquam a memoria hominum exiturum poſſe hoc dicere: Parentibus meis parui ceſſi: Ad hoc unum contumax fui, ne beneficiis crederem. Certate obſecro vos, & fuſi quoque reſtituite aciem. Felices, qui vicerint: Felices, qui vincentur. Quid eo adoleſcente præclarius, qui ſibi dicere potuit (neque enim fas eſt alteri dicere) parentem meum beneficiis vici: Quid eo fortunatus ſene, qui omnibus ubique prædicabit, a filio ſuo ſe beneficiis victum. *Seneca l. 5. de benef. c. 18.*

§. XIII. AUCTORES.

I. Joannes Buſæus in viridario f. 519.

II. Petrus Sanchez in regno Dei part. 6. cap. 2.

III. Jacobus Alvarez tom. 2. l. 3. p. 2. c. 7. §. 4.

IV. Henricus Engelgrav. conc. in Domen. 1. poſt Ephiphan.

V. Ma-

V. Mathias Faber conc. 5. in ſeſto S. Nicolai.
VI. Laurentius Beirlinck themate 5. in feſto beati Andreæ.

TITULUS CXVIII.

PŒNITENTIA.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

S. Greg. hom. 33. in Evan.

I. EST virtus, qua peccata noſtra ut ſunt Dei offenſa deteſtamur, & eadem efficaciter expiare, & deinceps cavere ſtatuimus; nam pœnitentiam agere, teſte ſancto Gregorio, eſt perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Hinc, ut vult Lactantius, Græci recte Metanœam vocant, ſeu reſipiſcentiam: reſipiſcit enim, ac mentem ſuam quaſi ab inſania recipit, quem errati piget, caſtigatque ſeipſum dementiæ, & confirmat animum ſuum ad rectius vivendum.

Lactant. l. 6. inſt. c. 24.

Diviſio.

Beirl. in Theatro v. Pœn.

II. Dividitur in *publicam & privatam*. Iſta eſt, qua privatim quiſque ſua peccata plangit, & pro iiſdem ſatisfacere conatur. Illa eſt, qua pro peccatis publice commiſſis publica fit ſatisfactio; & hæc iterum ſubdividitur in *ſolemnem*, quæ cum præſcriptis ab Eccleſia cæremoniis & formulis peragitur, & olim nonniſi pro graviſſimis criminibus imponebatur, & quidem ſemel tantum, tum ne vileſceret, tum quia erat ſolemnis profeſſio non redeundi ad publica ſcandala, ſicut Baptiſmus eſt ſolemnis profeſſio non redeundi ad infidelitatem; & non *ſolemnem*, quæ abſque conſuetis ſolemnitatibus publice peragitur, ideoque ſæpius repeti, atque etiam Sacerdotibus (quibus ſolemnis prohibebatur) imponi poterat.

Actus.

Pſal. 37. v. 4.

III. *Peccatum agnoſcere*: Ad exemplum Davidis dicentis: Non eſt ſanitas in carne mea a facie iræ tuæ: non eſt pax oſſibus meis a facie peccatorum meorum. Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me. De quo actu S. Cyprianus ſic loquitur. Primus felicitatis gradus eſt, non delinquere; hinc ſuccedit medela, quæ ſanet.

S. Cypr. epiſt. 2.

Ezec. 20. v. 43.

IV. *Erubeſcere ob peccatum*: Juxta illud Dei vaticinium: Et recordabimini ibi viarum veſtrarum & omnium ſcelerum, quibus polluti eſtis in eis: & diſplicebitis vobis in conſpectu veſtro in omnibus malitiis, quas feciſtis. Super quæ verba Euſebius Emiſſenus, vides, inquit, quia jam non parva pars meriti eſt, ad conſpectum erubuiſſe peccati. Vere enim, teſte S. Auguſtino, verecundia magna eſt pœna; qui erubeſcit pro Chriſto, dignus fit miſericordia.

Euſeb. in hom. — *S. Aug. de pœn.*

Pſ. 110. v. 1.

V. *Confiteri peccatum*: Cum David: Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, &, Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci. Nam ex eo unuſquiſque juſtus eſſe incipit, ex quo ſui accuſator extiterit.

Pſ. 5. v. 4.

VI. *Dolere de peccato*. Nam qui peccata confitetur, & non deflet, perinde eſt, ac ſi vulnus detegeret Medico, & curari nollet. E contrario vero lacrymæ pœnitentiæ apud Deum pro baptiſmate reputantur, teſte Iſidoro.

Iſidorus.

S. Greg. 18. mor. c. 13. — *S. Aug. in ſerm.*

VII. *Corrigere peccatum*: Qui enim pectus ſuum tundit, & ſe non corrigit, ſolidat peccata, non tollit, juxta S. Auguſtinum: inanis enim eſt pœnitentia, quam ſequens culpa coinquinat. Nihil proſunt lamenta, ſi replicentur peccata; nihil valet, a malis veniam poſcere, & mala denuo iterare.

Idem in ſolil. — *S. Aug. in l. de pœn.*

VIII. *Satisfacere pro peccatis*: Ad agendam enim pœnitentiam, ait S. Auguſtinus, non ſufficit mores in melius commutare, & a malefactis recedere, niſi & de his, quæ facta ſunt ſatisfaciat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis Sacrificium; cooperantibus eleemoſynis. Et S. Gregorio teſte, quem vere pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret: Sed quid ſibi pro culpa, quam odit, injungitur, tacita conſcientia amplectitur.

S. Greg. in hom.

Rom. 16 v. 19.

IX. *Contrarias virtutes exercere*: Juxta illud Apoſtoli: Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire injuſtitiæ ad iniquitatem, ita nunc exhibeatis ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. Quod etiam ſuaſit S. Auguſt. dicens: Quales impetus habebas ad Mundum, tales habeas ad Artificem Mundi. Imo, Baruch ſuadet, ſicut fuit ſenſus veſter, ut erraretis a Deo: decies tantum iterum convertentes requiretis eum.

Bar. c. 4. v. 28.

S. Clim. gr. 13.

X. *Ignoſcere aliis*: Veræ enim, germanæque pœnitentiæ argumentum eſt, oblivio injuriarum. Qui vero inimicitias tenet, & ſe pœnitere affirmat, ſimilis eſt ei, qui ſe in ſomniis currere putat.

S. Chryſ. in ſerm.

XI. *Humiliter de ſe loqui*: Nam hæc eſt humilis cordis vera compunctio, teſte S. Chryſoſtomo, magna agere, & humilia loqui: juſte operari, & ſuper peccatis timere, atque tremere. Tale cor contritum, & humiliatum non deſpiciet Deus.

Gradus.

S. Thom. in 3. cap. Matth.

XII. Primus eſt juxta S. Thomam, punire in ſe, quod quiſque commiſit; huic enim aliqui pœnitentiam dictam volunt, quaſi punientiam; Tria quippe, quæ ſunt in percuſſione pectoris, nempe, pectus, ſonus, & manus, ſignificat, quod pœnitentia eſt de his, quæ mente, voce & opere peccavimus.

Hay. l. 1. de Miſ. r. Eccl.

XIII. Secundus eſt, fugere peccata & occaſiones peccandi: Si enim olim dicebat Joſue: Maledictus, qui reædificaverit Jericho; quanto magis maledictioni huic ſubjacebit, qui peccata quæ deſtruxerat, reædificans, prævaricatorem ſe conſtituit.

S. Greg. in hom.

XIV. Tertius eſt, tantum ſtudere ad bene agendum, quantum ad peccandum ſtuduit: per hoc enim, quod dicitur, facite fructus dignos pœnitentiæ, uniuſcujuſque conſcientia convenitur, ut tanto majora acquirat bo-

Digitized by Google

bonorum operum lucra, quanto graviora ſibi intulit damna per culpam.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Matth. 3. I. PŒnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum.

Mich. 1. v. 8. II. Super hoc plangam, ululabo: vadam ſpoliatus & nudus, faciam planctum velut draconum, & luctum quaſi ſtruthionum.

Pſ. 6. v. 7. III. Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.

2. Reg. 24. v. 10. IV. Peccavi valde in hoc facto: ſed precor Domine, ut transferas iniquitatem ſervi tui, quia ſtulte egi nimis.

Jer. 31. v. 19. V. Poſtquam enim convertiſti me, egi pœnitentiam, & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum. Confuſus ſum, & erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ.

Ib. v. 21. VI. Statue tibi ſpeculam, pone tibi amaritudinem, dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulaſti: revertere Virgo Iſrael.

Job 13. v. 15. VII. Vias meas in conſpectu ejus arguam; & ipſe erit Salvator meus.

Iſaia 1. v. 16. VIII. Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis; quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere.

Neceſſitas.

Luc. 13. v. 3. IX. Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis.

Apoc. 2. v. 5. X. Memor eſto itaque, unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: ſin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco ſuo niſi pœnitentiam egeris.

Rom. 2. v. 4. XI. An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ & revelationis juſti judicii Dei.

Prov. 1. v. 24. XII. Quia vocavi, & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo vos, cum vobis id, quod timebatis advenerit.

Eccleſ. 2. v. 24. XIII. Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manibus hominum.

Ibid. c. 5. v. 6. XIV. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.

Dignitas.

Epheſ. 4. v. 23. XV. Renovamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis.

Utilitas.

Pſal. 50. v. 19. XVI. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

XVII. Pœnitentibus autem dedit viam juſtitiæ, & confirmavit deficientes ſuſtinere, & deſtinavit illis ſortem veritatis. *Eccl. 17. v. 20.*

XVIII. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. *Matth 5. v. 5.*

XIX. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam, vita vivet & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor. *Ezech. c. 18.*

XX. Cumque quæſieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum: Si tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ. *Zach. 1. v. 3.*

XXI. Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos. *Jer. 18. v. 8.*

XXII. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo ſuo, quod locutus ſum adverſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem ei. *Epheſ. 5. v. 14.*

XXIII. Surge, qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus. *1. Cor. 11. v. 31.*

XXIV. Si noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur. *S. Aug. in lib. de util. pœn.*

§. III. EX SS. PATRIRUS.

Qualitas.

I. IN tribunal mentis tuæ aſcende contra te, & reum te conſtitue ante te: Noli te ponere poſt te, ne Deus te ponat ante te. *S. Chryſ. in lib. de reparat. lapſ.*

II. Nunquam ſpernit Deus pœnitentiam, ſi ei ſincere & ſimpliciter offeratur, etſi ad ſummum quis pervenerit malorum, & inde tamen velit reverti ad virtutis viam, ſuſcipit libenter & amplectitur; non enim temporis longitudine, ſed affectus ſinceritate pœnitudo penſatur.

III. Quot habuit in ſe oblectamenta, tot de ſe invenit holocauſta; convertit ad numerum virtutum numerum criminum, ut totum ſerviret Deo in pœnitentia quidquid ex ſe Deum contempſerat in culpa. *S. Greg. hom. 33.*

IV. Pœnitens omnes fructus ſuæ pœnitentiæ parvos habeat: numquam ſufficiat, ſemper doleat, ſemper coram Domino, ante quem peccavit, erubeſcat, & dolorem cum vita finiat. *S. Aug. de pœn.*

V. Quam magna deliquimus, tam grandia defleamus: Alto vulneri diligens & longa medicina non deſit. Pœnitentia crimine minor non ſit. *S. Cypr. in ſerm. de lapſ.*

VI. Non ſufficit ſummis labiis dicere: Peccavi, parce, remitte. Et Saul dicebat: Peccavi, ſed non obtinuit illam veniam, quam David una pœnitentiæ voce promeruit; & hoc quare? Quia confeſſionem illam nuda magis verba, quam gemitus exprimebant: quia non compenſabat magnitudinem criminis lenta humiliatio ſupplicantis. Non levi agendum eſt contritione, ut debita illa redimantur, quibus mors æterna debetur: nec tranſitoria opus eſt ſatisfactione pro malis illis, propter quæ paratus eſt ignis æternus. Si volumus intelligere, quam graves apud ſe faciat Judex noſter hominum culpas, reſpiciamus ad pœnas. *Euſebius Emiſſen. hom. ad Monach.*

VII.

Digitized by Google

B. Paciãn. ep. ad Sympronian.
VII. Pigeat ſane peccare, ſed pœnitere non pigeat: Quis naufrago tabulam, ne evadat, eripiet? Quis ſanandis vulneribus invidebit.

S. Ambr. lib. 2. de pœnit.
VIII. Facilius inveni, qui innocentiam ſervaverint, quam qui congrue egerint pœnitentiam.

S. Aug. l. de Pœn.
IX. Ad agendam pœnitentiam non ſufficit mores in melius commutare, & a male factis recedere, niſi & de his quæ facta ſunt, ſatisfacias Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium cooperantibus eleemoſynis.

X. Inanis eſt pœnitentia, quam ſequens culpa coinquinat, nihil proſunt lamenta ſi replicentur peccata. Nil valet a malis veniam poſcere & mala de novo iterare.

Ambr. l. de Joſeph.
XI. Qui pœnitentiam agit, paratus debet eſſe ad opprobria perſerenda, injuriaſque ſubenndas, nec commoveri, ſi quis ei peccati ſui crimen objiciat.

Æquitas.

S. Chryſ. de comp. cord.
XII. Si forte in corpore parum aliquid morbi pulſaverit, ſtatim Medicos adhibemus, & pecuniam profundimus, & omni obſervantia, quæ competunt, gerimus, nec prius ceſſatur, quam quæ moleſta ſunt, mitigentur: anima vero cum quotidie vulneretur, cum per ſingula lanietur, uratur, præcipitetur, & modis omnibus pereat, nec parva quidem pro ea nos cura ſollicitat.

S. Cypr. ſerm. de lapſ.
XIII. Si charus tibi aliquis vita functus eſſet, doleres & ingemiſceres, & lugubri habitu triſtitiam mentis oſtenderes, & moritur tibi chariſſima anima, & interdum etiam rides, & io nullo commoveris.

S. Ambr. lib. 2. de pœnit.
XIV. Tanta eſt pœnitentiæ medicina, ut mutare videatur ſuam Deus ſententiam. In te eſt igitur, ut evadas. Vult rogari Deus, vult de ſe ſperari, vult tibi ſupplicari. Homo es, & vis rogari, ut ignoſcas; & putas Deum non roganti tibi ignoſcere? Ipſe Dominus Jeruſalem flevit, ut, quia ipſa flere nolebat, Domini lacrymis ad veniam pertingeret.

S. Augu. ſup. Pſ. 3.
XV. Sunt multi, quos peccare non pudet, o incredibilis inſania! de vulnere ipſo non erubeſcis. Nonne vulnus fœtidum & putridum eſt. Confuge ergo ad Medicum, age pœnitentiam, dic: Iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Tibi ſoli peccavi, quia tu ſolus ſine peccato.

S. Chryſ. hom. 5. in Matth.
XVI. Magis nos, quam ſervos noſtros vilipendimus. Illis enim ſebricitantibus Medicos convocamus, cubiculum certum tribuimus, & medicinæ legibus parere impellimus, quas ſi negligunt, iraſcimur, & cuſtodes apponimus, qui eos Medicorum præceptis vivere cogunt: quod ſi magni pretii medicina fuerit, libenter impenſam ſubimus, & Medicis ipſis non parvam mercedem deponimus. Quando vero nos ipſi ægrotamus (ſemper autem ægrotamus) ad Medicum accurrere nolumus, nullas pecunias impendere, nihil penitus providere, ſed quaſi primario quodam inimico, aut hoſte noſtro jacente, ſic anima laborante afficimur.

Neceſſitas.

XVII. Etiamſi quodlibet magnum atque electiſſimum vitæ inſtitutum arripueris, id quaſi externum & notum æſtimare debes, niſi cor afflictum mœrenſque poſſideas. *S. Clem. cap. 7. de Luctu.*

XVIII. Pœnitentia, quaſi ſecunda poſt naufragium tabula ſit miſeris: in virgine integra ſervetur navis. *S. Hieron. epiſt. ad Demetr.*

XIX. Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel a quocumque ſeu magno, ſeu parvo peccato ad correctionem ſine pœnitentia poſſe revocari. *S. Aug. ep. ad Vin.*

XX. Bonum eſt pœnitere, an non? quid revolvis? Deus præcipit. *Tertull. l. de pœn.*

XXI. Pœnitudo neceſſaria eſt, ſicut vulneratis ſunt neceſſaria medicamenta. Cum animo conceperis, non aliud remedium conſtitutum eſſe poſt baptiſmum, quam pœnitentiæ ſolatium, quantamvis afflictionem, quantumvis laborem indecorem ſubire eſto contentus. *S. Ambr. ad virg. lapſam.*

Utilitas.

XXII. O pœnitentia miſericordiæ mater, & magiſtra virtutum, magna opera tua, quibus reos reſolvis, ac reficis delinquentes, lapſos relevas, recreas deſperatos. Per te ſubito rapuit latronem Chriſtus ad regnum: per te David poſt flagitium, felix iterum recepit Spiritum Sanctum. *S. Chryſ. ſ. de pœn.*

XXIII. Ille, qui nos malos tolerat, non dubium eſt, quin converſis clementer ignoſcat? *S. Ambr. de Juno. bono.*

XXIV. Novit Deus mutare ſententiam, ſi tu noveris mutare delictum. *Id. ſuper Luc.*

XXV. Juſtitia de cælo proſpexit tamquam Dei dicentis: Parcamus huic homini, quia ipſe agnoſcit: converſus eſt ad puniendum peccatum ſuum, convertar, & ego ad liberandum eum. *S. Aug. ſuper Pſ. 84.*

XXVI. Fit plerumque gratior Deo amore ardens vita poſt culpam, quam in ſecuritate torpens innocentia. *S. Greg. c. 32. paſtor.*

XXVII. O pœnitentia, quid de te novi referam? omnia tu ligata ſolvis, omnia clauſa tu reſeras, omnia adverſa tu mitigas, omnia contrita tu ſanas, omnia confuſa tu lucidas, omnia deſperata tu animas. *S. Cyp. de laud. pœn.*

XXVIII. Quod ſi tentator ſuggeſſerit; quid facies, quia jejunas; defraudas animam tuam, non ei das, quod eam delectat, tibi ipſi ingeris pœnam, tuus ipſe tortor & cruciator exiſtis? Deo ergo placet, quia te crucias? ergo crudelis eſt, qui delectatur pœnis tuis? reſponde hujuſmodi tentatori: Excrucio me plane, ut ille parcat: do de me pœnas, ut ille ſubveniat, ut placeam oculis ejus, ut delectem ſuavitatem ejus, nam & victima excruciatur, ut in aurum impugnatur. *S. Augu. tr. de util. jejun.*

XXIX. Verſetur ante oculos hominis imago futuri judicii, & quidquid in ſe viderit, quod a Judice venturo reprehendi poſſit & puniri, ipſe nunc in ſeipſo reprehendat, & puniat. Peccata enim ſive magna, ſive parva impunita eſſe non poſſunt; quia aut homine puniente, aut Deo plectente punientur. *S. Anſel. in 1. Cor. 11.*

Digitized by Google

Ceſſat autem vindicta Divina, ſi converſio præcurrat humana.

S. Aug. l. de pœn. XXX. Pœnitentia languores ſanat, leproſos curat, & mortuos ſuſcitat, ſanitatem auget, gratiam conſervat, claudis greſſum, aridis copiam, cœcis reſtituit viſum, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit & roborat.

Facilitas.

S. Hier. XXXI. Utinam tam cito convertatur peccator ad pœnitentiam, quam cito Dominus paratus eſt mutare præfinitam ſententiam.

S. Augu. ſup. Pſ. XXXII. Jugum meum leve eſt, & ſarcina mea levis: hæc ſarcina non eſt pondus onerati, ſed alæ ſunt volatori: habent enim & aves pennarum ſuarum ſarcinas, & quidem portant illa in terra, portantur ab illis in cælum.

S. Bern. ep. 73. XXXIII. Quid levius onere pœnitentiæ, quod non ſolum non onerat, ſed & portat omnem, cui portandum imponitur? Mirum opus naturæ; unde groſſeſcit materia, inde ſarcina lævigatur; & quantum creſcit maſſa, tantum decreſcit in pondere.

S. Chryſ. hom. 6. in Matth. XXXIV. In ſæcularibus judiciis, quantumlibet poſt acceptam ſententiam lamenteris, & lugeas, non tamen effugies flendo ſupplicium: hic vero ſi toto corde ingemueris ad Deum, ſolviſti repente ſententiam.

S. Greg. Nazian. hom. 6. in Gen. XXXV. Non ſicut in rebus ſenſibilibus, ita & in ſpiritualibus uſuvenit: Illic ex divitiis in extremam redactus inopiam, brevi eas recuperare nequit; hic per miſericordiam, ſi quidem condemnare facta noſtra, & jam ſiſtere ignaviam voluerimus, ſtatim poterimus ad priſtinam abundantiam redire.

Dignitas.

S. Augu. l. de m. v. S. Scrip. XXXVI. Qui per pœnitentiam peccata diluit, angelicæ felicitatis conſors in æternum erit.

Id. ep. 1. ad Simpl. XXXVII. Nihil peccare, ſolius Dei eſt: emendare, ſapientis, & corrigere erratum, & pœnitentiam agere de peccato, id tamen difficile eſt in hac vita homini; quid enim tam rarum, quam ut invenias virum, qui ſeipſum coarguat? & factum condemnet ſuum? rara itaque confeſſio de peccato, rara pœnitentia, rara in hominibus verbi hujus aſſertio.

Jucunditas.

S. Hier. ſup. Matth. XXXVIII. Amaritudinem radicis dulcedo pomi compenſat: dolorem medicinæ ſpes ſalutis mitigat. Qui deſiderat nucleum, frangit nucem, pœnitentiamque agit, qui vult æterno adhærere bono.

Pœnitentia non differenda.

S. Aug. ſupr. Pſ. 144. XXXIX. Spe ſimul ac deſperatione homines ad peccata augenda ducuntur. Audi vocem deſperantis. Jam, inquir, damnandus ſum; quare non facio, quidquid volo? Audi & vocem ſperantis: Miſericordia Domini magna eſt; quando me convertero, dimittet mihi omnia, quare non facio, quid volo? Deſperat ille, ut peccet: ſperat iſte, ut peccet. Utrumque metuendum eſt, utrumque periculoſum. Væ a deſperatione, væ a perverſa ſpe. Non tardes converti ad Dominum; ne differas de die in diem? ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Noli ergo dicere: Cras me convertam: cras Deo placebo, & omnia hodierna, & heſterna peccata remittuntur mihi. Verum quidem dicis, quia Deus converſioni tuæ indulgentiam promiſit, ſed dilationi tuæ craſtinum diem non promiſit.

XL. Satis alienus a fide eſt, qui ad agendam pœnitentiam tempora ſenectutis expectat. *S. Greg. in mor.* Metuendum eſt enim, ne, dum ſperat miſericordiam, incidat in judicium.

XLI. Ejus clamorem tempore anguſtiæ Deus *Id. l. 18. c. 3. mor.* non audit, qui ipſe tranquillitatis tempore clamantem Dominum non audivit. Tanto enim tunc major exercetur ſeveritas, quanto nunc major miſericordia prorogatur.

XLII. Si quis in extrema neceſſitate ſuæ ægritudinis poſitus voluerit accipere pœnitentiam, *S. Aug. ſerm. 16.* & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus, quod petit; Sed non præſumimus, quod bene hinc exit: Si ſecurus hinc exit, ego neſcio: pœnitentiam dare poſſumus, ſecuritatem autem non. Non quidem dico, damnabitur. Sed ne dico, liberabitur. Vis ergo a dubio liberari? tene certum, & dimitte incertum. Age pœnitentiam, dum ſanus es. Si ſic agis, dico tibi, quod ſecurus es, qui pœnitentiam egiſti eo tempore, quo peccare potuiſti. Si vis agere pœnitentiam egiſti eo tempore, quo peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.

XLIII. Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, *S. Bern. ſerm. 18. parv.* poſtea acceleraverunt, qui diſſimulant in vita agere pœnitentiam, & de extrema confeſſione præſumunt: Quomodo ſub unius horæ articulo revocari poſſe exiſtimant omnia membra, cujus concupiſcentiæ & deſideria per totum Mundum ſparſa ſunt.

§. IV. EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas.

I. QUomodo faciunt tam multi alii Religioſi, *L. 3. c. 13. §. 8.* qui ſatis arctati ſunt ſub diſciplina clauſtrali? raro exeunt, abſtracte vivunt, pauperrime comedunt, groſſe veſtiuntur, multum laborant, parum loquuntur, diu vigilant, mature ſurgunt, orationes prolongant, frequenter legunt, & ſe in omni diſciplina cuſtodiunt.

II. Eja chariſſime, ſtude nunc taliter vivere, *Ib. c. 23. §. 6.* ut in hora mortis valeas gaudere potius quam timere. Diſce nunc omnia contemnere, ut poſſis tunc libere ad Chriſtum pergere. Caſtiga nunc corpus tuum per pœnitentiam, ut tunc certam valeas habere confidentiam.

Utilitas.

III. Da te ad cordis compunctionem & invenies devotionem. *L. 1. c. 21. §. 1.* Compunctio multa bona

aperit,

Digitized by Google

aperit, quæ diſſolutio cito perdere conſuevit.

L. 1. c. 12. §. 2. IV. In vera contritione, & cordis humiliatione naſcitur ſpes veniæ, reconciliatur perturbata conſcientia, reparatur gratia perdita, tuetur homo a futura ira, & occurrunt ſibi mutuo in oſculo ſancto Deus & pœnitens anima.

Dignitas.

Ib. §. 4. V. Humilis peccatorum contritio, acceptabile tibi, Domine, eſt Sacrificium, longe ſuavis odorans in conſpectu tuo, quam thuris incenſum. Hæc eſt gratum etiam unguentum, quod Sacris pedibus tuis infundi voluiſti, quia cor contritum & humiliatum nunquam deſpexiſti.

Æquitas.

L. 1. c. 21. §. 4. V. Bonus homo ſufficientem invenit materiam dolendi, & flendi. Et quanto ſtrictius ſe conſiderat, tanto amplius dolet materia juſti doloris, & internæ compunctionis ſunt peccata & vitia noſtra, quibus involuti jacemus, ut raro cæleſtia contemplari valeamus.

Celeritas.

L. 1. c. 21. §. 1. VII. Quare vis procraſtinare propoſitum tuum? Surge, & in inſtanti incipe & dic: Nunc tempus eſt faciendi, nunc tempus eſt pugnandi, nunc tempus eſt emendandi.

§. V. EXEMPLA CATHOLICA.

Qualitas.

Surius in Vita 29. Jun. I. S. Petrus, negato Chriſto, mox egreſſus foras flevit amare, eumque fletum tam conſtanter continuavit, ut in facie genæ per lacrymas excavatæ apparerent.

Idem 22. Julii. II. S. Maria Magdalena poſt Chriſti in cælos aſcenſum ſpeluncam ingreſſa, triginta annos in ſeveriſſima pœnitentia, & aſſidua peccatorum deploratione exegit.

Idem 9. April. III. S. Maria Ægyptiaca ex meretrice converſa, in deſertum fugit, quinque panibus acceptis, quibus conſumptis, ex foliis herbis, quadraginta quinque annis, nullo mortalium conſpecto, vixit.

Idem 8. Octobr. IV. Pelagia meretrix Antiochena a S. Nonno Epiſcopo Heliopolitano converſa in cellula juxta Montem Oliveti, ſub viri habitu, cum ſumma ſanctitate vixit, & mortua eſt.

Petrus Sanchez in regno Dei p. 4. c. 7. V. Babilas Comicus auditis in templo verbis: Agite pœnitentiam; appropinquavit enim regnum cælorum: duabus mulieribus quibus abuſus fuerat, dixit: Vado, & ago pœnitentiam: cui illæ reſponderunt, ſicut fuimus ſociæ in peccando, ita & erimus in pœnitentia agenda: ſicque ille quidem in turri quadam, hæ vero in domuncula turri vicina ſeveriſſimam egerunt pœnitentiam.

Aquil. lib. 17. c. 12. VI. S. Jacobus Intercifus, cum timore tormentorum Idola Saporis Regis adoraſſet, ideoque uxor & ſocrus ejus eum dererent, pœnitentia ductus dicebat: Væ mihi, ſi tantum dolorem concipio ex eo, quod uxor & Socrus me dereliquerit, quantum concepturus ſum, tunc quando Deus me derelicturus eſt? cum ſcriptum ſit: Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eſt. Denuo itaque errore retractato, Chriſtum confeſſus, & in fruſta conciſus eſt.

VII. Abbas Elias octoginta annorum ſenex, cum multos ex his in magna vitæ ſanctitate exegiſſet, tandem rogatus a muliere, ut potum aquæ illi daret, ea diſcendente uſque adeo a turpi deſiderio devictus eſt, ut e cella exiens mulierem, fornicationis gratia, quæreret; Sed quia eunti in foſſa virorum & mulierum forma olim præſtantium fœtida cadavera oſtenſa fuerant, & Angelus adſtans dixerat: Væ generi humano, quod talia objecta amat, & propter ea Deum deſerit: Primo quidem deliquium paſſus corruit, ſubinde vero ab Angelo confortatus cellulam rediit, fœdumque propoſitum continua pœnitentia & dolore expiavit. Pratum Spir. c. 80.

VIII. S. Martinus in terra moriens & cinere dicebat: Nemo ſine pœnitentia hinc diſcedat: quo dicto, paulo poſt mortui facies ejus, licet ante deformis, pulcherrima, & lucis inſtar radians apparebat. Petrus Sanchez p. 4. c. 7.

IX. S. Auguſtinus inſtante mortis tempore, cum lacrymis ſeptem Pſalmos pœnitentiales recitabat, atque alios etiam ad pœnitentiam agendam hortabatur.

X. S. Paula, teſte S. Hieronymo, mollia etiam in graviſſima febri ſtrata non habuit, ſed ſuper duriſſimam humum, ſtratis ciliciolis dormiebat, laudabatque per ſingulas noctes lectulum ſuum. Oculos ejus fontes crederes lacrymarum, ita levia peccata, plangebat, ut illam graviſſimorum criminum crederes ream. Cumque a nobis admoneretur, ut parceret oculis, & eos ſervaret Evangelicæ lectioni, ajebat: Turpanda eſt facies, quam contra Dei præceptum purpuriſſo & ceruſſa, & ſtibio ſæpe depinxi: Affligendum eſt corpus, quod multis vacavit deliciis. Longius riſus perpeti compenſandus eſt fletu. Mollia linteamina & ſerica, aſperitate cilicii commutanda ſunt. Quæ viro & ſæculo placui, nunc Chriſto placere deſidero. Ibid.

XI. Marcellinus Pontifex, Diocletiano & Maximiano perſecutoribus tormentorum immanitate perterrefactus, diis thura poſuerat. Poſtea in Campaniam diſcedens, coram octoginta Epiſcopis aſtitit, cilicio & cinere opertus, confitens peccatum ſuum, ac petens pro eo ab ipſis ſibi pœnam indici, atque decerni. Quibus arbitrium in præſidem recipere nolentibus, ipſe in ſe ſententiam tulit. Pontificatum depoſuit, corpori ſepulturam denegavit, execrans eos, qui ipſum non ſiviſſent ſuper terram putreſcere, atque diſſolvi, & confeſtim Romam ad martyrium eſt reverſus, ultro exponens ſe ſuppliciis, quæ modo expaverat: decollati cadaver inſepultum jacuit, timentibus Chriſtianis violare Pontificis interdictum. Sed Petrus Apoſtolus noctu apparens Marcello presbytero illud juxta corpus ſuum ſepeliri juſſit, dignum eſſe aſſerens, ut qui ſecum peccaverat, ſecum fleverat, ſecum recumbens honoraretur. Marul. lib. 4.

XII.

Ibid. XII. Victorino Epiſcopo, dum eremum incoleret Diaboli dolis, qui ſe fœminam effinxerat capto tanto, dolori ſuit ſemel perpetratæ fornicationis crimen, ut manibus in fiſſuram ligni impactis, herba cruda & aqua frigida per triennium ſe ſuſtentaverit.

Ibid. XIII. Homo quidam in Gallia, qui in ſylvis viatores diſpoliare ſolitus fuerat, poſtea in Monaſterio cella incluſus vixit, manus ac pedes vinculis ferreis oneravit, hordeaceum panem cinere mixtum edit, carne vinoque abſtinuit, cilicium pro ſtratu, lapidem pro pulvillo habuit. Sæpe dum laudes Deo caneret, eundem lapidem humeris ſublatum tenuit, quibus corporis fatigationibus, graviſſimorum quondam reus catalogo aſcribi meruit albo Sanctorum.

Ibid. XIV. Julianus cognomento hoſpitator errore magis quam furore parentes interemit: Cum enim ſummo mane domum reverſus, in ſuo uxoriſque cubili dormientes inveniſſet, putavit uxorem eſſe cum adultero: educto repente gladio, ambos transfixit: uxor autem antequam, adveniſſet, ad Eccleſiam perrexerat: re tandem cognita, ubertim flevit, utque commiſſi veniam promereri poſſet, relicta domo prope fluminis ripam, ubi multi vado tranſeuntes deperiebant, Xenodochium poſuit, & viatores tecto accipere & navicula tranſvectare gratuito cœpit: Poſtremo divinitus dictum ſibi audivit, quod culpam eluiſſet hoſpitalitatis merito: parentum ergo interfector per pœnitentiam factus eſt cæli habitator.

Ibid. XV. Evagrius Presbyter eximia ſanctitatis vir eremum incolens cum aliquod detractionis verbom ſemel protuliſſet, pro eo ita ſe caſtigavit, ut dies quadraginta ſub dio permanſerit, nec prius tectum ſubierit, quam ſe ſatis pro delicto feciſſe cenſuiſſet.

Utilitas.

2. Reg. 12. v. 13. XVI. David poſtquam Dei erga ſe indignationem ex Nathan intellexiſſet, & vocem *peccavi* ſerio protuliſſet, mox ab eodem Propheta audivit: Dominus quoque traoſtulit peccatum tuum: non morieris.

Judi. 20. 5. v. 19. XVII. De Iſraelitis dixit Achior: Quotieſcumque præter ipſum Deum ſuom, alium coluerunt, dati ſunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium. Quotieſcomque autem pœnituerunt ſe receſſiſſe a cultura Dei ſui, dedit illis virtutem reſidendi.

Luc. 7. v. 47. XVIII. S. Maria Magdalena quia Chriſti pedes lacrymis ſuis rigavit, & capillis terſit, meruit audire: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Luc. 18. v. 14. XIX. Publicanus quia cum humilitate dicebat: Domine, propitius eſto mihi peccatori: daſcendit juſtificatus in domum.

Luc. 15. v. 19. XX. Filius prodigus quia dicebat ad patrem: Pater peccavi in cælum, & coram te, & non ſum dignus vocari filius tuus, fac me, ſicot unum de mercenariis tuis: effecit, ut pater miſericordia motus accurreret, cadeterque ſuper collum ejus, & oſculans illum, ſtola prima indueret, annulumque & calceamenta daret, & ſplendidum ei convivium inſtrui juberet.

XXI. Monachus filiam Sacerdotis Ethnici deperiens cum ejus amore Deum & cœlites negaſſet, audiens ex Idolo, Sacerdoti ipſum conſulenti: Non da filiam ei uxorem, quia Deus nondum eum dereliquit; adeo hac Dei indulgentia commotus eſt, ut indignum judicans, tam bonum Dominom amplius offendere, ad Eremitam acceſſerit, ejuſque ſuaſu, aliquot hebdomadum jejunio ſuſcepto, meruerit Spiritum S. qui prius in ſpecie columbæ exeuntem ex corde videret, in eadem ſpecie redeuntem in pectus ejus conſpexerit. *Petrus Tauchec p. 4. c. 7.*

XXII. Cum virgo quædam cum Sacriſtano quopiam fornicata eſſet, tanta ſceleris hujus pœnitentia tangebatur, ut tempus partus expectare non ſuſtinens, hoſpitale ingrederetur, & triginta annis pauperibus inſerviret. Quæ pœnitentia adeo Deo placuit, ut cuipiam revelaverit, ſe magis nunc ejus pœnitentia, quam virginitate ante lapſum delectari. *Ibid.*

XXIII. Ninivitæ quia cooperti ſaccis converſi ſunt a via mala, miſertus eſt Dominus ſuper malitia, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit. *Jon. 3. v. 10.*

XXIV. Achab quia auditis Prophetæ minis ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque, & ambulavit demiſſo capite, factus eſt ſermo Domini ad Eliam Thesbiten dicens: Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus ejus. *3 Reg. c. 21. v. 28.*

XXV. Thais Alexandrina a S. Panuphio cellæ arctiſſimæ incluſa, & modico panis fruſtulo ſuſtentata, triennio integro orientem verſus converſa hæc ſolum verba orabat: Qui plaſmaſti me, miſerere mei: Unde Paulus Monachus pretioſiſſimum ei in cælo lectum præparatum vidit. *Rodrig. p. 2. tr. 1. c. 21.*

Jucunditas.

XXVI. S. Hieronymus de ſeipſo ſcribit Euſtachio Virgini: Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus. Poſt multas lacrymas, poſt cælo inhærentes oculos, nonnumquam videbar intereſſe agminibus Angelorum. *Epiſt. ad Euſtoch.*

XXVII. S. David de ſe quoque fatetur: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificarunt animam ſervi tui, hoc eſt, ut S. Hieronymus explicat, decem ſudi lacrymas, decem conſolationes merui. Quantumcumque fuit pondus lacrymarum, tantus fuit & conſolationum numerus. *S. Hier. in Pſ. 93.*

XXVIII. S. Maria Magdalena tempore pœnitentiæ ſuæ tot conſolationibus recreata eſt, ut ſepties quotidie in cælum rapta, choris Angelorum intereſſet, & ab ipſo Chriſto ultra centenas vices viſitata, miris voluptatibus recrearetur.

Dignitas.

XXIX. Phhilippus Comes Namurcenſis poſt vitam peſſime tranſactam, tantam in morte contritionem oſtendit ut ſimilis ei viſa oon eſſet, alioſque etiam ad lacrymas provocaret. *Cæſar. l. 2. hiſt. & mirac. c. 18.*

Con-

Confeſſarios ſuos rogavit, ut corpus in plateam traherent, dicens: Sicut canis viſi, dignum eſt, ut moriar, ſicut canis. Quæ pœnitentia adeo placuit Deo, ut eum poſt mortem tot miraculis fecerit illuſtrem, ut de remotis regionibus ad ejus ſepulcrum venientes, terram ſecum pro benedictione reportarent, eam que pro remedio variorum morborum adhiberent.

§. VI. SIMILITUDINES.

Qualitas.

S. Chryſ. in ſer. de compunct. cord.

I. SIcut impoſſibile eſt, ut ignis inflametur in aqua; ita impoſſibile eſt compunctionem vigere in deliciis; contraria enim hæc invicem ſunt & peremptoria; illa enim mater fletus, hæ mater riſus: illa conſtringit cor, iſtæ diſſolvunt.

Grannat. in ſylva loc. com. Verb. Contritio.

II. Sicut nullo dolore afficitur homo, ſi capilli ejus abſcioduntur; gravem vero ſentit, ſi evelluntur; ita S. Viri nihil ſua referre putant, cum variis injuriis afficiuntur, bonaque exteriora amittunt; ut ſi per peccatum a capite Chriſto avelluntur, tum enim vero graviſſimam dolendi cauſam ſe habere agnoſcunt.

V. Beda in cap. 9. Dan.

III. Sicut qui lavat laterem crudum, tanto amplius lutum facit; ſic qui peccatum plangit, & iterum ſtatim committit, taoto magis ſordidam facit animam ſuam.

S. Cyrill. cathec. 2.

IV. Sicut ſerpens in anguſtum petræ iotrans, deponit ſenectutem, & vetuſtatem per extruſionem exuit, corporeque toto denuo renovatur; ita & peccator iotrans per anguſtam portam & affligens ſeipſum per jejunium, expellit perditionem, veteremque hominem cum actionibus ſuis, illudque ſponſæ dicit: Expoliavi me tunica mea, quomodo ioduar illa?

Euſebius Emiſſ. ho. ad pœn.

V. Sicut homo io cruce poſitus nullis delectatur illecebris, mortuæ ei prorſus ſunt, quæ aut per auditum, ac viſum, per guſtum ac odoratum pariter ac tactum, animum captivare conſueverunt: omnia ante oculos prætereuntia: velut tranſacta jam reputat, quia extremam horam cælos emigraturus expectat; ita & vos, qui animas veſtras ad contritionem abſtinentiæ, & crucem Chriſti, pro æternæ ſalutis remediis contuliſtis, obliviſcimini priſtinas conſuetudines, & male blandas Mundi ſeductiones, obliviſcimini concupiſcentias, quæ de cæleſtibus mentem in inferiora devolvuot.

S. Marc. hom. 11.

VI. Sicut qui diſertam civitatem extruere cupiunt, primum incipiuot purgare, & ſpinas vel rudera removere, tum fundamenta ponere, & muros erigere; ita qui ordinate pœnitentiam agere cupit, prius a peccatis cavendis & emendandis, incipere, & tum primum virtutibus aliis exerceodis ſeſe impendere debet.

Laurent. Beirl. in feſto S. Magdal. them. 2.

VII. Sicut equus generoſus, ſi in via cæſpitaverit, extemplo aſſurgit, & diſpendium celeritate compenſat; ita qui peccando lapſus eſt, ocyus per pœniteotiam ſe erigit, & fervore ſuo præcedentem acediam compeoſat.

Neceſſitas.

VIII. Sicut terra tempore æſtivo, niſi irrigetur, flores non producit; ita nec anima oi continuis lacrymis perſundatur, fructus verarum & ſolidarum virtutum noo progignit. *Ibid.*

Euſeb. ho. 10. ad Monach.

IX. Sicut a Medicis, ſi læſura aliqua io prima corporis cute ſentitur, curatio blandioris medicamenti apponitur, ſi vero in oſſibus vulnus abſconditum, aut in viſcerum profunda demerſum eſt, auſteriorem, ac violentiorem poſcit vis occulta medicinam, ut ulceris magnitudo aut exuſtione ſuperetur, & dolor dolore pellatur; ita ſimilis ratio in ægritudine interioris homiois adhibenda eſt, ut ſcilicet, quanto gravior eſt animæ morbus, tanto potentiores medicinæ applicentur, ſeveriorque pœnitentia aſſumatur.

S. Chryſ. ſerm. de pœnit.

X. Sicut in tenebris oon eſt abſque lucerna lumen; ſic non poteſt homo peccatum ſioe pœniteotia abluere.

Utilitas.

S. Bern. in ſerm.

XI. Sicut equum indomitum flagella domant; ita animam immitem contritio Spiritus & aſſiduitas lacrymarum.

Beirl. in feſto S. Magdal. them. 4.

XII. Sicut vermis ex ligno naſcitur, & illud corrodit, ſuam ab ipſo originem habeos; ita quæ ex peccato triſtitia eſt, ipſum peccatum abſumit.

Ibid.

XIII. Sicut olim cataractis cæli laxatis, vehemens pluvia ſubſecuta omnes homines interemit, ſolamque Arcam Noe in ſublime detulit; ita dum cordis noſtri cataractos, ideſt, oculos aperimus, & lacrymarum imbrem effundimus, omnia peccata ſuffocamus, animamque noſtram, quæ eſt inſtar arcæ illius, ſuper omnia terrena ad virtutum divinarum culmina ſublevamus.

Ibid.

XIV. Sicut rogum ignis aqua immiſſa; ita ardorem peccati ſuperinſuſæ lacrymæ extingunt, Deumque ceu inſignia quædam munera ad nos alliciunt.

Ibid.

XV. Sicut cervi, quantumcumque a canibus fatigentur, priſtinas vires recipiunt, ſi aquis ſe immergere valeant; ſed & Medici laſſata membra fomentis balneorum reſtituunt; ita laſſatos in via iniquitatis lacrymarum aqua recreat, atque confortat.

Stapler. in Do. 3. poſt Pent. them. 3.

XVI. Sicut amantium ira, amoris ſolet eſſe redintegratio; ſic Deus amator hominum, peccatorem reconciliatum, ut amicum rediotegratum diligit.

Lactant. l. 7. c. 14.

XVII. Sicut muta animalia cum fraude decipiuntur: ſi aliquo modo eſtricaverint, fiunt poſtmodum cautiora, vitantque ſemper ea omnia, in quibus dolor inſidiaſque ſenſerunt; ſic homioem pœniteotia cautum & diligentem facit ad evitanda peccata, in quæ ſemel fraude deciderit.

Æquitas.

Beirllac. l. ſupr. c.

XVIII. Sicut ſi quis colubrum aut ſcorpionem ſinu detineret, ſine conſilio aut mora eum a ſe repelleret; ita peccatum omni ſcorpione nocen-

nocentius, multos celerius per pœnitentiam expellendum ab anima eſt.

Ibid. XIX. Sicut cervus venatoris jaculo læſus, naturali inſtinctu dictamum herbam inveſtigat, eaque devorata plagæ remedium facit; ſic multo magis peccator a peccatis vulneratus, ad pœnitentiæ remedium confugere debet.

ſ. Clim. cap. 5. de pœnit. XX. Sicut canis, ſi a fera aliqua mordeatur, adverſus eam vehementius exurgit, & fugit; ſic dum a peccato ſe læſum quis ſentit, vehementiori erga illud odio accendi debet.

Dignitas.

Hector. Pintius in c. 23. Ezech. XXI. Sicut veſtis cæſuræ ſi aureis funiculis & pretioſis gemmis copulentur, pulchriorem reddunt veſtem, quam ſi integra fuiſſet; ſic fieri poteſt, ut anima poſt peccatum per pœnitentiam Deo gratior fiat, quam fuiſſet, ſi numquam peccaſſet.

ſ. Greg. ho. 34. in Evang. XXII. Sicut Dux in prælio plus eum militem diligit, qui poſt fugam reverſus, hoſtem fortiter petit, quam illum, qui numquam terga præbuit; ſic Deus ſæpe illos plus amat, qui poſt peccatum ferventius illi ſervierunt, qnam qui peccato mortali non commiſſo, tepidos ſe in ejus ſervitio exhibuerunt.

Jucunditas.

ſ. Chryſ. in Matt. XXIII. Sicut poſt vehementes imbres aer purus efficitur, ſic & poſt lacrymarum pulvias ſequitur mentis tranquillitas & ſerenitas. Fletus enim eſt lavacrum ſcelerum, & refectio animarum.

ſ. Augu. l. 8. Conf. c. 3. XXIV. Sicut triumphat victor Imperator, & non viciſſet, niſi pugnaviſſet; & quanto majus periculum fuit in prælio, tanto majus eſt gaudium in triumpho; ita quo magis quiſque ſeipſum per pœnitentiam vincere ſtuduerit, tanto plus ex ſubſecuta victoria gaudebit.

Ibid. XXV. Sicut dum jactat tempeſtas, & naufragium minatur, omnes futura morte palleſcunt, ubi vero tanquillatum fuerit cælum, exultant nimis, quoniam timuerunt nimis; ita pœnitentes, quo prius gravius fuerit naufragii Spiritualis periculum, tanto majus gaudium poſtea concipiunt, ſi illud per pœnitentiam evaſerint.

§. VII. MOTIVA.

ſ. Chryſ. ho. 46. ad popul. I. ÆQuitas: Quæ colligitur ex triplici capite. 1. *offenſa Dei*: Si enim hominem exacerbans, & amicos, & vicinos, & janitores rogas, & pecunias impendis, & multos abſumis dies, accedens & ſupplicans; quidni hæc omnia potiori jure, exacerbato Deo facies? 2. *Ex damnis illatis*: Si enim Anna Tobiæ mater irremediabilibus lacrymis deplorabat filium dimiſſum dicens: Hæu, heu me, fili mi, ut quid te miſimus peregrinari, lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ: omnia ſimul in te uno habentes, te non debuimus dimittere ire a nobis; an non potiores lacrymandi cauſas inveniet is, qui omnia in Deo infinities perfectiora habens, tam indigne & inconſulte eum a ſe dimiſit? 3. *Ex Chriſti exemplo*: Si enim Rex ad prælium armatus egreditur, & cum eo milites omnes reliqui armati, an non æquum cenſebit miles quiſque, ut ipſe quoque arma corripiat? an non turpe judicabit, deliciis deliniri, pro galea pileis bombycinis, pro gladio flabellis uti? Quis ergo Chriſto duriſſima quæque pro nobis eligente & patiente, mollia ſequi, & pœnitentiam fugere non erubeſcat?

Tob. 10. v. 4. Hector. Pintius in c. 40. Ezech.

II. *Neceſſitas*: Si enim naufragium paſſo ſola adhuc tabula ſpem evadendi facit; quidni animæ naufragium paſſus peccator, pœnitentiæ tabulam cito arripiat? Si vulnus putreſcere non ſinitur, ne difficilior fiat curatio? Cur vulnera animæ per peccatum inflicta curare differimus? *ſ. Chryſ. hom 75. in Matt.*

III. *Utilitas*: Quam egregie S. Hieronymus his verbis declaravit: O lacryma humliis, tua eſt potentia, tuum regnum, tribunal Judicis non vereris, amicorum tuorum accuſatoribus ſilentium imponis: non eſt, qui te accedere vetet: ſi ſola intraveris, vacua non redibis: magis crucias Diabolum, quam pœna infernalis. Quid plura? vincis invincibilem, ligas omnipotentem, inclinas Filium Virginis. *Id. ho. 16. in Epiſt.*

IV. *Facilitas*: Quæ colligitur ex triplici capite. 1. *Ex miſericordia Dei*: De qua Taulerus non immerito dixit: Nullam matrem tam promptam eſſe ad ſuccurrendum filio ſuo in ignem lapſo, quam miſericordia Dei parata ſit ſuccurrere & indulgere peccatori veniam petenti: Unde S. Auguſtinus, ſi ego, inquit, Domine admiſi, unde me damnare poſſis, tu certe non amiſiſti, unde me ſervare poſſis. Cum ergo, inquit alibi idem Sanctus, Deus & velit miſereri, quia bonus eſt: & poſſit, quia omnipotens eſt, ipſe contra ſe Divinæ pietatis januam claudit, qui Deum ſibi miſereri, aut non velle, aut non poſſe credit, eumque aut bonum, aut omnipotentem eſſe diffidit. 2. *Ex aliorum exemplis*: De quibus S. Bernardus, non, inquit, vos retardet conſcientia, quia, ubi peccata abundaverunt, ſuperabundare conſuevit & gratia. Nec pœnitentiæ auſteritas ipſa deterreat, nec enim ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ promittitur, & ad præteritam culpam, quæ remittitur, & ad præſentis gratiam conſolationis, quæ immittitur. Si verbis non creditis, operibus credite, exemplis acquieſcite plurimorum: currunt undique peccatores ad pœnitentiam, & natura pariter, & conſuetudine delicati: nihil credentibus impoſſibile, nil amantibus difficile, nil aſperum mitibus, nil humilibus arduum reperitur, quibus & gratia ſit in auxilium, & obedientiæ devotio lenit imperium. *In Pſal. 130.* *ſ. Bern. in quoi. ſerm.*

V. *Jucunditas* tum *Dei*, quam ex converſione percipit, quæque ex parabola de filio prodigo colligitur: tum ipſius *peccatoris*, qui ſentire incipit illud gaudium, de quo pius Aſceta dixit: Si eſt gaudium in hoc Mundo, hoc utique poſſidet puri cordis homo. Si eſt alicubi tribulatio & anguſtia, hoc melius novit mala conſcientia. *Lib. 2. de imitatio. Chriſti c. 4. §. 2.*

§. VIII.

§. VIII. MEDIA.

I. D*iffidentia in viribus propriis, & confidentia in Divino auxilio*: Quod medium S. Fulgentius ſuaſit dicens: Firmiſſime tene, & nullatenus dubita, neminem hic poſſe pœnitentiam agere, niſi quem Deus illuminaverit, & gratuita ſua miſeratione converterit. Hinc Pſaltes oravit: Converte nos Deus ſalutaris noſter. Et Jeremias: Poſtquam convertiſti me egi pœnitentiam.

S. Fulg. de fide ad Petr. c. 18. *Pſal. 84. v. 5.* *Jer. 31. v. 19.*

II. *Agnoſcere ſua peccata*: Nam hoc eſt bonæ mentis, inquit S. Ambroſius, vulnus ſentire peccati. Et conſentiens S. Auguſtinus: Qui ſe cognoſcunt, inquit, ſicut peccant ſemper, ita ſemper plorant. Hinc ipſe de ſe fatetur: Amore amoris tui facio iſtud, recolens vias meas nequiſſimas in amaritudine recogitationis meæ, ut dulceſcat mihi dulcedo non fallax, & ſecura, & colligens me a diſperſione, in qua fruſtratim diſciſſus, dum ab uno te averſus in multa evanui.

S. Aug. l. de vera & falſa pœn. *l. 2. confeſſ. c. 2.*

III. *Ardenter deſiderare pœnitentiam*: Nam pœnitentia, teſte S. Chryſoſtomo, ſic eſt, quomodo ager fructifer, aut vinea arbore fœcunda, fructus ejus edit peccator famelicus, perficit in fiducia Dei, acceptaque remiſſione pingueſcit in vitia, & hæc ſont verba ejus: Domine, ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus non eſt abſconditus.

S. Chryſ. ſerm. de pœnit.

IV. *Fugere delicias*: Nam, ut ſupra ex S. Chryſoſtomo dictum eſt, ſicut impoſſibile eſt, ut ignis inflammetur in aqua, impoſſibile eſt compunctionem cordis vigere in deliciis, contraria enim ſibi ſunt & peremptoria.

S. Chryſ. l. 2. de compun. cord.

V. *Memoria frequens noviſſimorum*: Si enim diem mortis ſuæ homines jugiter cogitare vellent, animam ſuam ab omni malitia vel cupiditate cohiberent, ait recte S. Auguſtinus. Hinc Deus ipſe hoc remedium ſuaſit per Siracidem: In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.

S. Aug. ſer. 3. de Innocent. *Eccl. 7. v. 40.*

VI. *Charitatis divinæ ignem applicare*: Uti Sanctus Ambroſius ſuaſit, dicens: Si a radice vitia vis evellere, charitatis ignem applica, quo paſſiones univerſæ ac vitia ſuperantur.

Ap. Beirl. in feſto S. Mariæ Magdal. them. 9.

VII. *Paſſionem Chriſti frequenter conſiderare*: Maxime ſi conſideremus Chriſtum nos taliter e Cruce alloquentem: Nonne ſatis propter te vulneratus ſum? Nunquid pro iniquitate tua afflictus ſum? Cur addis afflictionem afflicto? Magis aggravant me vulnera peccati tui, quam vulnera corporis mei.

S. Bern. in ſerm. feria 4. heb. ſac.

§. IX. ASCETICA.

I. TRia fere ſunt, quæ de hac virtute bene addiſcere, aliosque docere debet Aſceta. Primum eſt, ut bene cognoſcat circumſtantias ad veram pœnitentiam requiſitas, quorum quatuor ſunt potiſſimæ. 1. Interno dolori & pœnitentiæ externam jungendam eſſe; nam pœnitentia ſine jejunio otioſa eſt & infrugifera, teſte S. Baſilio. 2. Diſcretionem quoque ſemper pœnitentiæ, ut germanam ſororem ſociandam; uti ſapienter monuit S. Climacus, dicens: Vidi imbecillas animas, ac debilia corpora pro peccatorum multitudine ſuperiora atque majora certamina arripere conari, nec ea poſſe ſuſtinere. Quibus ego, humilitatis, inquam, non laborum magnitudine, Deus pœnitentiam metitur atque judicat. 3. Celeriter ſuſcipiendam eſſe; periculoſiſſima quippe eſt, teſte Euſebio Emiſſeno, in ultimum diem promiſſa ſecuritas. Deinde ſtultiſſimum eſt, ut cauſa, qua de neceſſitatibus agitur æternis, mutabilitatibus vitæ deficientis comitatur extremis. Hinc Pſalmiſta ait: Pro hac (ſcilicet pœnitentia & venia) orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno. Opportunum autem tempus quod ſit, indicat alibi, dum ait: Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.

S. Baſil. hc. 1. de laud. jejun. ſer. de diſcr. *Euſebius Emiſſen. hom. de bon. latr.* *Pſal. 31. v. 6.* *Pſal. 94. v. 8.*

II. Secundum eſt, ot bene cognoſcat motiva ad pœnitentiam cito & ſerio agendam, quæ quidem ad tria fere capita revocari poſſunt. 1. *Ad æquitatem*: Quid enim æquius, quam ut Deo ad pœnitentiam tam ſolicite invitanti reſpondeatur? Quid iniquius, quam velle, ut Deus in morte peccatorem pœnitentem exaudiat, cum ipſe eum toties hortantem per totam vitam non audierit? Quid turpius, quam Deo ſummo Benefactori ultimam vitæ partem velut fœcem conſecrare, Diabolo vero ſummo & infenſiſſimo hoſti optimam & potiſſimam vitæ partem donare? 2. *Ad utilitatem*: Quatenus per accelerationem pœnitentiæ innumerabiles illi & incomparabiles meritorum theſauri, qui intra illud tempus, quo pœnitentia differtur, negligentur, inæſtimabili cum lucro redimuntor. 3. *Ad ſecuritatem*: Sic enim evitatur periculum ſalutis, quod per dilationem pœnitentiæ triplicem ob cauſam incurritur, nempe quia & Deus irritatur, ne pœnitendi ſpatium aut gratiam concedat: & quia ob conſuetudinem peccandi, & deſuetudinem bene agendi difficilior efficitur converſio: & quia ſenectus aut ultimus morbus perquam ineptum & male diſpoſitum reddunt ad converſionis negotium ſerio agendum, ut merito Chriſtus monuerit: Orate, ut non fiat fuga veſtra (ſeu converſio ad Deum) hyeme vel Sabbato: ut enim hyemes ad ferendas fruges, & Sabbatum ad operationem & lucrum inepta ſunt tempora; ita idem de ſenectute & ultimo morbo ſentiendum eſt, ut adeo non ſine fundamento Sanctus Hieronymus pronuntiarit: Vix ex centum millibus hominum, quorum mala fuit vita, in morte divinam indulgentiam obtinebit unus.

S. Hiero. ap. Hadrianus Pontif.

III. Tertium eſt, ut bene norit impedimenta, quæ plerumque peccatores abſterrent a pœnitentia, aptaque pro illis removendis remedia ſuggerere ſciat. Quinque autem potiſſimum ſunt ejuſmodi impedimenta. 1. *Deſperatio ob multitudinem peccatorum*: Quam tollere conabitur Aſceta, oſtendendo miſericordiæ Divinæ magnitudinem, quæ non modo veniam promittit pœnitenti, ſed eumdem etiam ultro invitat, ideoque ei multitu-

dinem

Digitized by Google

dinem magnitudinemque ſuorum peccatorum ob oculos ponit, ut per eaſdem ad pœnitentiam revocetur. Quæ omnia tum appoſitis Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum Sententiis, tum probatis exemplis confirmabit. 2. *Timor recidivæ*: Quem eripere nitatur, oſtendendo tum paratum a Deo auxilium, ſi ipſe peccator, quantum requiritur ex parte ipſius, accurate præſtiterit, uti ex plurimorum converſione patet: tum demonſtrando, quam ſtultum ſit, ob timorem relapſus pœnitentiam differre: Quis enim vulneratus recurſum ad medicum? Quis ſordidatas habens manus aut vultum ad lavacrum? Quis navis aut ſentinæ evacuationem ideo tantum differt, quia fieri poteſt, ut iterum vulneretur, ſordes contrahat, aut ſentina naviſque varios tumultus
L. 1 c. 25. §. 3. & inſultus patietur? 3. *Horror difficultatis*: De qua libellus de imitatione: Unum eſt, quod multos a profectu & ferventi emendatione retrahit, horror difficultatis ſeu labor certaminis. Sed & huic impedimento facile occurret Aſceta, objiciendo tot exempla con-
S. Augu. l. 9. confeſſ. c. 8. verſorum, & illud olim S. Auguſtino dictum ſubjiciendo: Potuerunt iſti & iſtæ, & tu non poteris? Revocando item in memoriam Sancti Auguſtini de ſeipſo loquentis confeſſionem: O quam ſuave mihi ſubito factum eſt, carere ſuavitatibus nugarum? & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Eundem in finem etiam proderit narrare exemplum de Juvene ſimilem difficultatem in mala conſuetudine deponenda ſentientem, cui Diabolus primum in ſpecie Gigantis apparuit, atque ad certamen provocavit, mox vero & Angelus ſecutus eſt, hortans, ut aggrederetur Gigantem, ſe enim auxiliatricem ei manum porrecturum; quod ubi fecit adoleſcens, adjuvante Angelo, ſine difficultate Gigantem ſuperavit. 4. *Metus rei, quam inordinate amaverat, deſerendæ*: Quem eripere conabitur, oſtendendo, quam facile illa ante, quam amare eam inciperet, caruerit, & vero etiam tempore morbi aut mortis ſine difficultate cariturus ſit? An ergo non poſſit gratia, quod neceſſitas vel infirmitas poteſt? Oſtendat item, quam omnem voluptatem hactenus ex re amata perceptam, abundantius in ipſo Deo, per pœnitentiam & charitatem poſſidendo inventurus ſit, ideoque illud Elcanæ dictum eidem applicet: Cur fles? Aut quam ob rem affligitur cor tuum? Numquid non ego tibi melior ſum, quam hæc aut illa creatura? 5. *Reſpectus humanus*. Quod tamen impedimentum facile tollet Aſceta, ſi meminiſſe jubeat, ſtare ex una parte Deum, a quo omne bonum, quod habet, accepit: & quod accepturus eſt, expectat, atque ad pœnitentiam invitare; homines vero, a quibus nec vitam accepit, nec expectat, ab eadem abſterrere; an enim, ſi vel micam prudentiæ & æſtimationis de Deo poſſideat, hominum potius, quam Dei invitationem ſequetur? Hortetur præterea, ut in ſimili caſu illam pii Aſcetæ doctrinam ſi-
L. 3. de im. c. 39. §. 1. bi applicet: Fili, jacta cor tuum firmiter in Domino, & humanum ne metuas judicium, ubi te conſcientia pium reddit & inſontem, (uti vel maxime per pœnitentiam contingit); bonum eſt & beatum taliter pati, nec hoc erit grave humili cordi, & Deo magis, quam ſibi ipſi confidenti. Quis tu, ut timeas a mortali homine? Hodie eſt, & cras non comparet. Deum time, & hominum terrores non expaveſces.

§. X. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

I. EX occaſione thematis: *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis*: Comparari po- *Epheſ. 4. v. 23.*
teſt pœnitentia creationi novæ hominis. Et 1. quidem oſtendi poteſt, quomodo ante omnia lux creari debeat in animo illius, ideſt, illuminatio mentis, qua vere ſtatum miſerum agnoſcat, & deteſtetur, ne ſit de numero illorum, quibus Deus minatur per Iſaiam: Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. 2. Quomodo firmamentum creari, & aquæ ab aquis dividi, ideſt, appetitus inferior a ſuperiore ſeparari, & hic quidem cælo, ſeu cæleſtibus objectis conjungi, iſte vero ſubjici homini debeat, juxta illud Dei decretum: Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. 3. Quomodo debeat terra, ideſt, *Gen. 4. v. 7.*
peccator fructus Spirituales bonorum operum producere, juxta monitum Sancti Pauli: Si- *Rom. 6. v. 19.*
cut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. 4. Quomodo Sol & Luna, cum reliquis planetis & aſtris produci debeant, ideſt, tres virtutes Theologicæ, & quatuor Morales, cum aliis virtutibus, quæ ſub iiſdem continentur, exerceri, & per habitum ſtabiliri, ubi pulchre poteſt charitas ſoli, lunæ in ſubſidium noctis creatæ ſpes, & lucifero fides comparari. 5. Quomodo debeant volatilia, reptilia, aquatilia, aliaque viventia ſenſitiva in bonum hominis creari, ideſt, potentiæ ſenſitivæ ſic ordinari, ut homini ſerviant, & ad ultimum finem conſequendum conducant. 6. Denique quomodo debeat homo ad imaginem Dei creari, ideſt, ita ordinari, ut oculos ſemper ſurſum per bonam intentionem erectos habeat, neque aliud niſi majorem Dei gloriam & beneplacitum quærat. Quæ omnia S. Pauli, S. Mariæ Magdalenæ, vel aliorum Sanctorum converſorum exemplis probari & confirmari poſſunt.

II. Ex occaſione thematis: *Expoliantes veterem hominem cum actibus ſuis, induamus eum, qui renovatur in agnitione ſecundum imaginem ejus, qui creavit illum*. Oſtendi po- *Coll. 3. v. 9.*
teſt 1. Quis ſit vetus homo ex comparatione cum ſenectute, de qua S. Hieronymus ſic lo- *S. Hier. epiſt. ad Furiam.*
quitur: Caput incaneſcit, per remiſſionem primi ſerveris in ſcopo proſequendo, decidunt tamquam ab arbore capilli (bona propoſita) dentes (conatus & ardor cibi ſpiritualis manducan-

ducandi) cadunt, balbutit lingua (conſideratio in loquendo) fluunt ſalivæ (inordinatus appetitus ciborum materialium proditur) tremunt genua (ideſt, orandi & flectendi ſtudium relinquitur facile, vel horretur, & fronte ob ſenſum rugis arata, inſtar boum a mento palearia pendent) ideſt, animus omni pinguedine ſpirituali & decore carens, ad terrena ſolatia inclinatur (caligant oculi) intellectus ſcilicet difficulter cæleſtia contemplans (accedunt podagræ, ac chiragræ dolores) ſeu moleſtia, quæ in via perfectionis decurrenda, & operibus ac laboribus ſtatui convenientibus ſentiuntur (premit pituita, ac tuſſis moleſtiſſima) ideſt, aſſiduæ concuſſiones conſcientiæ teporem arguentis. Tantis denique afficiuntur ſenes infirmitatibus, ut ipſa ſenectus morbus ſit. In eumdem finem ſervire poteſt, quod S. Bernardus de hac materia

S. Bern. ſer. 30. inter parv. ſcripſit: Duo homines ſunt, vetus & novus, ille terreſtris, iſte cæleſtis; illius imago vetuſtas, & e contrario triplex novitas: eſt enim vetuſtas in corde, in ore, in opere, in quibus tribus modis peccamus, in corde ſunt deſideria carnalia & ſæcularia, ideſt, amor carnis, & amor ſæculi; Similiter in ore eſt gemina vetuſtas, arrogantia & derogatio: item gemina in opere & flagitia, & facinora, hæc omnia ſunt imago veteris hominis, & ſunt renovanda in nobis. 2. Oſtendi poteſt, quis ſit novus homo ex comparatione cum juventute, in qua excellunt tres præcipue dotes, ſcilicet ſanitas, agilitas, & alacritas, quæ proin in ſpirituali ſenſu ad bonam conſcientiam, fervorem in bonis operibus, & jucunditatem & tranquillitatem mentis applicari poſſunt. Vide Engelgr. in Dominica Reſurrect.

Pſal. 102. v. 5. III. Ex occaſione thematis: *Renovabitur ut Aquilæ Juventus tua*. Poteſt. pœnitentia cum renovatione Aquilæ comparari. Et 1. oſtendi, quod, ſicut Aquila ſuper limpidum fontem, ſummo niſi adverſus ſolem volitat, ibique agitatione & calore excuſſis pennis, in ſubjectum fontem delabitur, & inde emergens, inter alas pullorum ſota novas plumas aſſumit, & juveneſcit; ita peccator ad miſericordis & juſti Dei ſolem evolans, illius charitate exardeſcens, veteres mores excutiat, ac inde in fontem lacrymarum lapſus novus homo exeat. 2. Quod, ſicut Aquila tum ſenectute preſſa, tum roſtri immodice creſcentis impedimento impedita, comedere non valens, labium ſuperius ad petram allidit, & ſic eo rejecto cibum ſumere, & roborari incipit; ita peccator deſideria ſua prava, quæ eum a cibo ſpirituali impediebant, & languorem cauſabant, ad Chriſtum petram allidat, & abjiciat, ſicque juveneſcere in ſpiritu incipiat. Quæ omnia per particulares caſus amplius illuſtrari poſſunt. Vide iterum Engelgr. l. c.

Baruch. 4. v. 28. IV. Ex occaſione thematis: *Sicut fuit ſenſus veſter, ut erraretis a Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum*. Oſtendi poteſt, quomodo pœnitentia conſtituta eſſe debeat, ut ſufficiat ad plenam peccatorum explicationem, nempe. 1. Quod debeat eſſe *amara* per contritionem internam, ut ſic deleatur culpa ex delectatione peccati contracta, vereque dici poſſit de pœnitente: Magna eſt velut mare contritio tua. *Thren. 2. v. 13.* 2. Quod debeat eſſe *multiplex*, per varia opera externæ afflictionis ſuſcepta; ut dicat quodammodo ſibi ipſi illud Apocalypſis: Quantum glorificavit ſe (corpus) & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum. *Apoc. 18. v. 7.* Sicque multiplicatæ culpæ multiplicata pœna correſpondeat. 3. Quod debeat eſſe *diuturna* propter diuturnitatem conſuetudinis peccandi, ſibique pœnitens in ſtatu pœnitendi velut carcere conſtitutus, quodammodo dicat: Non exibis hinc, donec ſolvas noviſſimum quadrantem.

Luc. 3. v. 4. V. Ex occaſione thematis: *Parate viam Domini*: Oſtendi poteſt, quomodo per pœnitentiam peccator viam Domino parare debeat, ſicque implere illud S. Joannis Baptiſtæ monitum: Erunt aſpera in vias planas. *Ib. v. 5.* 1. Itaque oſtendatur, quomodo mutanda ſint prava in directa, per contritionem, & propoſitum ſincerum emendationis. 2. Quomodo omnis mons & collis humiliandus, per confeſſionem humilem & accuratam. 3. Quomodo omnis vallis per ſatisfactionem, fructibus pœnitentiæ implendus ſit. Quæ omnia apud Fabr. Dom. 4. Advent. conc. 7. fuſius explicata videri poſſunt.

Matt. 21. v. 2. VI. Ex occaſione thematis: *Ite in caſtellum, quod contra vos eſt; & ſtatim invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſolvite & adducite mihi*. Poteſt hic totus textus ad converſionem peccatoris applicari. Et 1. oſtendi poteſt, per Apoſtolos intelligi Prædicatores, per Caſtellum vero Mundum, qui eſt contrarius Prædicatoribus. 2. Oſtendi poteſt, per aſinum intelligi peccatorem, juxta S. Davidem: Homo, cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis; *Pſal. 48. v. 13.* per funes autem peccata, juxta illud Iſaiæ: Solve vincula colli tui, captiva filia Sion; *Iſa. 52. v. 2.* & illud Pſalmiſtæ: Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. *Pſ. 115. v. 16.* 3. Oſtendi poteſt per eos, qui obmurmurant, intelligi Dæmones, malos ſocios, propinquos, carnem propriam; ſed hos non curandos, dicendumque: Quia Dominus his opus habet, ad miſericordiam ſuam oſtendendam, fructumque paſſionis applicandum; ſic enim ſedebit, & quieſcet in aſina, & cum ea Jeruſalem, ideſt, viſionem pacis ingredietur. 4. Oſtendi poteſt, quomodo ſolvenda ſit aſina per Sacramentalem abſolutionem; ſicque confeſtim Diabolus & Mundus dimiſſuri ſint illam. 5. Denique oſtendi poteſt, quomodo Chriſtus ſuper eam collocandus ſit, tum per S. Euchariſtiæ ſuſceptionem: tum per perfectam obedientiam mandatis ejus exhibendam; ita tamen ut prius ei veſtes, ideſt, opera ſatisfactionis ſupponuntur, quo ſuavius ſedeat, magiſque placeatur. Quæ omnia breviter apud Fabr. Domin. Palmar. conc. 8. n. 4. indicata videri poſſunt.

VII. Ex occaſione thematis: *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*: Oſtendi poteſt verus modus agendi pœnitentiam. Et 1. quidem quomodo ſurgendum per fugam peccati & occaſionem ejus, deſiderio ſuperno-

rum

In citat. verb. rum ſuſceptam, ut explicat S. Bernardus. 2. Quomodo tollendus lectus, per punitionem dimiſſarum culparum, ut jam non feratur anima concupiſcentiis corporis & terrenarum voluptatum, ſed magis ipſa, ut dignum eſt, regat corpus, & ferat, quo non vult. 3. Quomodo vadendum in domum ſuam, per compenſationem operum malorum per bona, ut tantum ſtudeat nunc ad bene agendum, *S. Thom. cap. 1. Matth.* quantum ſtuduit ad peccandum, ut S. Thomas hæc tria ad veram pœnitentiam requirens explicat; vel, ut S. Bernardus ait: Si ea, quæ retro ſunt obliviſcens quis, & ad ea quæ anteriora ſunt, deſiderio & propoſito proficiendi ſe extendat. Quæ omnia fuſius explicata apud Fabr. in Auctar. Domin. 18. poſt Pentec. conc. 3. videri poſſunt.

Jo. 1. v. 23. VIII. Ex occaſione thematis: *Dirigite viam Domini*: Proponi poſſunt viæ pravæ, ſeu falſæ opiniones circa pœnitentiam, & ex illis oſtendi, quæ ſit vera pœnitentia. 1. Ergo via *devia* & *erronea* eſt Hæreticorum, qui negant, aliam pœnitentiam eſſe neceſſariam, quam novæ vitæ inchoationem. 2. Via eſt *voraginoſa*, eorum ſcilicet, quos pœnitet, quod non gravius peccarint, aut occaſionem peccandi elabi omiſerint. 3. Eſt via *anguſta*, eorum, qui vel omnino non dolent, vel certe non de omnibus peccatis. 4. Via *profunda* eſt (Tolluveg) qui naturali tantum ex motivo, verbi grat. damni temporalis, infamiæ, aut ſupernaturali quidem, ſed imperfecte, v. gr. gehennæ incurrendæ, dolent. 5. Via *ſubdola*, ſeu *tecta* eſt, eorum videlicet, qui nequiter ſe humiliant, & fictam pœnitentiam agunt. 6. Denique *præceps*, nempe ſcrupuloſorum, & deſperantium, in præcipitium tendentium. De quibus omnibus fuſius differentem vide Fabrum in Auctar. Domin. 3. Advent. them. 5.

Matth. 17. v. 18. IX. Ex occaſione thematis: *Quare nos non potuimus ejicere illum*: Poſſunt proponi impedimenta converſionis, & convenientia remedia offerri. Primum impedimentum eſt: *Exod. 5. v. 7.* *Curæ & ſecularia negotia*. Ubi Dæmon agit, quemadmodum Pharao, qui dixit: Opprimantur laboribus, & expleant ea, ut non acquieſcant verbis mendacibus, ad ſacrificandum Deo invitantibus. Secundum eſt *procraſtinatio*: Ubi Diabolus imitatur perdicem ſui capiendi ſpem facientem; donec pulli, evadendi occaſionem ſunt nacti, quo facto etiam ipſa avolavit. Tertium eſt *difficultas confitendi*: Ubi Dæmon hortatur ad imitandas ancillas pigras, quæ horrentes laborem evertendæ domus, ſordes in angulum conjiciunt, ut poſt longum tempus ſimul evertant. Quartum eſt *3.Reg. 22. v. 8.* *fuga peritorum Confeſſariorum*: Ubi Dæmon inſtigat, ut dicant cum Achab: Ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malum. Aliter ac S. Ludovicus Rex Galliæ filio ſuaſit dicens: Fac idoneus tibi ſit conſcientiæ arbiter, cujus prudentia doctrinaque in omnibus ſemper tutus ſis. Quintum eſt *deſperatio emendationis*: Ubi Dæmon imitatur Jairum & domeſticos ejus, perſuadentes filiam eſſe mortuam, atque adeo omnia deſperata eſſe; quibus tamen cum Chriſto dicendum; Recedite, non enim eſt mortua puella, ſed dormit. Vide Fabrum in Auctar. themat. 1. fuſius hæc explicantem. Item eumdem in opere tripartito conc. 8. in Dom. 3. Quadrag.

Neceſſitas.

X. Ex occaſione thematis. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Poteſt pœnitentia *Luc. 13. v. 3.* Baptiſmo comparari. 1. Propter neceſſitatem, quia ſicut Baptiſmus omnibus hominibus; ita pœnitentia ſaltem omnibus peccatoribus eſt neceſſaria ad ſalutem obtinendam. 2. Propter effectus, quia ut Baptiſmus omne peccatum delet; ita & pœnitentia. 3. Propter materiæ & formæ ſimilitudinem ut enim in Baptiſmo per aquam; ita in pœnitentia per lacrymas abluitur peccator; ita in hac dicitur: abſolvo te. Quæ omnia fuſius didicit & probat Faber conc. 6. in Dom. 4. Adventus.

XI. Ex occaſione thematis: *Quis dabit capiti meo aquam? & oculis meis fontem lacrimarum, & plorabo die ac nocte?* *Jer. 9. v. 1.* Oſtendi poſſunt fontes, ex quibus lacrymæ hauriri poſſunt, ſeu motiva ad pœnitentiam excitantia. Quorum 1. eſt, *perſonam offenſam*, ſcilicet Deum infinite potentem, ſapientem, bonum perpendere. 2. *Perſonam offendentem* conſiderare, videlicet creaturam tanti Creatoris, ſervum tanti Domini, Filium tanti Patris, Clientem tanti Benefactoris. 3. *Offenſæ ipſius qualitatem* ponderare, quod ſcilicet ſit averſio a ſummo bono ad ſummum malum, a fonte vivo ad lacunas & ciſternas diſſipatas, quæ *Jer. 2. v. 13.* continere non valent aquas, ita ut merito Deus tam ſignificantibus verbis hanc injuriam queſtus ſit, dicens: Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini. Duo mala fecit Populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas. 4. *Effectus offenſæ* librare juxta Apoſtoli monitum; Quem fructum habuiſtis tunc in *Rom. 6. v. 21.* illis in quibus nunc erubeſcitis? Nimirum ruborem, dolorem, timorem. An ergo tanti ememus pœnitere? An tanta mala tam brevi & levi voluptabula redimemus? 5. *Multitudinem offenſarum* computare: ſi enim unica tantopere Deum & nos ipſos offendit, tot tantæque quid facient? An non jure exclamabit cum S. Davide: Circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem. Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me. Vide Fabrum p. 1. in feſto S. Mariæ Magd. conc. 3. *Pſal. 39. v. 13.*

XII. Ex occaſione thematis: *Simile eſt regnum cælorum decem Virginibus*. Poteſt parabola iſta pœnitentibus applicari, dicique, *Matt. 25. v. 1.* quod iſti ſint Virgines ſapientes, quæ paraverunt lampades ſuas, & impleverunt oleo charitatis erga Deum & proximum: Declaretur ſubinde gaudium, quod iſtæ concepturæ ſunt ex admiſſione ad nuptias cum tali Sponſo, cum tanta bonorum omnium affluentia, per totam æternitatem contrahenda. E contra-

trario vero oſtendatur, eos, qui differunt pœ-
nitentiam, eſſe inſipientibus ſimiles Virgini-
bus, ſimulque monſtretur, quantum olim do-
lorem ex ſua excluſione; & auditis illis ver-
bis: Neſcio vos, hauſturæ ſunt fatuæ hæ Vir-
gines.

Matth. 7. v. 13. XIII. Ex occaſione thematis: *Intrate per
anguſtam portam*. Poteſt pœnitentiam huic
portæ comparari. 1. Propter *anguſtiam*, quæ
nihil aliud eſt, quam difficultas in pœnitentia
occurrere ſolita, maxime ob compreſſionem
& humiliationem. Quam ob cauſam pauci in-
veniunt, aut ingredi volunt per hanc portam.
2. Propter *neceſſitatem*. Hæc enim unica eſt
porta, quæ peccatoribus aperta eſt, ſi Civita-
tem cæleſtem ingredi velint, an non ergo
præſtat modico tempore comprimi, ut in di-
ctam civitatem admittatis, quam timore mo-
dicæ compreſſionis æternum ab ea excludi, &
in tenebris perpetuis cum miſeria inexplicabi-
li verſari? 3. Propter *modum intrandi*. Vide-
licet ſubmiſſionem triplicem, mandatis Divi-
nis per juſtitiam & charitatem, hominibus
per humilitatem, & Juſtitiæ Divinæ per pœ-
nitentiam exhibendam; qui enim tali modo
ſe ſubmiſerit, vel humiliaverit, exaltabitur,
& intromittetur ad cæleſtem civitatem.

XIV. Ex occaſione thematis: *Aperite mihi
Pſal. 117. v. 19. *portas juſtitiæ: ingreſſus in eas confitebor Do-
mino: hæc porta Domini, juſti intrabunt per
eam:* Poteſt pœnitentia Portæ Sanctæ, quæ
Romæ tempore Jubilæi aperitur, comparari.
1. Quia certo tantum tempore, ſcilicet, vi-
tæ hujus aperta eſt. 2. Quia omnibus promi-
ſcue aperta eſt, & omnes ad ingreſſum invi-
tantur illis S. Joannis verbis: pœnitentiam
agite: appropinquavit enim regnum cælorum.
3. Quia plenum Jubilæum tanto certius per
Matth. 3. v. 2. ejus ingreſſum obtinetur, quanto potentior,
fideliorque eſt, qui indulgentiam promiſit.
4. Quia etiam ad hujus portæ ingreſſum re-
quiruntur varia opera pœnitentiæ accurate præ-
ſtanda, juxta illud S. Joannis: Facite fructus
Luc. 3. v. 8. tom. 2. in inſtr. Sp. dignos pœnitentiæ. Excitentur proinde audi-
tores, ut occaſionem tam periculoſam negli-
gant, ſed potius illud S. Auguſtini ſibi dictum
putent: Ecce indulgentiæ dator aperit tibi
oſtium, quid moraris?

XV. Ex occaſione thematis: *Non tardes
Luc. 5. v. 6. *converti ad Dominum, & ne differas de die
in diem*: Explicari poteſt triplex dilatio ple-
rumque fieri ſolita. 1. Eorum, qui de die in
diem differunt, quotidie volentes ſurgere; &
hi per filiam Jairi mortuam, ſed nondum ela-
tam, ſignificati ſunt, qui proinde non tanta
potentia, ut alii, ad reviviſcendum indigent.
2. Eſt eorum, qui pœnitentiam, ad ſenſum
differunt: & hi per adoleſcentem jam elatum
commode ſignificantur, ac majori conatu ad
reſurrectionem indigent. 3. Denique eſt eo-
rum, qui pœnitentiam ad mortis tempos dif-
ferunt, & per Lazarum jam ſepultum apte
ſignificantur, qui ſummo conatu ad ſui vivi-
ficationem indigent. Quæ ſingulæ claſſes fuſius
explicari, remediaque apta offerri poſſunt, uti
Faber conc. 7. in Dom. 15. poſt Pent. Item
conc. 4. in Dom. 24. poſt Pent. & conc. 2. in
Dom. 23.

Utilitas.

XVI. Ex occaſione thematis: *Vidit illum* *Luc. 15. v. 20.*
*pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & ac-
currens, cecidit ſuper collum ejus & oſculatus
eſt eum:* Poteſt explicari efficacia pœnitentiæ,
fructuſque illius pro officio filio prodigo a pa-
tre exhibito demonſtrari. Nam 1. oſculo pa-
terno eum excepit, & amplexatus eſt: quo
plena redintegratio amicitiæ & remiſſio pecca-
torum ſignificatur. 2. Annulus in manu ejus
datus eſt: quo reviviſcentia meritorum indi-
catur. 3. Stola prima indutus eſt, ad gratiæ
juſtificantis reſtitutionem teſtificandam. 4.
Convivium inſtruxit, ſecuræ ſcilicet, & tran-
quillæ conſcientiæ, quæ, teſte Salomone, eſt
juge convivium. 5. Calceamenta pedibus in-
dui juſſit: per quæ reſtitutio famæ recte in-
telligitur, eo quod calceamenta liberi homi-
nis & ingenui indicium olim fuerint; nam ſer-
vi nudipedes incedere cogebantur. 6. Vitulum
occidi juſſit, ad ritum videlicet, qui in SS.
Miſſæ Sacrificio offertur, ſignificandum, ad
quem peccator converſus iterum admittitur. 7.
Symphoniam fieri præcepit, ad ſignificandam
lætitiam, quam Deus, Angeli, Sancti homines
& ipſe pœnitens ex converſione percipiunt. Quæ
omnia fuſius probata apud Fabrum concil. 2.
in Dom. 3. poſt Pent. videri poſſunt.

XVII. Ex occaſione thematis: *Cibabis nos* *Pſal. 79. v. 6.*
*pane lacrymarum, & potum dabis in lacrymis
in menſura*. Explicari poteſt vis & efficacia
lacrymarum per ſimilitudinem cibi & potus.
Et 1. quidem oſtendi, quomodo vitam ſpiritua-
lem conſervent, & nutriant, reparando quodam-
modo humidum radicale. 2. Quomodo ſatient,
reddendo tranquillam conſcientiam. 3. Quo-
modo pinguefaciant, augendo merita ſuperna-
turalia. 4. Quomodo delectent, per internam
lætitiam, ex recuperatione gratiæ ſtatim con-
ceptam. 5. Quomodo roborent, immiouendo
timorem, ex vindicta, Divinæ Juſtitiæ conce-
ptum. Pro quibus fuſius explicandis ea, quæ
Faber conc. 5. in feſto S. Mariæ Magdalenæ
proponit, ſervire poſſunt.

§. XII. MISCILLANEA.

Qualitas.

I. JAcob benedictionem a patre obtinuit, quia *Beirline. in feſto*
pulmentum, quo libenter veſcebatur, *S. Magd.*
obtulit; Cum ergo & ſacrificium Deo *them. 2.*
gratiſſimum ſit ſpiritus contribulatus, an non,
qui illum obtulerit per pœnitentiam, parem
a Deo benedictionem ſperabit.

II. David ſtatim, ubi intellexit, Siccleg *1. Reg 30.*
oppidum ab Amalecitis everſum, omneſque *v. 18.*
incolas in captivitatem ductos, arma ſumpſit,
hoſtemque profligravit. Sed & Abraham au-
diens captum eſſe Loth fratrem ſuum, mox *Gen. 14.*
numeravit expeditos vernaculos ſuos trecentos *v. 14.*
& octo, fratremque liberavit: Quidni ergo
multo magis propriam ſuam animam a dæmo-
nibus captam liberare quis ſtudeat?

III. Mathematici ajunt, rectam lineam eſ- *Beir. l. c.*
ſe, cujus extrema maxime diſtant: talis eſt ſta-
tus pœnitentis, cujus initia ſunt peccatum &

Digitized by Google

vitia, finis virtutes & opera bona. Quidni ergo rectus cenſeatur?

Ibid. IV. Alexander Macedo, quando urbem quampiam obſedit, facem accendere conſuevit, ſimulque proclamari juſſit, tamdiu ſpem gratiæ ſupereſſe, quamdiu fax arderet; ea combuſta nullum veniæ locum eſſe: Ita & Deus facit, vitam concedens pro termino veniæ obtinendæ; hac enim finita, clauſa gratiæ eſt janua.

Vita PP. ap. Pet. Canch. §. 4. V. Abbatem Siſoem rogans Monachus, quid agere poſt lapſum debeat? Audivit ab eo: Surge. Cumque ſubjiceret Monachus, ſe ſurrexiſſe, ſed iterum cecidiſſe: Reſpondit Siſoes: iterum ſurge. Iterum vero quærenti: Quoties tandem ſurgendum eſſet? donec mors, inquit, aut ſtantem te, aut jacentem inveniat.

Lab. in loc. com. V. Pænit. VI. Omnis peccator perit, ſed non eodem modo; nam aliqui pereunt ut gemma, nullam emittens vocem, qua roget Dominum, ut ipſam quærat, & ſic Peccatores obſtinati pereunt; alii pereunt ſicut ovis, quæ belatu ſuo movet Paſtorem ad ipſam requirendam, & tali modo Peccatores non obſtinati pereunt, *Pſ. 118.* quorum typus erat David dicens: Erravi, ſicut ovis, quæ periit: Quære ſervum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus.

Ibid. VII. Deus populum ſuum per Jeremiam ad pœnitentiam excitaturus, juſſit hunc Prophetam in domum Figuli deſcendere, ubi cum *Jer. 18. v. 6.* Propheta Figulum vas confractum reficientem vidiſſet, dixit ei Deus; Numquid ſicut Figulus iſte non potero facere vobis domum Iſrael? Ecce ſicut lutum in manus Figuli, ſic vas in manu mea, domus Iſrael.

Æquitas.

Lab. l. c. VIII. Petra refugium Herinaceis, inquit Pſalmiſta: Ubi per Herinaceum Peccator ſpinis criminum obſitus, per Petram vero Chriſtus crucifixus intelligitur; nam, ut Sanctus *S. Bern. ſ. 61. in Cant.* Bernardus ait, ubi tuta, firmaque infirmis requies, niſi in vulneribus Servatoris tanto illic ſecurior habitatio, quanto ille potentior eſt ad ſalvandum. Clamat clavos, clamat vulnus, quod vere Deus ſit in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Patet arcanum cordis per foramen corporis; patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto; quidni viſcera per vulnera pateant? in quo enim clarius, quam in vulneribus tuis eluxiſſet, quod tu Domine ſuavis & mitis, & multæ miſericordiæ ſis; majorem enim miſerationem nemo habet, quam ut pro addictis morti & damnatis animam ſuam ponat.

Ibid. IX. Si multorum mihi conſcius ſum peccatorum, ait idem S. Bernardus, Domine, memorabor juſtitiæ tuæ ſolius; ipſa enim eſt & mea: nempe factus es mihi tu juſtitia a Deo; numquid mihi verendum, ne non una duobus ſufficit: non eſt pallium breve, quod non poſſit duos operire, juſtitia tua juſtitia in æternum. Quid longius æternitate? & te pariter, & nec operiet largiter larga & æterna juſtitia; & in me quidem operiet multitudinem peccatorum, in te autem, Domine, quid niſi pietatis theſauros, divitias bonitatis.

X. S. Auguſtinus cum olim Æneæ errores legens, oblitus errorum ſuorum Didonis mortem deploraſſet, tandem illuſtratus exclamavit: Quid miſerius miſero non miſerante ſe ipſum? & flente Didonis mortem, quæ fiebat amando Æneam, non flente autem mortem ſuam; quæ fiebat, o Deus meus, amando te? *S. Aug. l. 1. conf. c. 13.*

Neceſſitas.

XI. Pharao fertilitatis tempore frumenta colligebat, & in futuram ſterilitatem opportuna aſſervabat. Idem facere Peccator deberet; anni quippe fertilitatis, eſt tempus vitæ & miſericordiæ Dei conceſſum. *Gen. 41. v. 47.*

XII. Echinus quo diutius partum differt, tanto difficilius parit; quia ſpinæ in catulis creſcunt. Simili modo ſe res habet in peccatoribus pœnitentiam differentibus; cum enim peccata augeantur, difficilior inde converſio & confeſſio efficitur. *Beirl. in feſto S. Mariæ Magd. them. 2.*

XIII. Non te pudet, inquit Seneca, tibi vitæ reliquias reſervare, & id ſolum tempus, deſtinare bonæ menti, quod in nullam rem conferri poſſit? Quam ſerum eſt, tunc vivere incipere, cum deſinendum eſt. *Senec. de brev. vit.*

Utilitas.

XIV. Cum incendium in domo oritur, omnis ſupellex per feneſtras ejicitur, idipſum facit peccator cæleſtis amoris incendio in anima exorto, omnia, quæ inordinate amabat, ejicit, ut ſecurius ea in cælo poſſideat. *Beirl. loc. ſup. cit.*

XV. S. Auguſtinus efficaciam lacrymarum matris ſuæ explicans, ſic loquitur: De hac profunda caligine eruiſti animam meam, cum ad te ploraret mater mea, fidelis tua, amplius quam flent matres corporea funera. Exaudiſti eam, nec deſpexiſti lacrymas ejus, cum profluentes rigarent terram ſub oculis ejus. Quanto magis hanc vim habebunt lacrymæ ab ipſomet Peccatore pro anima ſua profuſæ? *S. Aug. l. 3. confeſſ. c. 11.*

XVI. Lacrymæ pœnitentis pulchre per aquas rubri maris ſignificatæ ſunt; ut enim per illas Ægyptii, ita per lacrymas peccata delentur, & merguntur. *Beirl. l. c.*

XVII. Cervus ſenio confectus, in oſtio ſpeluncæ tam fortiter reſpirat, ut ſerpentes in ea incluſos foras prodire compellat, quos ſtatim devorans affluenter ſudat, tantamque humoris copiam ſudore egerit, ut prorſus renovetur, & velox fiat. Idem contigit Peccatori, qui ſi per gemitus peccata ſua ex pectore eliciat, & per confeſſionem conterat, lacrymaſque ſudando emittat, fit ſaliens ſicut cervus, & tranſiliens ſicut colles. *Stapl. Do. Paſch. them. 6.*

XVIII. In veteri lege eodem in loco, in quo holocauſtum offerebatur, etiam hoſtia pro peccato mactabatur; ut vel ex hoc cognoſcerent peccatores quam gratum Deo holocauſtum ſit Peccatoris per hoſtiam illam ſignificati converſio & ſpiritualis mactatio. *Id. th. 3. in Dom. 1. poſt Pent.*

Dilatio Pœnitentiæ.

XIX. Archias Rex Thebanus in lauto, quod amicis inſtruxerat, convivio conſiſtens, quia lit- *Plut. lib. de genio Socrat.*

litteras a Tabellione, ſeria contineri in iis dicente, aperire neglexit, ſeriaque in craſtinum differenda dixit, eadem nocte a Sicariis, de quorum inſidiis litteræ monebant, occiſus eſt.

Engel. in Dom. 1. Paſch. XX. Sigiſmundus Rex Poloniæ, ob perpetuam cunctationem craſtinus dictus, grandem ſibi regnoque perniciem hac ſua procraſtinatione accivit; idem timendum peccatori pœnitentiam differenti.

XXI. Recte in hanc materiam canit Horatius.

Qui lædunt oculo feſtinas demere, ſi quid
Eſt animum; differs curandi tempus in annum.

S. Aug. in Pſal. 102. XXII. Vocat te Deus undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per flagellum correptionis, vocat per miſericordiam conſolationis. Quod tibi parcit, putas. Quia places ei? hæc feciſti, inquit, & tacui. Non mihi placent peccata, ſed longanimitate quæro recte facta. Si punirem peccatores, non invenirem Confeſſores. Ergo Deus te longanimitate ſua parcendo ad pœnitentiam adducit.

Ibid. XXIII. Sunt, qui præparant converſionem, & differunt, & fit illis vox corvina cras, cras. Corvus de arca emiſſus, non eſt reverſus. Non quærit Deus dilationem in voce corvina, ſed confeſſionem in gemitu columbino. Miſſa columba reverſa eſt. Quandiu cras, cras? obſerva ultimum cras, quia ignoras, quod ſit ultimum cras.

S. Greg. l. 8. mor. c. 12. XXIV. S. Gregorius ſuper illud Job: Non aſpiciet me viſus hominis: Quærit: Quiſnam eſt viſus iſte, cujus carentiam deplorat S. Job? viſus hominis eſt miſericordia Redemptoris, quæ inſenſibilitatis noſtræ duritiem, cum reſpicit, emollit. Unde in Evangelio dicitur: Reſpexit Dominus Petrum, & recordatus eſt Petrus verbi, quod dixerat Jeſus, & egreſſus foras flevit amare.

§. XIII. AXIOMATA.

Engel. in Do. Paſ. ex S. Aug. in Floril.

I. Pœnitentia ſera, raro vera.
II. Sera pœnitentia in fundo.
III. Quem pœnitet peccaſſe, pene eſt innocens.

§. XIV. AUTHORES.

I. S. Albertus Magnus in Paradiſo animæ Verbo: Pœnitentia.

II. Franciſcus Labata in locis communibus tit. eod.

III. Petrus Sanchez in Regno Dei p. 4. c. 7.

IV. Ludovicus Granatenſis in ſilva locorum communium.

V. Mathias Faber in opere Tripartito & Auctario.

VI. Laurentius Beirlinck in feſto S. Mariæ Magdalenæ, them. 2.

VII. Thomas Stapletonus Dom. 3. poſt Pent. them. 5. & Dom. 10. them. 4. & Dom. 23. them. 3. Item Dom. 3. poſt Epiph. text. 8. Dom. Paſch. text. 6. & Dom. 1. poſt Paſcha text. 4.

VIII. Joan. Buſæus in Viridario. V. eodem.

IX. Joſephus Manſi in Bibl. moral. tr. 61.

TITULUS CXIX.

PROCRASTINATIO PŒNITENTIÆ.

§. I. EX S. SCRIPTURA.

I. NON tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; ſubito enim veniet ira illius: & in tempore vindictæ diſperdet te. *Eccl. 5. 8.*

II. Cujus veſtrum aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum? *Luc. 14. 5.*

III. Vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit. *Prov. c. 1. 24.*

IV. Ne impie ages multum, ne moriaris in tempore non tuo. *Eccl. c. 7. 18.*

V. Nolite errare, Deus non irridetur; quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet. *Ad Gal. c. 7.*

VI. Cor durum habebit male in noviſſimo. *Eccl. c. 3. 27.*

VII. Tunc invocabunt me, & non exaudiam; mane conſurgent, & non invenient me: eo quod exoſam habuerint diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperint, nec acquieverint conſilio meo, & detraxerint univerſæ correptioni meæ. *Prov. c. 1. 28.*

VIII. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamus arma lucis, ſicut in die honeſte ambulemus. *2. Cor. 6. ad Rom. c. 13. 12.*

IX. Neſcit homo finem ſuum: ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aves laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo ſupervenerit. *Eccl. 9. 12.*

X. Si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. *Deut. c. 23. 21.*

XI. Verterunt ad me tergum, & non faciem, & in tempore afflictionis ſuæ dicent: Surge, & libera nos. Ubi ſunt Dii tui, quos feciſti tibi? ſurgant, & liberent te in die afflictionis tuæ. *Jer. c. 2. 27.*

XII. Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Et iſti non cognoverunt vias meas: ut juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. *Pſal. 94. 8. & 11.*

XIII. Panis ejus in utero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus. *Job c. 20. 14.*

XIV. Non demoreris in errore impiorum: ante mortem confitere. A mortuo quaſi nihil, perit confeſſio. Confiteberis vivens, vivus & ſanus confiteberis, & laudabis Deum & gloriaberis in miſerationibus illius. *Eccl. c. 17. 26.*

XV. De propitiato peccato noli eſſe ſine metu, neque adjicias peccatum ſuper peccatum. Et ne dicas: Miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur; miſericordia enim & ira ab illo cito proximant, & in peccatores reſpicit ira illius. Quæ verba Paulus de Palatio ita exponit: Miſeratio Domini magna eſt, non ut adjicias peccata, ſed ut remittenda credas, ſi amplius ea non committere decreveris. *Eccl. c. 5.*

Digitized by Google

§. II. EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

S. Baſil. hom. 9. in divit. avar.

I. NOs peccata velociter quidem promptoque animo committimus, pigre vero poſtmodum ac ſero pœnitentiam agimus.

Dion. Car. opuſc. de conv. pec. ar. 2.

II. Converſionem, pœnitentiamque differre, eſt tempus non ſolum infructuoſe, imo & vitioſe expendere, ſpiritualia lucra negligere; hoc eſt, profectum in omni gratia & virtute in multiplicatione meritorum, in incremeoto cæleſtium præmiorum impedire, propriam animam vitiis lacerare, dæmonibus deſervire, Deo altiſſimo prorſus ingratum exiſtere, qui converſionem ioiqui tam miſericorditer præſtolatur, qui eis pro malis tot bona largitur, & ipſum ad meliora hortatur, qui in ſeipſo infinitæ eſt bonitatis, ſanctitatis, ac dignitatis, ut ſolo ejus amore debeamus ad honorificentiam, & amorem ejus allici, & accendi.

S. Baſil. or. 1. de pœn.

III. Sioe me, quæſo, inquis, utar carne ad perſruendas res turpes, voluter in cœno voluptatum, ſanguine imbuam manus, diripiam aliena; pejerabo, mentiar, & tunc pœnitentiam, ubi abſtinuero a malis agam. At ſi bona res eſt peccatum, tuere, ac tene hoc uſque in finem: ſin vero ei, qui illud perpetrat, noxium eſt, quid rebus peroicioſis adhæreſcis! Num putas, Deum non videre, quæ aguntur? Num non percipit tuas cogitationes? Num opem fert tuis iniquitatibus? Ingenti te ſcelere adſtrinxiſti, inquit ille, eo quod exiſtimaris, me tui ſimilem fore. Tu cum mortalis viri amicitiam ambis, beneficiis illum ad te, dicendo, & faciendo, quibus intellexeris hominem gaudere, allicis; At quando cum Deo conjungi, ac in numerum filiorum te recepi vis, ea, quæ inimica ſunt Deo, perpetrans, & legem tranſcendendo ignominia ipſum afficieos, ex his quibus ipſum vel maxime offendis, conjunctionem, & conſortium ſperas? Vide, ne redemptioni ſtudendo, malorum multitudinem tibi coacerves, ad peccatum aggreges, nec tamen veniam impetres.

S. Antonin. p. 1. tit. . cap. 3. §. 2.

IV. Timeamus, ne, dum redemptionis ac veniæ ſpe multa vitia nobis colligimus; ita peccatum aggeramus, ut remiſſionem interim non conſequamur. Quandoquidem navis majus mercium pondus aliquonſque ſuffert, ultra modum autem onerata deprimitur, aquiſque obruitur. Caveamus, ne eum ſimilia iis, atque adeo venia majora & graviora flagitia perpetraverimus, antequam ſperatos portus reſpicere queamus, naufragium faciamus.

S. Anſel. Manſi tr. 51. diſ. 2. n. 5.

V. Cum Eſau de venatu rediiſſet, & cognoviſſet, quod Jacob benedictionem quam ipſe expectabat, accepiſſet, vehementer doluit, & flevit, & antea primogenita, & nunc benedictionem perdidiſſet, ſed licet ubertim fleret, & tamen pœnitentiæ locum non invenit, per quam primogenita, quæ dudum vendiderat, recuperaret, ipſe ſumeret; quia ſero flevit, & ſero pœnitentiam quæſivit. Sic & vos præcavete, ne, cum poſt mortem debetis recipere benedictonem, reprobemini, & locum pœnitentiæ tunc non inveniatis, ſi modo primatum veſtræ dignitatis propter brevem aliquam delectationem perdideritis. Tarde enim in illo ſæculo quæritur pœnitentiam cum jam fratres noſtros beoedictionem, quam ſperabamus, accepiſſe cognovimus, & nos ſine benedictione relictos eſſe. Nunc eoim tempus eſt pœnitentiæ, non tunc.

S. Anton. l. c.

VI. Erit eis verbum Domini: *Manda, remanda*, ſcilicet aliquam commoditatem: *Expecta, reexpecta*, me ſcilicet ad pœnitentiam: *Modicum ibi, modicum ibi*; ut vadant, & cadant retrorſum. Non enim videt, qui cadit retrorſum, quod cadit, & lethaliter cadit, ſicut Heli ex tali caſu mortuus. Unde dicitur Eccleſi. 29. *Repromiſſio nequiſſima perdit*. Repromiſſio, ſcilicet cogitatio, qua peccator pluries promittit ſibi longam vitam, tamquam eſſet de ea certus, & ex qua diſponit multa facere in mundo, & propter mundum, & inter cætera etiam pœnitere. Iſta eſt nequam nequior, & nequiſſima. Nequam ſiquidem eſt iſta repromiſſio, quia ſibi uſurpat peccator hoc, quod eſt proprium Dei, ſcilicet de futuro diſponere; nam dicit Chriſtus. Actor. 1. *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*. Bernardus contra talem de futuro præſumentem ait: Quid de futuro miſer tam temerarie præſumis, tamquam Pater tempora & momenta in tua, non in ſua poſuerit poteſtate. Nequior eſt iſta repromiſſio, quia tempus infiniti valoris ſibi a Deo datum ſatue expendit, & cum hoc præſumit, quod adhuc ſit ei daturus ſpatium & gratiam pœnitendi. Nequiſſima eſt, quia non ſolum tempus datum perdidit, ſed & in contumeliam Creatoris convertit, & uti diſponit.

S. Chr. h. 9. in Var.

VII. Amat mortem, qui vitæ præcepta non ſervat, & horret vitam, qui peccata morti debita deſperata mente frequentat; ut enim per obſervantiam legis vita acquiritur; ita per contemptum mors a contumacibus invenitur.

S. Aug. ſ. 57. de temp.

VIII. Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non poteſt denegari. Sed Authores tamen eſſe non poſſumus, quod qui ſic petierit, mereatur abſolvi. Quomodo pœnitentiam agere poſſit, qui nulla jam pro ſe opera ſatisfactionis operari poteſt? Et ideo pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma eſt; pœnitentia, quæ a moriente tantum petitur, timeo, ne & ipſa moriatur.

S. Fulg. ep. 7. c. 2.

IX. Salubris converſio duplici ratione conſiſtit, ſi nec pœnitentia ſperantem, nec ſpes deſerat pœnitentem, ac per hoc, ſi ex toto corde quiſquam renunciet peccato ſuo, & toto corde ſpem ponat remiſſionis in Deo; eteoim nonnumquam aut ſpem pœnitenti homini diabolus adimit, aut ſperanti pœnitentiam tollit; unum, dum onerat, comprimit; alterum, dum elevat, dejicit.

Id. l. 2. de remiſſ.

X. *Judicium ſine miſericordia illi fiet, qui non fecerit miſericordiam*; Ordo autem miſe-

ri-

ricordiæ continet, ut miſericordiam, quam homo impendere jubetur alteri, prius exhibeat ſibi, dicente ſcriptura Eccl. 30. v. 24. *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Proinde ſi quis placere non vult, animæ ſuæ miſericordiam denegat, & qui animæ ſuæ miſericordiam in præſenti ſæculo noluerit donare, nullatenus miſericordiam apud Deum poterit invenire.

S. Chryſ. ſ. 113. XI. Medicus non vulneri, ſed curæ proficit, & ſaluti; Nec putredinis, nec morbis, ſed ſoli congaudet ille ſanitati. Ita & Deus, qui pro magnitudine vulneris, adhibuit magnitudinem, vigoremque medicinæ, & nec peccato, ſed homini largitus eſt gratiam, nec ad multiplicanda, ſed ad delenda delicta, imbrem ſuæ pietatis effudit. Nemo ſic de ægritudine gratuletur, ut velit in vulnere permanere. Ingratus medico, inimicus eſt curæ, qui ſemper curari æſtuat, nec unquam deſiderat hic ſanari, & ita Dei gratiam ſuis cupit exuperare peccatis, ut ſibi cupiat peccata cumulari.

S. Aug. t. 33. in Jo. XII. Intendant, qui amant in Domino manſuetudinem timeant veritatem: Etenim dulcis, & rectus Dominus. Amas, quod dulcis eſt? time, quod rectus eſt. Tamquam manſuetus dixi: Tacui; ſed tamquam rectus. Numquid ſemper tacebo? *Miſericors & miſerator Dominus.* Ita plane; adhuc adde: Longanimis: adhuc adde: Et multum miſericors, ſed time quod eſt in noviſſimo: Et verax, quo enim modo ſuſtinet peccantes; Judicaturus eſt contemnentes: *An divitias longanimitatis & manſuetudinis ejus contemnis, ignorans quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem ſecundum duritiam cordis tui, & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti Judicii Dei.*

Id. ſ. 102. de tem. XIII. Quanto diutius expectat, tanto gravius vindicat. Quando enim prolixis temporibus peccamus, & nihil mali a Domino ſuſtinemus, patientia eſt, non negligentia, non ille potentiam perdidit, ſed nos ad pœnitentiam reſervavit.

S. Greg. hom. 11. in Evan. XIV. Ibi jam a Deo non poteſt mereri, quod petit, qui hic noluit audire, quod juſſit, quia qui tempus congruæ pœnitentiæ perdidit, fruſtra ante regni januam eum precibus venit.

S. Ant. p. 1. tit. 9. c. 13. ar. 1. XV. Cum quis moratur in peccato, diabolus non multum eum impugnat, qui ſuus eſt: ſed cum perpendit, quod velit recedere ab eo per pœnitentiam, multum repugnat, & quidem tanto plus, quanto diutius poſſedit, & vel maxime in articulo mortis, quia ſcit ſe amplius tempus non habere.

Innoc. 3. ſ. 2. de Adv. XVI. Juſto Dei judicio fit, ut, quia cum poteſt homo converti, & non vult: cum vult, forte converti non poſſit: Tunc enim ſecurum eſt homini pœnitere, cum poteſt ipſe peccare.

S. Baſil. ap. Manſi diſc. 25. XVII. Nihil aliud clamat dilatio, quam iſta: Regnum in me teneat peccatum, poſtea regnabit quoque aliquando Chriſtus: Exhibebo membra mea arma juſtitiæ ad iniquitatem, deinde exhibebo etiam ea arma Deo. Sic nimirum Cain quoque ſacrificium offerebat, nempe prima ac præſtantiora uſui ſuo, ac voluptati: ſecunda ac deteriora Creatori ac donatori Deo.

S. Ant. l. 6. XVIII. Magna fatuitas oſtenditur, non facere diligentiam pro anima, quam facit pro caliga? unde Bernardus: O nimia inſania hominum, pudet ſordes abſtergere, ſcilicet per confeſſionem, & non pudet contrahere: abſtergitur caliga, ſcilicet a luto, & contemnitur anima, & manifeſtum eſt, quod non ſolum in capite anni abſtergatur caliga a luto, ſed quaſi quotidie, ne corrodatur a luto.

S. Chryſ. hom. 22. in 2. ad Cor. XIX. Sed multis, inquis, dedit Deus privilegium, ut in ultima ſenectute confiterentur. Quid igitur? Numquid & tibi dabit? Fortaſſe dabit, inquis: cur dicis, fortaſſe? Contingit aliquando; ſed cogita, quod de anima deliberas.

S. Bern. ſ. 3. de mod. bene viv. XX. Quando homo peccare potens pœnitet, & vitam ſuam vivens ab omni crimine corrigit, ſine dubitatione, quando eis mors advenerit, ad æternam perveniet requiem; qui autem male vivit, & in morte pœnitentiam agit, ſicut damnatio illius eſt incerta; ita & remiſſio illius dubia; qui ergo ſecurus cupit eſſe in morte de indulgentia, in ſanitate pœnitentiam agat, & in ſanitate peccata ſua lugeat. Igitur quia miſeratio Dei occulta eſt, ſine intermiſſiona flere neceſſe eſt.

S. Cæſar. Arelat. hom. 6. XXI. Tu homo ſæpius inter iſta omnia conſidera, ſi juſtum eſt, ut per totam vitam tuam vitiis & peccatis ſervias, & ad acquirendam vitam jam ſemivivus aſſurgas; Numquid tibi hoc fieri vis a ſervo tuo, ut quamdiu fortis ac juvenis fuerit, inimicis tuis ſerviat; & cum ad ſenectam venerit, tunc ad tuum ſervitium redire velit? quod ergo non vis pati a ſervo tuo, non eſt juſtum, ut facias Domino tuo: Cum tamen multos noverimus, cum ſani eſſent, & frequenter dixiſſe, pœnitentiam ſe toto corde deſiderare, ſed tamen quia illam ſtatim agere noluerunt, ſine ipſius remedio de hoc ſæculo receſſerunt.

Greg. de temp. ſ. 49. XXII. Pœnitentia non eſt ſervanda uſque ad ſenectutem.

Bern. in quad. ſer. XXIII. Nunc lavandi tempus eſt, nunc purificationem patet eſſe neceſſariam, quoniam nemo mundus eſt a ſorde, nec infans, cujus vita eſt unius diei ſuper terram.

Aug. de util. pœn. XXIV. Nolite negligere, quod vos Dominus peccantes ſuſtinet, quia quanto diutius expectat ut emendetis, tanto gravius judicabit ſi neglexeritis.

§. III. EXEMPLA SACRA.

Manſi tr. 18 diſc. n. 2. I. S. Mater Eccleſia in ſacris ritibus ſuis a Spiritu Sancto directo S. Paulum ſpeciali prærogativa honorat, dum ipſi ſoli inter multos alios hoc attribuit privilegium, ut ejus converſionem ſolemni quadam feſtivitate celebret, cujus Myſterium Dionyſius Carthuſianus in ſermone quodam de hoc feſto his verbis exponit: Mirabiliſſima fuit tam repentina & integra mutatio mentis & voluntatis ipſius: ſubito poſtquam ad cognoſcendam veritatem per lucem cælitus delapſam interius illu-

illuminatus fuit (*circumfulſit eum lux de cælo*) claves animæ ſuæ Chriſto, tamquam abſoluto Domino ſuo & Patrono, ſtatim conſignavit, ipſique voluntatis ſuæ donum eſt impertitus, dicendo: *Domine, quid me vis facere?* Audite, quidnam ipſemet de hac ſua repentina converſione Galatis ſcribat: *Cum autem placuit ei, qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, ut revelaret Filium ſuum in me, ut evangelizarem illum in gentibus, continuo non acquievi carni & ſanguini &c.* ubi obſervanda eſt dictio illa *continua*. Per hanc enim indicat, quod ne momentum quidem temporis præterire permiſerit, quin Chriſto ipſum ad converſionem ſuam invitanti promptiſſime reſponderet: quia igitur Eccleſia in inſtitutione hujus Feſti præcipue fructum intendit, qui ex illo in fideles redundare poteſt (ſiquidem, ut S. Bernardus dicebat; Ut quid ſanctis laus noſtra? bonorum noſtrorum non egent) hinc eſt; quod hujus ſancti potius, quam aliorum celebret converſionem, ut omnibus Chriſtianis exemplo ſit, & ſtimulum addat, ut ad imitationem ipſius, ne momento quidem temporis ad Deum converti tarderemus. Quodſi Eccleſia in converſione Sancti Auguſtini Officium inſtituiſſet, vel feſtivitatem, nequaquam inde tantam accipere potuiſſemus utilitatem, & exemplaritatem, quantam ex converſione Sancti Pauli: Etenim Sanctus Antoninus de Sancto Auguſtino ita ſcribit: De tarditate ad converſionem accuſabat ſe Auguſtinus in libro Confeſſionum; dicens: Non erat, quod reſponderem tibi (ſcilicet Deo) dicenti mihi: ſurge, qui dormis, ſcilicet in peccatis, niſi verba ſomnoleota, & lento modo, cras, cras: ſine modo, ſine paululum: ſed illud modo non habebat modum, & illud paululum ibat in longum.

Dio. Cart. in Spec. de emat. mund. II. Dionyſius Carthuſianus de quodam defuncto ſcribit, illum ex divina diſpenſatione alteri apparentem, ad noſtram eruditionem, in memorabilia hæc prorupiſſe verba; O cras, cras, quam longam reſtim mihi feciſti, & in barathrum mortis me procraſtinando traxiſti.

Manſi d. 6. n. 3. III. In thomo 2. libri, cui titulus eſt: mortes peccatorum peſſimæ, ſequens narratur factum, quod hoc noſtro ſæculo in perſona cujuſdam Marchionis Pariſiis contigit, qui, dum ſe interius ad ſocietatem Jeſu amplectendam moveri ſentiret, jamque omnino quidem hanc vocationem exequi reipſa decreviſſet; mundum tamen deſerere vix valens, propoſitum hoc exequi de die in diem procraſtinavit; quid vero ei tandem acciderit, ex ipſiuſmet authoris verbis clarius & diſtinctius intelligere non pigeat: Infelix turpi ſe, dum præceps in mortem currit, vitæ, vitiorumque captivum dedit ſervituti, quia vero vocanti Deo cordis januam clauſerat, ædium quoque ſuarum, (ne Religioſorum hominum voces, monitaque illuc ſe infunderent) militari cuſtodia adhibita, fores clauſit, illud imprimis ſuis mandans, ne ullum Societatis Jeſu hominem, qui ſe alloqui vellet, intus admitterent. Quoniam vero *non eſt ſapientia, non eſt prudentia contra Deum*, hominumque cogitationes Altiſſimus ſalutis cupidus, non ſecus ac manifeſte deliras, e cælo reſpicit, ſubſannatque: dum miſer a negotiis ſociiſque liber atque expeditus, ſolus per diem in remotiori cubiculo manet, en tibi duo dictæ Religionis viri in cubiculum extemplo intrant, hominem amice ſalutant, qui ab eo perhumaniter, etſi per ſimulationem excepti, ubi divinis de rebus cum ipſo verba fecere, nonnulla in rem ſalubriter adjicientes monita, e loco jam diſceſſuri hæc addiderunt: Tuæ jam, tuæ, inquiunt, negotium animæ, dum per tempus vacat, ſerio poſthac, conſtanterque agita, neque ad Dei voces infelix adeo obſurdeſcas; quibus dictis ſe ab ejus oculis ſtatim proripiunt, vir interim, cui inexpectatus adeo; inopinatuſque Religioſorum hominum adventus, ac ſermo item de cæleſtibus parum gratus fuit, militem, quem ſuis cuſtodiendis ædibus præfixerat, ad ſe vocatum acerbis verbis increpat, incuſatque quod ſe invito ac nolente, intra domeſticos lares, atque ad ſui inſuper conſpectum admiſerit. Obſtupuit miles, utpote ſibi de re fideliter geſta conſcius, adeoque, quicquid herus amarulento animo dixit, nedum ægre tulit, ſed & ſomnium aut fabulam credidit, id unum pro omnimoda ſui excuſatione afferens, quod ab oſtio domus ne latum quidem unguem receſſerat, & quod Religioſos, quos ille meminerat, non vidiſſet, jurejurando affirmans: Dominus vero rem totam mendacio confici, & ſe a famulo decipi arbitratus, quantocyus ad ſocietatis Jeſu Collegium quemdam certum hominem mittit num aliqui inde ex Patribus in domum ſuam veniſſent, exploraturus. Certior vero eorumdem Patrum teſtimonio redditus ad ſe a loco neminem divertiſſe, haud quicquam viſo divinitus objecto proficiens, parumque ſalutis providus, omnem prorſus una cum verbis ab animo ſui curam, & a corde metum excuſſit, adeo, ut anteactorum oblitus, domo egreſſus, curru per urbem recreandi animi cauſa excurreret. At ſuis miſer impendentem cervicibus, quem admonitus præcavere noluit, ultionis gladium, intellexit. Armatos quippe homines caſu per viam offendit, qui diſtrictis irruentes gladiis hominem confecere: Unico namque ictu is, cui propria parum cordi ſalus fuerat, in corde percuſſus, nullo Sacramentorum remedio relevatus, & abſque ulla ſalutis ſpe, illico humi exanimis cecidit; ſic qui Dei voces audire neglexit, & Deo cordis oſtium pulſanti pertinaciſſime clauſit, a cælo demum & Dei regno excluſus; uti perditus, in exteriores tenebras projectus eſt.

IV. Stupendum exemplum accidit in Catalonia diebus noſtris in civitate prope Valentiam de juvene quaſi decem & octo annorum, qui parentibus inobediens latro & criminoſus effectus, propter mala ſua opera captus, & patibulo ſuſpenſus fuit: Jamque illo defuncto, & adhuc in patibulo pendente, cum eſſet omnino imberbis, vidente ac mirante *S. Bern. ſ. 2. 17. in Dom 2. Quadr.*

cun-

Digitized by Google

cuncto populo paulatim emittit barbam, mutat faciem, capilli capitis pendent, gradatim ſeneſcens, ac canus, uſque ad decrepitam ſenectutem, & quaſi nonaginta annorum ætatem oſtendens, cuncto populo admirabilis factus eſt. Cucurrit ad miraculum Epiſcopus cum univerſo Clero, & cuncto quaſi civitatis populo; ſtupent omnes, ignorant myſterium, expectant ejus revelari ſecretum. Surgit in loco eminenti Epiſcopus doctus, manuque ſilentium indicens, turbæ ait: Viri, fratres, & filii mei dilecti, noſtis juvenem hunc, qua culpa, qua vita, qua etiam ætate interiit? Conſpicite eum nunc ætate ſenem, decrepitum, atque canum, ut intelligatis per hoc patens judicium Dei, quod huic diu victuro, a Deo miſericorditer propter ſua crimina, & parentum inobedientiam abbreviata eſt vita, ut verificetur illud Pſalmi: Viri ſanguinum, & doloſi dimidiabunt dies ſuos. Quod ſi igitur inobedientia parentibus carnalibus exhibita id effecit, ut Deus huic impio notabiliter vitam decurtarit, quanto magis vitam abbreviatam merebitur, quiſquis erga illum Patrem contumax & rebellis exiſtit, quem quotidie his verbis invocamus, *Pater noſter qui es in cælis*, quique de nobis lamentatur dicens: *Vocavi, & renuiſtis, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis*.

Bzovius in ann. 1296. n. 17. V. In regno Poloniæ miles quidam, in proprios ſubditos juxta ac in externos impius, & ſævus, de vita futura nihil penſi gerens, cum aſſiduis prævaricationibus in Deum, confiteri & pœnitere pro ludibrio ducens, iras in ſe cæleſtium coacervaſſet, in gravem incidit languorem, ſed ne tunc quidem ſcelerum conſcientia pertactus, quidquam ſibi de impetranda propitiatione divina, ratus ſe ſupervicturum, & ſuas tranſgreſſiones reſumpturum, deſpexit. Invaleſcente tandem morbo, fratres Prædicatores per conſortem illius, pro ſananda mente ægri, acciti, militem ad pœnitendum multifarie per ſalutaria monita inducebant, quibus miſer homo commotus, ſerius, inquit, me ad pœnitentiam impellitis, ſerius confeſſionem judicato, & jam damnato perſuadetis, cum pœnitentiæ & gratiæ tempore elapſo, confeſſionis & pœnitendi ſpatio mihi ſubrepto, juſto Dei judicio in poteſtatem traditus ſim ſpirituum tenebrarum. Urgentibus deinde majori inſtantia ægrum fratribus, ne qua deſperatione commiſſorum facinorum a confitendo & pœnitendo abſtraheretur, ſpem divinam, ſi confiteri & pœnitere vellet, pollicentibus, extremam edidit vocem: Fruſtra, inquit, urgetis de confitendo monita, proprio damnato arbitrio, & jam in dæmonum poteſtate conſiſtenti, a quo cum catervis ſuperimminentibus torquendus, & flagellandus jam appetor. Auditæ illico ſunt percuſſiones horrendæ, ictus horrendi, & atrociſſimo ex ſonitu & colliſione, atque ea reciprocatione flagellationum verbera, & in ægri corporis livore plagæ, vulneraque a fratribus circumſtantibus viſibiliter ab inviſibilibus tortoribus illata, conſpecta. Inter quæ ille infelix execrandus nec vocem, nec gemitum edens, miſerabiliter exſpiravit. In quæ B. Auguſtini ſermo, pro divino oraculo cuilibet peregrinanti retinendus impletus eſt: Hæc eſt, inquit juſtiſſima lex Dei, ut qui vivendo obliviſcebatur Dei, moriendo obliviſcatur ſui.

VI. Inſignis quidam, fideque digniſſimus Author ſequens refert exemplum: Toleti in Hiſpania nobilis adoleſcens ante annos non adeo multos, ignobilem ſane, & vel ſanguineis deplorandam lacrymis, vitæ ſuæ clauſulam impoſuit. Exauto religionis ſuſcipiendæ conſilio; quod aliquando ſecum deliberarat, Canonicum induit. Et initio quidem officio ſuo functus eſt non illaudabili induſtria. Sed quemadmodum cerea Juventus facilis eſt ad omnem ductum; ita improvidus homo nactus peſſimos ductores, preſſo veſtigio ſecutus fuit præeuntes ad vitia. Tandem & ipſe factus aliorum anteſignanus ad ſcelera non mediocria, duxit ſequentes: Miſerum juvenem! ſi putabat turpitudines ſuas, aut citius abſcondi ſub toga ſerica, aut ſpecioſius palliari; ſed tandem ſicut Deum habuit inſpectorem ſuæ improbitatis; ita & vindicem expertus eſt; Nam brevi eum febriculæ expedivit, juſſitque ad plures ire, ſive ſub terra in cinere ſuo faticentes mortuos, ſive ad ipſos Erebi incolas, magnum infeliciſſimæ ſocietatis numerum. Audi, o bone, & obſtupeſce, non tantum vim, roburque imbibitæ ſemel impietatis, ſed etiam ſeveri Numinis formidanda judicia. Vix rumor urbem pervaſit de morbo Canonici, jam paſſim a probris ſuis inſolentiaque infamis. Cum Toletanus Eccleſiaſtes ægrum adit, monetque, ut conſcientiam excutiat; erratorumque ſemper periculoſo onere ſeſe levet. Negare ille ejus rei neceſſitatem tunc eſſe; ſi ægritudo accreverit, memorem fore animum datæ admonitioni. Interim medicus pone aſſiſtens, neſcio ex quibus ſignis deprehenderit, mortem intra pauculas horas adfuturam. Quare conſternatus Eccleſiaſtes, magis cœpit inſtare, etiam divini judicii interpoſito rigore. Ubi vero Æthiopem ſe lavare vidit, cubili egreſſus, nobiles, quos obvios ſibi habuit, familiares decumbentis, in partem laboris ſanctiſſimi vocat; Jamque omnes hominem Chriſtiani officii, in eo diſcriminis articulo commonefaciunt: ſed nullo effectu. Adeſt iterum medicus, iterumque vicinum nunciat periculum, poſt horam actum fore cum vita ægrotantis. Itaque Eccleſiaſtes, cæterique lecto circumfuſi, maxima, qua poſſunt, vehementia contendunt, ut ſalutarem Canonico morituriendi dolorem perſuadeant; ſcelerumque ex præſcripto divinæ legis faciendam confeſſionem. Sed neque tunc quidem proficiunt, afferente ægro, periculum remotius eſſe, quam ipſi arbitrentur. Mox obmutuit miſer, & ratione turbata nihil amplius pro ſano egit. Ergo de deſperatis jam probe rebus, opem a Numine implorandam cenſuit Eccleſiaſtes, ſimulque apprehenſa Chriſti e cruce pendenti effigie, Pſalmum *de profundis* exorſus eſt, jamque ad illa venerat Davidis verba: *Fiant aures tuæ intendentes in*

Zobentmerio in Promtuar. l. 4. §. 2. n. 91.

vocem deprecationis meæ, cum ecce tibi lignea imago, tota præſentium corona inſpectante, brachia ad crucem fixa reſolvit, & utraque manu aures obſerans, formidabilem hanc vocem miſit: *Quia vocavi te, & renuiſti, ego quoque in interitu tuo ridebo*. Fulmen hoc fuit, quod ubi ab imagine jactum eſt, infelicem animam ex corpore ſcelerati juvenis in tartarum deturbavit. Unde hoc loco juvat memorare illam S. Bernardi ſententiam: Quanta eſt hæc injuria, & quam graviter vindicanda, cum viliſſimus vermis clamantem ad ſe audire dedignatur Creatorem univerſitatis.

Vit.Tho. mor. c.Ix. VII. In vita Thomæ Mori, Regni Anglicani Magni Cancellarii, & Martyris, ſequens impii cujuſdam legitur exemplum, in Tom. 1. lib. a. c. 13. operis, quod Mortes peccatorum peſſimæ, intitulatur, his verbis recenſitum: Rogabant amici amice hominem, ut vellet ad meliorem mentem redire, ſed reſponſum aliud non tulerunt, quam plenum illud vaniſſima præſumptione, cum migrandum hinc fuerit, tribus ſe verbulis Deum ad clementiam expugnaturum, & cælum exoraturum. Verum res aliter cecidit, cum enim poſtea equitando tranſiret, in ponte fluvium, & improvidum pedem equus impingeret ſaxo, una ſecum ſeſſorem herum in ſubjectam aquam effudit. Jam miſerando caſu præcipitabatur equus cum ſubito, ubi periculum animadvertit, ſenſitque intra fluctus non ſicca ſe morte occubiturum, contentiſſimo niſu clamavit tria noviſſima verba. Et quæ illa? utique quibus ſalutem, & aſtra momento uno apud Deum impetraret, quemadmodum jactaverat non ſemel, facturum ſe in ultimo vitæ diſcrimine? Dixerit itaque cum Regio Vate: *Miſerere mei Deus*: Aut illud: *Tibi ſoli peccavi*, vel cum Publicano: *Deus propitius eſto*: ſed heu! de ſceleribus ſuis, de cælo, de Deo altum ſervavit ſilentium, illud unum ingeminavit: Rapiat omnia dæmon. Ita miſerum ſua memoria deſtituit, & cum deberet in eo caſu tria ſalutis verba dicere, tria deſperationis protulit, tractus inter vortices ad eum, quem vocibus ultimis compellavit.

VIII. In hiſtoria Anglicana, ab Epiſcopo Cæſar-Auguſtano conſcripta legitur, juvenem quemdam laſcivis amoribus totaliter deditum, dum ad mortem uſque infirmaretur, multis cum lacrymis, veræque compunctionis ſignis Sacroſancta Confeſſionis, & Communionis recepiſſe Sacramenta, idque tali cum devotione, ut omnes aſtantes compuncti fuerint, mortemque ejus adeo quoad exteriorem apparentiam ſummopere fuerint demirati. Idem vero juvenis poſt mortem cuidam amicorum ſuorum apparuit, & quidem in ſpecie tam horribili, ut vel hæc ſola miſerabilem æternæ damnationis ſuæ ſtatum prodere potuiſſet. Quem amicus ejus ſciſcitabatur, dicens: Eheu! numquid in articulo mortis tuæ multa edidiſti veræ compunctionis ſigna? Nullus fuit inter aſtantes, qui tuam pœnitentiam veram, & ſalutem fuiſſe non judicaret. Numquid in majori copia fuerunt lacrymæ tuæ, quam peccata tua fuerint? Numquid Sacramentorum fructum recepiſti? Subjecit miſerabili juvenis: Vere quidem ita eſt, Pœnitentia mea & Contritio valida fuit & vera, ſed me jam quaſi in Dei manibus poſiturum ſpiritum, cogitatio levis laſciviæ aggreditur, cui ut ſemper aſſentiri conſueveram, ſic tunc quaſi coactus aſſenſum præbui, & obli, & me in tartara præcipitavi.

IX. In Peruſino monaſterio, ſancti videlicet Salvatoris, cui nuper & ipſe præſui, quidam Monachus paulo ante fuerat nomine Cunizo, aſtutus nimis & callidus, ſæcularibus argumentis ac litigioſis contentionibus vehementer intentus. His itaque dum & immutandis Abatibus & fratribus perturbandis æſtuans non quieſceret, ad hoc uſque pervenit, ut diaboli ad ſuperandos æmulos patrocinium quæreret, & ejus ſeditioni etiam corporaliter manciparet: Cui tamen ſeductor ſpiritus exigenti ante promiſit, quod tertio die prius, quam moreretur, ſuum exitum ſibi nunciaret. Credidit infelix, & diu poſtmodum vivens; ita ſub hac deceptoria ſecuritate permanſit. Tandem in ægritudinem lapſo adeſt fidejuſſor iniquus, poſt & triduum futurum, ſicut ſpoponderat, obitum notificat. Protinus advocatis ille fratribus cuncta hæc, quæ cum nequiſſimo pepigerat ſpiritu, per ordinem narrat; cumque illi inſtarent, dicentes, eſto confeſſus, age pœnitentiam, repente ille obdormivit, & ſive pulſantibus, ſive clamantibus, evigilare non poterat. Si vero illi conticeſcerent, vel aliud quid præter pœnitentiam loqui vellent, mox ille expergefactus invicem loquebatur? ſed rurſus audito nomine pœnitentiæ protinus obrigeſcebat inſenſibili ſopore correptus, donec horrendæ morti traditus, ad eum, cui devotionem fecerat, fuit infeliciter devolutus. Poſtmodum vero per plures noctes nigra canum turma non ceſſavit ſepulturæ ejus aſſiſtere, & quaſi depoſitum cuſtodire; ita ut non minimo videntes horrore concuterentur. Ex Petro Damiano. *Manſ. diſ.4.n.7.*

X. V. Beda in geſtis Anglorum inter alia ſic loquitur: Novi etiam fratrem quemdam (quem utinam non noviſſem! cujus nomen etiam, ſi hoc aliquid prodeſſet, dicere poſſem) poſitum in monaſterio nobili, quamvis vita ignobili, & ipſum ignobiliter viventem corripiebatur quidem ſedulo a fratribus ac majoribus loci, atque ad caſtigatiorem vitam converti admonebatur; & quamvis eos audire noluiſſet, tolerabatur tamen ab eis longanimiter ob neceſſitatem operum ipſis exteriorum (erat enim fabrili arte ſingularis) ſerviebat autem multum ebrietati, & cæteris vitæ remiſſioris illecebris, magiſque in officina ſua die noctuque reſidere, quam ad pſallendum atque orandum in Eccleſia, audiendumque cum fratribus verbum vitæ concurrere conſueverat. Unde accidit illi, quod ſolet dicere quidam, quia qui Eccleſiæ januam ſponte humiliatus ingredi, neceſſe habet januam inferni non ſponte damnatus introduci. Percuſſus enim languore, atque ad extrema perductus, vocavit fratres, & mul- *Spo.exem. v conve - ſio ex 2.*

tum

tum mœrens, ac damnato ſimilis cœpit narrare, quia videret inferos apertos & ſatanam demerſum in profundum tartari: Caipham quoque cum cæteris, qui occiderunt Dominum, juxta eum flammis ultricibus traditum. In quorum vicinio, inquit, heu miſero mihi, locum conſpicio æternæ perditionis eſſe præparatum. Audientes hæc fratres cœperunt diligenter exhortari, ut vel tunc poſitus adhuc in corpore pœnitentiam ageret. Reſpondit ille deſperans: Non eſt mihi tempus mutandi vitam, cum ipſe viderim judicium meum jam eſſe completum. Talia dicens, ſine viatico ſalutis obiit, & corpus ejus ultimis eſt Monaſterii locis humatum, neque aliqui pro eo miſſas facere, vel pſalmos cantare, vel ſaltem orare præſumebant. O quam grandi diſtantia diviſit Deus lucem & tenebras! Beatus Protomartyr Stephanus paſſurus mortem pro veritate, vidit cælos apertos, vidit Gloriam Dei, Jeſum ſtantem a dextris Dei, &, ubi erat futurus ipſe poſt mortem, ibi oculos mentis ante mortem, quo lætior occumberet, miſit. At contra, faber iſte tenebroſæ mentis & actionis, imminente morte vidit tartara, vidit damnationem diaboli, & ſequacium ejus, vidit etiam ſuum infelix inter tales carcerem, quo miſerabilius ipſe deſperata ſalute pariter, ſed viventibus qui hæc cognoviſſent, cauſam ſalutis ſua perditione relinqueret. Factum eſt hoc nuper in Provincia Bernacorum, ac longe lateque diffamatum, multos ad agendam & non differendam ſcelerum ſuorum pœnitudinem provocavit. Quod ultimam ex hac etiam noſtrarum lectione litterarum fiat.

Spec. ex. V. pœn. ex 18. XI. Magiſter Joannes de Villa Abbatis Sabinenſis Epiſcopus Cardinalis dicit, quod fuit quidam fœnerator, quem cum moneret Sacerdos ejus ad pœnitentiam, ſemper dicebat: Bene adhuc faciam: Et cum improbo inſtaret Sacerdos videns periculum, ille ſubito rapitur, quaſi mortuus, & cum rediret ſtatim, & adhuc inſtaret Sacerdos, clamavit æger: O pœnitentia, ubi es? de cætero pœnitere non valeo, hoc indicante juſto Judice, quia dum facere pœnitentiam potui, non volui. Et hoc dicens mortuus eſt: Joannes Algrini de Abbatis Villa, Ordinis D. Benedict. Epiſc. & Cardinalis.

P. Lucas Pinelius l. 2. de altera vita. XII. Quidam morti vicinus divitiis plus æquo addictus maxima cœpit affici anxietate, quod tantas jam congeſtas videret eſſe relinquendas, & nunc in hanc, nunc in illam lecti ſpondam ſe voluens ſuſpirabat, nonnumquam etiam leonis inſtar rugiebat. M. Robertus Licius, qui tunc ei aderat, exhortari eum cœpit, ut animæ ſuæ provideret, jam ſcilicet tempus eſſe confitendi, communicandi, ac reconciliandi ſe Deo. Ille vero totus terrenis ac temporalibus bonis ſuis intentus. O quantum, inquit, infumpſi moleſtiarum ad conquirendas haſce divitias, & nunc alii iis perfruentur. M. Robertus nihilominus eum admonebat, ut de anima ſua, (quod pluris referret) ſollicitus eſſet, reliquis omnibus rebus a corde quam longiſſime remotis; ſed nimius ille erga divitias affectus alio eum cogitationes ſuas vertere non permiſit, quare in priori perſiſtens ſententia. O divitiæ meæ, inquit, quibus vos relinquo? quis vos poſſidebit, atque ita citra confeſſionem miſerrime expiravit.

XIII. Canonicus quidam Cathedralis Eccleſiæ Pariſienſis, omni divitiarum genere abundans ſubinde gulæ peccato delinquebat. Qui cum peccatorum ſuorum confeſſionem vitæque emendationem in longum tempus diſtuliſſet, tandem in morbum lapſus, metu mortis confeſſus eſt, ſimulque aliis Eccleſiæ Sacramentis perceptis ad extremum mortuus eſt, & honorifice cum ſolenni pompa ſepultus, quippe qui nobilis erat, & multis divitiis circumfluens: Unde plerique ipſum in ſingulari apud Deum favore & gratia fuiſſe arbitrabantur. Paucis vero poſt diebus cuidam amicorum apparens damnatum ſe aſſeruit. Qui ait, quomodo? nonne Eccleſia Sacramenta recepiſti? Ita, inquit ille, ſed mero mortis timore ea recepi, & niſi e vivis exceſſiſſem, ad priores meas delicias rediiſſem. *Id. ibid.*

XIV. In Conventu S. Bernardini Xindchiulci adductus eſt ad Fr. Jacobum de Sande Indus æger, ut ejus peccata audiret; qui cum adducentes repreheoderet, quod non prius adduxiſſent hominem pene mortuum, ſubjunxit Indus: Ne turbate Pater, quia ipſe nolebam, tametſi propinqui ad confitendum me frequenter hortarentur. Sed hac nocte, qua hora ad mattutinas preces ſignum edebatur, cum ob ægritudinem vigilarem, magnus domum meam ſplendor de cælo ingreſſus eſt, Chriſtumque vidi Cruci affixum, quemadmodum pingi ſolet, magna ad me iracundia inquientem: Quid, peccator ceſſas, nec ad confitendum pergis. Scito inquit, te hodie eſſe moriturum, & quanquam condemnari ob crimina tua debebas, miſericordia tamen mea ſervabere, dummodo ſtatim confitearis. Audivit igitur eum Religioſus, eademque illa hora defunctus eſt. *Fr. Gont. de Orig. Seraphica Relig. p. 4. c. l.*

§. IV. SIMILITUDINES.

I. Sicut fermentatam maſſam azymam reddere, difficilimum eſt; ita carnem & mentem fermento peccatorum, & amurca vitiorum infectam, in priſtinam reſtitui munditiam, ſolius Dei opus eſt. Peccator unius diei, aut duorum dierum perfacile curatur, quia non ita omnino peccato infectus eſt, ſed quatriduanus vix unquam a peccato reſurgit. *P. Thom. Villan. 20. Manſi diſ. 2. n. 3.*

II. Sicut, licet omnes aliæ aviculæ cantum ſuum habeant, quo viatores demulcent, corvus ſemper crocitat *cras, cras*, idque vel maxime, dum putridis beſtiarum cadaveribus & morticiniis inſidet: Ita quoque major pars obſtinatorum peccatorum, qui de diem in diem, de anno in annum pœnitentiam differunt, ideo præcipue hoc faciunt, quia totum ſuum affectum in deſideriis carnalibus poſitum habent, ideoque a cælo abhorrent, & nauſeant; ſeminant in carne, & de carne metunt corruptionem. *Manſi diſ. 9. n. 7.*

III. Sicut piſcis in retibus ſe agitando, amplius involvit, & avis plus ambulans per virgam inviſcatam, fortius ſe capit; ſic peccator magis

magis elongatur a Deo, & ſtrictius illaqueatur a diabolo, quia de tali dicitur; Tenebitur planta illius laqueo.

§. V. MOTIVA.

Bellov. Spec. mor. diſt. 2. l. 2. §. 6.

I. Q*Uia procraſtinatio talis valde periculoſa eſt*, nam qui converti differt, iniquus eſt in Deum Job. 31. *Iniquitas maxima, & tentatio contra Deum eſt, oſculari manum ſuam*, ſcilicet blandiri ſibi de opere ſuo malo, & differre converſionem. Iniquus eſt in Deum; Primo, quia in eſcas ejus ſel ponit, ſcilicet dilationem in bono. Secundo, quia illud, quod maxime odit Dominus, ante oculos ejus gerit. Tertio, quia eum miſericorditer vocantem contemnit. Quarto, quia patrem miſericordem dies moræ ſuæ computantem, ſua tarditate affligit, Tob. 9. *Scis, quia dies computat pater meus, & ſi tardavero una die plus, contriſtabitur anima ejus*. Quinto, quia diabolo meliorem, Deo deteriorem partem vitæ ſuæ tribuit: Illi florem, Deo ſæces. Sexto, Dei miſericordiam in damnationem ſuam convertit, ſcilicet hoc, quod ſperat, quod eum Deus miſericorditer debet expectare, ipſe e contra ei inceſſanter repugnat. Rom. 2. *Ignoras, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem ſecundum duritiam & impœnitens cor tuum, theſaurizas tibi iram*, hoc eſt, de miſericordia Dei congregas tibi malitiam peccatorum. Septimo. In Angelum eſt impius, quem de expetatione gaudii, quod ſperat de ejus converſione affligit. Prov. 13. *Spes, quæ differtur, affligit animam*; quia ad monitionem ſe non corrigit, ſed eam potius contemnit, quia apud Deum irreverenter ſe gerit. Octavo, Inique agit contra ſeipſum, quem potius vult habere malum, quam bonum; infirmum, quam ſanum; ſervum, quam liberum; mortuum, quam vivum; In ſtatu latronis, quam Regis; pauperem quam divitem: Et omnium bonorum Eccleſiaſticorum expertem, quam participem; & conſortem dæmonum potius, quam Angelorum.

Manſi diſ. 1. n. 4.

II. *Quia graviſſima damna infert*, de quibus Joſephus Manſi ſic diſcurrit: Tametſi per divinam revelationem infallibilem, & indubitatam de ſacienda in articulo mortis pœnitentia, & de aſſecuranda æterna tua ſalute certus, & ſecurus eſſes, nullo tamen modo ad illud uſque tempus tuam deberes procraſtinare converſionem, ob multa damna, quæ inde reſultant, non ſolum lucri ceſſantia, ſed & damni emergentis; Et quidem damnum lucri ceſſantis pateris, quia in decurſum multorum annorum vitam agens virtuoſam, & in gratia Dei conſtitutus, ingens comparaturus eſſes pro cælo acquirendo, multorum inſignium meritorum lucrum: Unde ſi animæ beatæ in cælis alicujus eſſent capaces triſtitiæ, hæc ſine dubio vel maxima foret, quod ſcilicet non plus laboraverint tempore vitæ ſuæ mortalis, ut hac ratione ſublimiori in cælis fruerentur beatitudine. Præterea ſummum in mundo ſibi comparare potuiſſent honorem, juxta illud: *Nimis honorati ſunt amici tui, Deus*. Pateris quoque jacturam per damnum emergens, quia quando culpa in articulo mortis, dimittitur, pœna in flammis purgantibus ad expiandam, culpam ſuſtinenda nihilominus reſidua manet; præterquam quod damnum notabiliſſimum ſit illud, dequo illi, licet incaſſum, lamentabuntur peccatores dicentes: *Laſſati ſumus in via iniquitatis: ambulavimus vias difficiles, Juſtitiæ lumen non luxit nobis*.

S. Chryſ. h. 69.

III. *Quia periculum in mora eſt*; ut ſapienter advertit S. Chryſoſtomus dicens: Sepelire Patrem diſcipulis vetuit, & non permiſit Dominus. Atqui nulla res tam neceſſaria videtur, quam ſepeliendi patris officium: Chriſtus autem non permiſit: Quamobrem? paratus ſemper diabolus eſt, ut ingreſſum ubique attente quærat, & ſi parvæ tarditatis cauſam apprehenderit, magnam inde conflabit deſidiam.

Caſarius Arel. h. 7.

IV. *Quia in extremum ſalutis diſcrimen deducit*, uti Ceſarius his verbis indicavit: In ipſis vulneribus & fracturis corporum, infirmitates cognoſcere poſſumus, & animarum; ſi enim alicui perfrangatur, aut manus, aut pes cum labore ſolet ad priſtinum officium revocari: ſi vero ſecundo & tertio frequentius in eodem loco membra ipſa frangantur, poteſt intelligere charitas veſtra cum quantis doloribus vulnera ipſa curanda ſint: Et tamen poſt longas & multus curas, ſi vixerit homo, ad priſtinum ſtatum membra ipſa vix valent revocari: ſimilis ratio in animarum fracturis, ſeu vulneribus credenda eſt; ſi ſemel aliquis, vel ſecundo peccaverit, & ſine aliqua diſſimulatione ad pœnitentiæ medicamentum confugerit, priſtinam incolumitatem ſine mora aliqua recipiet; ſi vero peccata peccatis cœperit addere, & animarum vulnera tegendo, vel defendendo putreſcere, quæ confitendo, & pœnitentiam agendo curare noluit, timendum eſt, ne illud impleatur, quod Apoſtolus dixit: *An ignoras, quod benignitas Dei, &c.* Hinc recte monet S. Auguſtinus: Nemo nec poſt centum peccata, nec poſt mille crimina; de miſericordia divina deſperet. Sic tamen non deſperet, ut ſine ulla mora Deum ſibi repropitiari feſtinet, ne forte ſi conſuetudinem peccandi fecerit, etiamſi velit de diaboli laqueis liberari non poſſit. *S. Aug. ſ. de temp.*

Manſi diſ. 19. n. 7.

V. *Quia numerum peccatorum a Deo ad reprobationem prædefinitum citius impleri facit*; nam certum eſt, Deum uniuſcujuſque omnes enumeraſſe paſſus & greſſus, quibus a divinorum præceptorum ſuorum ſemita deviavit; dicente patientiæ ſpeculo: *Tu quidem greſſus meos dinumeraſti*; Paulo poſt clarius inquit: *Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea*: Divina enim juſtitia certum quemdam limitavit peccatorum præfixum numerum, ad quem uſque tolerare vult impium, filum vitæ ipſius detruncaturus, mox ut ad illum peccatorum numerum impius pervenerit; Unde apud S. Jobum ſpiritus ſanctus ait: *Uſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringens tumentes fluctus tuos*: Cum igitur, ad quem uſque peccatorum numerum, Deus nos expectare decrevit, ignoremus, merito de unoquoque peccato, quod futurum ſit ultimum, timendum nobis erit.

VI. *Quia*

Hugo de S. Vict.

VI. *Quia licet pœnitentibus venia, non tamen proinde etiam pœnitendi gratia promiſſa eſt*, uti recte Hugo de S. Victore cum aliis advertit dicens: Ego ſcripturam audio dicentem: *quia in quacumque hora ingemuerit peccator, ſalvus erit*. Ezech. 33. Non dicit biduo, aut biennio ante mortem ſi ingemuerit, ſed in quacumque hora ingemuerit, ſalvus erit: At vero mox paulo poſt ſubjungit: Nec tamen ſub hac ſpe ſecure tibi peccandum eſt, propterea quod in fine, ſi converſus fueris, ſalus tibi promittitur. Nam quamvis etiam tunc venia tibi, ſi vere pœnitueris, promittatur, non tamen tibi, ut tunc vere pœnitere debeas, promittitur: valde difficile eſt, ut tunc vera ſit pœnitentia.

Dio. Cart. a. 2. de conv. pecc.

VII. *Quia omnes SS. Patres, & ſapientes viri talem procraſtinationem diſſuadent*. De quo motivo ſic diſcurrit Dionyſius Carthuſ. In omni materia acquieſcendum eſt prudentibus, & expertis illa materia. Cum ergo ipſemet Dominus noſter Jeſus Chriſtus, Sapientia Dei Patris, & magni conſilii Angelus, & univerſi ſancti ipſius Apoſtoli, & Prophetæ, & ſancti doctores hanc pœnitentiæ dilationem omnino diſſuadeant, concorditer reprobent; ac vehementer condemnent; certum eſt, quod ſtultiſſimum & iniquum ſit, pœnitentiam ſic differre. Sanctus Auguſtinus in homilia quadam ita ſcribit: Audiant omnes verba ſcripturæ divinæ. O male dilator, o craſtini male appetitor, audi Dominum dicentem, audi ſcripturam ſanctam prædicentem. De iſto loco ſpeculator ſum. *Ne tardes converti ad dominum, neque differas de die in diem; ſubito enim veniet ira ejus, & in tempore vindictæ diſperdet te*. Numquid ego ſcripſi hoc? Nunquid ego delere illud poſſum? Si delevero, timeo deleri; illud poſſum tacere. Timeo tacere, predicare cogor, territus terreo. Numquid igitur manifeſta eſt ſtultitia, proprio potius credere velle judicio, quam claris & indubitatis ſacrarum litterarum, omnium Sanctorum Patrum, Theologorum, Magiſtrorumque ſpiritualium deciſionibus.

S. Aug. ſ. 71. ad F.

VIII. *Quia cum omnia, quæ uſurpamus in vita, bona eſſe volimus, ante omnia decet, ut bonam etiam vitam habere volimus*, uti præclare indicat Sanctus Auguſtinus ſic diſcurrens; Forte dicis: longa erit vita mea: dico, ſi longa erit, bona ſit; ſit brevis & ipſa bona ſit; prandium, etſi longum, non vis habere malum; Et vitam longam vis habere malam? Villam emis? bonam deſideras; Uxorem vis ducere? bonam quæris; filios tibi naſci, bonos optas; Et ut etiam de rebus viliſſimis loquar, caligas emis, & non vis malas; quid ergo vitam amas malam? Si vitam vis malam, inter omnia bona tua eris malus.

§. VI. MEDIA.

Manſ. diſ. 16. n. 2.

I. BEne *ponderare circumſtantias mortis, ne illuc uſque differatur emendatio vitæ*; in illo enim articulo in iis, qui male vixerint, illud adimplebitur: *Coanguſtabunt te inimici tui &c.* Qui enim unquam ſunt humanæ animæ majores inimici, quam maligni ſpiritus? qui animam a corpore exeuntem obſident, quam in carnis amore poſitam, deceptoriis delectationibus fovent, quam vallo circumdant, quia ante mentis ejus oculos reductis iniquitatibus, quas perpetravit, hanc ad ſocietatem ſuæ damnationis tramentes coarctant. Animam coanguſtant undique, quando ei non ſolum operis; verum etiam locutionis, atque inſuper cogitationis iniquitates replicant, ut quæ prius ſe per multa dilatavit in ſcelere, ad extremum de omnibus anguſtetur in retributione. Quæ omnia confirmans, & ſuccinctius proponens Sanctus Gregorius: Quam anguſtæ, inquit, viæ erunt, undique reprobis? Superius erit Judex iratus, ſubtus horrendum chaos, a dextris peccata, accuſantia, a ſiniſtris infinita dæmonia ad infernum trahentia, intus conſcientia urens: Miſer peccator ſic deprenſus, quo effugiet. *S. Greg. ib. cit.*

Bellovac. l. 1. Sp. c. d. 2.

II. *Bene ponderare cauſas, ob quas dilata converſio difficilis cenſetur*, quas quidem Belovacenſis breviter ſic exponit: Difficilior eſt converſio dilata, propter cauſas duodecim: Primo, propter malæ conſuetudinis indurationem. Secundo, propter malitiæ occupationem, quæ eſt tinctura mala, in qua cum pannus diu manſit, non poteſt de facili recipere alium contrarium colorem. Tertio facit ad hoc bonorum naturalium conſumptio. Quarto, vaſis cordis longa infectio. Quinto, peccatorum longa & aſſidua oneratio. Sexto, elongatio a Deo, qui difficilius audit clamantem, difficilius poteſt redire ad eum. Septimo, cura circa mortem eſt maxime difficilis, propter ſolicitudinem de rerum & domus diſpoſitione. Octavo, quia juſtum eſt, ut in fine a Deo contemnatur, qui eum contempſit, quamdiu vixit. Nono, quia tunc diabolus magis inſidiatur, & tunc magis paratur contra eum. Decimo, amaritudo diuturnæ infirmitatis, quæ tunc maxime ſentitur, ſcilicet veteris peccati, quod facit bona deſipere. Undecimo, amaritudo memoriæ mortis, quæ ſeparat a præſentibus bonis. Duodecimo, timenda eſt dilatio converſionis uſque ad finem, maxime propter malorum diverſorum occaſionem, quæ concurrunt, & incurrunt circa mortem, quæ ducit hominem in boni oblivionem, propter malorum oppreſſionem, vel etiam in deſperationem. Quæ omnia pariter confirmans Taulerus, ſic loquitur: Converſio dilata difficilis eſt, propter tria. Primo, quia quanto aliquis diutius manet in peccato, tanto erit major pœna peccati. Unde S. Hieronymus: Quanto autem major eſt numerus temporum, quibus obliviſcimur Deum, tanto erit major pœna peccati. Secundo, quia quanto aliquis diutius manet in peccato, tanto amplius oneratur a peccatis; Unde Sanctus Auguſtinus: Perſeverare in peccato, dat augmentum ſcelerum: Et Gregorius: Peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, mox ſuo pondere ad aliud trahit, ideo difficilius ſurgit: qui ergo non ſurgit oneratus parum, quomodo ſurget, quando multum? Tertio, quia homo circa mortem habet multa impedimenta, videlicet de diſpoſitione domus, & filiorum; de infirmitate, quæ non permittit eum cogitare de anima ſua; Sicut dicit Hieronymus *Tauler. de Chriſt. Inſtit.*

mus: Deum infirmitate opprimeris, nihil aliud cogitare potes, quam quod ſentis; Propter hoc Auguſtinus dicebat: Pœnitentiam ſcio, nec laudo, nec vitupero: Nam morbus urget, pœna terret; filii & uxor, quos illicite diligit, & mundus eum ad ſe vocat, & ſæpe ex divino judicio hoc accidit homini, quod moriens obliviſcatur ſui, dum qui viveret, oblitus eſt Dei.

III. *Bene ponderare quam difficile ſit in caſu neceſſitatis verum actum contritionis elicere*, quam quidem difficultatem ſat elare S. Bernardinus ſequentibus verbis oſtendit: Claret igitur ex jam dictis, quod durum & arduum eſt, quod talis Deum ſuper omnia amet, quem antea ſuper omnia odiebat. Exempli cauſa; ſi quis foret cordialis amicus Regis Granatæ, naturaliter tamen ſubditus Regis Aragoniæ, & faveret juxta poſſe Regi Granatæ, atque noceret toto conamine Regi Aragoniæ, & in hac inimicitia perſeveraret per quatuor annos, & ſuperveniret caſus, quod Rex Aragoniæ caperet eum, multiſque cruciatibus torqueret illum, nonoe quaſi impoſſibile eſſet, & incredibile, quod captus talis verteret amorem ad Regem Aragooiæ, totoque corde eum diligeret ſuper cunctos homines totius orbis, ſuper ſocios, ſuper amicos, ſuper filios, & cæteros conſanguineos ſuos? inſuper addatur quod eum ſpecialiter diligeret, quia eum captum teneret & cruciaret, & e converſo averteret amorem ſuum a Rege Granatæ, & illum odiſſet ſuper omnes homines mundi, quem tamen prius dilexit, nullamque cauſam dederit ei de novo odio generando. Sic utique in propoſito eſſet de Rege vero, Domino Jeſu Chriſto, & ejus adverſario infernali, atque homine peccatore io extremis degente prædicto modo. Detur etiam in exemplum alter, qui in furto a quodam juſto judice comprehenſus eſt, perſeveravitque longo tempore in furando, finaliter juſta ſententia condemnatur ad mortem, ducitur ad patibulum, quod ante ſe conſpiciens lacrymabiliter veniam poſcit, dicens, non ſe impoſterum ſimilia patraturum; Quis exiſtimabit hoc illum dicturum amore reipublicæ, vel juſti Domini, aut Judicis, & non potius timore, atque pavore mortis? Sic eſt in propoſito de eo, quem pœnitet in extremis? Quod ipſum Joſepus Manſi apte ſequenti diſcurſu declarat: Explicemus, inquit, idipſum pulchra quadam, omnibuſque nota ſimilitudine: ſit enim v. gr. ſervus aliquis emptitius, contumax, infidelis, ſuoque Domino rebellis, qui poſt fugam a Domino ſuo factus captivus, ab eodem cum omni ſeveritate flagellaretur, & torqueretur; crederesne, quod talis ſub flagellis & livoribus totum corpus occupantibus conſtitutus; Dominum ſuum vehementiſſimo cordis affectu amaturus eſſet? utique potius crederes, quod illum mortali proſecuturus eſſet odio, licet exterius fidelia ipſi ſervitia promittat. Si enim prius quam tam ſævis verberibus a Domino ſuo affectus fuerat, illum non amavit, ſed ab ejus ſervitute declinare & fugere voluit, qnanto magis idipſum nunc faciet, quando ſe in procinctu mortis conſtitutum, videt, ſcitque pro certo, quod ſi ſupervixerit, flagella, ferrum, & compedes ipſi ſine dubio fiot duplicandi? Enim vero peccator eſt hic ſervus, qui amiſſa vera filiorum Dei libertate, a jugo divinæ legis ſe ſubducere molitur; Vadam poſt amatores meos, &c. Deus autem poſt longam patientiam, infidelitatem ejus per hanc vel illam infirmitatem mortalem, vel per hoc vel per illud lethale vulnus, unde ſibi moriendum eſſe videt, caſtigat & flagellat, ipſe vero quia ſe ſub tam ſævis flagellis conſtitutum cernit, fidelem deinceps ipſi per omnem vitam ſervitutem exhibere promittit, licet eum antea contempſerit, & vatiniano odio proſecutus fuerit; Credamuſne, quod talis ſe in limine inferni poſitum eſſe, & a Deo juſte caſtigari cernens, eumdem ſit amaturus? Nequaquam, illum quidem timebit, ſed timor hic ſervilis ad ejus ſalutem non ſufficit. Etenim ſi, quando per tot annos ſibi beneficus fuit, indulgendo ſanitatem, divitias, honores, delicias, cunctaſque alias proſperitates temporales, illum, nihilominus non amavit, ſed obſtinatiſſimus ejus inimicus fuit, & ad omnes ejus voces ſurdus, credíſne, quod ille tunc, quando ſub virga poſitus eſt, odium in benevolentiam, & amorem ſit mutaturus? Si id credis, graviter erras. Hinc recte S. Bernardus: Lapſus ex voluntate, inquit, non æque ex voluntate reſurgere jam liberum habet; quia etſi datum fuit voluntati, poſſe ſtare, ne caderet, non tamen reſurgere, ſi ſic caderet, non enim tam facile quis valet exire de fovea, quam facile in eam labi.

S. Bernardinus, tom. 1. ſ. 13. a. 2. c. 2.

S. Bern. de grat. & libero arbit.

§. VII. MISCELLANA, ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. DEus per Prophetam Iſaiam comminatum; *Ponam eam in poſſeſſionem ericii*. Porro ericius, quando in lucem editurus eſt ſuos fœtus, metueos, ne, a fœtuum ſuorum ſpinis transfigatur, quantum poteſt, & valet, parturire differt, ſed non intelligit, quod hoc faciendo majus ſibi ipſi damnum inferat, quia quanto longius differt, tanto magis pungentes fœtuum ſuorum ſpinæ creſcunt, & indurantur. Idem quoque multis contigit, qui converſionem ſuam procraſtinant, metuentes, ne vitæ pænitentis rigorem ſubire debeant, nec tamen cogitant, quod, quanto amplius pœnitentiam prolongant, tanto magis peccata in ipſo multiplicentur, & creſcant, ſimulque cum ipſis naſcatur ingens ab omni pietate & virtute averſio, & nauſea. Theophilactus de Zachæo inquit: Talia promittens, imo faciens; Non enim dixit: *Dabo dimidium, & reddam quadruplum* ſed: *ecce do, & reddo*. Audierat enim Salomonis admonitionem: *Ne dicas, rediens redi, & cras dabo*. Chriſtus evangelizat ei ſalutem: Hodie enim, inquit, das, hodie tibi & ſalus.

Manſi diſc. 2. n. 5.

II. Nautæ poſtquam in littore diu ventum expectarunt navigationi ſuæ favorabilem, mox ut illum exurgere vident, ſine mora vela pandunt, & a littore ſolvunt, ſeque itineri propoſi-

Ibid. n. 7.

Google

poſito accingunt, ne bonam navigandi occaſionem negligant; quod ſi enim diutius morarentur, tempus utique commodum, ventumque propitium cum manifeſto naufragandi periculo amitterent. De hac vita noſtra ſcribitur: *Hoc mare magnum & ſpatioſum &c.* Per hoc autem mare trajiciendum nobis eſt, ut appellamus ad vitæ beatæ portum: At vero ſine ſavorabili divinæ gratiæ vento, ad fortunata illa littora appellare, eſt impoſſibile; Atque ideo mox, ut hæc hominem aſpirare incipit, ſine ulla interpoſita dilatione vela affectuum noſtrorum explicare oportet, quia cæleſtis hic ventus ſpirat per modum tranſeuntis, non permanentis, nec habemus illum ad beneplacitum, & ad libitum noſtrum, & ideo illo utendum eſt, quando Deo illum nobis communicare placuerit; Siquidem fieri poteſt, quod deinceps non amplius ſpiret, quia ſpiritus, ubi vult, ſpirat, ſed neſcis, unde veniat, aut quo vadat. Et ideo niſi ſanctas ejus ſequamur inſpirationes, merito periclitabimur de naufragio, diceturque nobis, quod olim Deus per Sapientem lamentabatur inquiens: *Vocavi, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret, deſpexiſti omne conſilium meum*, id eſt, ut Dionyſius Carthuſianus interpretatur: Vocavi, id eſt, variis modis ad emendationem & pœnitentiam vos invitavi, ac monui per inſtinctum divinum, per Evangelicas inſpirationes, per Apoſtolos & Prophetas, per Prælatos & Prædicatores ac proximos virtuoſos. *Extendi manum meam*, beneficia largiendo, & per adverſa paterne caſtigando: Poteſtatem meam demonſtravi in vobis, per proſpera & adverſa, quatenus per proſpera vos ad obſequium meum allicerem, & mea charitate accenderem; per adverſa, ut terrerem, & illuſtrarem, eo quod vexatio vobis intellectum conferret. Juxta illud Jerem. 30. *Caſtigabo te in judicio, ut non tibi videaris innoxius*; At vero, quia hæc anima propitio huic vento vela non explicavit, juſte naufragari meruit; Unde ſubditur: *Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit, cum irruerit repentina calamitas & interitus quaſi tempeſtas ingruerit.*

Ib. n. 8. III. Cælum verno quoque tempore rorem ſuum ſuper vaſtiſſimam maris diſtillat ſuperficiem: Conchæ autem eodem tempore ſeſe aperientes acceptas in ſinu ſuo roris ſtillas, in pretioſiſſimas tranſmutant margaritas; quæ vero ex conchiliis ſeſe non pandunt, inanes, & gemmis illis expertes manent, ſed propria ipſarum culpa. Porro divinus inſpirationum, gratiarumque cæleſtium ros, ex parte ſua in animas noſtras influere non deſinit: *quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Unde S. Eccleſia Deum his verbis frequenter interpellat: *Sancti Spiritus, Domine, corda noſtra mundet infuſio, & ſui roris intima aſperſione fœcundet*; At vero quid fiat? Animæ illæ, quæ ſinum, & cor ſuum diſtillanti aperiunt, illumque excipiunt, nec bonam ſinunt ſibi elabi occaſionem, egregie locupletantur: at vero quæ tardæ ſunt & pigræ, gratiæ cæleſtis expertes manent, cum irreparabili ipſius quoque gloriæ amiſſæ damno.

IV. Piſcis, Remora dictus, hunc habet admirabilem naturæ ſuæ inſtinctum, ut vaſtiſſima quæque navigia explicatis undique velis navigantia, immobiliter hærere faciat, non tamen hanc habet poteſtatem, ut ventum aliquem ſavorabilem excitare poſſit; navium curſum tardare poteſt, non vero velociter illas movere; ita pariter liberum hominis arbitrium Dei inſpirationibus reſiſtere poteſt, verum ut illæ nobis inſpirentur, in ejus non eſt poſitum ſacultate, nec de hoc ſibi quicquam poteſt compromittere, ſpiritus, ubi vult, ſpirat, nec ejus motiones a noſtra dependent voluntate: ſed ab ejus liberalitate, & beneplacito, ac proinde neceſſum eſt, ut prompte Dei inſpirationes acceptemus, quamprimum nobis immittuntur. Id. diſ. 1. n. 1.

V. Celebris eſt illa Iſaiæ, æternæ reprobationis pœnam comminantis prophetia. Ait enim: *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis!* ubi de iis loquitur, qui, ut effrænes appetitus ſuos diutius explere poſſint, converſionem ſuam de die in diem differunt. Nam ut S. Iſidorus ait: Trahit iniquitatem in funiculum, qui tardat converti ad Deum: trahere enim iniquitatem, eſt moram facere iniquitati: unde & Pſalmiſta ait: *Prolongaverunt iniquitatem ſuam.* At vero quodnam hi tales inde referunt ſupplicium? Pſalmiſta immediate ſubjungit: *Dominus juſtus concidit cervices peccatorum.* Ubi notanda eſt dictio *cervices*, quia cum tales ſepius invitati, & vocati ſemper reſiſtant, optime illis convenit, quod increduli & obſtinatis Judæis Protomartyr Stephanus his verbis improperavit: *Dura cervice, & incircumciſis cordibus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Id. diſ. 6. n. 8.

VI. Jairus Archiſynagoga tam præclarum habebat de omnipotentia Salvatoris conceptum, ut de reſuſcitatione filiæ ſuæ nequicquam dubitaret: *Procidit ad pedes ejus, & deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam filia mea in extremis eſt: veni, impone manum ſuper eam, ut ſalva ſit, & vivat*: Imo S. Matthæus Archiſynagogum Chriſto filiam ſuam jam mortuam annuntiaſſe dicit: *Filia mea modo defuncta eſt*, & tamen ſpem firmam habuiſſe, quod ab eo revocanda iterum eſſet ad vitam. E contra vero S. Martha, licet frequenter Chriſtum recipiebat hoſpitio, ejuſque fides adeo eſſet eximia, ut teſte S. Joanne, ad Chriſtum dixerit: *Ego credidi, quia tu es Chriſtus, filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti*; ac denique licet Chriſtum innumera, prodigioſa etiam in reſuſcitatione mortuorum patraſſet miracula, ſciret nihilominus fratris ſui Lazari reſuſcitationem vix & ne vix quidem ſperare audebat, ideoque pro illius quantumvis a Chriſto magnopere dilecti reſuſcitatione non ſupplicabat. Quanam hujus cauſam fuiſſe dicemus? Num forte id facere omiſit ex defectu fidei erga divinum hunc ſuum Magiſtrum? Aut vero in ea defectus fuit compaſſionis & dilectionis ergo dilectum fratrem ſuum? Nihil horum. Sed difficultatem hanc verba illa: Id diſ. 8. n. 6.

illa: *quatriduanus eſt, jam fœtet*, plenarie ſolvunt. Filius porro viduæ Naimiticæ, præterquam quod jam recenter mortuus fuerat, adoleſcens etiamnum erat: *Adoleſcens tibi dico, ſurge*: Filia pariter Archiſynagogi juvencula erat: *& ſurrexit puella*: atque inſuper vix ante horam e vivis exceſſerat: hi autem duo mortui illas deſignant animas, quæ non diu in morte peccati hæſerunt: his enim prompto remedio ſuccurrere, eaſque ad vitam gratiæ reſuſcitare facile eſt, at vero Lazarus peccatorem habituatum, & in malis peccandi conſuetudinibus inveteratum præfigurabat: qui ut ad vitam revocentur, omnipotentia & miſericordia Dei interveniat, neceſſum eſt; ſiquidem duritiam & obſtinationem peccatoris vincere difficillimum eſt. Alios duos mortuos ſumma cum facilitate vitæ reſtituit: *Tenuit manum ejus, & ſurrexit puella: Adoleſcens tibi dico, ſurge; & reſedit, qui erat mortuus*. At vero in reſuſcitatione Lazari ipſemet in perſona ad ſepulchrum accedere voluit: atque inſuper lacrymatus eſt Jeſus: fremens in ſemetipſo venit ad monumentum: *Infremuit ſpiritu*, & turbavit ſeipſum: *Jeſus autem elevatis ſurſum oculis dixit: Pater gratias ago tibi, quia tu ſemper audiſti me: voce magna clamavit: Tollite lapidem, Lazare veni foras, ſolvite eum &c.* quoniam obſecro ſpectanr hæ tot, & tam notabiles hujus reſuſcitationis circumſtantiæ? Reſpondeo; reſuſcitatio Lazari converſionem animæ in peccatis inveteratæ præfigurabat, ad quam perficiendam neceſſaria ſunt miracula, quia talis jam mortuus eſt a corde, in vitiis & peccatis ſepultus, ut ait S. Thomas de Villa nova.

Id. diſc. 33. n. 2. VII. Dux aliquis bellicus civitatem hoſtilem obſidens, inducias quidem pro aliquo tempore cum eadem inibit, ut ſe ad capitulandum ſecum reſolvat, & cum pactis conditionibus ſeſe tradat; At vero ſi obſtinata fuerit, obſidionem urgebit, machinis militaribus eamdem concutiet, cuniculos aget, ſicque tandem violenta manu eamdem invadens, deprædabitur illam, & igne conflagrabit, terram ſanguine inundari faciet, muros demolietur, totamque civitatem in miſerabilem quemdam lapidum acervum rediget. Idem prorſus ſæpenumero myſticæ animæ civitati contingit: Deus enim ipſi per multos annos inducias quidem indulgebit, emendationem præſtolabitur, diſſimulabit, ſuos mitter heroldos, & legatos, id eſt ſanctas ſuas inſpirationes: qui eam ad ſui deditionem inducant; At vero ſi obſtinata permanſerit, ſpirituum rebellium exercitum illi immittit, ut is eam in ſuam poteſtatem redigat; Hi coanguſtant undique, & ad terram proſternunt, eo quod non cognoverint tempus viſitationis ſuæ.

Id. diſc. 16. n. 7. VIII. Obſervaſtiſne aliquando, quiſnam in toto genere humano primus fuerit, qui Deo ſacrificia obtulit, num forte Adam, vel Eva, vel Abel is fuit? Nequaquam, ſed Cain, primus ille reprobus: Id quod ex ſacra Scriptura clare deducitur. Cur igitur ſacrificium illius a Deo acceptatum non fuit, ſed repudiatum? Num forte id contigit: quia Cain de fructibus terræ obtulit: diſcente ſcriptura: *Factum eſt, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino*: nequaquam oblatio ejus ideo rejecta fuit, dedit enim ipſe in oblationem id, quod habebat, fuit autem Cain agricola, qui præter fruges terræ nil habebat. Abel autem, qui paſtor erat, *obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum*: Et tamen *reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain vero, & ad munera illius non reſpexit*. Quid igitur dicemus: quandoquidem, ut Sanctus Paulus ait: *Non eſt perſonarum acceptio apud Deum*; cum igitur Cain prius, quam frater ejus, ad ſacrificium offerendum permotus fuerit, ſacrificium illius præ fratris ſui oblationi Deo longe gratius eſſe debuiſſe, haud immerito videri poſſet. Verum enim vero ipſamet ſcriptura ſacra dubium hoc ſolvit, dum ait: *Factum eſt autem poſt multos dies, ut offerret Cain munera Domino*: Ac proinde Cain typus erat illorum, qui converſionem ſuam in longum uſque tempus procraſtinant, id quod probabile eſt reprobationis indicium. Sanctus Ambroſius hujus repudiationis ſacrificii a Cain oblati, duas aſſignat rationes, inquiens: Duplex in Cain culpa fuit: Una eſt, quod poſt dies multos obtulit; Altera, quod non ex primis fructibus. Unde quando quis dæmoni, mundo, & carni, primum dat ætatis ſuæ florem, annoſque meliores, reſervatis Deo ultimis vitæ fæcibus hoc vere eſt imitari primum reprobum, & ad ejus imitationem vitam ſuam peſſimo fine claudere. Sanctus Ambroſius ibidem ſubdit: Sacrificium & celeritate commendatur, & gratia, unde præceptum eſt: *Si voveris votum, non facias moram reddere illud*.

IX. In c. 19. Judicum ſcribitur de Levita quodam, qui, poſtquam cum ſocero ſuo in aliquot dies genialiter vixiſſet, jamque in procinctu eſſet, ut rediret in Patriam: *Dixit pater puellæ ad generum ſuum: Quæſo te, ut hodie hic maneas; pariterque lætemur*; At ille conſurgens cœpit velle proficiſci, & nihilominus obnixe eum ſocer tenuit, & apud ſe fecit manere. *Mane autem facto parabat Levites iter, cui ut ſocer rurſum, Oro te, inquit, ut paululum cibi capias, & aſſumptis viribus donec increſcat dies, poſtea proficiſcaris: comederunt ergo ſimul; ſurrexitque Adoleſcens, ut pergeret cum uxore ſua, cui rurſum locutus eſt ſocer: Conſidera, quod dies ad occaſum declivior ſit, & propinquat ad veſperam, mane apud me etiam hodie & ducc lætum diem & cras proficiſceris*. *Id. diſc. 17. n. 1.* Omnia autem hæc in figura contingebant: hæc namque hiſtoria conſuetudinem agendi ſerpentis antiqui ad vivum delineat, ſiquidem hic aliquos ab ejus ſe ſervitute eximere, & in divinorum præceptorum viam abire, veraque filiorum Dei libertate frui velle videns, eoſdem de die in diem, de ſeptimana in ſeptimanam morari, bonumque illorum propoſitum procraſtinare fecit, prout Baſilius Magnus his verbis vivaciter exponit, inquiens: Criminator ille ſapiens eſt ad mala perpetranda: Videt nos homines in diem vivere, videt omnem actionem noſtram, juxta id, quod inſtat, peragi, ideo hodier-

hodiernum diem per fraudem nobis abripiens, ſpem nobis craſtini relinquit; ſiquidem peccatum hodie committere non cogit, juſtitiam tamen in craſtinum ut reſervemus, perſuadet; Deinde ubi craſtinus dies illuceſcit, rurſum accedit iniquus ille partium diviſor, & hodiernum diem ſibi ipſi cedere expedit, craſtinum vero Domino ut tribuamus concedit, atque hac ratione ſane nos, præſens nimirum tempus per voluptatem ſubtrahendo, futurum vero ſpei noſtræ relinquendo, ne ſentientes quidem e vita expellit.

Ib. n. 2. X. Mercator quidam fuiſſe legitur, qui ſuper oſtium tabernæ ſeu officinæ ſuæ hæc verba majuſculis litteris inſcribi fecerat: *Hodie in hoc loco nihil venditur, ſed cras*: ac proinde numquam tempus illud appropinquabat, in quo ſub credito quidpiam apud ipſum comparari poſſet, quia quocumque die veniebant emptores, ſemper eamdem deprehendebant oſtii domus ſuæ inſcriptionem. Eadem prorſus aſtutia ſagaciſſimus Dæmon cum peccatore utitur, cui ſemper perſuadet: hodie mihi, cras Domino; Die autem ſequenti ſuperveniente tot illum moratur illecebris, ut craſtinus dies ad ſerviendum Domino numquam adveniat. Certum eſt autem, quod, quanto diutius in nos moratur, & ſervitio Dei retrahit, tanto majus ſibi in nos jus poſſeſſionis acquirat, majorique cum dominii tyrannide nobis principetur, quia creſcunt catenæ, de quibus Eccleſia ait: Delictorum catena conſtringitur.

Idem diſc. 20. n. 2. XI. Romæ confraternitas Sancti Joannis Baptiſtæ hoc habet privilegium, ut quemdam ex malefactoribus ad patibuli ſupplicium condemnatis, e carceris liberare poſſit ergaſtulo; at vero dic mihi ſodes, numquid fatuum judicares illum, qui omni cum libertate homicidia, aſſaſſinia rapinas, proditiones, & alia capitalia ſcelera committeret ſub ſpe illa, quod ſors liberationis ſuper illum caſura ſit, cum tamen ſors illa ex centum reis unico dumtaxat contingat? Simili prorſus modo, ſi ex eo, quod exemplum noveris cujuſdam in extremo mortis articulo ſalvati, ſpem concipis, etiam te in eodem ultimo vitæ momento ſalvandum eſſe, cur non potius times, ne forte ſis de numero illorum centum, qui damnabuntur, aut deſperati morientur? Si bene memini (verba ſunt S. Bernardi) in toto canone ſcripturarum: unum latronem inveniens ſic ſalvatum, noli ergo huic tam periculoſæ expectationi credere temetipſum.

Idem ibi. n. 6. XII. In cap. 11. Judicum de Jephte inſigni belli Duce, qui in Galaad commorabatur, inter cætera refertur, quod præſides regiminis nationalis ſimul congregati eumdem ſine ulla data cauſa, aut prævio demerito a ſe expulerint; accidit autem, quod, dum ab Ammonitis durum illis bellum moventibus, arctaque illos obſidione cingentibus opprimerentur, nec ullum habentes, a quo defenſionis expectare præſidia poſſent, quique majorem in arte militari, quam Jephte haberet peritiam & experientiam, illum rogare coacti fuerunt, ut ipſorum in ſe ſuſcipere dignaretur protectionem & tutelam: *Veni, & eſto princeps noſter & pugna contra filios Ammon*. At vero quodnam illos reſponſum retuliſſe exiſtimatis? Sacer textus, Jephte in hunc modum reſpondiſſe, ſubjungit: *Nonne vos eſtis, qui odiſtis me, & ejeciſtis de domo patris mei, & nunc veniſtis ad me neceſſitate compulſi?* Enim vero ſcire ab impiis illis percuperem, an verum ſit, quod toties Deum a ſe rejecerint, ejuſque divinis inſpirationibus reſtiterint, ut diabolicis ſuggeſtionibus aditum panderent? quod ſi hoc verum eſt, qua fronte ſe Deum, ejuſque diſpoſitiones in ſuo habere beneplacito credere præſument? Porro de quibus paulo ante dictum fuerat, quod ad tantam veniſſent mentis veſaniam, ut dicere auderent: *Recede a nobis, quia ſcientiam viarum tuarum nolumus*; de illis paulo poſt ſubditur: *Ducunt in nobis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*. Idem timendum eſt iis, qui quamdiu vivunt, ſurdas Dei vocibus aures præbent, & tamen Deum in hora mortis impertinentes illorum preces exauditurum eſſe, ſibi ſtulte promittunt.

XIII. Hoc in D. Paulo commendatur, illo, inquam, quem Deus nobis exemplum propoſuit, & ſignum peccatorum prædeſtinatorum: etenim hoc maximum eſt indicium, ſi, quam primum Dei vocem percipiunt, peccato renuntiet, ejuſque vocationi celeres obtemperent: E contrario en tibi Pharaonem reproborum exemplar: nam illum ipſum, ut talem nobis Deus aſſignavit, ut ait D. Paulus: *in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam &c.* quid non egit Deus cum illo? quot voces? quot vulnera? quot flagra, quibus Deus illum conatus eſt excitare? qua cum illo non utitur patientia, qua non benignitate? *Suſtinuit in multa patientia*. Et quid reſpondit? Maledictus erat corvus, inquit Div. Auguſtinus: Habebat vocem corvinam. Perpende, qualiter Moyſes ex Dei nomine Regem accedat, libertatem populi ab eo poſtulaturus: uno & altero cædit illum flagello, quid reſpondet: *Cras, cras, cras* dimittam. O maledicte corve: cum illa ſit tua vox, maris profundo demerſus interibis. O tales miſeris miſeriores? cras, inquit eſſe quoties dicis: *cras, cras*, factis es corvus, ecce dico tibi cum facis vocem corvinam, occurrit tibi ruina: nam ille corvus, cujus vocem imitaris, exiit de Arca & non rediit. *De la Nuza ho. 18. §. 14. n. 2.*

XIV. Pone, hominem in circo eſſe, ubi ſciat, ſe nihil minus cogitantem inopinato a tauro ſævo invadendum, & cornibus appetendum. Si videres, quod quis fortiſſimo clavo ſeipſum ligno affigeret, illumque repetito verbere profundius adigeret, & ad caput uſque imprimeret, ſciretque, ſe illum nullis ſuis viribus, nec aliter extrahere poſſe, niſi faber ferrarius ſuis adjuvet forcipibus, quem multis contumeliis oneraſſet, ac propterea per intenſum haberet: Si ab illo percontareris: Amice, noſtin, quid agas? An neſcis, quod taurus ſubito erumpet, teque invadet, & miſere inter ejus cornua peribis, cum effugere non poteris? Si tibi reſponderet: Domine, nihil timeo: quia quamprimum videro taurum accurren- *Nuza ho. 13. §. 16. n. 52.*

rentem, advocabo fabrum ferrarium, qui forcipibus ſuis inſtructus mihi ſubveniat, & cum illius favore me exſolvam, ſicque auſugiam & evadam incolumis: An non tale reſponſum rideres? An non ejus in hoc clavo certum judicares interitum? Stulte, quid ſcis, utrum taurus tibi tempus permitteret, quo ſabrum advoces ferrarium? Et qui noſti, an ille advocatus venire velit, quem toties probro effeciſti? Et quomodo ſcis, annon ſtabit videns, & ridens perniciem tuam, ut quem adeo dehoneſtaſti? Merito hominem talem rideres, te vero ipſum multo magis ridere poteſt, & reſponſum tuum, quod dare in re ſimili ſoles: dicito mihi, chariſſime, an non in hujus vivis mundi ſtadio, in quo proſiliet mortis taurus, quando minime putabis? *In hora, qua non ſperant, veniet*, ait Chriſtus: *Cum dixerint pax, & ſecuritas, tunc repentinus ei ſuperveniet interitus*. Nonne vidiſti, quod ſuperiori die obiit tibi intimus adoleſcens, qui ſe immortalem putabat? Nonne mortua eſt puella illa venuſtiſſima, quando una ineundi matrimonii cogitatio eam vel ſolam, vel maxime occupatam habebat? Nonne alter e vita deceſſit, quando ſibi videbatur arripere Epiſcopatum, & locum dignitatis aſcendere? quid agis, o infelix, qui peccatum illud infigis uno & altero actu, unoque & altero tum die, tum anno, ictum ictui addens in penitiſſimum cor uſque adigis; quis te reddit ſecurum? Cum mihi æger eſſe ſenſero, ais, & periculum ex morbo imminere, ad Deum confugiam, rogaboque illum, ut mihi eximat peccatum, & condonet, adſciſcam confeſſarium, qui illius vices gerit; tunc inhoneſtæ conſuetudini renuntiabo, tunc aliena reſtituam, tunc diligam inimicum. O Proditor, quid ſcis, num tibi tempus ſuppetet Deum invocandi? quid ſcis, utrum venire voluerit, & ſuæ gratiæ forcipibus accurrere? Tamne vicinum illum habes, qui nihil aliud laboraſti, quam ut te ab illo elongares; illumque repelleres, & a te procul abjiceres: An tibi tam obſtrictum tenes, qui hoc unum unice egiſti, ut illum offenderes? Vide, quid dicat: *Ego in interitu veſtro ridebo: cum quæſierint me, non invenient me, &c.* Quid ſcis, an tempus tibi ſupererit advocandi Confeſſarium? &c.

Ib. ſ. 27. XV. Admirabilis eſt hiſtoria, quam narrat
n. 13. Spiritus ſanctus in libro Judicum, & horribilia ſunt verba, quæ ſancta Prophetiſſa Debbora dixit poſt obtentam de Siſara victoriam: Bella movit, armaque ſumpſit contra Dei populum ferus ille dux exercitus Siſara, certamen iniit ſatis durum, at ſibi ſiniſtrum: quia referre pedem, fugam capeſſere coactus fuit. Fugiens igitur ex prælio & multo labore fatigatus, ſitienſque, ſanctæ, prudentique occurrit mulieri Jahel in oſtio ſui tabernaculi, a qua frigidam ſiti extinguendæ popoſcit; illa vero hac illi in grandi vaſe obtulit. Ille laſſitudine, & vaporibus oppreſſus obdormivit. Simul hoc vidit mulier, & clavum arripiens, in tempora ejus impactum tranſadegit, ſoloque affixum reliquit: qui ſoporem morti, conſocians defecit, & mortuus eſt. Mater, uxoreſque Siſaræ, cum illum tardare cernerent, laborare ſollicitudine, & vitæ illius timere cœperunt. Una ex omnibus, quæ majorem prudentiæ exiſtimationem habebat, ſive quæ ſapientior cæteris uxoribus ejus, hæc ſocrui verba reſpondit: Non eſt, quod hic nos ſollicitas habeas; Siſara namque eſt ſtrenuus Imperator, & hoc conflictu viribus ſuis magnifice uſus fuerit. Hæc hora eſt, qua triumphat de ſuis hoſtibus, nunc lætus ſua gaudet victoria, & opulentam civitatis prædam inter milites ſuos diſpertit. Forſitan nunc dividit ſpolia &c. Veſtes diverſorum colorum Siſaræ traduntur in prædam, & ſupellex varia ad ornanda colla congerit. Jacebat autem interim miſer clavo confixus, infauſtam exhalans animam & cum extremis mortis anguſtiis dimicans. Videns illum, ait Debbora: *Sic pereant omnes inimici tui, Domine*! Quoties, heu quoties contingit, quod obiit ille vir in venerem, vagamque libidinem profuſus, & infanda lue, taboque conſumptus: & ille ſordibus uſurarius, ſanguiſuga pauperum, & ille profanus, qui ſimplicem vitiavit virginem: & ille murmurator, qui nullam reliquit integram famam, & quia in extrema vitæ hora Crucifixum in manus accepit, & Chriſto in crucem olim acto dixit: *Miſerere mei Deus*: Audias amicos ejus, & cognatos dicentes: Recta in cælum abiit, ut alter quidam Franciſcus mortuus eſt, mortem obiit cujuſdam Cartuſiani, tanquam angelus quidam hinc deceſſit. Hæc eſt hora, qua feſta gaudia in illa ſuperna cælorum regia lætantiſſime celebrat. Miſer ille autem ſuo confixus peccato, inferorum pœnis cruciatur. Quid putas, tam leve, ac facile eſſe mori inſtar ſancti Franciſci, aut pii cujuſpiam Carthuſiani.

XVI. Nihil facilius, quam inter rupes for- Ibid.
mari echo, quæ voces tuas quaſcumque reddat. Non eſt echo vox humana, ſed ei tam ſimilis, ut qui eam audit, humanam eſſe arbitretur. Inter montium concava exclamas: Jeſu, & quoties nomen illud pronuntias, toties idem repetunt, non quia nomen illud percipiunt (ſunt enim petræ duriſſimæ, nec eas vox penetrat) ſed quod vox tua repercutiatur, atque ex ea formetur in illis alia vox, voci tuæ ſimilis, quæ ad te revertitur. Ita hic contingit. Eſt vir quidam corde lapideo, duro, in quo nihil penetravit, ſic ut apud ipſum neque conciones, nec minæ, nec inſpirationes, nec conſcientiæ ſtimuli quidquam valuerint. Subita eum arripit infirmitas, febris invaleſcit, ſitque, ut animam agere incipiat. Accedis illum, & inclamas: Jeſus, reſpondet ille: Jeſus. Rurſum ei dicis: Maria mater gratiæ. Reſpondet: Maria mater gratiæ: Putaſne eum hæc intelligere; Crediſne hanc eſſe vocem humanam? Eſt echo, quæ vocem tuam repulſat, & ad te remittit, ſicut non percipiat, durities autem intus manet, qualis ante erat.

XVII. Aliam quoque ex his verbis elicere Ibi. ſ. 20.
poſſum conſiderationem: *Infixæ ſunt Gentes in interitu, quem fecerunt*, ſumptam ex eo, quod fit, cum tormenta bellica clavis confixa obſtruuntur. Vivit Gubernator in ſua arce bene contentus, & ſe tutum æſtimat, eo quod tor-

men-

Digitized by Google

mentis æneis, & machinis fulminantibus validis eſt cincta, ut propterea nullum timeat inimicum, a quo obſideri queat; confidit enim, ſi quis veniat, quod ſua in illum explodere tormenta, & ab hac parte quibuſdam, ex alia aliis exoneratis hoſtem abiget, & difflabit, totumque in fugam vertet, & repellet exercitum. Contingit, ut illo neſcio tormenta clavis fortibus obſtruantur. Venit hoſtis, illum oppugnatum. Is ad defenſionem ſe præparat, & ignem admovet foculo, ex quo pulvis accenditur tormentarius, & exurgit craſſaque flamma, diceres ad interiora penetraſſe, glandemque ſummo impetu evolaſſe; at cum tormentum ſit obſtructum, non pervadit ignis, hæret tantummodo in illa exteriore flamma atque idcirco non extorquet, neque impellit glandem in hoſtem, & quia nihil contra eum moliri poteſt efficaciter, irrumpit adverſarius, & facile locum ſibi ſubjicit, captivumque ducit Gubernatorem, gloriatur de victoria. O bone Deus, quantis hoc contingit peccatoribus! quantam ſibi pollicentur; figuntque ſecuritatem? quam quieti, quam incurii vivunt in ſceleribus, & quam illa committunt impavidi? Quanta cum quiete hæres in tua, homo laſcive, profanitate, lupæ tuæ ædes ingrediens, ac egrediens? quot decurrerunt anni, quibus injuſta lucra ſectaris, abſque omni perditionis tuæ formidine? quid illud te tam præfidentem facit? Valide munitus ſum majoribus tormentis, inquis, intellectus, quo de mihi neceſſariis diſponam, tum liberæ voluntatis, & arbitrii jaculis, inquam, quæ divina gratia conſortata globos in hoſtem explodent, quibus cunctos in fugam diſpergam inimicos. Intellectus ejaculabitur glandem ferventiſſimæ orationis cum actibus fidei, qui meritis Chriſti ſubnixi vires habent fortiſſimas, libera voluntas contritionem explodet amariſſimam, & relicta creatura ad Deum ſe ex toto corde convertet. O quam ſunt hæc fortiora jacula? Exploſit David ex penito pectore unicum illud, *Peccavi Domino*, & contra cunctas ſe potentias inferni defendit. Publicanus ille tantum dixit: *Deus propitius eſto mihi peccatori*, & omnes dæmonis copias proſtravit. *Pater peccavi*, ajebat ille Prodigus, & res ſuas in tuto collocavit. Uno illo, *Domine memento mei*, quidam latro omnes principes tenebrarum exterruit, & obſtupefecit. Hoc idem ego præſtabo. O te miſerum! an non vides, quod hæc tormenta non advertens configis, & obſtruis.

Ibid. XVIII. *Cavete*, ait Chriſtus, *non fiat fuga veſtra in hyeme, vel ſabbato*. Ne fugere differas in hyemem. Non loquitur (inquit D. Ambroſius) de hyeme, ut eſt pars anni, ſed de infirmitate? Hyems non temporis, ſed infirmitatis; qua ſol intellectus obnubilatur, ſtellæ ſenſuum obſcurantur, pluviæ dolorum pœnarumque imbres torrentem implent, qui alveo ſuo effuſus, cunctos diſſipet diſcurſus, & febres excitant volutabra, quæ itinerantibus iter præcludunt? Eſt hyems non ſolis, ſed mentis, quando animus frigidus illabitur, quando vapor animæ evaneſcit, quando ſolvitur vigor ſenſus, quando nimius humor exundat, & mentem gravat, quando interior colligat adſpectus. Plurimi conficiendi ſunt paſſus, latiſſima regio percurrenda, tranſeundum tibi a deliciis ad dolores, a voluptate ad pœnas, ab amore ad execrationes, per potentiæ intellectivæ plures debes gradus facere, cognoſcere commiſſi peccati malitiam, injuriam Deo illatam, & actus fidei erga Deum exercendo. Similiter, & voluntas longum debet iter ſuſcipere, ſpei, charitatis, deteſtationis tam culpæ contra Deum patratæ, quam damni proximo illati. Ne differas in diem ſabbati, diem quietis, horam mortis ultimam, quando jam ſenſus fatigati contabeſcunt, intellectus humoribus oppreſſus, qui caput conturbant, victus ſuccumbet. Lethargica voluntas obdormiſcet quaſi ſeipſam movere non valens; infirmata concidet, diſſolutione & fortiſſima puſillanimitate obruta elangueſcet: Mementote (ait D. Gregorius ad concionis ſuæ epilogum) quid veritas dicat: *Orate, ne fiat fuga veſtra in hyeme vel ſabbato*. Per legis quippe mandatum, ambulare longius ſabbato non licet, Hyems quoque ad ambulandum impedimento eſt, quia greſſus ambulantium torpor frigoris adſtringit. At ergo: *Orate, ne fiat fuga veſtra in hyeme, vel ſabbato*. Ac ſi aperte dicat: Videte, ne tunc quæratis potentia veſtra fugere, quando jam non licet; modo debet cogitari, dum licet; illa hora noſtri exitus eſt ſemper intuenda, ita Redemptoris noſtri admonitio ante mentis oculos ſemper eſt ponenda, qui ait: *Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam*.

XIX. In eo, quod Dominus ait: Non differendam fugam ab inimicis in ſabbatum, alludere videtur ad illud, quod ipſe decreverat, quando populo de cælo pluit Manna in alimoniam, & victum quotidianum: Præcepit enim Moyſi, ut cunctum populum præmoneret; quoniam ſabbatum dies eſſet quietis, nemo differat colligere Manna in ſuæ neceſſitatis uſum uſque in diem ſabbati, futurum enim, ut illo die non inveniretur, ſed præcedenti, nempe Veneris die, colligerent: *Requies ſabbati ſanctificata eſt Domino, hodie quodcumque operandum eſt, facite*. Qui obedientes fuerunt, & ita fecerunt, ut Moyſes dixerat, fuit illis abunde proviſum. Erant autem & aliqui parum creduli, dicentes: Cras quoque dabitur opportunitas, licet enim ſit dies quietis, licet nihilominus nobis de cibo Manna providere; & ſe deluſos viderunt, egreſſi quippe ut colligerent Manna, non invenerunt: *Venitque ſeptima dies, & egreſſi de populo non invenerunt, ſed vacui domum redierunt*. Conceptum eſt hic D. Gregorii Nyſſeni. O mortis hora, tempuſque infirmitatis! hoc enim dicitur dies quietis; conſtat etenim nihil tum temporis ita deſiderare ægrum, quam parum quieſcere, ad hoc attenditur, ut dormiat, ob hoc ſubmovent ſtrepitum, domum, familiamque omnem compeſcunt, ob hoc inungunt tempora, ut captare quietem infirmus poſſit. Noli, quæſo, in illam horam differre curam colligendorum eorum, quæ ſint animæ tuæ neceſſaria: fieri enim poteſt, ut ea non invenias, vacuuſque re- Ibid.

redire cogaris: *Quærite Dominum, dum inveniri poteſt, invocate eum, dum prope eſt*. Interim, dum ſani ſunt animæ pedes, intellectus, ſenſus, voluntas; quære Deum tuumque ſubſidium. Interim, dum vales Judicio, memoria recenti, ſenſibus integris, Deum invoca: ſi enim differas, uſque dum omnia obtunduntur; tuque magis quietem optabis, quam ad labores idoneus fueris, maximopere periclitaberis.

ibid. XX. Digna eſt circumſtantia, quam Spiritus Sanctus memorat in morte Saulis. Prælium iniit hic Rex contra Philiſthæos, at ſiniſtro Marte, cum vidiſſet fuſum, diſſipatumque ſuum exercitum, irruens ſuper gladium ſuum, ſeipſum interemit. Aderat tunc ibi adoleſcens, qui arbitratus, Davidi jucundum fore, ſi perſecutoris ſui acerbiſſimi necem intelligeret (per quam ſcilicet regni quietam poſſet inire poſſeſſionem) tulit de capite Saul regium diadema, armillamque auream de brachio, tradiditque David, & ita: *Domine mi, Saul mortuus eſt*. Unde noſti: *Inde ſcio, quia præſens adfui, & ſum ego ex iis, qui illum prorſus confecit. Fortuito veni in montem Gelbee, & vidi Saulem irruiſſe in gladium ſuum: & ſuo volutari in ſanguine, & acerbiſſimis afflictari doloribus. Vidit me, & ut potuit, advocavit, & interrogavit, quiſnam es tu? & ajo ad eum; Amalecites ego ſum. Tunc ille porro ultra: cum igitur me tot cernas vulneribus confoſſum cum proxima morte confligere, ſta ſuper me, & interfice me; a vita mea me ſimul, & pœnis abſolve. Stanſque ſuper eum, occidi illum &c. & tuli diadema, quod erat in capite ejus, & armillam de brachio illius, & attuli ad Dominum meum huc*. Movet hic dubium Philo. Quis illuc adduxit Amalecitem illum? Bellum ſæviebat contra Philiſthæos, quid inter eos negotii illi Amalecitæ, cujus jam Saul omnem perdiderat memoriam? Ulterius, ad quid accurrit Amalecites in hora mortis extrema Saulis? Quis eum coram adduxit? deinde, cur ab eo quærit Saul? quiſnam es tu? cum qualislibet aptus eſſet, ut ei vitam adimeret, Chananæus licet aut Pherezæus, &c. Altum hic latet myſterium, ait Philo, & ſcire debemus, quod, licet adoleſcens indicarit, ſe caſu illuc veniſſe, veruntamen Deo non fuit fortuitum, qui ſummo conſilio diſponit, quod nobis videretur fortuitum. Res eſt, quod Deus præceperat a multis retro annis Sauli, ut gladio cunctos interficeret Amalecitas hoſtes ſuos, ſic ut nec uni quidem vitam condonaret: ille vero huic præcepto parum obediens, aliquos ſervavit vivos. Siccine vero, perfide, noluiſti, cum viveres, & poſſes, cunctos meos inimicos internecione delere Amalecitas, ſed eos ad meam vivos ignominiam reſervaſti? Dum igitur mortalibus urgeberis anguſtiis, & eorum prorſus immemor fueris, veniet quidam ex illis, quorum non recordabaris, & te obtruncabit, vitamque inauſpicato adimet.

O Chriſtiane! tibi mandat Deus, ut omnes ejus interficias inimicos, quæ ſunt peccata tua, neque vel uni parcas. Hæc audis, & repugnas, quia non ſolum illa non demoliris, ſed & alis, & conſervas. Quam integrum ſervas concubinatum illum tuum, ut numquam volueris relinquere: quam diligenter repoſita ſervas bona aliena ſic, ut numquam volueris illi, illi, cui fuiſti injurius, ſua damna reſarcire? quam diuturna in peccatis perſeverantia? Tu illa, dum potes, non occidis: illa igitur in extremis mortis anguſtiis poſito, ſe tibi offerent crudaque movebunt prælia. Ibi prodibit in medium virgo conſtuprata, & conjugata a te ad flagitium invitata, & pauper oppreſſus, & Eccleſiaſticus infamatus, & quæ fueras oblitus crimina, advenient, teque interficient, & in peccato morieris. Eja igitur tam ſævum hoſtem occidito. Qui enim ſuo blanditur inimico, ejus corruit manibus.

TITULUS CXX.

PRUDENTIA.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I. PRUDENTIA eſt virtus practica, per quam & finis honeſtus præfigitur, & media ad hunc obtinendum congrua eliguntur. *lib. de l. arbitr.* Unde brevius S. Aug. rerum appetendarum fugiendarum ſcientiam definivit. Sicut enim ille, qui ratiocinatur bene ad aliquem finem particularem, puta ad victoriam, dicitur eſſe prudens, non ſimpliciter, ſed in hoc genere, ſcilicet in rebus bellicis; ita ille, qui bene ratiocinator ad totum bene vivere, dicitur prudens ſimpliciter juxta S. Thom. *1. 2. qu. 47. ar. 2. conc. 1. ad 1.* Deſcribitur etiam a citato jam S. Aug. hoc modo: Eſt amor, ea, quibus adjuvatur in Deum, ab his, quibus impeditur, ſagaciter eligens; & hunc amorem, non cujuslibet, ſed Dei eſſe diximus, id eſt, ſummi boni, ſummæ ſapientiæ, ſommæque concordiæ. Non deſcribit autem S. Auguſt. prudentiam per amorem, quod exiſtimet, eam non eſſe intellectus habitum; *S. Aug. de mor. Eccl. c. 23.* nam eodem libro ſic habet: Ad prudentiam pertinet dignoſcentia appetendorum, & vitandorum; ſed potius, ut ſignificet, eam ab amore, quam ſummi Dei appellat, hoc eſt, a charitate proficiſci; vel ad prudentiam ſpiritus pertinere, ex amore agere, charitateque ferri ad ea eligenda, quibus ad juvatur in Deum.

II. Hæc prudentia non ſolum virtus eſt, ad *S. Greg. mor. c. 23.* proprias actiones rite obeundas inſtituta, ſed maxime ideo virtus eſt, qoia aliarum etiam virtutum officiis ita præeſt, ut eorum norma ſit, ad quam omnia dirigantur. Ideo S. Gregorius ſic ſcribit: Cæteræ virtutes, niſi ea, quæ appetunt, prudenter agant, virtutes eſſe nequaquam poſſunt.

Diviſio.

III. Dividitur in Supernaturalem, & Naturalem; *Drex. in Roſ. p. 1. cap. 1.* illa eſt, quæ media ad finem ſupernaturalem conſequendum ſuggerit; iſta quæ ad naturalem tantum finem aſſequendum media ſubminiſtrat; & ſubdividitur in Monaſticam,

Po-

Ariſt. 6. Eth. c. 9. & 10. Politicam, Regnativam, Œconomicam, & Militarem. Clarius S. Thomas triplicem aſſignat: una, inquit, ſimpliciter dicta, quæ ordinatur ad bonum proprium: alia œconomica, quæ ordinatur ad bonum commune domus, vel familiæ; & tertia politica, quæ ordinatur ad bonum commuoe civitatis, vel Regni. Et hæc poſtrema adhuc duplex eſt, ut idem docet: Alia Regia in Principe, qui cuſtos eſt juſtitiæ, & boni publici procurator: alia militaris, præſertim in exercitus duce, cujus conſilio inſultaotes hoſtes comprimuntur.

Actus.

IV. Actus prudentiæ plerumque tres principales Theologi aſſignant. Primus horum eſt conſilium; quo media ad aſſequendum finem idonea inveſtigaotur: nam fine, ad quem tenditur, conſtituto, voluntas intelligentiam impellit, ut ea viam inveniat, qua ad finem illum perveniatur. Ad hunc actum eliciendum habitus Eubuliæ datur: Siracides monet: *Fili, ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis*. Sed parum eſt, inquis, in me conſilii. Nil intereſt, ſive tuo, ſive alieno conſilio utaris: eo enim utendum eſt, & ſæpe tutius alieno uteris, quam tuo. Quocirca, quod Tobias jubet, *conſilium ſemper a ſapiente perquirere*.

a. Alter prudentiæ actus eſt *Judicium*, cum de aptitudioe mediorum ad fioem ſententia fertur; ſive, cum quis rationem init, qua illud obtinendum ſit, quod humana prudentia obtentum cupit. Exempli cauſa: Eſt, qui caſtitatem ambiat; quis modus virtutis hujus aſſequendæ? judicium hos ſuggerit modos. Primus omnium eſt, numquam otiari. Alter, oculos coercere. Tertius, omnes ad laſciviam occaſiones, malos ſocios, fœminarum commercium, impuros libros, menſarum luxum amoliri. Quartus, precandi ac lectitaudi ſtudium conjungere. Quintus, diverſis corpus rigoribus, præſertim inedia exercere. Sextus, Sacramentorum uſum identidem iterare. Septimus, Dei præſentiam, & æternitatis præmium aſſidue cogitare. Atque hos tales modos judicium, alter prudentiæ actus, ſuggerit. Eadem in aliis virtutibus obtinendis ratio eſt. Atque ad hunc actum Syneſis inclinat.

3. Tertius prudentiæ actus, eſt *Imperium*, cum intelligentia imperat voluntati, ut id, quod recte judicatum eſt, illa exequatur ſtudioſe. Cui actui eliciendo Gnoma pro habitu ſubordinatur. Auguſtinus de prudentia mentiouem injiciens: Hujus, inquit, excubiæ, atque diligentiſſima vigilantia eſt, ne ſubrepente paulatim mala ſuaſione fallamur. Et ad Hieronymum: Certe hinc perſuadent, inquit, qui unam virtutem habuerit, habere omnes; & omnes deeſſe, cui una deſuerit, quod prudeotia, nec ignava, nec injuſta, nec intemperans poteſt eſſe. Prudentia doctrix morum, ordinatrix affectuum, moderatrix & auriga virtutum: murus tutiſſimus prudeotia.

Gradus.

V. Primus eſt, *nihil unquam pœnitentia dignum agere*: Sapientem quippe decet providentia, non pœnitentia teſte Epichar. *Epichar.*

Secundus eſt, *nihil admirari, cum acciderit*; *Cicero in epiſt.* cum euim Sapiens omnia prævidere debeat, qoæ accidere homini in hac vita queunt, hoc ipſo nihil inexpectatum, atqoe adeo nec admiratiooe dignum eidem apparebit.

Tertius eſt, *nullo caſu adverſo turbari*: Sic- *Sen. ep. 66.* ut enim manus eadem eſt, cum in palmam extenditur: & cum in pugnum contrahitur; ita & ſapiens idem ſemper manebit in omnibus caſibus, cum ſe non mutet in rebus, ſed ſe aptet illis.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. EStote prodentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices, ſicut columbæ. *Matt. 10 v. 16.*

II. Cor hominis diſponit viam; ſed Domini eſt, dirigere greſſus ejus. *Prov. 16. v. 9.*

III. Eſtote prudentes, & vigilate io orationibus. *1. Petr. 4. v. 6.*

IV. Qui moderator labia ſua, prudentiſſimus eſt. *Prov. 10. v. 19.*

V. Hæc eſt veſtra ſapientia, & intellectus *Deut. 4. v. 6.* coram populis, ut audientes oniverſa præcepta hæc dicant: En populus ſapiens, & intelligens, gens magna.

VI. Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapientia; *Job 28. v. 20.* & recedere a malo, iotelligentia.

Neceſſitas.

VII. Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia. Utinam ſaperent, & intelligerent, & *Deut. 32. v. 28.* noviſſima providerent.

VIII. Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam; Qui autem odit avaritiam, longi fient dies ejus. *Prov. 28. v. 16.*

IX. Ubi non eſt Gubernator, popolus corruet: ſalus autem, ubi multa conſilia. *Prov. 11. v. 14.*

Utilitas.

X. Sapientia ædificabitur domus, & prudentia roborabitur: in doctrina replebuntur cellaria, univerſa ſubſtantia pretioſa & pulcherrima. *Prov. 24. v. 3.*

XI. Vir Sapiens, fortis eſt: & vir doctus, *Ib. v. 5.* robuſtus & validus.

XII. Beatos homo, qui invenit ſapientiam, *Prov. 3. v. 13.* & cui affluit prudentia; melior eſt acquiſitio ejus negotiatione auri & argenti, & puriſſimi fructus ejus.

XIII. Poſſide ſapientiam: poſſide prudentiam: ne obliviſcaris, neque declines a verbis *Prov. 4. v. 5.* oris mei. Ne dimittas eam, & cuſtodiet te; dilige eam, & conſervabit te.

XIV. Poſſide ſapientiam, quia auro melior *Prov. 16. v. 16.* eſt: Poſſide prudentiam, quia pretioſior eſt argento.

XV. Cor prudens poſſidebit ſcientiam: & *Prov. 18. v. 15.* aoris ſapientum quærit doctrinam.

XVI. Fons vitæ eruditio poſſidentis; doctrina ſtultorum fatuitas. *Prov. 16. v. 22.*

XVII. Dominus ſapientia ſundavit terram, *Prov. 3. v. 19.* & ſtabilivit cælos prudentia.

XVIII. Melior eſt ſapientia cunctis opibus *Prov. 8. v. 11.* pretioſiſſimis, & omne delectabile ei non poteſt comparari.

Digitized by Google

Prov. 9. v. 10. XIX. Principium ſapientiæ timor Domini: & ſcientia Sanctorum, prudentia. Per me enim multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni vitæ.

Prov. 19. v. 8. XX. Qui poſſeſſor eſt mentis, diligit animam ſuam: cuſtos prudentiæ inveniet bona.

Dignitas.

Prov. 16. v. 21. XXI. Cor ſapientis erudiet os ejus, & labia ejus addet gratiam.

Prov. 8. v. 14. XXII. Meum eſt conſilium, & æquitas: mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo. Per me reges regnant, & Legum Conditores juſta decernunt! Per me Principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam.

Prov. 3. v. 35. XXIII. Gloriam ſapientes poſſidebunt: ſtultorum exaltatio, ignominia.

§. III. EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Bonav. l. de grad. virt. c. 9. I. ALtus gradus prudentiæ eſt, ordinare vitam ſecundum exempla ſanctorum: Altiſſimus, ordinare ſecundum exemplum Chriſti.

S. Chryſ. hom. 5. in Matth. II. Prudentem dico, non ſcientem & doctum, ſed ſenſatum & mente acutum, qui poteſt rerum ponderare naturas, & ſecundum quod poteſt rationabiliter omnia agere.

S. Aug. l. 19. de civ. Dei. III. Quid illa virtus, quæ prudentia dicitur, nonne tota vigilantia ſua bona diſcernit a malis, ut in illis appetendis, iſtiſque vitandis nullus error obrepat.

S. Ambr. in cap. 6. Luc. IV. Habes prudentiam, cujus eſt flere occidua? & quæ æterna ſunt, quærere: lugere ſæcularia, quæ ſeipſa oppugnent: Deum pacis inquirere, qui ſtulta mundi elegit, ut confundat ſapientes.

S. Greg. in moral. V. Solerter animus ante actionis ſuæ primordia, cuncta debet adverſa meditari, ut ſemper hæc cogitans, ſemper contra hæc thorace patientiæ munitus, quidquid acceſſerit, lucrum putet.

Hier. ſuper Oſea. VI. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, quia prudentia abſque bonitate malitia eſt, & ſimplicitas abſque ratione ſtultitia eſt.

Aug. ad Fratres in Erem. in ſerm. de provid. VII. Prudentia docet, quomodo præſentia ordines, quomodo præteritorum recorderis, & quotidie futura provideas.

Id. ibid. VIII. Prudentia teſtimonium veritati, non amicitiæ reddit, prudentia cum diſcretione promittit, & promiſſum accelerat, & amplius quam promiſit præſtat.

Iſid. lib. Etymol. IX. Sapiens dictus a ſapore; quia ſicut guſtus eſt aptus ad diſcretionem ſaporum ciborum; ſic ſapiens ad dignoſcentiam rerum atque cauſarum.

Neceſſitas.

Idem. X. Plerumque virtus, cum indiſcrete tenetur, amittitur, & cum diſcrete intermittitur, plus tenetur.

S. Bern. ſup. Cant. XI. Virtus diſcretionis abſque charitatis fervore jacet, & fervor vehemens abſque diſcretionis temperamento præcipitat.

S. Chryſ. de cur. alien. mag. XII. Tutius eſt, chordas remitti intenſius, quam protendi: remiſſarum namque intenſio Artificiis peritia convaleſcit, ſed quæ ſemel rupta eſt, nullo artificio reparatur.

S. Bern. ſup. Cant. ſ. 49. XIII. Diſcretio eſt quædam moderatrix & auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc, & virtus vitium erit, ipſaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiumque naturæ.

S. Baſil. de conſt. Monaſt. XIV. In omni, quæ ſuſcipitur, actione antecedere prudentia debet; nam prudentia remota nihil cujuſvis generis eſt, quod licet bonum videatur, non in vitium recidat, ſi aut alieno tempore, aut non adhibita moderatione fiat.

S. Greg. l. 19. mor. XV. Animalia prophetica, & in circuitu, & intus plena oculis eſſe memorantur. Quiſquis enim exteriora ſua honeſte diſponit, ſed interiora negligit, in circuitu oculos habet, ſed intus non habet. Sancti vero homines, & exteriora ſua circumſpiciunt, ut bona de ſe exempla præbeant Fratribus; & interiora ſua vigilantia attendunt, quia ſe irreprobabiles interius Judicis obtutibus parant; ideo in circuitu oculos & intus habere perhibentur.

S. Aug. de civ. Dei. XVI. Qui ſine Salvatore ſalutem vult habere, & ſine vera ſapientia æſtimat ſe prudentem fieri poſſe, non ſanus, ſed æger, non prudens, ſed ſtultus in ægritudine aſſidua laborabit, & in cæcitate noxia demens & ſtultus permanebit.

Utilitas.

S. Baſil. hom. 12. XVII. Prudentia eſt virtus, quam ſi quis rite ſectatus fuerit, numquam ab officio, virtuteque abſcedet, numquam vitiorum peſtem incurret.

Idem de conſt. monaſt. cap. 15. XVIII. Ubi ratio & prudentia rebus bonis iduneum tempus & modum definiunt, mirabile eſt, quantus ex earum uſu cum in dantis, tum in accipientes fructus redundet.

S. Ambr. l. de parad. c. 3. XIX. Non anguſta quædam, ſed dives utilitatum prudentia eſt, quæ pluribus proſit.

S. Baſil. hom. 12. XX. Iſta prudentia, ædificanti domum fundamentum ſupra petram locare, hoc eſt, in Chriſti fide fundare largitur.

S. Bern. in epiſt. XXI. O utinam ſaperes & intelligeres ac noviſſima provideres! Saperes, quæ Dei ſunt: Intelligeres, quæ mundi ſunt: Provideres, quæ inferni ſunt profecto inferna horreres, ſuperna appeteres: quæ ad manus ſunt contemneres.

S. Baſil. orat. 12. XXII. Magnam, mehercle, hominibus affert utilitatem conſilium, eo quod nemo ſufficiat ſibi ad electionem rerum honeſtarum, utiliumve, ſed pluribus ſane ſociis, iiſque ſolertibus opus habet. Unde haud abſurde homo conſilii expers, ſimilis cenſetur navigio rectore carenti, quodque ventorum impetu hunc illucque impellitur.

Dignitas.

Idem or. 12. XXIII. Profecto divina quædam res eſt conſilium, eſt namque animi conjunctio, charitatis fructus, mentis demiſſi demonſtratio.

Caſſian. collat. 2. XXIV. Eſt diſcretio, non mediocris quædam virtus, nec quæ humana paſſim valeat induſtria comprehendi, niſi Divina fuerit largitate collata.

XXV.

S. Chryſ. hom. 11. in Matth. XXI. Quis enim fidelis ſervus, & prudens? rem quidem laudabilem proponit, rariſſimam autem, ut fidelis quis inveniatur, & prudens. Ecce ſi quæras fideles, id eſt, Deum timentes, & ipſos quidem non multos invenies, tamen adhuc facile invenis. Item ſi prudentes quæras, invenies multos, fidelis autem, & prudens difficile invenitur. Quanto ergo rarior invenitur, tanto, qui inventus fuerit, beatior eſt.

§. IV. EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

l. 1. c. 4. §. 1. I. NOn eſt credendum omni verbo, nec inſtinctui; ſed caute, & longanimiter res eſt ſecundum Deum ponderanda.

ib. §. 2. II. Magna ſapientia eſt, non eſſe præcipitem in agendis, nec pertinacem in propriis ſtare ſenſibus. Ad hanc etiam pertinet, non quibuslibet hominum verbis credere, nec audita vel credita mox ad aliorum aures effundere.

l. 1. c. 1. §. 2. III. Iſta eſt ſumma ſapientia, per contemptum mundi tendere ad regna cæleſtia.

l. 1. c. 3. §. 6. IV. Vere prudens eſt, qui omnia arbitratur ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciat.

l. 2. c. 8. §. 1. V. Magna ars eſt, ſcire cum Jeſu converſari; & ſcire Jeſum tenere, magna prudentia.

§. V. EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Qualitas.

1. Reg. 18. v. 5. I. DE David dicit Sacra Scriptura: Egrediebatur quoque David ad omnia, quæcumque eum miſiſſet Saul, & prudenter ſe agebat.

1. Reg. 25. v. 3. II. Abigail, teſte Sacro Codice, erat mulier prudentiſſima & ſpecioſa: Unde & David placavit, & prudentia ſua exitium a domo mariti avertit.

3. Reg. 3. v. 12. III. Salomon dixit Deus: Ecce feci juxta ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens, & intelligens, in tantum, ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te futurus ſit. Unde & prudentiſſime litem inter duas mulieres de filio exortam diremit.

Judith. c. 11. v. 19. IV. De Judithæ prudentia olim Holofernes pueri judicium ferentes dixerunt: Non eſt talis mulier ſuper terram in aſpectu & pulchritudine, & in ſenſu verborum.

l. 4. Reg. c. 18. v. 6. V. Ezechias, quia adhæſit Domino, & non receſſit a veſtigiis ejus, meruit, ut Dominus eſſet cum eo, & in cunctis, ad quæ procedebat, ſapienter ſe ageret.

Dan. 13. v. 45. VI. Daniel, ut Suſannam a morte liberaret, prudentiſſimo conſilio falſitatem accuſationis contra eam factæ detexit exitumque in ſuos Authores convertit.

1. Cor. 9. v. 22. VII. S. Pauli prudentia vel in eo ſatis apparuit, quod omnibus omnia factus ſit, ut omnes lucrifaceret. Unde alibi quoque ait: Ego vos non gravavi, ſed cum eſſem aſtutus dolo vos cepi.

Brev. Rom. 30. Apri. Pal av. VIII. S. Catharina Senenſis tantæ erat prudentiæ fœmina, ut a Pontificibus diverſis in graviſſimis legationibus adhiberetur.

IX. S. Bembo Abbas adeo in verbis cautus, & prudens erat, ut etiam S. Antonium ex hoc capite ſuperaret. Interrogatus ab aliquo de re quapiam, dicere ſolebat: Da mihi cogitandi tempus. Quo dicto, ad orationem ſe conferrebat; & ſi quidem a Deo reſponſum accepiſſet, id ipſum alteri communicabat. Sin minus, nihil reſpondebat.

X. De Martino V. ſic ſcribit Platina: Martinus V. Pontifex ſummus in conſultationibus miræ prudentiæ vir eſt habitus: nam & quid agendum, & quid vitandum eſſet, ſtatim re propoſita acutiſſime dijudicabat. Brevis in dicendo, cautior in agendo, adeo ut prius rem factam cernerent homines, quam ab eo excogitatam putarent. Ejus autem ſermo plenus ſententiis erat. In dandis quoque beneficiis mira uſus eſt prudentia: non enim unicuique expetenti conferebat, ſed ſtatim mente agitabat, quis potiſſimum eſſet idoneus, cui talis cura demandaretur. Quod ſi homines provinciarum non noſſet, in quibus vacare beneficia contigiſſet, ſtatim peritos Regionum conſulebat; quis aut in curia, aut gymnaſiis publicis eſſet doctrina, nobilitate, moribus, tanta provincia dignus. Atque hac ratione & Eccleſiis, & hominibus honore dignis pariter conſulebat, cum maxima celebritate nominis ſui. *Platina in vit. Pontif.*

XI. Euſebius Vercellenſis Epiſcopus, cum in Catholica Eccleſia & doctrina, & moribus in magna exiſtimatione haberetur a Coſtantino Imperatore Arriano Mediolanum ad Concilium vocatus fuit, cum autem accepiſſet, arte multos Catholicos Epiſcopos, in primis vero Dionyſium Epiſcopum Mediolanenſem, eo compulſos eſſe, ut damnationi Athanaſii, & Nicæni Concilii derogationi ſubſcriberent; perſpiceret etiam, quam graviter per eam Scripturam vera Chriſti fides læderetur, quæ etſi ab iis, qui ſubſcripſerant, revocari poterat, tamen oſtenſa, dubiam factura erat Catholicam fidem, novo actu evertere eam cogitavit. Itaque nomen ſuum Inſcribere non recuſavit. Poſtquam autem codicillum & inſpexit, & in principio Dionyſii nomen ſcriptum vidit, ſe vehementer commotum eſſe finxit, quod primarium locum juniori tradidiſſent, dicens: Vos, Arriani, Affirmatis, Filio Patrem majorem eſſe, & Dionyſium, qui ætate atque doctrina me minor eſt, mihi præpoſuiſtis. Idcirco peto ut nova Scriptura conficiatur, & in ea ſervato gradu, omnes ſuum inſcribant nomen quod ſi a vobis fiet, ego vos morem gerere non recuſabo, ut tandem, quæ inter vos videntur contentiones, finiantur. Arriani vera hominem locutum arbitrati, ſuperbiaque impulſum requirere, ut in ſcriptura Antiſtitum ætatis atque dignitatis gradus ſervarentur, exuſta prima ſcriptura, cui jam plerique ſubſcripſerant, novam confecerunt. Quæ cum ad Euſebium perlata eſſet, nomen ut ſuum apponeret, rem magni eſſe momenti aſſeruit, exigereque ejus magnitudinem, ut ante diligenter ſuper ea diſputaretur. *S. Ambr. ſerm. 69.*

XII. Negligentia quadam uſuvenerat, ut Theo-

Baron. t. 6. ann. 446. n. 24. Theodoſius oblatis ſibi libellis, vel aliis ad regimen Imperii ſpectantibus a miniſtris ſcriptis, abſque eorum inſpectionem ſubſcriberet. Quod cum periculoſe admodum peragi, Pulcheria ſoror intelligeret, hujuſmodi ludo eum corrigendum in animum induxit. Libellum ſcribit, in quo ſignificaretur emptam a ſeſe eſſe Eudociam conjugem Auguſtam, ſi ipſe præberet aſſenſum, oblataque eadem charta Theodoſio, ipſe ex more ei abſque alia inſpectione ſubſcripſit. Recepit ita ſubſcriptam chartam Pulcheria, quæ accedentem ad ſe Eudociam aliquando retinuit, vocatamque ab Imperatore reddere recuſavit, a ſe emptam affirmans, & oſtendens de rata habita emptione Imperatoris chirographum: ſicque falſo quidem ejuſmodi joco Auguſti oſcitantiam voluit condiſſe, ac correxiſſe ſimul.

Fulgoſus l. 7. c. 3. XIII. Mirifica fuit Alphonſi I. Neap. Regis in judicando prudentia: ipſo enim adhuc adoleſcente Regnorum Siciliæ, & Aragoniæ Gubernacula ſuſcipiente, accidit, ut cujuſdam ancilla ex domino pareret, & ad libertatem ex lege Hiſpanienſi proclamaret; dominus autem, ne matre cum filio privaretur, negabat puerum ex ſe natum. At illa acrius inſtante, & natum ex domino conceptum aſſeverante, cum ejus rei difficilis probatio, & veritatis conjectura periculoſa eſſet in ancipiti, Alphonſi prudentia jam inde ab adoleſcentia ſtatim reſplenduit. Decrevit ergo, ut infans ſub haſta venderetur: eumque uni, qui majus pretium attuliſſet, infans traderetur, pater pietate victus, a lacrymis temperare nequivit, & ſuum eſſe filium ſaſſus eſt. Quare Rex & patri filium, & debitam matri libertatem non cunctanter adjudicavit.

Jo. Rho. l. 3. ſelec. virt. c. 23. n. 6. XIV. Grave vulnus in genu Romæ a ficario acceperat vir nobilis, atque, ut erat iræ ac doloris impotens, cum diro cruciatu artus convellerentur, vindictam ſpirans, & inclamans, nullamque ſaniora ſuggerentium vocem ad aures admittens, geminæ mortis in limine periclitabatur. Deſperata propemodum erat, non minus animi, quam corporis curatio, cum ex amicorum Medicis unus (e Capucinorum familia fuiſſe tradunt, nec nomen addunt, qui hæc prodiderunt) acciri, quibus æger delectabatur, ſymphoniacos jubet, ac modis leniſſimis canere. Itaque illapſa ſurentis in animum modorum ſuavitate, iræ atque furori modus paulatim fieri cœpit, detumuitque animus; factumque muſicæ pretium, ut exinde monitores audiret atque ad omnem Chriſtianæ adverſus inimicum, ac ficarium charitatis ſignificationem nullo negotio traduceretur. Tanti eſt, crudos adhuc atque indomitos humores pharmacis lenioribus præmollire, ut placide ac ſine concuſſu poſſint evocari.

Ib. n. 18. XV. Donatus Janoctius ajebat, numquam jumentis, quantumvis domitis, aut etiam labore feſſis, tam propinqua gradiendum ſemita, ut calce quis peti poſſit? ſed modico flexu declinandum? quid enim? ſi recte paſſuum ratio conſtet, vix millibus in annos ſingulos vitari periculum, quod nemo ſapiens magno redemptum non velit. Haud aliter præferocia ingenia, de quibus aliorum damna in lucro ſunt, procul habero, ne aliquando non habuiſſe pœniteat, prudentis eſt.

XVI. Joannes Piobanus Ordin. Minor. ab *Ib. n. 24.* Etruria ad Calabros a moderatoribus migrare juſſus, nova inſuper animi contentione virtutem colere inſtituit, rogantibuſque novi impetus, fervoriſque cauſam, præclare reſpondit, fruſtra cælum mutari moribus iiſdem, neque hoc religioſis hominibus proponi, quum migrant: ſed quotieſcumque alibi eſſe jubentur, alii ſint.

XVII. Joſepho mirifica fuit in Pharaonis *Gen. 41.* ſomnio, quod famem portendebat, interpretatio, ſed non minor prudentia in colligendo frumento, quo per ſeptem annos famelica aleretur Ægyptus.

XVIII. Cum Puer Jeſus annorum duodecim manſiſſet in Jeruſalem in medio doctorum audiens & interrogans, ſtupebant omnes *Luc. 2.* qui eum audiebant ſuper prudentia & reſponſis ejus.

XX. Magna fuit prudentia Flaviani Antiochiæ Epiſcopi Catholici, contra Adelphum *Theodor. l. 4. hiſt. Eccleſ.* hæreticum & Meſſalianorum Principem, ut totum peſtilentis hæreſis venenum, quod occultaverat, & clanculum multis inſtillaverat, nec de ullo convinci poterat, ſua ſponte effunderet. Hominem ad ſe Antiochiam evocat, benigne tractat, prope aſſidere jubet. Tum ad eum: Nos, inquit? o ſenes, ad longam jam ætatem provecti, multoque uſu rerum edocti & dæmonum fraudes perſpectas habemus & dona Spiritus ſancti edocti ſumus. Iſti juvenes ſpiritualium ſermonum nec dum capaces occultiora Dei myſteria non percipiunt, itaque mihi, quæſo aperias, quomodo ad nos Dei Spiritus adveniat, & contrarius Spiritus quomodo a nobis, recedat. His verbis delinitus ſenex totum cordis ſui arcanum pateſecit & peſtilentis ſuæ doctrinæ virus totum effudit. Quo audito & ſeni verbis acerrimis maledixit & totam illam Meſſalianorum peſtem tota Syria expulit.

XXI. Ferdinandus & Iſabella Hiſpaniæ Rex *Ludov. Guicciardin. l. 10.* & Regina fama prudentiæ admodum celebres & clari fuerunt, quod ex maximis motibus ſua regna in ſummam tranquillitatem atque obedientiam reduxiſſent, quodque bello decem annos continuato, Granatæ regnum a Mauris annos circiter octingentos poſſeſſum ad Chriſtianam religionem compuliſſent.

Utilitas.

XXII. Mardochæus conſilium opportunum *Eſther c. 4.* ſuggerens Eſtheri Reginæ, a ſe & toto populo Judaico imminens exitii periculum avertit.

XXIII. Rebecca Jacobo minori ſuo filio, *Gen. c. 27.* prudenti ſuo conſilio benedictionem a patre, ante majorem natu filium Eſau impetravit.

XXIV. Noemi Socrus Ruth ad ſe ex agro *Ruth. 3. v. 1.* Booz revertenti dixit: Filia mea, quæram tibi requiem, & providebo, ut bene ſit tibi. Cumque Ruth conſilium ejus ſecuta eſſet, uxor Booz fieri & inter Progenitores Chriſti numerari meruit.

XXV.

Digitized by Google

Dan. c. 14. XXV. Daniel prudenter fraudem Sacrificulorum, cibos Beli oblatos comedentium detegens, mortem a Rege decretam a ſuo avertit, & in capita inimicorum detorſit.

Dignitas.

3. Reg. 3. v. 28. XXVI. Salomoni ſapientia ſua tantam exiſtimationem, & honorem apud univerſos populos conciliavit, ut & Iſraelitæ ipſum timerent, videntes ſapientiam Dei eſſe in eo ad faciendum judicium; & regina Saba veniens *3 Reg. 10. v. 6.* tentare eum in ænigmatibus, faſſa ſit: Verus eſt ſermo, quem audivi in terra mea ſuper ſermonibus tuis, & ſapientia tua: & non credebam narrantibus mihi; donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & probavi, quod media pars mihi nuntiata non fuerit. Beati viri tui, & beati ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam.

Gen. 41. v. 42. XXVII. Joſephus Patriarcha propter ſingularem ſuam prudentiam, in Proregem Ægypti aſſumi, & audire a Pharaone meruit: Tu eris ſuper domum meam; & ad tui oris imperium cunctus populus obediet. Uno tantum regni ſolio te præcedam.

Daniel. 6. n. 3. XXVIII. Daniel ſuperabat omnes Principes, & Satrapas honore, & dignitate, quia ut Scriptura ait, amplior Spiritus Dei erat in illo. Unde & Darius Rex eum ſuper omne regnum conſtituere decreverat.

§. VI. EXEMPLA DOMESTICA.

I. S. Ignatius quanta fuerit prudentia præditus, & ſcripta, & facta teſtantur, ita ut merito Doctorem quemdam Theologum alterius Religionis dixiſſe fama perhibeat, credere ſe quidem, plures eſſe in cælo, qui eum ſanctitate ſuperent; an vero unus eum prudentia ſuperet, vix perſuadere ſe ſibi poſſe. *Hiſt. Soc. p. 2. l. 16. n. 102.* Ratione plurimum, & conſilio utebatur, crebro uſurpans; a belluis hominem ſola ratione differre. Unde ipſe in omni actione, & finem actionis, & media, modoſque perfectiſſimos eos perficiendi excogitabat. Ut omnes lucrifaceret, ambitioſis ſplendida, avaris utilia, voluptuoſis jucunda proponebat. In congreſſu maxime Principum videbat, ut initia illis daret, extrema reſervaret ſibi, cavebatque, ne de rebus etiam Divinis inepte ageret. Triſtem, & horridam ſapientiam ſemper vitabat, quantum potuit, ſed ad communem conſuetudinem accommodans, ita ut ejus mores prima fronte intuentibus, unus aliquis e populo *Ib. c. 32.* videretur eſſe. Non erat quidem in agendo cum aliis ſuſpicioſus aut timidus, attamen valde circumſpectus ac providus, ut illi non *Ribad. l. 5. c. 11.* facile quiſquam poſſet imponere. A cœna inſequentis diei negotia diſponebat. Cum omnia pietatis opera ad ſalutem proximi ſpectantia complecti non poſſet, magno delectu præferebat publica privatis; perpetua lis, quæ ad tempus fiunt: certa incertis, ſecura periculoſis: neque tam vidabat, quantæ res ipſæ eſſent, quam quantum ſpei ad eas conficiendas *Hiſt. Soc. p. 3. l. 3. n. 49.* oſtenderetur. Hinc ajebat, non res nobis, ſed nos rebus accomodari debere. In vocandis hominibus ad virtutem, ſuis armis petendum Satanam dicebat: ſicut enim ille animam juſti non continuo apertis armis, & inſidiis, ſed recte oppugnat; nihil primo bonis actionibus adverſando, immo multa, quæ honeſti ſpeciem præbent, ſuggerendo, donec tandem incautum decipiat; ita in alliciendis ad ſalutem animis, laudanda prudenter initio in hominibus, quæ ſunt recta, vitiis parumper intactis, ac leniter in eorum gratiam irrependum. Qua conciliata tum demum admovendam medicinam. Ajebat Sanctitatem per ſe ſolam valere *Rib. l. 4. c. 10.* plurimum, ſed niſi eum prudentia agendique cum hominibus modo conjuncta ſit, mancam fore ac infirmam, pluſque ſæpe exquiſitam cum mediocri Sanctitate prudentiam in gubernatione efficere, quam Sanctitatem majorem cum prudentia minori. Cenſebat eos qui in rebus Divinis nimis prudentes eſſe volunt, haud ſæpe magna præſtare; numquam enim ſe ad ea, quæ pulcherrima ſunt, admoturum illum, qui earum difficultates, & ancipites eventus ſcrupuloſe cogitat, aut anxie nimis reformidat. In formula inſtituti dixit: Revera hoc inſtitutum omnino humiles, & prudentes in Chriſto, & in Chriſtianæ fidei puritate ac litteris conſpicuos exigit.

Vit. l. 2. c. 17. II. S. Franciſcus Xaverius mira erat prudentia in convertendis peccatoribus; nam primo diſſimulabat eorum vitia, omni affabilitate eos devinciens, tum recenſitos varios malorum caſus, eorumque vitam Divinis mandatis contrariam oſtendens, eos convertebat. Si quando aliquis improba diceret, nullam indignationem oſtendebat, nec errantem tum reprehendebat, ſed in ejus familiaritatem ſe inſinuans, & ſeducens hominem ſine arbitris monebat dicens mirari ſe, talia illi verba excidiſſe. Exiguos fructus cum hominum approbatione, maximis fructibus cum aliqua vel minima offenſiuncula potiores ducebat; parvos quippe fructus cum virtutis exemplo perceptos, & diuturnus eſſe, & ſemper augeri; contraque ingentes offenſione hominum vitiatos, paulatim corrumpi ac interire.

Vit. l. 4. c. 9. III. S. Franciſcus Borgia Divinæ ſuæ, plus quam humanæ prudentiæ, hoc argumentum illuſtre dedit; quod excelſo animo bonis fortunæ, titulisque omnibus nuntio remiſſo, ſponte Chriſtianam inopiam ſit ſectatus. Si qui Societati nomen dare vellent, minimiſque rebus, ut fit, initio urgeretur quo minus ſe totos addicerent, largiri illis minuta, funemque concedere, ſalva tamen religione, & ſpe commodi majoria, ſolebat, gnarus, futurum, ut tempore ipſo exigua illa & parva, veluti nebulæ ſole diſſiparentur. Fratres Coadjutores, Dei ſapientes appellare conſuevit, gnarus, Deum precantibus illis ea ſuggerere plerumque ſolere, quæ mundi ſapientes e libris haurire ſolent. Qui cæteris præeſſent, dicebat, non una omnes regula metiri debere, ſed bonos milites imitari, qui pro fiſtulæ captu machinam bellicam ſulphureo pulvere implent, ne diſſiliat.

Biblioth. Script. IV. P. Jacobus Laynes vir fuit omnibus numeris abſolutiſſimus, ingenio maximo, judicio accerrimo, excellenti memoria, pru-

dentia ſingulari ; qua ad omnium ſe ingenia facile aptabat, ſermonemque prudenter temperabat, ſicque pleroſque, cum quibus agebat, lucriſaciebar.

Vita l. 3. c. 16.

V. P. Petrus Faber mira prudentia in ſuis actionibus quatuor capita arcte obſervabat. 1. Ut unamquamque rem gerendam prudenter inſpiceret, an ea eſſet ejuſmodi, ut ſua ſponte referretur ad Deum, & cum ſuo animo eſſet ſalutaris, tum utilis alienis. Deinde qua mente, quove animo fieret, ut ab utraque gena commendaretur ejus animæ facies, eique jure dici poſſet a ſponſo : Quam pulchræ ſunt genæ tuæ. Tum quo ductus ſpiritu unamquamque rem gereret, ne quod amanter, & filiorum more gerendum eſſet, id ab eo ſerviliter gereretur. Denique perpenderet ipſe ſecum, quanta ſit facilitas Dei, quanta clementia in eo accipiendo, quod damus, admittendiſque laboribus ac contentionibus noſtris, cum ſolus ipſe dolorem laboremque conſideret.

Menolog. & Biblioth. Ser.

VI. P. Mutius Vitelleſchus prudentia tam ſingulari erat præditus, ut ob eam, morumque ſuavitatem a Summis Pontificibus, aliiſque Primatibus ſummi ſemper fuerit æſtimatus, ſed & domeſticorum, quos regebat, animos mire ſibi devinxerit.

Jo. Rho. l. 2. ſelect. viro. c. 77. nu. 5. ex noſtris.

VII. Decumbebat gravi valetudine Franciſcus Padilla, genere, ac virtute nobilis, & forte ab inexperto tyrone, cui ægri curatio obvenerat, adeo præpoſtere omnia adminiſtrabantur, ut vir prudens non dubiam perniciem ſibi ſentiret imminere : angebatur animo, an indolentiæ ſimulatione ſingulari, rem agi ac ferri ſineret ; an vero modeſte id Rectori ſignificaret. Hinc ab inſito vitæ amore trahi, virtutis inde ſpecie allici. Stat, conſilium Gonzali Gundiſalvi ſeveriſſimi ſenis, peræque ac prudentiſſimi ſuper ea re ſententiam ſciſcitari. Ille ubi de ægro rem omnem intellexit, vehemens actor fuit, ne oblatam creſcendi opportunitatem elabi per animi mollitiem ſineret, quam olim doleret amiſſam : præſtare vitæ virtutem, eamque veram eſſe patientiam, quæ patientis in ſinum congeſta reliquorum conſcientiam fugeret, frugifero virtutis compendio, quod ſi mori contingeret, id enim vero viro forti in votis eſſe, togatumque martyrium videri. His ubi dictis ægrum patientiæ jam certum relinquit, propere ad Rectorem adiit, peractoque indicio, ne tanta virtus unius tyrunculi negligentia concideret, ſapientia perfecit. Maximam humanæ felicitatis partem eſſe, prudentibus uti conſultoribus ſervata vita, & virtus ægri pateſecit.

§. VII. EXEMPLA PROFANA.

S. Dam. in hi. c. 24. inter. Trapezuntis.

I. S. Barlaam prudentiæ primarium officium ingenioſe ſequenti parabola, demonſtrabat : Civitatem quamdam didici fuiſſe magnam, cujus cives talem habebant conſuetudinem antiquitus, ut aſſumerent extraneum aliquem, & ignotum virum, nihil legum civitatis ſuæ, & traditionum ſcientem, & hunc ſibi Regem conſtituebant, qui omnem poteſtatem accipiebat, & ſuarum voluntatum perficiendarum facultatem habebat, uſque ad completionem unius anni. Deinde in omni ſecuritate eo permanente, deliciiſque, ac ſuavitatibus ſine ulla formidine, & ſecum ſemper permanſurum regnum exiſtimante, repente ſurgentes cives illi contra eum, regali ablata ſtola, nudum per totam trahentes civitatem, exulem tranſmittebant in magnam ac longius remotam inſulam, in qua neque cibum inveniens, neque veſtimentum in fame ac nuditate male atterebatur, voluptate ſcilicet, atque animi hilaritate, quæ præter ſpem ipſi conceſſa fuerat, in mœrorem, rurſus præter ſpem omnem, & expectationem commutata. Interea juxta morem & conſuetudinem civium illorum ordinatus eſt quidam vir in regno, qui non exiguo mentis intellectu vigebat, qui tanta, ac tali ex improviſo accidente ſibi abundantia mox non eſt diſſolutus, nec ab ea raptus, neque eorum, qui ante eum regnaverunt, & miſerrime ejecti fuerunt, incuriam ſecutus eſt, ſed ſolicitudinem gerebat, & laborabat animo, quomodo ſe, & ſua bene diſponeret ; Dum ergo aſſidua meditatione diligentius iſta pertractaret, cognovit per quemdam ſapientiſſimum conſiliarium ſuum, conſuetudinem civium, & locum perennis exilii, & quomodo oporteret ſemetipſum cuſtodire, ſine errore edoctus eſt. Hoc ergo, ut agnovit, & quia oporteret eum prius paululum ad illam applicare inſulam, hoc quoque caducum regnum, & peregrinum alienigenis rurſus delinquere : apertis theſauris ſuis (quorum tunc liberam habebat facultatem, & de illis, quod vellet facere) accepit pecuniarum multitudinem, auri videlicet, & argenti, & lapidum pretioſorum ampliſſimum pondus, & fideliſſimis committens famulis in illam præmiſit, ad quam ducendus erat, inſulam. Peracto igitur anni termino, in ſeditionem verſi cives, nudum, (ſicut & illos, qui ante eum fuerunt,) in exilium tranſmiſerunt. Tunc cæteri ſtulti, & temporales reges male fame cruciabantur. Ille vero qui divitias ante ibi depoſuerat in abundantia perpetua vivens, & delicias infinitas habens, timoreque prorſus inconcuſſo, infidelibus, & malignis civibus, ſapientiſſimo ſeipſum beatificavit conſilio. Civitatem ergo intellige vanum iſtum, & deceptorem Mundum ; cives autem, principes & poteſtates dæmonum, Mundi rectores tenebrarum ſæculi hujus : ſapientem vero, qui regem præmonuit de conſuetudine civitatis, quemlibet ſanctum doctorem, & prædicatorem, exilium, futuram vitam, ubi, qui anno ſuo, id eſt, tempore hujus vitæ deliciis ſervierant, in perpetuas miſerias detrudendi ſunt. Qui vero de futuris ſolliciti, opera bona, tanquam divitias præmiſerunt, æternis deliciis frutturi ſunt.

Spe. Ex. diſt. 5. ex. 97 it. voc. ſapientia ex contemp. l. 2 c. 43. P. 2.

II. Erat quidam nobilis adoleſcens, qui valde ſagax ingenio, regi patri ſucceſſit in regno. Hinc accidit, ut in regia civitate nundinis conſtitutis, Rex cum ſodalibus ſuis ad inſpiciendos inſtitores, & res venales circuiret. Et videns hominem grandævum ætate

aſſi-

aſſidentem menſæ vacuæ in nundinis, quærit, quis ſit, & ſi quid venale haberet. Cui ille: Dicor inquit, Philoſophus, ſapientiam venalem habeo. Ad hoc gaviſus Rex, & ſubridens: Bene, inquit, ut juvenem conſtitutum in regimine, mihi competit ſapientiam habere? tu autem videas, quantum velis vendere pro centum marcis. Et ſenex: unum inquit, tibi pro ſtatuto pretio dicam, quod ſi bene tenueris, optime per illud regeris, & reges. Temere nil loquaris, temere nil attentes, niſi prius cogites, quid ſequatur, ſi plus volueris, addas & pretium. Ad hoc igitur omnibus concitatis in riſum, Rex conſiderantius verbi pondus, advertit, & Philoſopho ſtatim ſolvi pretium promiſſum imperavit. Verbum autem, quod acceperat in ſuperliminaribus Palatii, & in menſis, & in ſcyphis aureis, & manutergiis ſcribi fecit. Hinc poſtea ſucceſſu temporis Rex in ſapientia, & virtute proficiens, inſtituit fortius animum, eripere plebem humilem de manu potentium, qui a nobilibus terræ graviter premebantur, & regnum ſuum in omni juſtitia gubernare. Pro quo nnbiles ſui in ſeditionem verſi, cum nequaquam in manifeſto, propter ſavorem populi, contra eum auderent aliquid attentare, occulte quemdam raſorem pretio conduxerunt, ut regem in conclavi radendum novacula jugularet. Ergo ubi Rex humectata barba ſe radendum exhibuit, dictus raſor in manutergio, quod erat circa collum Regis, ſcriptum legit: Temere nil attentes, niſi prius cogites, quid ſequatur. Et ſuper propoſito ſcelere pavefactus, expalluit, & manum tremulam mox retraxit. Quo viſo Rex cauſam exegit, nec ſine cauſa eventum conſiderans, diſſimulantem raſorem, quaſi hoc ſibi ex infirmitate contigiſſet, extendit ad pœnam, & veritatem rei cum tormentis extorſit. Sic ergo Rex liberatus a morte, conſilium a Philiſopho datum amplius ſuſpexit, ejuſque auxilio feliciter gubernare perrexit; quin vera didicit, quia melior eſt ſapientia cunctis opibus, & omnia, quæ deſiderantur, huic non valent comparari.

Jo. Rho. l. 9. n. 1. III. Panquiacus erat Camagræ Reguli filius, natu maximus, cui cum ditio eſſet illis in montibus, qui Peruccio imminent, arcta cum Hiſpanis Pizarro, Almagro, aliiſque aurum per eas regiones quærentibus erat amicitia, & quibus tunc erat finis, aurum largiter donabat, ut rem domui ſuæ non neceſſariam. Quod cum illi libra odioſe appenderent, ac rixa ab avaritia oborta gladios ſtringerent, medium ſe inferens, ac lances auro graves impacta palma indignabundus evertens Panquiacus, Hæccine, inquit, o viri, gladiorum cauſa? non pudet, ob aurum ſanguinem dare? verum ſi tanta ægro jecori auri eſt rabies, huc mecum agite; duxit hæc increpans altiſſimum in cacumen, unde & mare, quod pacificum vocant, & regionem argenti aurique ditiſſimam deſpectarent. Dum addit: Illic affatim auri eſſe, poſſe omnibus fieri ſatis.

Ibid. n. 2. IV. Sequitur ab eodem mundi cardine iiſdem Hiſpanis datum a barbaro ſene prudentiſſimum monitum. Jactabant ſe, ſuamque potentiam, & virtutem Deo proximam, qui eo, poſt primos, appulerant, ut gentes illas magno Dei judicio novam in ſobolem reparandas, ſævitia inſaturabili exhaurirent, admonuit Caziquorum antiquiſſimus (ſic Principes vocant) quem longa ætas, & indoles minime barbara audentem faciebat, ne in innoxios, atque inermes ſævirent, ſed potius, collatis beneficiis, vellent imperare; omnia enim noſtra æternorum, quæ demortuos excipiunt, lance eſſe pendenda.

V. Exutum paterno Japoniæ imperio Gyfonium Noburiangæ filium, habebat tamen in aula Faxiriba, ex centurione jam Taicoſama; hoc eſt, Imperator, homo ſolertiſſimi ingenii, ſed ambitione in crudelitatem corrupti. Ita ſolemnes inter ludos, quibus ſororis filium Quabacondonum ſucceſſioni proprius admoverat, pupugit ſenis animum, quod eidem ſaltanti, choreaſque ducenti, clarius, ſibi (nam ad hæc demiſerat majeſtatem popularis auræ coronatum mancipium) ſeni minimeque vegeti roboris, plauſiſſet theatrum. Ergo diſſimulatā ira, ut eam tamen quantulamcumque demum glorioſæ partem Quabacondono eriperet, accitum ad ſe Gyſonium ſaltare jubet, certus elegantia totius actionis, & decore membrorum ante Quabacondonum futurum. Sed non fefellit adoleſcentem veteris ac præſentis fortunæ comparatio cautiſſimum imminens a victo Principe periculum, nam occultiſſimi ſenis invidiam non introſpexerat. Itaque ſtudio aberrare, & in elegantiam artis peccare quam plurima. Quod ut vidit Taicoſama, qui alienum a Quabacondono animum celatum tunc maxime vellet, arcte juvenem complexus eſt, ac prudentiam laudavit: quaſi æquum ſit, iis, quos fortuna imperio omnibus antetulit, artibus ingenioque neminem præire. *Ibid. n. 3.*

VI. Nec ſubticenda hoc loco Solymanni Turcarum Regis prudentia. Bizantii Judæus Chriſtiano certam auri ſummam mutuam dederat, uti conſtituta die præter ſortem, uſuræ loco, duas carnis ejuſdem Chriſtiani uncias reciperet. Die illa ſortem reddit, Chriſtianus fœnus negat. Aditur Solymannus, ut rem decidat. Ille Judæum animo deteſtatus, novaculam adferri jubet, & Judæo poteſtatem facit, ut, qua velit membri parte, debitori duas carnis uncias exſcindat, ea lege, ut omnino duas tantum: ſi minus, pluſve exſciderit, capite luiturum. Non auſus Judæus hanc aleam ſubire, Chriſtianum abſolvit. *Æneas Sylvius l. 2. de geſtis Alphonſ.*

VII. Achitophel tam grandem ſibi prudentia ſua famam comparaverat, ut, Scriptura teſte, conſilium, quod dabat in illis diebus, æſtimatum fuerit, quaſi ſi quis conſuleret Deum. *2. Reg. c. 16. v. 23.*

VIII. Semirami privata adhuc, habituque ignobili ad Bactrianum bellum profecta, ut cum marito eſſet, una omnium monſtravit Regi, quomodo hoſtis brevi debellari pnſſet; Qua virtutis rudimento Reginæ nomen adepta poſt viri interitum regnum a Nino relictum ſapientiſſime rexit, & auxit. *Marcus Aur. Corn. Sabel. l. 1. ex c. 8.*

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII. SIMILITUDINES.

Qualitas.

S. Clim. grad. 20. I. SIcut ii, qui olfactus ſenſu integerrime vigent, eum, qui clam habet aromata, ignorare non poſſunt; ita & anima puriſſima fragantia odoris, qua ipſa perfecte liberata eſt, ſi ſit in aliis, agnoſcere (cæteris ſine odori ſenſu permanentibus) ſolet.

Granat. in locis com. V. Pruden. II. Sicut Dialectica ad hoc potiſſimum inventa eſt, ne in veritatis inquiſitione deciperemur, & ut vera a veriſimilibus diſcerneremus; ita nobis pro Dialectica diſcretio eſſe debet, ut veram virtutem a falſa virtutis ſpecie disjungamus, ne videlicet, quod multis contingit, vitium virtutis ſpecie nos fallat.

Stobæus in ſ. virt. III. Sicut exercitum ducit Imperator, Gubernator navigia, mundum Deus, animam ipſa mens; ſic ipſam felicitatem præſentis vitæ temperat, regitque prudentia.

S. Epiph. hæ. 37. IV. Sicut ſerpens cognoſcens, quod in capite ſuo tota vita conſiſtat, reliquum corpus exponit periculo, ut caput defendat; ita verus prudens caput ſuum, id eſt, Chriſtum ac ejus fidem, & charitatem ut defendat, alia omnia libenter jacturæ periculo exponit.

Neceſſitas.

Gran. l. c. V. Sicut Auriga ulterius tendenti neceſſarius eſt, qui equos in recto tramite contineat, & ad officium faciendum compellat, ita ad veram virtutem contendens prudentia opus habet, qua indomitas paſſiones cohibeat, ne a vero virtutis tramite abſcedant; quæque ad exercitium propoſitæ honeſtatis impellat.

Iſidor l. 4. Epiſt. VI. Sicut guſtus neceſſarius eſt ad diſcretionem ſaporis in cibis; ſic prudentia ad diſcernendum, quæ bona vel mala homini accidere poſſunt.

Caſſian. coll. 2. c. 2. VII. Sicut Civitas muris carens, expoſita eſt omnium injuriis, inſidiis, & ruinæ periculo; ita vir, qui non omnia cum conſilio & prudentia agit, nunquam ab inſidiis mundi, carnis, & diaboli ſecurus erit.

Utilitas.

Philo. Jud. l. de Sacri. Abel. VIII. Sicut Civitatum certiſſimum munimentum, viri fortes ſunt; ita in uniuſcujuſque noſtrum civitate, quæ conſtat ex anima & corpore, pro firmiſſimo propugnaculo ſunt cogitationes amicæ prudentiæ.

Ibid. IX. Sicut noſtris corporibus interitum morbus, incolumitatem vero adfert ſanitas; ſic animas prudentia ſervat, cum ipſa ſit mentis ſanitas; imprudentia vero interimit, utpote graviſſimus & inſanabilis animæ morbus eſt.

Dignitas.

Granat. in loc. cit. X. Sicut adultum ab infante diſtinguit judicium; ita virum perfectum, & virtuoſum ab imperfecto prudentia diſcernit.

Philo l. 1. legis al. leg. XI. Sicut caput, quod reliquis membris proſpicit, prima, ſummaque pars eſt corporis; ita prudentia, quæ reliquas virtutes dirigit, primum inter morales virtutes locum merito obtinet.

§. IX. MOTIVA.

I. NEceſſitas: Quam Chriſtus ſufficienter indicavit, Apoſtolis ſuis Evangelium prædicaturis hanc ante omnes alias doctrinam commendavit: Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes.

II. *Utilitas*: Juxta illud Salomonis: Ubi non eſt Gubernator, populus corruet; Salus autem, ubi multa conſilia. *Prov. 11. v. 14.* Certe, ut nec iter peragenti, nec prælium inituro quicquam ad feliciter obtinendum finem aptius eſt perito Duce; ita ad virtutem tendenti, & contra vitia pugnaturo nihil prudentia optabilibus accidere poteſt. Hinc jam olim Ageſilaus Lacedæmonios admonuit, ut in unum Epaminondam Ducem converterent prælium, ſic enim facile ab iis victoriam obtenturos, quod & factum. *Plutarc. in Lacon. Apoph.*

III. *Dignitas*: Nam prudentia Deo ſimiles facit, teſte Jamblicho; *Stoba f. de prud.* hinc Deo tantopere placuit petitio Salomonis, qua petere quod vellet, juſſus, cor docile & ſapiens petit. Sed & apud homines honorem & gloriam conciliat, teſte Salomone dicente: Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud Seniores Juvenis, & acutus inveniar in judicio, & in conſpectu potentium admirabilis ero, & facies Principium mirabuntur me. *Sap. 8. 10.* Propterea habebo per hanc immortalitatem, & memoriam æternam his, qui poſt me futuri ſunt, relinquam. Et iterum: Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius. *Ib. 7. v. 11.*

IV. *Jucunditas*: Tum quia prudentiæ proprium eſt optima optare, eligere, ac agere, ut Ariſtoteles docet, *Lib. 1. mor. mag. c. 34.* unde juge convivium ſecuræ mentis inſtruitur: tum quia docet finem ſuum aſſequi; de quo nihil jucundius & optabilius homini accidere poteſt. Hinc Cicero teſtatur; *In Tuſc.* nihil eſſe hominis prudentia dulcius, aut ſagaci ac bona mente melius. Sed & Salomon de ſe fatetur: Lætatus ſum in omnibus, quoniam antecedebat me iſta ſapientia. *Sap. 7. v. 1.* E contrario vero non poteſt eſſe jucunda vita, ubi prudentia abeſt, ut idem Cicero dixit, *L. 3. Tuſc.* & merito, cum enim prudentia ſit mentis oculus hac qui caret, neceſſario cum cæco Tobia exclamare cogitur: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video? *Tob. 5. v. 12.*

V. *Securitas*: Nam, teſte Antiſthene, tutiſſimus murus prudentia eſt, hic enim nec proditur, nec collabitur. *Laert. l. 6. c. 4.* Hinc Seneca: Sapiens ad omnem incurſum munitus & intentus eſt non ſi paupertas, non ſi luctus, non ſi ignominia, non ſi dolor impetum faciat, pedem refert: interitus contra illa ibit, & inter illa. Sapiens plenus eſt gaudio, hilaris & placidus, & inconcuſſus, cum Diis ex pari vivit. *Epiſt. 62.*

§. X. MEDIA.

I. ORatio: Sic enim Salomon ſuo exemplo docuit dicens: Optavi, & datus eſt *Sap. 7. v. 7.*

mihi

Digitized by Google

mihi ſenſus: Invocavi, & venit in me ſpiri- *Jac. 1. 5.* tus Sapientiæ. Idem medium ſuaſit S. Jacobus his verbis: Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Et *Caſſian. coll. 2. c. 1. Vita l. 3. 6. 11.* Caſſianus inquit: Eſt diſcretio non mediocris virtus, nec quæ humana valet induſtria comprehendi, divina fuerit largitate collata.

II. *Meditatio, & conſideratio crebra*: Nam, ut ſapienter S. Ignatius advertit, multum cohibet, & quaſi vinculis quibuſdam exultantem naturam conſtringit meditatio, & conſideratio animi, & aſſidua accurataque eorum, quæ cogitaveris, dixeris, egeris, commemoratio. Hinc recte antiqui dixerunt, deliberandum eſſe diu, quod ſtatuendum eſt ſemel. Hujus conſiderationis neceſſitatem ſic oſtendit *Did. Nyſſ. S. 3. in fer. 2. poſt Dom. 1. quadr.* Didacus Nyſſenus. Hoc deplorabit, & quis non illi collacrymetur Propheta Jeremias, cap. 12. v. 11. dicens: *Deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt, qui recogitet corde.* Perit Mundus, quia perdidit conſiderationem rerum neceſſariarum: jacet Mundus, quia abjecit memoriam eorum, quorum recordari vel ſemper, vel perſæpe deberet. Nam ſi ex animo, & ſerio cogitarent homines, & qua par eſt, attentione penſarent, quanta ſit unius peccati gravitas, quam fugitiva voluptas, quam longiturnus cruciatus, quam ſtrictæ rationes, quam rigidum judicium, quam tenax recti judex, numquam ita in vitia ſe effunderent, nec tam inſipienter, ac *ſtulte agerent.* Audite. Inter duos latrones medius hærebat Chriſtus probroſo Crucis ligno fixus, crudeleſque, & efferati hoſtes illius, pro eo, ut acerbiſſimis ignominioſiſſimiſque ejus cruciatibus compaterentur, & condolerentur, id unice agebant, quo augerent dolores, exaggerarent tormenta: itaque ut Centurio blaſphemias falſitatis argueret, & dilueret, injurias, ajebat: *Vere hic homo Filius Dei erat*: erratque quiſquis aliter de illo, quam de vero Dei Filio, ſentit. Hic jam quæro, quid cauſæ eſſe poſſit, quare, cum cæci illi, & perditiſſimi homines nullo miſericordiæ ſenſu erga Chriſtum in cruce, & clavis pendolum moverentur, quin, opprobriis & improperiis, & blaſphemiis illum præterea laceſſerent, ac lancinarent, ſolus illum tam plurimum & honorarit, & laudarit Centurio, ut Filium Dei appellaret, ac prædicaret? qui factum, quod abyſſum dejicerent? Audite ſanctos Marcum & Matthæum, quid dicant: Perjuri, *Judæi, ac* perfidi *ſcribæ prætereuntes blaſphemabat eum*, inquit Matth. c. 12. v. 39. & de Centurione Marcus: *Ex adverſo ſtabat*, c. 15. verſ. 39. Ex adverſo Chriſti poſitus Centurio gradu, ſed animo magis fixo acutiſſime arbitrabatur patientiam Chriſti raram, humilitatem profundam, charitatem numquam auditam ejus, qui etiam pro eis Deum Patrem obſecrabat, voce a quibus jam tunc crucifigebatur, motuſque tali ſpectaculo, Filium Dei illum pronunciabat; ſed infames ac nefarii Judæi prætereuntes blaſphemabant, præteribant, & non conſiderabant id, quod Centurio advertebat, qui ex adverſo ſtans, fixo animi veſtigio premebat id, quod ob oculos habebat, & coram erga Chriſtum agebatur. Et quoniam Judæi ſolum in tranſitu, obiterque rem ſpectabant, inde factum, ut Chriſtum tam inverecunde, propudioſeque blaſphemarent. Hinc etiam venit tua peccandi levitas, ac libertas, quod cogitando vix leviter attingas lethalis noxæ pondus, & rigorem judicii; quæ ſi exemplo Centurionis preſſe, atque intente meditareris, profecto non tot culpis te obſtringeres, neque tot flagitiis attaminares.

III. *Diſcuſſio quotidiana conſcientiæ*, uti Sanctus Bernardus ſuaſit ſequentibus verbis: Integritatis ſuæ, inquit, curioſus explorator, vitam tuam, in quotidiana diſcuſſione examina. Attende diligenter, quantum proficias, vel quantum deficias, qualis ſis in moribus, & qualis in affectibus: quam ſimilis ſis Deo, vel quam diſſimilis: quam prope vel longe non locorum intervallis, ſed morum affectibus. Stude cognoſcere te, quia multo melior & laudabilior es, ſi te cognoſcis, quam ſi te neglecto cognoſceres curſus ſiderum, vires herbarum, complexiones hominum, virtutes gemmarum, proprietates aquarum, naturas animalium, & haberes omnium cæleſtium, & terreſtium ſcientiam. Redde ergo te tibi, ſtatue te ante te, tanquam ante alium, & ſic temetipſum plange. Hæc eſt optima prudentiæ actio.

IV. *Reflexio*: Pictorum more, qui opera *Plutarch. l. de cohib. ir. hiſt. Soc. lib. 10.* ſua priuſquam abſolvant, per intervalla contemplantur, & frequentiori examine etiam minutiſſimos defectus deprehenduntur, & emendant. Certe hoc medio, & priori S. Ignatium ad tam inſignem prudentiam pertigiſſe, Hiſtoria Societatis teſtatur.

V. *Interrogatio*: Quæ duplex eſſe debet. Prior defectibus aliis in ſe obſervatis, quod remedium S. Franciſcus Xaverius ſuaſit, dicere ſolitus: Quærendi fideles amici ac monitores, qui ſi quid a vobis in veſtris peccatum eſt muneribus, amice vos libereque admoneant, ut veſtra vitia, quæ vos ipſos fugiunt, (in his enim quiſque vitiis, hebetior *Eccl. 32. v. 24.* eſt, quam alienis) per alios cognita exuatis. *Ibid. 8. v. 11.* Poſterior eſt de negotiis occurrentibus tranſigendis, de quibus recte ſuaſit Eccleſiaſticus: *Prov. 13. v. 20.* Fili ſine conſilio nihil facias. Et iterum: *Joſ. Lang. in Polyan. V. Conſil.* Narratio ſeniorum non te prætereat; ipſi enim didiceront a patribus ſuis, quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſſitatis dare reſponſum.

VI. *Collatio*: Præcipue cum ſapientibus, qui enim cum his graditur, ſapiens fiet, teſte Salomone; Amicos ſtultorum ſimilis illis efficietur. Hinc Antonius Pius omnia ſua cum gravibus viris conferens dicere ſolebat: Æquius eſſe, ut ipſe tot taliumque virorum conſilia ſequatur, quam ut tot taleſque amici unam ipſius voluntatem ſequantur.

VII. *Librorum lectio*: Quod medium Ariſto- *Seneca in l. de ben.* teles Alexandro ſuaſit dicens: Annales patrum diſcute, inde enim poteris bona exempla extrahere, quia acta præterita dant certum documentum in futuris. Hinc Rex

Al-

Digitized by Google

Panor. l. 1. de geſt. Alphon. Alphonſus interrogatus, quibus conſiliariis maxime delectaretur? Libris eeſpondit, a quibus ſine metu, ſine gratia, quæ noiſe cuperet, audiret.

Probens. VIII. *Recordatio præteritorum:* Nam multarum rerum magiſter tempus eſt, teſtibus antiquis Philoſophis, ex quibus Bias interrogatus, qui optimus foret conſiliarius? Tempus eeſpondit.

§. XI. ASCETICA.

I. INprimis noſſe debet Aſceta, ut veram prudentiam a falſa bene diſtinguere diſcat: *S. Baſil. 12. Hom. in 1. Prov.* nam, ut S. Baſilius ſapienter advertit, una eſt prudentia proprii commodi cuſtos, & alieni doli obſervatrix, qualem ſerpens habet; ille ſi quid periculi imminere viderit, caput ſuper omnia cuſtodit; ea videtue eſſe verſutia illa, quæ prona eſt ad proprium commodum, & ſempliciores deſraudandos, qualis prudentiæ fuit ille ſæculi prudens, & injuſtitiæ œconomus apud Evangelium; vera autem prudentia eorum, quæ agenda ſunt, & non agenda, cognitio eſt, quam ſi quis recte ſectatus fuerit, numquam ab officio, virtuteque, diſcedet, numquam vitiorum peſtem incurret. Hæc eadem diviſio prudentiæ eſt apud Apoſtolum, qui ait: *Peudentia carnis mors eſt; Prudentia autem ſpiritus, vita & pax: quoniam ſapientia carnir inimica eſt Deo: Legi enim Dei non eſt ſubjecta:* Ut veeo facilius utraque cognoſcatur, ſequentia indicia exhibet S. Gregorius dum ait: Carnis peudentia eſt cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare; quæ falſa ſunt, vera oſtendere; quæ vera ſunt, fallacia demonſtrare, irrogata ab aliis mala multiplicius eeddere, ac cum vires ſuppetunt nullis reſiſtentibus cedere. E diverſo vero prudentiæ actus ſunt, nil per oſtenſionem fingere, ſenſum verbis aperire, vera, ut ſunt, diligere; falſa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quam facere; nullam injuriæ ultionem quærete, contumeliam pro veeitate lucrum putare, pro maledicentibus orare. Hæc vera eſt prudentia, hanc Dominicum præceptum exigit: *Eſtote prudentes.* Verbo: Officium & natura prudentiæ eſt, & optimum finem & optima media præſcribere, quem in finem tria *Lib. de benefic.* potiſſimum tempora obſeevat, uti Seneca notavit, dum dixit: Si prudens fuerit animus tuus, tribus temporibus diſpenſetur: præterita cogita, præſentia ordina, futura provide. Peimum per Cautionem, alterum pee Circumſpectionem, tertium per Providentiam.

II. *Noſſe debet, quid in ſpecie prudentia diſcernere, & dictare debeat.* *S. Albert. Magn. in paradiſ. c. 34.* Id quod S. Albertus Magnus ſequentibus verbis indicat. Diſcretio vera eſt, prudenter judicare inter Creatoeem, & creaturam, quid ſit Creator, & quid creatura. Item quid ſit bonum, quid melius, quid optimum, quid malum, quid pejus quid peſſimum. Quantum bonum ſit appetendum, quantum malum deteſtaodum. Item quantam reverantiam debeat homo ſuperiori, quantam clementiam inferiori, & compaſſionem, qualem ſocietatem æquali: qualiter debeat ſe habere ad mortuos, qualiter ad vivos, qualitee ad prædeceſſores, qualitee ad ſucceſſores, qualitee ad amicos, ut diligantur in Deo; qualiter ad inimicos, ut diligantur propter Deum; qualiter coram Deo occulte, qualiter coram homine manifeſte: quæ refectio carni, quæ ſpiritui impendenda ſit: quibus veſtibus induendum: quando comedendum, quando bibendum, quando abſtinendum, & quantum, & a quibus cibis: quando vigilandum, & quando dormiendum, & quantum, & quamdiu: quando orandum, quando flendum, quando aliquod opus faciendum: quomodo ſe habendum ad laudem, quomodo ad reprehenſionem, quomodo loquendum, quomodo tacendum, & quando, quantum, & de quibus cauſis, cum quibus, quo loco, quo tempore: quando accipiendum, quando retinendum, quando largiendum, & quantum, & quibus, & quo tempore. De omnibus his ordinate & prudentee dijudicare, eſt vera diſcretio. Hæc virtus eſt magiſtra omnium virtutum, ſtatuens omnibus modum & ordinem; ubi autem diſcretio non eſt, ibi charitas non ſervat ordinem, nec modum.

III. *Noſſe debet, ante omnia prudentiam requirere, ut quis non nimium innitatue prudentiæ ſuæ,* uti ſapientee S. Bernardus advertit, dum dixit: *S. Ber. ſ. 3. de Reſur.* Lepra proprii conſilii eo pernicioſioe eſt, quo magis occulta & quanto plus abundat, tanto ſibi quiſque ſanior eſſe videtur; hæc illorum eſt, qui zelum habent Dei, ſed non ſecundum ſcientiam, ſequeotes ereorem ſuum, & obſtinati in eo, ita ut nullis velint conſiliis acquieſcere; hi ſunt unitatis diviſores, inimici pacis, charitatis expeetes, vanitate tumentes, placentes ſibi, & magni in oculis ſuis, ignorantes Dei juſtitiam, & ſuam volentes conſtituere; & quæ major ſuperbia, quam ut unus homo toti congregationi judicium ſuum præferat, tamquam ipſe ſolus ſpiritum Dei habeat? Idololatriæ ſcelus eſt, non acquieſcere, & quaſi peccatum ariolandi, eepugnare. Eant nunc, qui ſe faciunt religioſiores aliis, qui non ſunt ſicut cæteri hominum, ecce Arioli, & Idololatræ facti ſunt.

IV. *Noſſe debet, nihil perinde ad prudentiam neceſſarium eſſe, quam diſcretionem;* uti ſat clare Caſſianus indicavit, dicens: *Caſſian. coll. 2. c. 4.* Tam beati Antonii, quam univerſorum ſententia definitum eſt diſcretionem eſſe, quæ fixo gradu intrepidum hominem perducat ad Deum, prædictaſque virtutes jugitee conſervet illæſas, cum qua ad conſummationis excelſa faſtigia minore poſſit fatigatione conſcendi, & ſine qua multi etiam propenſius laborantes perfectionis nequiverint culmen attingere; omnium namque virtutum generatrix, cuſtos, modeeatrixque, diſcretio eſt. Id quod etiam Thomas Kempenſis confirmavit, dum ait: *Thom. Kemp. ſ. 20. §. 1.* Diſcretus labor ſit, ne corrumpat infirmum, aut ad divina reddat ineptum. Nam quod moderatum eſt, melius perſeverat. Ipſe enim Jeſus poſt itineris fatigationem reſidebat ſuper fontem, expectans cibum, & humilitee

Digitized by Google

ter poſtulans aquæ potum. Indubitatum eſt, eſſe, laborandum in via virtutis; Sed hoc etiam animadvertendum, debere ſtadium eſſe moderatum, & par facultati virium, ne equo gravior ſarcina nimium prægravet, & opprimat infirmos humeros, viatoremque reliquo itineri perficiendo relinquat ineptum. Exemplum hujus rei Dominus noſter nobis præluxit, qui laſſus e longiore via conſedit ad fontem Sichem, ſubmiſſe aquam petiit, qua corporis nimirum ardorem refrigerare & defatigationem levare poſſet. Sed & Salomon idipſum inſinuat, dum de immenſa divinæ dextræ poteſtate ſic pronunciat: *Attingit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter*; Sap. 8. verſ. 1. hoc eſt, cum opus qualecumque ſuſcipit, hoc etiam perficit, nec ullis impedimentis retinetur, quin ad faſtigium educat, viamque omnem feliciter, ut ingreditur, ſic & egreditur: & cum ſemel introire cæpit ſemitam, certum poſſumus nobis promittere illius exitum. Et hoc eſt attingere a fine uſque ad finem, a fine inchoationis uſque ad finem conſummationis, inquit Richardus de S. Victore: Quid *Ric. de S. Vict. p. 2. in Pſ. 41.* cauſæ ſit, cur etiam ſervus Dei feliciter abſolvit curriculum, quod ſemel proſpere inire cœpit, ſubjicit mox rationem Sapiens: *diſponis omnia ſuaviter*; cordate, diſcrete, atque ea paſſus moderatione utitur, ut perſequi profectionem uſque ad extremam lineam poſſit. Attingit a fine, uſque ad finem, quia diſponit omnia ſuaviter, inquit Richardus. Itinerandi itaque perſeverantia ex proficiendi moderatione ſequitur. Tu fortiter inchoas, tepide conſummas. Cur hoc, niſi quia non diſponis omnia ſuaviter, nec ſcis operari ſapienter? incipis, curris, feſtinas, anhelus laſſeſcis, deficis, non dicam ad finem, ſed nec ad medium pertingis. Itaque ut feliciter perficiatur curriculum, neceſſum eſt imitari Dominum, qui a fine uſque ad finem pertingit fortiter, eo quod vadit ſuaviter; ubi non eſt ſuavis & moderata ordinatio mediorum, ibi felix aſſecutio finis eſſe non poteſt.

V. *Noſſe debet, non minimum Prudentiæ officium eſſe quod Caſſianus ſequentibus verbis indicat: Menſuram virium ſuarum convenit unumquemque noſtrum diligentius ante penſare, atque ad ejus modulum arripere, quam libuerit, diſciplinam, quia quamvis omnes utiles ſint, tamen aptæ cunctis, cunctæ eſſe non poſſunt.* *Caſſian. coll. 24. c. 8.* Qua in re pulchrum exemplum in Jacobo Patriarcha habemus, de quo ſic diſcurrit Didacus Nyſſenus: Offerebat Eſau *Nyſſ. p. 2. polit. c. 9.* fratri ſuo Jacobo ſuam vitæ ſocietatem, opitulationemque, ſi occurrens aliqua neceſſitas forte requireret. Huic tam officioſæ, & comi oblationi reſpondit Sanctus Patriarcha noſter demiſſe, ac humiliter, non poſſe tam inſignitum admittere beneficium, eo quod teneros, & parvulos haberet filios, oves item, & vaccas gravidas, quas una die perire neceſſum eſſet, ſi paſſu paulum celeriore carpere viam cogerentur. Itaque & rogavit, *Geneſ. 33. 13. 14.* ut ipſe præcederet, ſeque paulatim, ac pedetentim ſequi permitteret, inquiens: Noſti, Domine, quod parvulos habeam teneros, & oves, & boves fætas mecum, quas ſi plus ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges. Præcedat Dominus meus ante ſervum ſuum, & ego ſequar paulatim veſtigia ejus ſicut videro *parvulos meos poſſe*. Hæc verba habent ſenſum, & doctrinam moralem perutilem, cui valde inhærere debeant quidam imprudentes, & indiſcreti, qui prætermiſſa virium ſuarum expenſione, tam properanter feruntur per viam ſpiritus ut ante deficiant, quam perficiant iter, & inepti reddantur ad reliquum curriculum abſolvendum. Sunt, qui tanto fervoris impetu pœnitentem vitam aggrediantur, ut poſt non multos paſſus prorſum corruant, idque, quod onus ad momenta virium ſuarum non expenderunt, neque curarunt, ut parem humeris ſarcinam exciperent. Faciant itaque, quod Jacob, qui dicebat: *ſequar paulatim, ſicut videro parvulos meos poſſe*: vires eorum, quos in via comites habebat, dimenſus eſt, & ad modulum earum voluit, ut per viam pergerent: ut perdurabilis ſit perfectio, neceſſum eſt prudentia uti, & juſtam virium rationem habere, ad earumque menſuram moderari iter. Ita ſuadet Doctor mellifluus, ſerm. 49. in cant. inquiens: Diſcretio omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit & decorem etiam & perpetuitatem. Denique ait: Ordinatione tua perſeverat dies; diem virtutum appellans. Eſt ergo diſcretio non tam virtus, quam quædam moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, & morum doctrix. Ubi itinerandi nullus eſt ordo, nullus modus, diſcretio nulla, quomodo recte ſua cuique diei via deſignari, & continuari profectio poteſt? Nonnumquam ſenſim progredi, nonnumquam accelerare paſſum, & gradire gradum, nonnumquam moderari, rurſumque figere tantiſper pedem, & conquieſcere eſt neceſſum. Qui ſemper properare, & impetu incitatiore per viam pergere, ille facit, ut intermittenda ſit profectio, & poſtremo nihil fecerit, poſtquam raptim, ac præpropere inire viam cœpit.

VI. *Denique noſſe debet quomodo defectus prudentiæ per obedientiam ſuppleri poſſit*: uti Sanct. Bernardus indicavit dicens: Ne incurrat, qui currit, illuminari neceſſe eſt lumine *S. Bern. apud Roſignol. l. 3. ſeq.* diſcretionis; quæ mater virtutum eſt, & conſummatio perfectionis, hæc nimium docet, ne quid nimis; at vero, quia omnino rara eſt avis in terris, hujus diſcretionis locum in vobis, fratres, ſupplet virtus obedientiæ, ut nihil plus, nihil minus, nihil aliter, quam imperatum ſit, faciatis.

VII. *Noſſe debet acquirere*, peritiam, & dexteritatem in primariis tribus prudentiæ actibus, deliberando ſcilicet, judicando, & imperando, exercendis. In quem finem proderit regulas aliquas in eorum exercitio præ oculis habendas noſſe, quales quidem ſequentes eſſe poterunt. 1. Pro Conſultatione: *Eccl. 32. v. 24.* Prima: Fili mi, ſine conſilio nihil facias, *Thom. Kemp. l. 3 de imit. c. 38.* & poſt factum non pœnitebit. Secunda: In

qua-

Digitized by Google

qualibet cauſa intra cum Moyſe in tabernaculum ad conſulendum Dominum, & audies divinum reſponſum, & redibis inſtructus de multis præſentibus & futuris; propterea namque Joſue, & filii Iſrael a Gabaonitis leguntur decepti, quia os Domini prius non interrogaverunt, ſed nimium creduli dulcibus ſermonibus, falſa pietate deluſi ſunt. Tertia: *Eccl. 6. v. 6.* Multi ſint tibi pacifici, & Conſiliarius ſit tibi unus de mille; ſcilicet vel Deus, vel Superior, vel alius vir prudens, doctus, & rectus. Quarta: Deliberandum eſt diu, quod ſtatuendum eſt ſemel: præcipue ſi ejuſmodi *Exo. 23. v. 8.* ſit decretum, quod revocare non liceat. 2. Pro Electione ſequentes ſervire poſſunt: Prima: Non accipias, (ut appetas) munera, (aut aliud quidpiam ad finem impertinens) quæ etiam excæcant prudentes. Hinc *Ariſt. l. 6. Eth. c. 5.* Ariſtoteles, manifeſtum eſt, inquit, quoniam impoſſibile eſt prudentem eſſe, qui non ſit bonus, tum quia virtutes comprimunt inordinatas paſſiones, quæ ſincerum judicium corrumpunt; tum quia quiſque fere ſecundum *L. 3. c. 34. §. 1.* affectum judicat; uti Thomas Kemp. bene advertit, dum diait: Sicut res nobis cordi eſt, ſic de ea frequenter judicamua; nam verum judicium propter privatum amorem faciliter perdimus. Secuoda: Quod alteri in præſenti negotio ſuaderes, prior ipſe arripe; *Livius l. Dec. 4.* nam charitas a ſeipſo incipit. Hinc Livius Salinator in conſilio primus rogatus ſententiam, neminem fidelius dare poſſe conſilium dixit, quam eum, qui id alteri ſuaderet, quod ipſe, ſi in eodem loco eſſet, facturus fuerit. Tertia: Fac modo, quæ quondam facta fuiſſe velis: præſertim mortis & judicii tempore, uti S. Ignatius in regulis Electionis ſuaſit. Quarta: Semper præferendum eſt, quod ad finem certius, & abundantius conſequendum juvat. Hoc autem ut cognoſcatur rationes pro utraque parte examinandæ, & ponderandæ ſunt. Cæteris autem paribus ſemper præferenda ſunt commoda majora minoribus, univerſalia ſingularibus, duratura pereuntibus, certa incertis, ſecura periculoſis. Quinta: Melius eſt parvum bonum cum parvo malo, quam magnum bonum cum magno malo; hoc enim eo ipſo, quod magnum ſit, omni ſtudio fugiendum eſt. 3. Pro Imperio denique ſequentes regulas obſervaſſe proderit. Prima: Periculoſe differtur, quod ſemel recte eligitur: quia occaſio calva eſt, & quovis ſerpente magis lubrica: Felicitas conſiliorum in velocitate executionis eſt poſita. Secunda: Qui obſervat ventum, non ſeminat: id eſt, qui nimis cupit placere hominibus, & diſplicere reformidat, numquam conſilia prudenter concepta exequetur. Prima virtus Pru- *Senec. de tranquil. anim.* dentis, hominum de ſe judicia ſpernere. Si vis beatus eſſe, inquit Wido, hoc primum cogita, æternorum intuitu contemnere, & contemni. Tertia: Magnorum rerum etſi ſucceſſus non fuerit, honeſtus eſt ipſe conatus; nec honeſtus tantum, ſed meritorius etiam, quia coronat Deus voluntatem, ubi non invenit facultatem.

VIII. *Noſſe debet, & bene obſervare* præci- *Ilo apud Langun. v. Conſ.* puas proprietates Prudentiæ, quarum tres ſunt præcipuæ. Prima *ſimplicitas*: Quam Servator ipſe indicavit, dum Apoſtolos monuit, ut eſſent prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ; nihil ſcilicet fraudi, aut ſiniſtræ intentionis, electioni aut conſiliis admiſcendo. Secunda *tarditas*: Certe Democritus Ætolus nullam rem tam inimicam eſſe conſiliis diait, quam celeritatem: præcipitata enim conſilia ſi in tranſverſum agantur; nulla pœnitentia in melius revocari poſſunt. Tertia *celeritas*: In executione videlicet, juxta comune proverbium, quod dici ſolet: Diu delibera, cito facito.

§. XII. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occaſione thematis: *Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent*: *Deut. 32.* Narrari poteſt hiſtoria ſupra §. 7. num. 2. relata, & oſtendi, quomodo illam ſententiam ad ſe alioſque regendos uſurpare quiſque debeat, in tribus præcipue occaſionibus. 1. In occaſionibus peccandi, ubi vel maxi- *Eccl. 7. v. 40.* me ſibi quiſque dicere debet: Nihil incipe, donec exitum reſpicias: ſic enim monuit Siracides: In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis. 2. In quotidianis actionibus: Conſiderando, quem exitum ſint habituræ, ſi præciſe propter motivum naturale & temporale exerceantur; nempe quod eventurum ſit quod olim ſervo cuipiam contigiſſe ſcribitur, qui, cum in ultimo morbo dominum ſuum rogaſſet, ut vel per mediam horam ſe a morbo liberaret, iſque diceret, in ſua id poteſtate non eſſe, cum gemitu exclamavit: Heu me infelicem, qui tanto tempore tali domino ſervivi, qui nec tantillo tempore a morbo liberare me poteſt, & non potius illi ſervitium meum impendi, qui & hic a morbo, & ibi æterno ſupplicio eximere poteſt. Item quod talis olim cum Salomone dicturus ſit in agone: Cumque convertiſſem me ad univerſa opera, quæ fecerunt manus meæ, & ad labores, in quibus fruſtra ſudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi. 3. *In tribulationibus*: conſiderando, quem exitum ſint habituræ, ſi cum impatientia & indignatione ſuſcipiantur, nempe quod præter repugnantiam voluntatis ſint graviores futuræ, gravem in purgatorio pœnam mereantur, & præmio inexplicabili, quod per patientiam obtineri potuiſſet, privent. Qualem e contrario exitum habituræ ſint, ſi cum patientia & æquanimitate tolerantur, quod nempe leviores ſint futuræ, tum propter amorem, tum propter gratiam Dei offerendam: pro purgatorio ſint futuræ in hac vita, & inæſtimabile gaudium ſibi promerituræ, juxta illud Apoſtoli: Non ſunt condignæ paſſio- *Rom. 8. v. 18.* nes hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur, in nobis.

II. Ex occaſione thematis; *Omnia bona* *Sap. 7. v. 11.* *mihi pariter venerunt cum illa*: Oſtendi poſſunt fructus prudentiæ, & præcipue quomodo prudens triplex genus bonorum participer. 1. *Bonum*, utile ſeu divitias: id quod pulchre probari poteſt exemplo Salomonis, tantas

divi-

divitias cum ſapientia obtinentis, ut ſimilis ei ex Regibus non fuerit, nec deinceps ſit futurus. 2. Bonum honeſtum ſeu honores: quod iterum exemplo Salomonis probari poteſt fatentis, quod innumerabilis honeſtas venerit per manus illius. Et quod habuerit propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud ſeniores Juvenis, & in conſpectu potentium admirabilis fuerit. 3. Bonum delectabile: ut idem iterum teſtatus eſt dicens: Lætatus ſum in omnibus, quoniam antecedebat me iſta ſapientia.

Eccl. 32. v. 24. III. Ex occaſione thematis: *Fili mi, ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis*: Oſtendi poteſt, cur, quando, & a quibus petendum conſilium. Et pro prima quidem parte demonſtretur, a conſiliis ſanis pendere ſalutem publicam, (juxta illud Salomonis: *Prov. 11. v. 14.* Ubi non eſt Gubernator, populus corruit: *Eccl. 15. v. 14.* ſalus autem, ubi multa conſilia) & privatam, juxta Siracidem dicentem: Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui, quæ utraque doctrina ex corruptione naturæ, & excæcatione ſeu deliberatione intellectus facile probari poſſunt. Pro altera parte oſtendi poteſt, conſilium in quatuor potiſſimum caſibus requirendum. 1. In tentationibus ad peccandum, cogitando exitum, juxta exemplum vulpis, non tantum veſtigia antrorſum, ſed etiam retrorſum ſpectantia conſiderantis. 2. In actionibus quotidianis: ad exemplum Monachi ante quovis opus ſubſiſtentis, & ad bonum finem dirigentis, ne audiatur: Præceptor, tota nocte (& vita) laborantes nihil cepimus. 3. In ſtatu eligendo, vel proſequendo: uti Chriſtus in deſerto docuit. Hic enim, vel maxime locum habet Senecianum illud: Deliberandum diu, quod ſemel ſtatuendum eſt. 4. In dubiis bonum Reipublicæ concernentibus; ſi enim pro privato bono conſilium tam ſollicite adhibendum eſt, quanto magis pro communi? hic ſane conſilium conſultori vel optimum, vel peſſimum, quia ſanguis ab ipſo requiretur. Pro tertia parte oſtendatur, ab iis maxime petendum conſilium, qui viginti quatuor Senioribus *Apoc. 4.* a S. Joanne deſcriptis ſunt ſimiles. Et 1. quidem procidunt coram Deo, & coronas ſuas ſubmittunt, id eſt, nihil contra Dei honorem, & beneplacitum conſulunt. 2. Sunt ſenes; nam uti Plutarchus ait, ea maxime civitas ſalva eſt, ubi conſilia ſenum, & juvenum arma obtinent; alioqui timendum eſt ne eveniat damnum, quod Roboam ex conſilio ſeniorum neglecto paſſus eſt. 3. Veſtiti ſunt veſtibus albis; id eſt, ab omni cupiditate, & metu liberi, hæc enim duo capita ma- *3. Reg. 12.* xime pervertunt judicium. Hinc Fridericus Cæſar Conſiliariis ſuis in Curiam vocatis dicebat: Utinam Conſiliarii mei in palatii veſtibulo duas res deponerent, ſimulationem, & diſſimulationem; ſic & ipſi recte conſolerent, & mihi facillimum foret inter conſilia dijudicare. 4. Librum ſignatum habentes, id eſt, ſecreti tenaces; nam teſte Valerio Maximo optimum atque tutiſſimum rerum adminiſtrandarum vinculum in Senatu eſt taciturnitas. Hinc vetus diſciplina Regum, vitæ periculo ſilentium ſanxerat, teſte Curtio; nec rem magnam ſuſtineri poſ- *Curt. l. 4.* ſe credebant ab eo, cui tacere grave ſit.

IV. Ex occaſione thematis: *Dixi, nunc cœ-* *Pſal. 76. v. 11.* *pi*: poteſt utiliter oſtendi; quomodo quivis Chriſtianus prudenter novum annum, & cum eo novam vitam inchoare debeat. Eum in finem proponi poteſt pro narratione quæſtio, cur Veteres a Januario annum inceperint? dicique, id eos feciſſe, ut oſtenderent, eum, qui ſapienter annum inchoare cupit, duas facies & quatuor oculos, ad Jani imitationem, habere debere; unam ſcilicet faciem, & binos oculos, qui præterita reſpiciant, alteram cum binis oculis, qua futura proſpiciant. Quid autem per ſingulos oculos videre debeant, fuſius explicetur. Et 1. quidem dicatur; per unum oculum dextrum debere eos reſpicere præterita beneficia a Deo accepta, ut pro iiſdem gratos ſe exhibeant, nam, teſte Caſſiodoro, jugiter ſibi ſubvenire facit, *Super Pſ. Quoniam miſericordia.* cui collatum beneficium ſemper ob oculos aſſiſtit. 2. Per ſiniſtrum debere eos reſpicere præterita peccata, & actiones, ut, dum cum Salomone vident in omnibus vanitatem, & afflictionem animi relictam, ſapiant damno ſuo, & peccata quidem expient, & deteſtantur, actiones vero indifferentes per bonam intentionem melius ordinent. 3. Per alterum oculum dextrum debere eos proſpicere vitam & tempus futurum, dareque operam, ut bene collocent, juxta Sancti Pauli mo- *Eph. 5. v. 16.* nitum: Videte, fratres, quomodo caute ambuletis non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt; id quod facient, ſi opera ſua bene abſolvere ad Dei gloriam, benéque eorum fructus diſpenſare ſtudeant. 4. Denique per ſiniſtrum alterum oculum tribulationes futuras proſpicere debere, tum ut præviſa tela minus feriant; tum ut artem patiendi fructuoſe ejuſmodi tribulationes addiſcere ſtudeant, ne ſero illud Apoſtoli audiant. Tanta paſſi eſtis ſine cauſa?

V. Ex occaſione thematis: *Relinquite in-* *Gal. 3. v. 4.* *fantiam, & vivite, & ambulate per vias* *Prov. 9. v. 6.* *prudentiæ*: doceri pulchre poteſt perpetuus gradus ſapientiæ, ſeu ars prudentiæ, conſiſtens in ſex ſequentibus præceptis. 1. Noli facere omnia, quæ potes, quia ſuperbia eſt. 2. Noli inquirere omnia, quæ neſcis, quia curioſitas eſt. 3. Noli dicere omnia, quæ ſcis, quia ſtultitia eſt. 4. Noli credere omnia, quæ audis, quia levitas eſt. 5. Noli dare omnia, quæ habes, quia prodigalitas eſt. 6. Noli judicare omnia, quæ vides, quia temeritas eſt. Quæ omnia facile particularibus caſibus, & authoritatibus S. Scripturæ & SS. Patrum firmari ac probari poſſunt.

VI. Ex occaſione thematis: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*: oſtendi poteſt, quomodo juxta hoc monitum Chriſti prudentiam ſerpentis imitari debeamus, ſcilicet totum reliquum corpus exponendo periculo, ut caput defendamus. Triplex autem eſt caput, quod defendere debemus. Primum eſt caput

Digitized by Google

put corporis Myſtici, Chriſtus videlicet, pro quo utique cum Apoſtolo omnia detrimentum facere debemus, ut eum lucrifaciamus, & cum veritate dicere queamus: Quis nos ſe-
Rom. 8. v. 35. parabit a charitate Chriſti? Alterum caput eſt Religionis, nempe vera fides, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, atque adeo merito etiam pro illa, opes, honor, ſanguis, vita, amici, & omnia exponenda ſunt periculo, immo & perdenda, ſi opus fuerit, ut
Heb. 11. v. 6. plurimi Martyres fecerunt. Tertium caput eſt Actionum noſtrarum Intentio ſcilicet, a qua omnis bonitas actionum, & meritum dependet, cum quidquid agunt homines, intentio judicet omnes, adeoque merito curandum, ut præ omnibus aliis actionum noſtrarum cauſis, vel circumſtantiis, intentio ſalva conſiſtat.

Apoc. 14. v. 13. VII. Ex occaſione thematis: *Opera enim illorum ſequuntur illos*: narrari poteſt Parabola a Sancto Barlaam propoſita de Rege qui cum ſciret, morem eſſe in ſuo regno, ut Rex poteſt unum annum in regia dignitate conſumptum nudus expellatur in exilium, intra illum annum occulte potiſſimam diviarum ſuarum partem in locum exilio deputatum præmiſit, in quem poſt annum regalatus, omnia, quæ deſiderare poterat, abundanter invenit. Applicetur hæc Parabola ad hominem, qui ſciens, ratum eſſe illud S. Jobi oraculum: Nudus egreſſus ſum ex utero matris meæ, & nudus revertar illuc; præmittere & ipſe debet veras divitias ſuas, oempe bona opera; quod proin breviter per comparationem divitiarum materialium cum bonis operibus probetur; ſubinde breviter oſtendatur, per quos præmitti in alteram vitam debeant, ſcilicet per intentionem bonam, & per manus pauperum; id quod abundantius explicari, & demonſtrari poteſt, maxime vero quam ſit a latronibus infernalibus hæc tranſmiſſio.

Luc. 16. v. 8. VIII. Ex occaſione thematis: *Filii hujus ſæculi prudentiores ſunt filiis lucis*: oſtendi poteſt, quomodo prudentia diſci debeat a filiis ſæculi. Et 1. quidem, quomodo recte deliberare, & conſulere oporteat, exemplo avarorum, qui ante, quam vel obolum expendant, tam ſollicite conſiderant, an vel neceſſitas, vel utilitas tales expenſas requirat. Quanto magis autem id faciant filii lucis, ſpiritualibus divitiis longe præſtantioribus augendis inhiantes? 2. Quomodo optima quæque eligere, tam circa finem, quam media, exemplo Mercatorum, tam varias induſtrias
T. de tempore. excogitantium, ut ditefcant. Item aliorum ſeipſos inordinate amantium, de quibus merito Sanctus Auguſtinus ſic locutus eſt: Bona vis habere, & bonus eſſe non vis? quid enim eſt, quod velis habere malum? dic mihi: nihil omnino. Non uxorem, non filium, non ſervum, non ancillam, non villam, non tunicam, poſtremo non caligam. Et tamen vis habere malam vitam. Rogo te, præpone vitam tuam caligæ tuæ. 3. Recte imperare executionem, exemplo Aulicorum tam ſtrenue fortiterque imperata ſui Principis exequentium, ut eidem placeant, & corruptibilem ab eo mercedem accipiant; quid non præſtandum erit, ut ſummo Regi placeamus, & ut æternum ab illo inæſtimabileque præmium ſperemus.

IX. Ex occaſione thematis: *Poſſide prudentiam, nec obliviſcaris, neque declines a verbis oris mei*: narrari poteſt Apologus a S. Barlaam Joſaphato narratus de Philomela, quæ capta ab aucupe rogavit, ut eam dimitteret, velle enim ſe optimam illi doctrinam tradere; qua lege accepta dixit illi: Tria ſervato in omni vita tua: Rem, quæ apprehendi nequit, apprehendere ne tenta: rem, quæ non eſt veroſimilis, non credito: rem perditam, quæ recuperari nequit, ne plangito. Cum autem poſt dimiſſionem ipſa iterum arbori inſidens dixiſſet, ſe gemmam magnitudine ovo Struthionis non imparem in ventre continere, Auceps que ideo dimiſſam lamentans iterum ad ſe invitaret, illa hominem ridere cœpit, oſtendereque, quomodo jam nunc doctrinas a ſe traditas neglexiſſet. Hæ ergo tres doctrinæ, vellut pulcherima tria prudentiæ dictamina, fuſius explicentur, doceaturque. 1. Quomodo non debeat quis tentare in hac vita fœlicitatem omnimodam ſeu exemptionem a tribulatione; cum omnes nos oporteat per multas tribulationes intrare in regnum Dei, id quod tum ſententiis SS. Patrum, tum exemplis probari poteſt. 2. Quomodo non debeat quis credere, quod non eſt veriſimile, quod ſcilicet felicitas aut in divitiis, aut honoribus, aut voluptatibus conſiſtat; contrarium quippe Salomon aliique ſuo exemplo docuerunt. 3. Quomodo rem perditam non plangere quis debeat; id quod in triplici occaſione obſervandum. *In jactura divitiarum*: ubi potius dicendum cum Jobo: Dominus dedit, Dominus abſtulit. Imo cum primis Chriſtianis cum gaudio ſuſtinenda rapina, eo quod ſciamus, nos habere repoſitam meliorem ſubſtantiam. *In funere amicorum*: ubi obſervandum monitum Siracidis: Modicum plora ſupra mortuum, quoniam requievit.

X. Ex occaſione thematis: *Videte fratres, quomodo caute ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed quaſi ſapientes, redimentes tempus*: dici poteſt, Romanos olim prudentiam triplici vultu pinxiſſe, ut innuerent per eam tria potiſſimum tempora obſervari. 1. *Præterita*, ut ex iis etiam fructus referatur, id quod triplici modo fieri poteſt. Primo ſi ex præteritis factis ſalubria conſilia capiantur, vitando occaſiones, in quibus cecidimus. Deinde ſi ex tempore male collocato, occaſio ſumatur vitam valde ſanctam, & ferventem inſtituendi, ad morem peregrinorum, qui tarditatem itineris celeritate curſus compenſare ſtudent. Denique ſi patienter feratur jactura graviſſima temporis, ſi enim qui jacturam divitiarum æquo animo tolerat, grande apud Deum meritum obtinet, quanto magis, qui jacturam temporis, qua nulla gravior eſt, ſimili æquitate animi ſuſtinet, ſimile quoque præmium expectabit? 2. *Præſentia* ut bene ordinentur, utiliterque collocentur; qui enim præſens tempus bene impendit, de præterito non dolebit, & de futuro

Prov. 4. v. 5. Vit. cap. 10.

Jo. 1. v. 21.

Hebr. 13. v. 14.

Eccl. 22. v. 11.

Digitized by Google

turo bene ſperare poterit. 3. *Futura*, quæ providenda ſunt, ut pro iis, quæ olim in altera vita neceſſaria erunt, in hac fructuoſe laboremus, uti fecit ille Rex, de quo paulo ante num. 7. diximus, eum divitias ſuas in locum, ad quem relegandum ſe ſciebat, præmiſiſſe.

§. XIII. MICELLANEA.

Qualitas.

Gramat. v. prud. I. IN uno homine duplex eſt homo, interior & exterior; ille viro prudenti, qui ſana & utilia ſuadet & eligit; hic uxori imprudenti ſimilis eſt; quare ut vir mulierem, ita interior homo exteriorem per prudentiam debet dirigere, & quidquid hic ſuggerit, ſuſpectum habere.

Idem. II. Duo ſunt infantium propria, ignorantia, & imbecillitas; duo vero virorum, ſcilicet judicium, & robur. Qui ergo hæe duo poſteriora habet, ſe provectum in perfectione & virtute; ſecus, infantem ſe credere debet.

Idem. III. Janus Rex ob prudentiam ſingularem, qua & præterita & futura ſapienter conjecturabat, duas habuiſſe facies confictus eſt. Quia res fere omnes aliud in fronte, aliud in receſſu recondunt; hinc Salomon monet: Ne

Prov. 23. v. 31. intueris vinum, quando flaveſcit; blande quippe intrat, ſed in fine mordet ut coluber.

Prov. 5. v. 3. Item: Favus diſtillans labia meretricis, noviſſima autem ejus amara quaſi abſynthium.

Idem. VI. Prudentia Sponſæ per naſum commendatur, dum dicitur: Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum; hæc enim civitas erat caput Syriæ, quæ Iſraelitico regno ſemper erat infeſta; unde Salomon ad cognoſcendas illius inſidias in confinibus Libani altiſſimam turrim ædificavit.

Plutarc. in Lacon. V. Lycurgus rogatus, cur vetuiſſet frequentius adverſus hoſtes expeditiones agere? reſpondit: Ne, dum crebro ſe defendendo, bellandi peritiam uſu addiſcant.

Panorm. l. 3. de reb. Alph. VI. Alphonſus Rex Cathalanis ſuadentibus, ut Alphonſo adhuc adoleſcentulo ſeptem viri darentur, qui Deum timerent, juſtitiam colerent, cupiditates ſub fræno tenerent, neque donis aut muneribus tangerentur; reſpondit: Si horum, non dico ſeptem, ſed unum tantum dederitis, continuo illi regimen, & regnum ipſum facile conceſſerim.

VII. Antiſthenes Athenienſis negabat ſapientem vivere juxta leges ab hominibus conditas, ſed juxta normam virtutis. Sapiens e-

Laert. nim non ideo declinat a malo, quod legibus prohibitum ſit, ſed quod ipſa ratio diſſuadet, hoc agendum eſſe.

Neceſſitas.

VIII. Vis conſilii expers mole ruit ſua.

Horat. l. 3. Od. 4. IX. Crede mihi miſeros prudentia prima reliquit,

Ovid. l. 4. de Pont. eleg. 12. Et ſenſus cum re conſiliumque fugit.

Val. Max. lib. 7. X. Scipio Africanus turpe eſſe ajebat in re militari dicere: non putabam, videlicet quia explorato, & excuſſo conſilio quæ ferro aguntur, ſumma ratione adminiſtrari oportere arbitrabatur.

Cicero l. 2. de finib. XI. Nihil eſt turpius, quam ſapientum vitam ex inſipientium ſermone pendere.

Gramat. V. Prud. XII. Viri ſapientis eſt lente feſtinare, quod anchora Delphino conjuncta Veteres ſignificabant; hinc Salomon, ſubſtantia, inquit, feſtinata minuetur, quæ autem paulatim colligitur manu multiplicabitur.

Ibid. XIII. Super humerale, quod humeros Sacerdotis in Veteri Teſtamento olim tegebat, & Rationale, quod pectus, ſic Deo jubente facta ſunt, ut fibulis connexa nunquam a ſe ſeparari potuerint, ut ſignificaret, labores noſtros ſemper cum judicio & ratione fieri oportere.

Utilitas.

l. 6. de mor. XIV. Conſtat, inquit Ariſtoteles, neque proprie bonum eſſe ſine prudentia, neque prudentem ſine virtute morali quempiam eſſe.

Cicero l. 2. de nat. Deor. XV. Multa ſunt incommoda in vita, quæ ſapientes commodorum compenſatione leniunt: Stulti nec vitare venientia poſſunt, nec ferre preſentia.

Eraſm. l. 8. Apophth. XVI. Unicum conſilium rectum magnam militum manum vincere, dicebat Euripides.

XVII. Verinus Poeta ſic canit:

Apud Lang. v. conſil. Conſilio utilius, quam viribus, arma, geruntur.

Militis eſt robur, conſiliumque Ducis.

Ibid. XVIII. Hirundo, cum linum ſereretur, monuit reliquas aviculas, ut ſemina eruerent, utpote ex quibus exoritura eſſet herba nocentiſſima avium generi. Cum vero hoc perſuadere non potuiſſet, ſaltem ut primam herbam evellerent, ſuaſit, verum & hoc conſilium non placuit; quare hirundo periculi declinandi cauſa ad domos confugit, reliquis aviculis ob neglectum conſilium retibus ex lino factis irretitis & pereuntibus.

XIX. Diogenes ſapienti nihil deeſſe colligebat hoc ſyllogiſmo: Deorum omnia ſunt, Deo- *Laert. l. 6.* rum autem amici ſunt ſapientes, & amicorum communia ſunt omnia; ſapientis ergo ſunt omnia.

Dignitas.

Laert. l. 4. cap. 7. XX. Bion dicebat, prudentiam tanto cæteris virtutibus antecellere, quanto cæteris ſenſibus præſtaret viſus.

Stob. de Prudent. XXI. Socrates interrogatus, quid ſit prudentia: Animæ concinnitas, reſpondit.

Idem. XXII. Periander quærenti, quid in minimo ſit maximum, reſpondit, prudentes cogitationes Animæ in corpore humano.

Jucunditas.

Ariſt. l. 1. Rhe. c. 11. XXIII. Quoniam principari jucundiſſimum eſt, ideo ſapere etiam jucundum videtur; nam ſapere principantis eſt.

Cicero l. 5. de finib. XXIV. Sapientia, teſte Cicerone, eſt una, quæ mæſtitiam pellat ex animis, quæ nos exhorreſcere metu non ſinat, qua præceptrice in tranquillitate vivi poteſt, omnium cupiditatum ardore extincto.

Tuſc. q. 5. XXV. Alibi dicebat idem Cicero: Pruden-

dentia nihil dulcius quam, ut cætera auferat, adfert *ipſa* ſenectus.

§. XIV. AXIOMATA.

Seneca Anonym. I. PArva ſunt arma foris, niſi conſilium ſit domi.

Idem, II. Diu deliberandum, quod ſtatuendum eſt ſemel.

III. Salus, ubi multa conſilia.

IV. Feſtina lente. Qui feſtinus eſt pedibus, offendet. Subſtantia feſtinata minuetur; quæ autem paulatim colligitur manu, proficiet.

V. Malum conſilium conſultori peſſimum.

§. XV. DICTAMINA ET PRINCIPIA ETHNICORUM PHILOSOPHORUM.

CUM Ethnici quidam ex inſtituto Philoſophos ſe, ſeu ſapientiæ ac prudentiæ magiſtros amatores ac profeſſores fuerint profeſſi; operæ pretium erit, eorum dictamina hoc loco recenſere; idque eo quidem ordine, quem ipſi fere Aſcetæ de perfectione differentes ſolent obſervare, ut vel ſic erubeſcamus, doleamuſque, nos ex tot revelationibus, illuſtrationibus & libris, quibus Chriſtiana Religio abundat, tantum luminis ac notitiæ nec dum hauſiſſe, quantum ipſi Ethnici ex ſolo naturæ lumine hauſerunt; nec tanta contentione perfectionem ſupernaturalem fuiſſe conſectatos, quanta ipſi ad perfectionem naturalem, ſtabilemque animi quietem pervenire contenderunt.

DE VERÆ SAPIENTIÆ STUDIO.

I. DICTAMEN.

Quid ſit ſapientia.

Seneca epiſt. 94. I. HÆc eſt ſapientia, in naturam converti, & eo reſtitui, unde publicus error expulerit.

II. Quid in homine proprium? Ratio. Hæc certa & conſummata felicitatem hominis implevit.

Seneca epiſt. 76. III. Huc cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta; omni alia vota Deo remiſſurus, ut contentus ſis temetipſo, & ex te naſcentibus bonis. Quæ poteſt eſſe felicitas Deo proprior?

Seneca epiſt. 20. IV. Quid eſt ſapientia? ſemper idem velle, atque idem nolle. Non enim poteſt cuiquam idem ſemper placere, niſi rectum.

II. DICTAMEN.

De fine hominis.

Seneca epiſt. 76. V. QUæ conditio rerum, eadem & hominum eſt. Gladium bonum dices, non cui deauratus eſt baltheus, nec cui vagina gemmis diſtinguitur, ſed cui ad ſecandum ſubtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus. Regula non quam formoſa, ſed quam recta ſit, quæritur. Eo quodque laudatur, cui comparatur, quod illi proprium eſt. Ego in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantum aret quantum fœneret, a quam multis ſalutetur, quam pretioſo incumbat lecto, quam pellucido poculo bibat, ſed quam bonus ſit. Bonus autem eſt, ſi ratio explicita, & recta eſt, & ad naturæ voluntatem accommodata. Hæc vocatur virtus, hoc eſt honeſtum, & unicum hominis bonum; nam cum ſola ratio perficiat hominem, ſola ratio perfecta beatum facit.

VI. Actorem eſſe fabulæ talis, qualis a Magiſtro probata fuerit, te memento. Si brevis, brevis; ſi longa longæ; ſi mendicum agere te voluerit, fac eam quoque Perſonam ingenioſe repræſentes. Ita ſi claudum, ſi principem, ſi plebejum. Hoc enim tuum eſt, Perſonam bene effingere; eam autem eligere, alterius. *Ep. c. 33. Ench.*

VII. Si quid proficere ſtudes, iſtiuſmodi cogitationes miſſas facito: Si mea neglexero, non erit unde vivam: Niſi puerum caſtigavero, malus erit. Præſtat enim perire fame, timoris ac moleſtiæ expertem, quam copiis omnium rerum circumfluentem animo vivere perturbato. Et puerum malum eſſe præſtat, quam te infelicem. *Ep. c. 16. Ench.*

VIII. Id actum eſt ab illo mundi Conditore, qui nobis vivendi jura deſcripſit, ut ſalvi eſſemus, non delicati: ad ſalutem omnia parata ſunt, & prompta, deliciis omnia miſere & ſolicite comparantur. Utamur ergo hoc naturæ beneficio inter magna numerando: & cogitemus, nullo nomine melius illam meruiſſe de nobis, quam quia, quidquid ex neceſſitate deſideratur, ſine faſtidio ſumitur.

III. DICTAMEN.

De Anima hominis.

IX. MAgna, & generoſa res eſt humanus animus, nullos ſibi poni, niſi communes, & cum Deo terminos patitur. *Seneca ep. 102.*

X. Cogita in te præter animum nihil eſſe mirabile, cui magno nihil magnum eſt. *Epiſt. 8.*

XI. Animus magnus & ſacer, & in hoc demiſſus, ut propius divina noſſemus, converſatur quidem nobiſcum, ſed hæret origini ſuæ. Illinc pendet, illuc ſpectat ac nititur, noſtris tanquam melior intereſt. Quis ergo eſt hic? animus, qui nullo bono, niſi ſuo, nititur. *Epiſt. 41.*

XII. Magnus animus, conſcius ſibi melioris naturæ, dat quidem operam, ut in hac ſtatione, qua poſitus eſt, honeſte ſe atque induſtrie gerat, cæterum nihil horum quæ circa ipſum ſunt, ſuum judicat, ſed ut commodatis utitur, peregrinus & properans. *Epiſt. 102.*

IV. DICTAMEN.

De Corpore.

XIII. FAteor, inſitam eſſe nobis corporis noſtri charitatem, Fateor, nos hujus gerere tutelam: nec nego indulgendum illi, ſerviendum nego, multis enim ſerviet, qui corpori ſervit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert. Sic gerere nos debemus, non tanquam propter corpus vive- *Seneca ep. 14.*

Digitized by Google

vivere debeamus, ſed tanquam non poſſimus ſine corpore. Hujus nos nimius amor timoribus inquietat, ſollicitudinibus onerat, contumaliis objicit. Honeſtum civile eſt, cui corpus nimis charum eſt: agatur ejus diligentiſſime cura, ita tamen ut, com exiget ratio, cum dignitas, com fides, mittendum in ignem ſit. Nihilominus, quantum poſſumus, evitemus incommoda quoque, non tantum nos reducamus, excogitantes ſobinde, quibus poſſint timenda depelli. Quarum tria, ni fallor, genera ſunt, timetur inopia, timentur morbi, timentur, quæ per vim potentioris eveniunt.

Ep. c. 41. Ench. XIV. Hebetis ingenii ſignum eſt, in rebus corporis immorari, velut exerceri diu, edere diu, potare diu, &c. Nam hæc quidem facienda ſunt obiter, cura autem omnis ad animum transferenda.

Sen. epiſt. 65. XV. Major ſum, & ad majora genitus, quam ut mancipium ſim mei corporis: qood equidem non aliter aſpicio, quam vinculum aliquod libertatis meæ circumdatum. Contemptus corporis ſui certa libertas eſt.

V. DICTAMEN.

De Deo.

Sen. epiſt. 41. XVI. NOn ſunt ad cælum elevandæ manus, nec exorandus æditus, ut nos ad aures ſimulacri, quaſi magis exaudiri poſſimus, admittat; non procol eſt a te Deus, tecum eſt, intus eſt. Sacer intra nos Spiritus ſedet, malorum bonorumque noſtrorum obſervator, & cuſtos: hic prout a nobis tractatus eſt, ita nos ipſe tractat. Bonus vir ſine Deo nemo eſt.

Sen. epiſt. 65. XVII. Univerſa ex materia, & ex Deo conſtant: Deus iſta temperat, quæ circumfuſa Rectorem ſequuntur, & Ducem. Potentius autem eſt, quod facit, quod eſt Deus, quam materia patiens Dei.

Sen. epiſt. 83. XVIII. Sic vivendum eſt, tanquam in conſpectu vivamus; ſic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inſpicere poſſit, & poteſt: quid enim prodeſt ab homine aliquid eſſe ſecretum? nihil Deo clauſom eſt. Intereſt animis noſtris, & cogitationibus mediis intervenit.

Sen. epiſt. 95. XIX. Primos eſt Deorum cultus, Deos credere; Deinde, reddere illis majeſtatem ſuam, reddere bonitatem, ſine qua nulla majeſtas eſt; ſcire, illos eſſe, qui præſident mundo, qui univerſa vi ſua temperant, qui humani generis tutelam gerunt, interdum curioſi ſingulorum. Hi nec dant malum, nec habent: Cæterum caſtigant quoſdam, & coercent, & irrogant pœnas, & aliquando ſpecie boni puniont. Vis Deos propitiare? bonus eſto, ſatis illos coluit, quiſquis imitatus eſt.

Sen. epiſt. 96. XX. Sive alios obſervare volueris (liberius enim inter aliena judicium eſt) ſive teipſum favore ſepoſito; & ſenties hoc, & confiteberis, nil ex his optabilibus, & charis utile eſſe: niſi te contra levitatem caſus, rerumque caſum ſequentium, inſtruxeris: niſi illud frequenter, & ſine querela, inter ſingula damna dixeris: Diis aliter viſum eſt. Imo mehercule, ut carnem fortius ac juſtius petam, quo animum tuum magis fulcias, hoc dicito, quoties aliquid aliter, quam cogitabas, evenerit. Dii melius. Sic compoſito nihil accidet.

XXI. Religionis erga Deos immortales præcipuum illud eſſe ſcito, rectas de iis habere opiniones, ut ſantiaa, & eſſe eos, & bene, juſteque adminiſtrare univerſa: parendum eis eſſe, & omnibus iia, quæ ſiant, acquieſcendum: ſequenda ultro, ut quæ a mente præſtantiſſima regantur; ſic enim nec incuſabis eos unquam, nec ab eis negligi te, conquereris. Ep. c. 18. Ench.

XXII. In omnibus, quæ adverſa videntur, & dura, ſic formatus ſum. Non pareo Deo? ſed aſſentior. Ex animo illum, non quia neceſſe eſt, ſequor. Nihil unquam mihi incidet, quod triſtis excipiam, quod malo vultu: nullum tributum invitus conferam: omnia autem, ad quæ gemimus, quæ expaveſcimus, tributa vitæ ſunt. Sen. epiſt. 96.

XXIII. Mihi quidem optabile eſt a morte me invadi, nulla alia re, niſi voluntate mea curanda occupatum, ut perturbatione vacuus, & liber dicere poſſim Deo: num gubernationem tuam reprehendi? numquid ad alia abuſus ſum facultatibus, quas mihi dediſti? ægrotavi, quia voluiſti. Pauper fui te volente, ſed lætus. Numquam appetivi imperium, numquid me unquam hac de cauſa triſtiorem vidiſti? numquid unquam vultu minus hilari te acceſſi? paratus, ſi quid mandes, ſi quid imperes. Hæc me cogitantem, hæc ſcribentem, hæc legentem, occupet mors. Epiſt. l. 1. diſſert. c. 27. 6.

VI. DICTAMEN.

De Creaturis.

XXIV. QUemadmodum in navigatione ſubducto navigio, ſi aquatum exieris, obiter fortaſſis etiam cochleolam colligas aut bulbum: animo autem in navigium intento eſſe oportet, ac continenter ſollicito, ne Gubernator vocet; ac tum illa omnia relinquere, ut ne vinctus tamquam ovia in navim conjiciaris; ita etiam in vita ſi tibi vice cochleæ aut bulbi detur uxorcula & puer, nihil impediet; at ſi Gubernator vocarit, curres ad navim, relictis illis omnibus neque reſpicias. Ep. c. 12. Ench.

XXV. Nulla aliena præſtantia efferaris animo: ſi equus ſemet jactans diceret: ſum pulcher: ferendum eſſet. Tu vero cum inſolenter gloriaris, te pulchrum equum habere, ſcito, aqoo te bono ſuperbire. Quid igitur eſt tuum? uſus viſorum. Quapropter cum in uſu viſorum ita moratus fueris, quemadmodum natura poſtulat, tum efferaris, tum enim aliquo tuo bono lætaberis. Ep. c. 11. Ench.

XXVI. Aut iſta bona non ſont, quæ vocantur, aut homo felicior Deo eſt; quoniam quidem, quæ nobis parata ſunt, non habet in uſu Deus: nec enim libido ad illum, nec epularum lautitia, nec opes, nec quidquam ex his hominem ineſcantibus, & vili voluptate ducentibus, pertinet. Ergo aut, quod incredibile eſt, bona Deo deſunt, aut hoc ipſum argumentum eſt, bona non eſſe, quæ Deo deſunt. Sen. epiſt. 74.

Digitized by Google

Adjice, quod multa, quæ bona videri volunt, animalibus, quam homini, pleniora contingunt. Illa cibo avidius utuntur; Venere non æque fatigantur: Virium illis major eſt, & æquabilior firmitas. Sequitur, ut multo feliciora ſint homine, nam ſine nequitia, ſine fraudibus degunt; fruuntur voluptatibus, quas & magis capiunt, & ex facili, ſine ullo pudoris aut pœnitentiæ metu. Conſidera tu itaque, an id bonum vocandum ſit, quo Deus ab homine vincitur. Summum bonum in animo conſtituamus: obſoleſcit, ſi ab optima noſtri parte ad peſſimam tranſit, & transfertur ad ſenſus, qui agiliores ſunt animalibus mutis. Non eſt ſumma felicitatis noſtræ in carne ponenda. Bona illa ſunt vera, quæ ratio dat: ſolida ac ſempiterna, quæ cadere non poſſunt, nec decreſcere quidem, aut minui: Cætera opinione bona ſunt; & nomen quidem habent commune cum veris, proprietas in illis boni non eſt.

VII. DICTAMEN.

De concupiſcentiis, & voluptatibus.

Seneca epiſt. 17. XXVII. Multis paraſſe divitias, non finis miſeriarum fuit, ſed mutatio. Non hoc miror, non eſt enim in rebus vitium, ſed in ipſo animo. Illud, quod paupertatem gravem fecerat, & divitias graves fecit. Quemadmodum nihil differt, utrum ægrum in ligneo lecto, an in aureo colloces, quocumque illum transtuleris, morbum ſuum ſecum transfert; ſic nihil refert, utrum animus æger in divitiis, an in paupertate ponatur, malum ſuum illum ſequitur.

Seneca epiſt. 21. XXVIII. Si vis Pythoclea divitem, honeſtum facere eſſet in perpetua voluptate, non divitiis, honoribus, voluptatibus adjiciendum, ſed cupiditatibus detrahendum.

Seneca epiſt. 35. XXIX. Quis hoſtis in quemquam tam contumelioſus fuit, quam in quoſdam voluptates ſuæ ſunt? quorum impotentiæ atque inſanæ libidini ob hoc unum poſſis agnoſcere, quod, quæ fecere, patiuntur.

Seneca epiſt. 51. XXX. Non eſt emoliendus animus; ſi voluptati ceſſero, cedendum eſt dolori, cedendum labori, cedendum eſt paupertati.

Seneca epiſt. 72. XXXI. Vidiſti aliquando canem miſſa a domino fruſta panis aut carnis aperto ore captantem? quidquid excepit, potinus integrum devoret, & ſemper ad ſpem futuri hiat. Idem evenit nobis, quidquid expectantibus fortuna projecit, id ſine ulla voluptate demittimus, ſtatim ad rapinam alterius erecti & attenti. Hoc ſapienti non evenit; plenus eſt, etiam ſi quid obvenit, ſecure excipit, ac reponit: Lætitia fruitur maxima, continua, ſua.

VIII. DICTAMEN.

De Virtutibus.

Ep. c. 67. XXXII. Nihil eſt virtute præſtantius, nihil pulchrius: & bonum eſt, & optabile, quidquid ex hujus geritur imperio.

XXXIII. Id in quoque optimum eſt, cui naſcitur, quo cenſetur. In homine optimum quid eſt? ratio, hac antecedit, animalia, Deos ſequitur. *Seneca epiſt. 76.*

XXXIV. Nulla virtus latet; & latuiſſe, non ipſius damnum eſt; Veniet, qui conditam, & ſæculi ſui malignitate compreſſam, dies publicet . . . ſi quod eſt pretium virtutis ex fama, nec hoc interit . . nulli non virtus, & vivo & mortuo, retulit gratiam, ſi modo illam bona ſecutus eſt fide. *Seneca epiſt. 79.*

XXXV. Virtutum omnium pretium in ipſis eſt: non enim exercentur ad præmium. Recte facti feciſſe merces eſt. *Seneca epiſt. 81.*

XXXVI. Virtus extollit hominem, & ſupra chara mortalibus collocat: nec ea, quæ bona, nec ea, quæ mala vocantur, aut cupit nimis, aut expaveſcit. *Seneca epiſt. 87.*

IX. DICTAMEN.

De Peccatis.

XXXVII. Initium eſt ſalutis, notitia peccati; nam qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult, deprehendas te oportet, antequam emendes.... Ideo quantum potes, te ipſe coargue: inquire in te; accuſatoris primum partibus fungere, deinde Judicis, noviſſime deprecatoris, aliquando te offende. *Seneca epiſt. 28.*

XXXVIII. Non eſt per ſe magiſtra ſolitudo innocentiæ, nec frugalitatem docent rura: ſed ubi teſtis ac ſpectator abſceſſit, vitia ſubſidunt, quorum monſtrari, & conſpici, fructus eſt . . . Nemo oculis ſuis lautus eſt, ne paucorum quidem & familiarium, ſed apparatum vitiorum ſuorum pro modo turbæ ſpectantis expandit. Itaque irritamentum eſt omnium, in quæ inſanimus, admirator & conſcius, ne concupiſcamus, efficies, ſi, ne oſtendamus, effeceris. Ambitio, & luxuria, & impotentia ſcenam deſiderant: ſanabis iſta, ſi abſconderis. *Seneca epiſt. 94.*

XXXIX. Duo ſunt, propter quæ delinquimus, aut ineſt animo pravis opinionibus malitia contracta; aut etiamſi non eſt falſis præoccupatus, ad falſa proclivis eſt, & cito ſpecie, quo non oportet, trahente, corrumpitur. Itaque debemus aut curare mentem ægram, & vitiis liberare: aut vacantem quidem, ſed ad pejora pronam præoccupare, utrumque decreta Philoſophiæ faciunt. *Seneca epiſt. 94.*

XL. Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, ut ſic tamquam illo ſpectante vivamus, & omnia tamquam illo vidente faciamus . . . Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cujus authoritate etiam ſecretum ſuum ſanctius faciat. O felicem qui ſic aliquem vereri poteſt, ut ad memoriam quoque ejus ſe componat, atque ordinet! Qui ſic aliquem vereri poteſt, cito erit verendus. *Seneca epiſt. 11.*

X. DI-

X. DICTAMEN.

Media ad virtutes acquirendas.

MEDIUM I.

Temporis ratio habenda.

Seneca epiſt. 1. XLI. OMnia aliena ſunt, tempus tantum noſtrum eſt. In hujus rei unius fugacis ac lubricæ poſſeſſione natura nos miſit, ex qua nos expellit, quicumque vult. Hinc ſi volueris attendere, magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.

Seneca epiſt. 1. XLII. Omnes ergo horas complectere; ſic fiet, ut minus ex craſtino pendeas, ſi hodierno manum injeceris.

Seneca epiſt. 71. XLIII. Id agamus, ut omne tempus noſtrum ſit: non erit autem, niſi prius nos noſtri eſſe cœperimus.

Seneca epiſt. 49. XLIV. Infinita eſt velocitas temporis, quæ magis apparet reſpicientibus; nam ad præſentia intentos fallit, adeo præcipitis fugæ tranſitus levis eſt.

MEDIUM II.

Judicia hominum ſpernenda.

Seneca epiſt. 29. XLV. NUnquam volui populo placere; nam quæ ego ſcio non probat populus; quæ probat populus, ego neſcio. Malis artibus popularis favor quæritur; ſimilem te illis facias oportet, non probabunt niſi agnoverint.

MEDIUM III.

Solitudo amanda.

Seneca epiſt. 7. XLVI. Quid tibi vitandum præciſive exiſtimes, quæris? Turbam. Nondum illi te toto commiſeris. .... Numquam mores, quos extuli, refero: aliquid ex eo, quod compoſui, turbatur; aliquid ex his, quæ fugavi, redit... Inimica eſt multorum converſatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut neſcientibus allinit. Et quo major eſt populus, cui commiſcemur, hoc periculi plus eſt... Democritus ait: Unus mihi pro populo eſt, & populus pro uno. Bene & ille, a quo cum quæreretur, quo tanta diligentia artis ſpectaret ad pauciſſimos perventuræ? ſatis ſunt, reſpondit, mihi pauci, ſatis unus, ſatis eſt nullus. Sed & Epicurus: Hæc ego non multis, ſed tibi: ſatis enim magnum alter alteri theatrum ſumus.

MEDIUM IV.

Rebus ſe commodare, non tradere.

Seneca epiſt. 62. XLVIII. Metiuntur, qui ſibi obſtare ad ſtudia liberalia turbam negotiorum videri volunt. Simulant occupationes, & augent & ipſi ſe occupant, Vaco, mi Lucili, vaco, & ubicumque ſum, meus ſum. Rebus enim non me trado, ſed commodo.

MEDIUM V.

Notitia ſui.

XLVIII. Ideo difficulter ad ſanitatem pervenimus, quia nos ægrotare neſcimus, ut Harpaſte mulier fatua, & cæca neſcivit eſſe ſe cæcam, ſed domum tenebroſam dixit, id etiam nobis evenit. Nemo ſe avarum eſſe intelligit, nemo cupidum. Cæci tamen Ducem quærunt, nos ſine Duce erramus. *Seneca epiſt. 50.*

MEDIUM VI.

Eadem ſæpius repetenda.

XLIX. Nunquam nimis diſcitur, quod ſatis nunquam diſcitur. Quibuſdam remedia monſtranda ſunt, quibuſdam inculcanda.

MEDIUM VII.

Locorum mutatio fugienda.

L. Socrates cuidam querenti, quod per locorum mutationem melior non fuiſſet factus, dixit: Quid miraris, nihil tibi peregrinationes prodeſſe, cum te circumferas? premit te eadem cauſa, quæ expulit. Quid terrarum juvare novitas poteſt? quid cognitio urbium, aut locorum? in irritum cedit iſta jactatio; quæris, quare te fuga iſta non adjuvet? tecum fugis. Onus animi deponendum eſt: non ante tibi ullus placebit locus. *Seneca epiſt. 28.*

MEDIUM VIII.

Paupertas amanda.

LI. Si vis vacare animo, aut pauper ſis, oportet, aut pauperi ſimilis, non poteſt ſtudium ſalutare fieri ſine frugalitatis cura, frugalitas autem paupertas voluntaria eſt.

LII. Magnæ divitiæ ſunt, lege naturæ compoſita paupertas. Lex autem illa naturæ, ſcis, quos nobis terminos ſtatuit? non eſurire, non ſitire, non algere. Parabile eſt, quod natura deſiderat, & expoſitum: ad ſupervacua ſudatur. *Epiſt. 4. Seneca*

LIII. Perpeſſi ſunt exercitus inopiam rerum omnium, vixerunt herbarum radicibus, & dictu fœdam tulerunt famem. Hæc omnia paſſi ſunt pro regno alieno. Dubitabit aliquis ferre paupertatem, ut animam furoribus liberet? *Id. epiſt. 26.*

MEDIUM IX.

Correctio non omittenda.

LV. Non poſſum ſcire, an ei profuturus ſim, quem admoneo. Illud ſcio, alicui me profuturum, ſi multos admonuero. Spargenda eſt manus, non poteſt fieri, ut non aliquando ſuccedat multa tentanti. *Seneca epiſt. 29.*

LVI. Ne illud quidem curo, quod quibuſdam nimis horridi animi videtur, & tetrici. Ariſton ajebat, male ſe adoleſcentem triſtem, quam hilarem, & amabilem turbæ. Vinum enim fieri bonum, quod recens durum, *Seneca epiſt. 36.*

& aſperum viſum eſt: non pati ætatem, quod in dolo placuit.

M E D I U M X.

Onera verbis jungenda.

Se. ep.10. LVII. Facere docet Philoſophia, non dicere: & hoc exigit, ut ad legem quiſque vivat, ne orationi vita diſſentiat, ut ipſa inter ſe vita unius, ſine actionum diſſenſione, coloris ſit. Maximum hoc eſt, & officium ſapientiæ, & indicium, ut verbis opera concordent, ut & ipſe ubique par ſibi, idemque ſit. Quis hoc præſtabit? pauci; aliqui tamen. Et difficile hoc: nec dico ſapientem ſemper uno iterum gradu, ſed una via.

M E D I U M XI.

Ratio in conſilium adhibenda.

Se. ep.14. LVIII. Ob hoc ſeipſum homo, ſuaque miretur, quod non poteſt vinci, quod mala ipſa ſub ſe tenet, quod ratione, qua valentius nihil eſt, caſum doloremque, & injuriam ſubigit. Ama rationem, hujus te amor contra duriſſima armabit.

M E D I U M XII.

Seria reſolutio.

Se. ep.40. LIX. Quidquid facere te poteſt bonum, tecum eſt, quid tibi opus eſt, ut ſis bonus? velle: quid autem melius potes velle, quam eripere te huic ſervituti, quæ omnes premit, quam mancipia quoque conditionis extremæ, & in his ſordibus nata omni modo exuere conantur? Tu non concupiſces quanticumque ad libertatem pervenire, qui te putas in illa natum?

M E D I U M XIII.

Exempla ob oculos habenda.

Ep. c.51. Ench. LX. Cum aliquid negotii tibi futurum eſt cum aliquo, ex proceribus præſertim ipſe tibi proponito, quid in ea re facturus fuiſſet Socrates, aut Zenon. Ita fiet, ut te ratio non deficiat, qua id, quod objectum fuerit, rite adminiſtres.

Se. ep.12. LXI. Adjuvare nos poſſunt non tantum, qui ſunt, ſed & qui fuerunt. Ex iis autem, qui ſunt, eligamus eos, qui vita docent: qui cum dixerint, quod faciendum ſit, probant faciendo: qui docent, qui vitandum, nec unquam in eo, quod fugendum dixerint, deprehenduntur. Eum elige adjutorem, quem magis admireris, cum videris, quam cum audieris.

Sen. ep.6. LXII. Plus tibi, & viva vox & convictus, quam oratio, proderit. In rem præſentem venias; oportet. Primum, quia homines amplius oculis, quam auribus credunt: deinde quia longum iter eſt per præcepta, breve & efficax per exempla.

M E D I U M XIV.

Lectio fructuoſa.

LXIII. Illud vide, ne lectio omnis generis voluminum habeat aliquid vagum, & inſtabile. Certis ingeniis immorari, & innutriri oportet, ſi velis aliquid habere, quod in animo fideliter ſedeat. Nuſquam eſt, qui ubique eſt. In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hoſpitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat neceſſe eſt iis, qui nullius ſe ingenio familiariter applicant, ſed omnia curſim, & properanter tranſmittunt. Non prodeſt cibus, nec corpori accedit, qui ſtatim ſumptus emittitur. Nihil æque ſanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebro medicamenta tentantur. Non coaleſcit planta, quæ ſæpe trasfertur. Nihil tam utile eſt, quod in tranſitu proſit. Diſtrahit animum librorum multitudo. Faſtidientis ſtomachi eſt, multa deguſtare, quæ, ubi varia ſunt & diverſa, inquinant, non alunt. Probatos itaque ſemper lege, & ſi quando ad alios divertere libuerit ad priores redi. Sen. ep.2.

LXIV. Non refert, quam multos, ſed quam bonos habeas libros. Lectio certa prodeſt, varia delectat. Qui, quo deſtinavit, pervenire vult, unam ſequatur viam, non per multas vagetur: non ire iſtud, ſed errare eſt. Id. ep.45.

M E D I U M XV.

Sermo brevis.

LXV. Plurimum proficit ſermo, qui minutatim irrepſerit animo. Diſputationes præparatæ, & effuſæ audiente populo plus habent ſtrepitus, minus familiaritatis. Ad verba ſubmiſſiora veniendum eſt Facilius, intrant, ſed & hærent, nec enim multis opus eſt, ſed efficacibus. Seminis modo ſpargenda ſunt, quod, quamvis ſit exiguum, cum occupavit idoneum locum, vires ſuas explicat, & ex minima, in maximos actus diffunditur. Se. ep.38.

XI. D I C T A M E N.

Doctrina pro converſatione.

P R I M A.

Nil mali poſtulandum ab altero.

LXVI. SI munera deſiderata parare queo, conſervata verecundia, & fide, & animi magnitudine, voſque ejus rei viam oſtenderitis, parabo. Sin id poſtulatis, ut bona ego mea perdam, quo vos ea, quæ in bonis non ſunt, acquiratis, videte ipſi, quam iniqui ſitis, & temerarii, utrum vero præoptatis? pecuniamne, an amicum verecundum & ſincerum? Ep. c.37. Ench.

S E C U N D A.

Æmulatio cavenda.

LXVII. Eſt tibi prælatus aliquis in convivio, aut ſalutatione, aut dandi conſilii officio; Ep. c.38. Ench.

Digitized by Google

cio; ſiquidem iſta bona ſunt, gratulari debes illi, cui ea contigernnt; ſin mala, ne doleas, te in ea non incidiſſe; ſed memento, cum ea non agas, quibns illa parantur, quæ in noſtra poteſtate non ſunt, fieri non poſſe, ut eadem tibi tribuantur.

TERTIA.

Jactantia fugienda.

11. c. 13. Ench. LXVIII. In familiaribus congreſſibus abſit facinorum aut periculorum tuorum prolixa, & immoderata commemoratio; nec enim, ut tibi jucundum eſt tuorum certaminum meminiſſe, ſic & aliis ſuave eſt, ea, quæ tibi acciderunt, audire.

QUARTA.

Nemo temere judicandus.

Epiſt. c. 67. LXIX. Lavat qniſpiam cito, ne dicas, laviſſe male, ſed cito: bibit quiſpiam multum vini, ne dicas, bibiſſe male, ſed multum. Priuſquam enim id decretum dijudicaris, unde ſcis, an male? ſic uſu tibi veniet, ut alia viſa certo comprehenſa habeas, alus aſſentiaris.

QUINTA.

Reſpectus deponendus.

Epiſt. c. 37. Ench. LXX. Cum facis aliquid, quod faciendum eſſe ſtatuiſti, numquam recuſes inter id agendum conſpici, tametſi futurum eſt, ut vulgus de eo ſecus judicet. Nam ſi perperam facis, rem ipſam fuge: ſin recte, quid eos vereris, qui non recte reprehendunt?

SEXTA.

Maledicta ſpernenda.

Epiſt. c. 33. Ench. LXXI. Si quis nuntiarit, quemdam tibi maledicere, ne refuta, quæ dicta ſunt, ſed reſponde, eum neſciſſe cætera tua vitia; nam alioqui non illa ſolum fuiſſe dicturum.

SEPTIMA.

Temere non loquendum.

Epiſt. c. 69. Ench. LXXII. Si apud imperitos de præcepto aliqno ſermo inciderit, maxima ex parte taceto. Magni enim periculi eſt ſtatim evomere, quod non concoxeris.

XII. DICTAMEN.

De pace obtinenda.

MEDIUM I.

Opinio corrigenda.

Epiſt. c. 10. Ench. LXXIII. HOmines perturbantur non rebns, ſed iis, quas de rebus habent, opinionibus: verbi cauſa, mors non eſt malum; alioqui enim & Socrati ita viſum eſſet: ſed opinio de morte, quæ malum eam facit. Senec. ep. 13. Cum igitur impedimur, aut diſtrahimur, non alios culpemus, ſed noſmetipſos, hoc eſt, noſtras opiniones. Plura ſunt, quæ nos terrent, quam quæ premunt, & ſæpius opinione, quam re, laboramus.

MEDIUM II.

Voluntas propria deponenda.

LXXIV. Ne poſtules ea, quæ fiunt, arbitratu tuo fieri, ſi ſapis, ita fieri quæque velis, ut fiunt. Morbus eſt corporis impedimentum, inſtituti non item, niſi ipſe velis. Claudicatio pedis eſt impedimentum, inſtituti non item. Quod ſi ſingulis in rebus, quæ incidunt, conſideraris, invenies eas alterius cujuſpiam rei, non tui, eſſe impedimentum. Epiſt. c. 11. Ench.

MEDIUM III.

Judicium verum formandum.

LXXV. Memento, ſi ea, quæ natura ſerviunt, libera putaris, & aliena pro tuis habueris, fore ut impediaris, lugeas, perturberis, Deos homineſque accnſes: Sin id ſolum tuum exiſtimaris, quod tuum eſt, aliena vero, ut ſunt, aliena, te nemo coget unquam, nemo impediet, neminem accuſabis, neminem criminaberis, nihil ages invitus; nemo te lædet, inimicum non habebis. Epiſt. c. 1. Ench.

MEDIUM IV.

Nihil proprium cenſendum.

LXXVI. Numquam te quidquam perdidiſſe dicito, ſed reddidiſſe. Filiolus obiit? Epiſt. c. 15. Ench. redditus eſt. Prædium eſt, ereptum? an non id quoque eſt redditum? at improbus eſt, qui eripuit? qnid id tua refert, per quem is, qui dederat, abs te repetierit?

MEDIUM V.

Fructus ex omnibus capiendus.

LXXVII. Si corvus inauſpicatum crocitarit, ne te viſum illud moveat, ſed ipſe tecum divide ſtatim, & dic: nihil iſtorum mihi portenditur, ſed aut corpoſcnlo meo, aut recutæ meæ, aut exiſtimationi, aut liberis, aut uxori mihi autem fauſta omnia portenduntur, ſi ego voluero. Quidquid enim iſtorum acciderit, ex eo, penes me eſt, fructum ut capiam. Epiſt. c. 24. Ench.

MEDIUM VI.

Teſtimonio conſcientiæ acquieſcendum.

LXXVIII. Si quando acciderit, ut foras promineas & alicui placere cupias, te de ſtatione tua dejectum eſſe ſcito. Quare in omnibus rebus illud tibi ſatis ſit, te eſſe Philoſophum; ſin alieni etiam videri Philoſophus cupis, tibi videre, idque tibi ſatis eſto. Epiſt. c. 30. Ench.

LXXIX. Bona conſcientia turbam advocat, mala etiam in ſolitudine anxia, & ſollicita eſt. Si honeſta ſunt, quæ facis omnes ſciant: ſi turpia, quid refert, neminem ſcire, cum tu ſcias? O te miſerum, ſi contemnis hunc teſtem. Sen. ep. 43.

MEDIUM VII.

Quidvis, ut oportet, accipiendum.

Epiſt. 67. Enchir. LXXX. Unaquæque res duas habet anſas, unam tolerabilem, aliam intolerabilem. Si frater injuriam fecerit, non ea prehende, qua facit injuriam, ea enim ejus anſa non eſt tolerabilis; ſed illinc potius, eſſe fratrem, eſſe una educatum. Sic prehendes eum, qua eſt tolerabilis.

MEDIUM VIII.

Nemo læditur, niſi a ſeipſo.

Epiſt. 71. Enchir. LXXXI. Plebeji ſtatus, & nota eſt, nunquam a ſeipſo vel damnum expectare, vel utilitatem, ſed a rebus externis. Philoſophi ſtatus & expreſſa imago eſt, omnem utilitatem, & damnum a ſemetipſo expectare.

MEDIUM IX.

Præparandus animus.

Sen. ep. 18. LXXXII. In ipſa ſecuritate animus ad difficilia ſe præparet, & contra injurias fortunæ inter beneficia firmetur. Miles in media pace decurrit ſine ullo hoſte, vallum jacit, & ſupervacuo labore laſſatur, ut ſufficere neceſſario poſſit.

MEDIUM X.

Miſera non anticipanda.

Sen. ep. 13. LXXXIII. Illud tibi præcipio, ne ſis miſer ante tempus, cum illa, quæ velut imminentia expaviſti, fortaſſe nunquam ventura ſint, certe nondum venerint. Quædam ergo nos magis torquent, quam debeant; quædam ante torquent, quam debeant; quædam torquere omnino non debent. Aut augemus dolorem, aut fingimus, aut præripimus.

Sen. ep. 98. LXXXIV. Nil eſt miſerius, nec ſtultius, quam prætimere. Quæ iſta dementia eſt, malum ſuum antecedere? Plus dolet, quam neceſſe eſt, qui ante dolet, quam neceſſe ſit.

MEDIUM XI.

Dolore inutili abſtinendum.

Sen. ep. 99. LXXXV. Supervacaneum eſt dolore, ſi nihil dolendo proficias; Deinde iniquum eſt, queri de eo, quod uni accidit, & omnibus reſtat.

MEDIUM XII.

Conformatio cum divina voluntate.

Sen. ep. 107. LXXXVI. Ad hanc legem animus noſter aptandus eſt, hanc ſequatur, huic pareat, & quæcumque fiunt, debuiſſe fieri putet, nec velit objurgare naturam: optimum eſt pati, quod emendare non poſſis, & Deum, quo Auctore cuncta proveniunt, ſine murmuratione comitari. Malus miles eſt, qui Imperatorem gemens ſequitur. Hic eſt magnus animus, qui ſe Deo tradidit: at contra puſillus ac degener, qui obluctatur, & de ordine Mundi male exiſtimat, & emendare mavult Deos, quam ſe.

LXXXVII. In quovis incepto hæc optanda ſunt: Duc me, o Jupiter, & tu Fatum, eo, quo ſum a vobis deſtinatus. Sequar enim alacriter. Quod ſi noluero, & improbus ero, & ſequar nihilominus. Ep. c. 77.

XIII. DICTAMEN.

MISCELLANEA QUÆDAM.

Mors æquo animo ferenda.

LXXXVIII. Quid eſt turpius, quam in ipſo limioe ſecuritatis eſſe ſollicitum? cauſa autem hæc eſt, quod inanes omnium bonorum ſumus, quorum in fine vitæ deſiderio laboramus; non enim apud nos pars ejus ulla ſubſedit, tranſmiſſa eſt, & effluxit. Nemo, quam bene vivat, ſed quamdiu, curat; cum omnibus poſſit contingere, ut bene vivant; ut diu, nulli. Se. ep. 41.

Lætitia vera quæ.

LXXXIX. Nolo tibi unquam deeſſe lætitiam, volo illam tibi domi naſci: Naſcitur, ſi modo intra teipſum ſit. Ceteræ hilaritates non implent pectus, ſed frontem remittunt, leves ſunt: niſi forte tu judicas illum gaudere, qui ridet: Animus debet eſſe alacer, & fidens, & ſuper omnia rectus. Mihi credere, res ſevera eſt gaudium verum. In hujus gaudii poſſeſſione eſſe te volo. Numquam deficiet, cum ſemel, unde petatur, inveneris. Hæc, quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac perfuſoriam voluptatem; & quodcumque invectitium gaudium eſt, fundamento caret. Hoc de quo loquor, ad quod te conor perducere, ſolidum eſt, & quod plus pateat introrſus. Sen. ep. 23.

XC. Omnes tendunt ab gaudium, ſed unde ſtabile, magnomque conſequantur, ignorant. Omnes oblectamenta fallacia, & brevia decipiunt: ſicut ebrietas, quæ unius horæ hilarem inſaniam, longi temporis tædio penſat. Hoc ergo cogita, hunc eſſe ſapientiæ effectum, gaudii æqualitatem. Talis eſt ſapientis animus, qualis mundi ſtatus ſuper Lunam. Semper illic ſerenum eſt; Habes ergo, quare velis ſapiens eſſe; quia numquam ſine gaudio eſt. Gaudium hoc non naſcitur, niſi ex virtutum conſcientia. Sen. ep. 59.

Nobilitas vera quæ.

XCI. Si quid aliud eſt in Philoſophia boni, hoc eſt, quod ſtemma non inſpicit. Omnes ſi ad primam originem revocentur, a Diis ſunt. Bona mens omnibus patet: omnes ad hoc ſumus nobiles. Patritius Socrates non fuit, Platonem non accepit nobilem Philoſophia, ſed fecit. Neminem, ait Plato, regem non ex ſervis eſſe oriundum, neminem non ſervum ex regibus. Omnia iſta longa varietas miſcuit, & ſurſum deorſum fortuna verſavit. Quis ergo generoſus? ad virtutem a natura bene compoſitum. Hoc unum eſt intuendum: Non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus. Nemo in noſtram gloriam vixit, nec quod ante non fuit, noſtrum eſt, Ani- Sen. ep. 44.

mus

Digitized by Google

mus facit nobilem, cui ex quacumque conditione ſupra fortunam licet ſurgere.

Diſcrimen inter ſapientem & proficientem.

Sen. ep. 72. XCII. Hoc intereſt inter ſapientiæ conſummatæ virum, & alium procedentis, quod inter ſanum, & ex morbo gravi ac diutinorem emergentem. Cui ſanitatis loco eſt, levior acceſſio. Hinc, niſi attendit, ſubiode gravatur, & in eadem revolvitur. Sapiens recidere non poteſt, ne incidere quidem amplius. Corpori enim ad tempus bona valetudo eſt: quam medicus etiam ſi reddidit, non præſtat; ſæpe ad eumdem, quem advocaverat, excitatur. Animus ſemel in totum ſanatur.

Idem ep. 47. XCIII. Hoc habent inter cætera boni mores, placent ſibi, & permanent. Levius eſt malitia, ſæpe mutatur, non in melius, ſed in aliud.

Cur bonis viris mala accidant.

Sen. l. de Prov. c. 1. XCIV. Cum videris bonos viros, acceptoſque Diis, laborare, ſudare, per arduum aſcendere, malos autem laſcivire, & voluptatibus fluere: Cogita, filiorum nos modeſtia delectari, vernularum licentia; illos diſciplina triſtiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de Deo liqueat. Bonum virum in deliciis non habet, experitur, indurat, ſibi illum præparat.

Ibid. c. 2. XCV. Nihil accidere bono viro mali poteſt. Non miſcentur contraria. Quemadmodum tot omnes, tantum ſuperne dejectorum imbrium, tanta medicatorum vis fontium, non mutant ſaporem maris, nec remittunt quidem: ita adverſarum impetus rerum viri fortis non vertit animum. Manet in ſtatu, & quidquid evenit, in ſuum colorem trahit.

Ibid. XCVI. Vir fortis, omnia adverſa, exercitationes putat, quis autem, vir modo, & erectus ad honeſta, non eſt laboris appetens juſti, & ad officia cum periculo promptus? cui non induſtrioſo otium pœna eſt; Athletas videmus, quibus virium cura eſt, cum fortiſſimis quibuſque confligere, & exigere ab his, per quos certamini præparantur, ut totis contra ipſos viribus utantur, cæpi ſe vexarique patiuntur: & ſi non inveniunt ſingulos pares, pluribus ſimul objiciuntur. Marcet ſine adverſario virtus. Tunc apparet, quanta ſit, quantum valeat, polleatque, cum quid poſſit, patientia oſtendit. Scias licet, idem viris bonis eſſe faciendum.

Ibid. XCVII. Ecce ſpectaculum dignum, ad quod reſpiciat intentus operi ſuo Deus. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compoſitus: utique ſi & provocavit. Non video, inquam, quid habeat in terra Jupiter pulchrius, quam ut ſpectet Catonem, jam partibus non ſemel fractis, ſtantem nihilominus inter ruinas publicas rectum.

Ibid. XCVIII. Miſerum te judico, quod numquam fuiſti miſer: tranſiſti ſine adverſario vitam. Nemo ſciet, quod potueris, ne tu quidem ipſe; opus eſt enim ad notitiam ſui experimento; quid quiſque poſſet, niſi tentando non didicit. Gaudent magni viri aliquando rebus adverſis, non aliter, quam fortes milites bellis.

XCIX. Quare Deus optimum quemque aut mala valetudine, aut aliis incommodis afficit? Quare in caſtris quoque periculoſa fortiſſimis imperantur? Dux lectiſſimos mittit, qui nocturnis hoſtes aggrediantur inſidiis, aut explorent iter, aut præſidium loco dejiciant. Nemo eorum, qui exeunt, dicit: Male de me Imperator meruit; ſed bene judicavit. Idem dicant, quicumque jubentur pati, timidis ignaviſque flebilia: Digni viſi ſumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura poſſet pati: Hoc eſt propoſitum Deo, quod ſapienti viro, oſtendere hæc quæ vulgus appetit, reformidat, nec bona eſſe nec mala, nec apparebat autem bona eſſe, ſi illa non niſi bonis viris tribuerit; & mala eſſe ſi malis tantum irrogaverit. *Ibid. c. 4.* *Ibid. c. 5.*

C. Puta itaque Deum dicere: Quid habetis, quod de me queri poſſitis vos, quibus recta placuerunt? aliis bona falſa circumdedi, & animos inanes, velut longo, fallacique ſomnio luſi: Auro illos, argento & ebore ornavi: intus boni nihil eſt: Iſti, quos pro felicibus aſpicitis, ſi non qua occurrunt, ſed qua latent, videritis, miſeri ſunt, ſordidi, turpes, ad ſimilitudinem parietum ſuorum extrinſecus culti. Non eſt iſta ſolida, & ſincera felicitas: cruſta eſt, & quidem tenuis. Itaque dum illis licet ſtare, & ad arbitrium ſuum oſtendi, nitent, & imponunt: cum aliquid incidit, quod diſturbet, ac detegat, tunc apparet, quantum altæ ac veræ fœditatis alienus ſplendor abſconderit. Vobis dedi bona certa, manſura: quanto magis verſaveritis, & undique inſpexeritis, meliora majoraque permiſi vobis, metuenda contemnere, cupienda faſtidire: non fulgetis extrinſecus, bona veſtra introrſus obverſa ſunt. Sic mundus exteriora contempſit, ſpectaculo ſui lætus. Intus omne poſui bonum. Non egere felicitate, felicitas veſtra eſt. *Ibid. c. 6.*

In ſapientem non cadere injuriam.

CI. Ad tantas ineptias perventum eſt, ut, non dolore tantum, ſed doloris opinione vexemur, more puerorum, quibus metum incutit umbra, & perſonarum deformitas, & depravata facies; Lacrymas vero evocant nomina parum grata auribus, & digitorum motus, & alia, quæ impetu quodam erroris improvidi refugiunt. Injuria propoſitum hoc habet, aliquem malo afficere: malo autem ſapientia non relinquit locum. Unum enim malum illi eſt turpitudo, quæ introire eo, ubi jam virtus, honeſtumque eſt, non poteſt. *Sen. L. de Conſtant. c. 4.*

CII. Omnis injuria deminutio eſt ejus, in quem incurrit, nec poteſt aliquis injuria accipere ſine aliquo detrimento vel dignitatis, vel corporis, vel rerum extra nos poſitarum: ſapiens autem nihil perdere poteſt, omnia in ſe repoſuit, nihil fortunæ credit: bona ſua in ſolido habet, contentus virtute, quæ fortuitis non indiget. Ideoque nec augeri, nec minui poteſt. Nam in ſummum perducta, incrementi non habent locum. Nihil eripuit fortuna, niſi quod dedit, virtutem *Ibid. c. 5.*

Digitized by Google

tem autem non dat, ideo nec detrahit. Libera eſt, inviolabilis, immota, inconcuſſa; ſic contra caſus indurata, ut nec inclinari quidem, nedum vinci poſſit. Validius debet eſſe quod lædit, eo quod læditur, non eſt autem fortior nequitia virtute; non poteſt ergo lædi ſapiens.

§. XVI. AUTHORES.

I. JEremias Drexelius in Roſis Marianis part. 2. c. 1.

II. Joannes Buſæus in Viridario V. eodem.

III. Franciſcus Arrias to. 3. Theſauri inexhauſti. Tractat. 1.

IV. Antonius Gaudier de nat. perfect. par. 4. c. 11.

V. Jacobus Alvarez to. 2. lib. 3. part. 2. c. 6. §. 1.

VI. Petrus Sanchez in regno Dei, p. 6. c. 10.

TITULUS CXXI.

PURGATORIUM.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

& exiſtentiam.

Manſ. to. 4. tr. 26. diſc. 2. n. 2. I. PUrgatorium eſt locus quidam a divina juſtitia in viſceribus terræ deſtinatus, ad purgandum fidelium defunctorum animas, in gratia Dei conſtitutas, nondum tamen ſatis integre a culpis expiatas, idque per ignem & alias pœnas, donec noviſſimum quadrantem exſolverint. *S. Aug. in Enchir. c. 109.* Sive: eſt locus ſubterraneus, ſive receptaculum, in quo animæ defunctorum pro peccatis quoad pœnam necdum plene remiſſis ſatisfaciunt. *S. Anſel. in Eluc.* S. Anſelmus ſic illud deſcribit: Quid eſt purgatorius ignis? poſt mortem purgatio erit aut nimius calor ignis, aut magnus rigor frigoris, aut aliud quodlibet genus pœnarum, de quibus minimum majus, eſt, quam maximum, quod in hac vita excogitari poſſit.

S. Bern. Sen. to. 4. S. 13. extrav. II. S. Bernardinus Senenſis de hoc purgatorio ſic loquitur: Deſcribunt Doctores, quod quatuor ſunt purgatoria. De primo in quarto Dialogorum Gregorius mentionem facit, dicens: Quod eſt in Sicilia in monte Ætna, ubi navigantes ſæpe audivere voces petentes eleemoſynas ſpirituales, & temporales; & qui fuerunt ibi, dicunt, quod in illo monte ſemper ardet. Secundum purgatorium ſtat in centro terræ, in loco arcto, & privato: qui habuerunt proprium, arctum, & privatum amorem in hoc mundo plus, quam in Deo, dabitur illis locus arctus in centro terræ. Tertium Purgatorium reperitur eſſe in hoc mundo. Quartum eſt ignis.

Ibid. III. Idem S. Pater quinam in hoc purgatorio torqueantur, in hæc verba declarat: Prima veritas eſt, quod nullus vadit in purgatorium qui moritur in peccato originali; ſecunda veritas eſt, quod illi vadunt in purgatorium, qui ſunt in aliquo peccato veniali, vel qui non fecerunt debitam pœnitentiam in hoc mundo pro ſuis peccatis.

Ibid. IV. Pœnarum vero diverſitatem idem Doctor his verbis indicat: Quærunt Doctores, quæ pœnæ, & quantæ ſunt in purgatorio? Et dicunt, quod animæ dupliciter tormentantur in purgatorio. Uno modo, quia ſunt privatæ ſeu ſemotæ a conſolatione Dei. Secundo modo, quia habent pœnas ſimiles pœnis infernalibus, ſed differunt ab animabus, quæ ſepultæ ſunt in inferno, in hoc quia damnati ſunt in æternum, æternaque gloria Paradiſi privati, & ſentiunt æternam pœnam ſine ſpe redemptionis, quia in inferno nulla eſt redemptio.

V. Exiſtentia Purgatorii probatur ab Authoribus quadruplici argumento. Primo, ex S. Scriptura, quod argumentum ſic proponit Jacobus Munfordus in præclaro libello, quem de miſericordia animabus præſtanda ſcripſit. *Jacob. Munfor. in tr. de Miſeric. animab. præſtand. c. 1. n. 2.* In ſecundo libro Machabæorum c. 12. legitur Judam Machabæum, *facta collatione duodecim millia drachmas argenti miſiſſe Hieroſolymam offerre pro peccatis mortuorum ſacrificium.* v. 43. At forte Scriptura ſolummodo refert, non vero approbat hanc Machabæi in milites ſuos demortuos pietatem? imo certe vel maxime approbat: ſequitur enim in verſu 46. *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur.* Commendat ergo Scriptura hanc ejus pietatem ut ſanctam, commendat ut ſalubrem & imitatione digniſſimam. Illud præterea ex hac hiſtoria conſtat, non ſolum Judam Machabæum credidiſſe, animas in purgatorio detineri, ſed idem etiam credidiſſe Judæos omnes, quia tam liberaliter contribuerunt pecuniam ſuam, ut Sacrificium offerretur pro peccatis mortuorum, eo fine, ut a peccatis ſuis ſolverentur. Addo, quod in hodiernum uſque diem Judæi omnes purgatorium credunt, & preces pro defunctis fundunt, ut ex eorum Ritualibus eſt manifeſtum. Secundo authoritate Apoſtolorum, uti S. Chryſoſtomus teſtatur, dicens: *S. Chryſ. ho. 69. ad pop.* Non temere ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, ut in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio: ſciunt enim illis inde multum contingere lucrum, utilitatem multam. Hæc Chryſoſtomus, cujus teſtimonio liquet, conſtitutas ab Apoſtolis fuiſſe orationes pro defunctis, ob ingens, quod ex orationibus noſtris fidelium animabus provenit emolumentum. Tertio authoritate Eccleſiæ, quæ iis ipſis ſæculis, quibus, ſi unquam alias puriſſimus fuit Religionis cultus, orationes pro mortuis comprobavit. Conſtat hoc ex Concilio tertio Carthaginenſi, cui ſubſcripſit Sanctus Auguſtinus, quodque Synodus ſexta confirmavit. *S. Aug. l. de cura pro mort. c. 1.* Hoc enim Concilium non ſolum numerat duos Machabæorum libros inter canonicas ſcripturas (Canone 47.) ſed decernit etiam in hac verba: Ut Sacramenta Altaris non niſi a jejunis celebrentur: nam ſi pomeridiano tempore defunctorum commendatio facienda eſt, ſolis orationibus fiat. Unde Sanctus Auguſtinus de hoc argumento ſic loquitur: In Machabæo- *Ibid. c. 2.*

bæo-

bæorum libris, inquit, legimus oblatum pro mortuis ſacrificium, ſed etſi nuſquam in ſcripturis veteribus legeretur, non parva eſt univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret authoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Deo ad ejus Altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio defunctorum. Quarto, authoritate SS. PP. Auguſtini, Athanaſii, Tertulliani, Cypriani, Ambroſii, Hieronymi apud Bellarminum de purgatorio: quos, licet in aliis errare poſſe credamus, nemo tamen niſi imprudentiſſimus dixerit, eos in illis rebus, quas ante oculos ſuos quotidie geſtas conſpexerunt, referendis erraſſe. Quinto, ratione, cum enim, ut recte argumentatur citatus Munſordus, ex una parte certum ſit, dari aliqua peccata venialia, eaque non ſatis in hac vita expiari; ex altera vero parte pariter ex Scriptura conſtet, nihil coinquinatum in cælum admitti, neceſſario ſequitur, concedi aliquem locum debere, in quo animæ a talibus maculis mundentur. *Jac. Munford. l. c. c. 2. n. 2. & 4.*

Diviſio.

IV. Dividitur in Purgatorium *deſiderii*, & *ſenſus*; hoc eſt, in quo animæ pœnis ſenſibilibus ab igne aut alia re pœnali cruciantur; illud eſt, in quo anima ſolo viſionis beatificæ deſiderio torquetur. De qua pœna ſic loquitur Victmontius: O quanta pœna eſt dilatio gloriæ! o quam amara eſt recordatio viſionis divinæ! maxime cum jam tempus Deo fruendi advenerit, & anima a pondere ſui corporis abſoluta fuerit; ipſi animæ gravius multo eſt carere Deo, quam cruciari purgatori igne. *Viexmont. Pariſ. c. 6. inſtit. ad pœn.*

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Veritas ſeu Exiſtentia.

Pſ. 141. 8. I. EDuc de cuſtodia animam meam, ad confitendum nomini tuo: me expectant juſti, donec retribuas mihi.

Iſaia c. 4. v. 4. II. Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Jeruſalem laverit de medio ejus, in ſpiritu Judicii, & ſpiritu ardoris.

1. Cor. 3. v. 15. III. Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.

Luc. 12. v. 58. IV. Cum vadis cum adverſario tuo ad Principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exies inde, donec ſolvas noviſſimum quadrantem.

Zach. 13. v. 12. V. Et erunt in omni terra, dicit Dominus: partes duæ in ea diſperdentur, & deficient; & tertia pars relinquetur in ea. Et ducam tertiam partem per ignem, & uram eos, ſicut uritur argentum, & probabo eos, ſicut probatur aurum.

Malach. 3. v. 3. VI. Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, uniuſcujuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit.

Ibid. VII. Sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in juſtitia.

VIII. Eduxiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua, in ſanguine teſtamenti tui. *Zach. 9. v. 11.*

IX. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei: donec cauſam meam judicet, & faciat judicium meum: educet me in lucem, videbo juſtitiam ejus. *Mich. 7. v. 9.*

X. Donavit ei nomen ſuper omne nomen; ut in nomine Jeſu flectatur omne genu cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, id eſt, purgantium animarum, quia, qui in inferno ſunt, non genuflectunt, ſed blaſphemant potius nomen Domini. *Philipp. 2. v. 9.*

Qualitas.

XI. Congregabuntur in congregatione unius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere, & poſt multos dies viſitabuntur. *Iſ. 24. v. 22.*

XII. O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. *Thren. 1. v. 12.*

XIII. Comprehenderunt me mala, quorum non eſt numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem Deum, ſcilicet per viſionem beatificam. *Pſ. 39. v. 13.*

XIV. Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum? *Job c. 13. v. 24.*

XV. Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum. *Apoc. c. 18. v. 7.*

XVI. Secundum magnitudinem operis, viſitatio eorum. *Iſ. c. 59. v. 3.*

XVII. Ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum. *Pſ. 10. v. 7.*

XVIII. Flatus Domini, ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam. *Iſ. c. 30. v. 33.*

§. III. EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Veritas ſeu Exiſtentia.

I. TRia ſunt loca, quæ mortuorum animæ diverſis meritis ſortiuntur, Infernus, Purgatorium, Cælum. In Inferno impii, in Purgatorio purgandi, in Cælo perfecti. Qui in Inferno ſunt, redimi non poſſunt, quia in Inferno nulla eſt redemptio. Qui in Purgatorio ſunt, expectant redemptionem. Qui in Cælo ſunt, gaudio gaudent ad viſionem Dei, Chriſti fratres in natura, cohæredes in gloria, ſimiles in æternitate jucunda. Quia primi igitur redimi non poſſunt, tertii redemptionem non indigent, reſtat, ut ad medios transeamus per compaſſionem, & quibus juncti fuimus per humanitatem. *S. Ber. de quinque region.*

II. Si poſt fundamentum Jeſu Chriſti, non ſolum in tuo corde aurum, & argentum & lapidem pretioſum (ſi tamen habes aliquid auri vel argenti) ſuperædificaris, verum & ligna, & fœnum, & ſtipulam, quid tibi vis fieri, cum anima ſejuncta fuerit a corpore? Utrum nam ingredi vis in Sancta Sanctorum cum lignis tuis, cum fœno & ſtipula, ut polluas regnum Dei? an propter lignum, fœnum & ſtipulam foris reſidere, & pro auro, & argento, *Orig. h. 9. in Lev.*

Digitized by Google

to, & pretioſo lapide nihil mercedis accipere? ſed neque hoc æquum eſt. Quid igitur, niſi ut primum propter ligna ignis tibi detur, qui conſummat fœnum, lignum vel ſtipulam.

Dionyſ. Areopag. p. 3. c. 7. Eccl. Hier.

III. Accedens venerandus Antiſtes, precem ſuam ſuper mortuum peragit, precatur oratio illa divinam Clementiam, ut cuncta dimittat per humanam infirmitatem commiſſa peccata defuncto, eumque in luce ſtatuat, & regione vivorum (vid. §. 1. n. 5.)

Qualitas.

S. Aug. in ſ. de igne purg.

VI. Qui in aliud ſæculum diſtulit fructum converſionis, prius purgabitur igne purgationis. Hic ignis, etſi non ſit æternus, miro tamen modo gravis eſt; ſuperat enim omnem pœnam, quam homo unquam paſſus eſt in hac vita, vel pati poteſt.

S. Greg. in pſalm. 3. pœnit.

V. Quia illum tranſitorium ignem omni tribulatione præſenti æſtimo intolerabiliorem, non ſolum in furore æternæ damnationis opto non argui, ſed etiam in ira tranſeuntis timeo correptione purgari.

S. Cyrillus Jeroſol. in epiſt. ad S. Aug.

VI. Si omnes, quæ in mundo cogitari poſſunt, pœnæ, tormenta, afflictiones, minori, quæ illic in purgatorio habetur, pœnæ comparentur, vel ut ſolatia erunt; mallet enim quilibet viventium, ſi illas experientia noſceret pœnas, uſque ad finem mundi omnibus his ſimul ſine remedio cruciari pœnis, quas omnes homines ſigillatim ab Adam hucuſque pertulerunt, quam uno die in Inferno aut Purgatorio, minori, quæ illic habetur, pœna torqueri.

S. Anton. tit. 3. de purg.

VII. Magna afflictio in Purgatorio eſt afflictio Dæmonis irridentis; ſolet enim homini valde eſſe anguſtioſum cum videt inimicum ſuum inſultare, & irridere de pœnis ejus; & propter hoc Razias vir venerabilis, & magnæ opinionis in populo Iſrael, ne captus illuderetur ab inimicis, projecit ſe ex feneſtra inter turbas.

Synesius Epis. Ptolemaid. ep. 44.

VIII. Dæmones ſunt Purgatorii, artem exercentes in animabus, quaſi fullones in ſordidis veſtimentis. Verum ſi quis ineſſet veſtimentis ſenſus, quid ea pati putas, cum pedibus calcantur, nitro perluuntur, omnique modo tunduntur, & deraduntur? per quantos dolores putas elui veteres notas, vetereſque maculas fixe inhærentes.

S. Cyrill. in epiſt. ad S. Aug.

IX. Nihil inter ſe differunt tormenta infernalia ab iis, quæ ſunt in Purgatorio, quia eadem ſunt magnitudine; ſed unum eſt, quod differre poſſunt, quia infernales finem non expectant, & Purgatorii pœnæ ſunt cum fine.

S. Cæſar. Arelat. Epiſc. ho. 2.

X. Sed dicet aliquis: Non ad me pertinet, quamdiu moras habeam in Purgatorio, tantum ut ad vitam æternam perexeam. Nemo hoc dicat, Fratres chariſſimi, quia ille ipſe Purgatorius ignis durior erit, quam quod poteſt pœnarum in hoc ſæculo aut videri, aut cogitari, aut ſentiri.

S. Bonav. in ſ. de mortuis.

XI. Tenebræ in Purgatorio impediunt operationem, vincula evaſionem, mendicitas ſolutionem, ferrum afflictionem inducit.

ap. Manſ. diſc. 2. n. 2.

XII. S. Auguſtinus dicit, quod eſt tanta damnatorum pœna ſenſitiva, purgativa, & dolor, & ſenſus omnis generis tormentorum, quod in hoc mundo cogitari non poteſt, nec probari, nec aliter conſiderari, quia omnea pœnæ, quæ poſſunt excogitari in hoc mundo, & pœna Chriſti, & omnium aliorum Martyrum, cæterarumque perſonarum, & creaturarum, nihil ſunt reſpectu pœnæ purgatorii, & tantum intereſt inter ignem noſtrum naturalem ab igne purgatorii, quantum differt ignis pictus a vero igne naturali.

XIII. S. Bonaventura de acerbitate pœnæ Purgatorii ſic loquitur: In Purgatorio duplex eſt pœna, una eſt damni de carentia divinæ viſionis; alia ſenſus de afflictione ignis; & quantum ad utrumque minima pœna Purgatorii major eſt maxima pœna mundi; iſtud patet de pœna damni, quia affectus, quo deſideratur ſummum bonum poſt hanc vitam ab omnibus ſanctis, intenſior eſt, quam aliquis affectus rei temporalis in vita, maxime cum jam tempus habendi advenerit, ideo carentia ejus moleſtius toleratur. Iſtud etiam patet de pœna ſenſus, quia cum dolor non ſit eſſentialiter læſio, ſed læſionis ſenſus, tanto magis dolet anima, quanto magis ſentit ſenſitivum aliquod, ideo ab igne in ipſum agente maxime affligitur. Ratio acerbitatis pœnæ Purgatorii hæc eſt, quia cum Deus magis quærat emendam, quam pœnam, plus ponderat in pœnitentia virtutem bonæ voluntatis, quam pœnam afflictionis. Unde plus ponderat Deus modicam pœnam voluntariam in præſenti, quam multo majorem non ita voluntariam in futura, ſicut plus valet modicum auri quam multum plumbi; unde oportet, ut, quod ibi deficit in voluntate, hic ſuppleatur in acerbitate. *S. Bonav. c.m. 7. comp. l. 7. c. 1.*

XIV. Futurum quoque eſt, ut quidam corripiantur in ira tua: & ideo, Domine, flagella, ſeca, ure, purgatum me hic redde, ut non corripias me tunc in ira tua. Corripiuntur in ira Dei, qui Chriſtum fundamentum habent, ſed non tantum aurum, argentum, lapides pretioſos ſuperædificant, ſed etiam intermiſcent lignum, fœnum, ſtipulas, id eſt, committunt quædam venialia peccata graviora, & leviora, & ideo neceſſe eſt, ut hi tales in ira corripiantur, id eſt, in Purgatorio igne nunc interim ante diem judicii ponantur, ut, quæ in eis immunda ſunt, per illum exurantur. Demum vero pœnarum illarum acerbitatem aggravans ſubjungit: Nec immerito tantum timet iſte hanc correctionem, quia attendit eam eſſe graviorem, quam quicquid unquam paſſi ſunt latrones, vel ſancti Martyres, vel quicquid gravius homo poſſet excogitare. *Ven. Beda ſup. Pſ. 37.*

XV. Hi qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, de quibus Apoſtolus dicit: *Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit*, quaſi per ignem, per fluvium igneum, de quo propheticus ſermo memorat, *& fluvius igneus currebat ante eum*, per fluvium, inquam, igneum, & vada ferventibus globis horrenda tranſibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta erit tranſeundi mora; quantum exegerit culpa, tantum ſibi ex homine vindicabit quædam flammæ rationalis diſci- *S. Aug. ho. 16. de ref. l. 20. hom.*

ſcipſina ; & quantum ſtulta iniquitas ſuggeſſerit, tantum ſapiens pœna deſæviet. Nec refert, quod iſte locus de noviſſimæ mundi conflagrationis igne a nonnullis accipitur. Nam & ille divinæ juſtitiæ, potentiæque inſtrumentum erit, & juſtorum reliquas ſordes purgabit, atque adeo, quod de illo dixit, dicere de luſtrali Auguſtinus. Et vero Paulinus Epiſt. 9. ad Severum, Purgatorium vocat ignem ſapientem, & quodam in carmine ignem arbitrum nuncupat, ſcilicet quatenus pro cujuſque meritis vehementiam ſuam vel intendit, vel remittit, non ſuapte quidem ſponte, ſed divinæ Juſtitiæ, cui omnino ſubjicitur arbitratu, & attemperatione.

S. Thom. in 4. diſt. 21. qu. 1. n. 2. XVI. Ignis ille purgatorius non minus calidiſſimum, qui unquam in hoc mundo exarſit, ignem calore ſuo ſuperat, quam calidiſſimus ille ignis depictum in pariete, ignem ſuo excedit calore. Ita ipſe. Hac quoque ratione SS. Patres, quos antea protulimus, affirmant minimum ab igne luſtrali cruciatum, acerbiorem eſſe maximo, qui hac in vita poſſit eacogitari. Ex quibus omnibus D. Thomæ ſententia, nimirum minimam Purgatorii pœnam, maaimam hujus vitæ, atrociorem eſſe, affatim probata eſſe videtur, ſi quidem illa de acrimonia ſua nihil remittat, quod aliqui Theologi volunt, ut videlicet pii manes eo citius purgentur, quo acrius.

XVII. Venialia charitati adjuncta poſſunt per aliquam pœnam conſumi, & ideo convenienter ſecundum metaphoram ſignificantur per illa, quæ per ignem conſumuntur. Et quia quanto aliquod peccatum eſt gravius, tanto difficilius purgatur; in peccatis autem venialibus invenitur unum altero gravius, ideo convenienter eorum diverſitas ſignificatur per diverſitatem eorum, quæ ſacilius, & tardius conſumuntur ab igne. Et quia perfectio cujuslibet quantitatis ternario comprehenditur, propter principium, medium, & finem; ideo triplex differentia ponitur, quia ſunt graviſſima in genere venialium, & difficillime purgabilia, & hæc per lignum ſignantur. Quædam minima, quæ per ſtipulam, quædam media, quæ per frænum ſignificantur.

§. IV. EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Lib. 3. c. 24. §. 2. I. HAbet magnum, & ſalubre Purgatorium homo patiens, qui ſuſcipiens injurias plus dolet de alterius malitia, quam de ſua injuria: qui pro contrariantibus ſibi libenter orat, & ex corde culpas indulget: qui veniam ab aliis petere non retardat: qui facilius miſeretur, quam iraſcitur: qui ſibi ipſi violentiam frequenter facit, & carnem omnino Spiritui ſubjugare conatur. Melius eſt enim peccata & vitia reſecare, quam in futuro purganda reſervare.

Lib. 1. c. 22. §. 2. II. Si dixeris, te non poſſe multa pati, quomodo tunc ſuſtinebis ignem Purgatorii.

Lib. 1. c. 23. III. Si futuri Inferni ſive Purgatorii pœnas cordialiter perpenderes, credo, quod libenter dolorem, & laborem ſuſtineres, & nihil rigoris formidares.

§. V. EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Veritas ſeu Exiſtentia.

I. B. Furſeus vidit in via ad cælum maximos ignes, per quos neceſſario tranſeundum erat, ſed ſimul videbat illos, in quibus nihil combuſtibile erat, illæſos tranſire, alios vero magis minuſve exuri, prout plus vel minus materiæ combuſtibilis, ſeu, reatus afferebant. *Beda l. 3. hiſt. c. 19.*

II. S. Mechtildis quondam vidit, animam cujuſdam defunctæ a Chriſto in hortum amœniſſimum deduci, in quo multitudo animarum videbatur menſæ aſſidentium, quibus apponebantur fercula ſuffragiorum, quæ a viventibus offerebantur. *Carth. de 4. noviſſ. dial. de Judicio anim. ar. 21.*

III. Cum olim hæreſis quædam exorta fuiſſet, aſſerens defunctorum animas nihil pati, donec poſt reſurrectionem corporibus jungantur, D. Hieronymus Euſebio olim ſuo diſcipulo apparens, juſſit ſaccum, quo pro indumento uſus fuerat, trium virorum cadaveribus, qui ea nocte obierant, imponi; quo facto illi coram omnibus, qui in Eccleſia convenerant, reſuſcitati confitebantur, ſe a S. Hieronymo circumductos, & Infernum, & Purgatorium vidiſſe, & poſt viginti dies iterum cum Euſebio deceſſuros, cæloque, ſi catholicam fidem ampleai dignam pœnitentiam agerent, potituros. Quæ omnia, cum, uti diaerat, eveniſſent, & prætcrea illi pœnarum recordatione iodeſinenter flerent, multi ex perverſis iterum ſanam doctrinam amplexi ſunt. *Cyrillus Hieroſol. in epiſ. ad Auguſt.*

IV. Mauritius Rotomagenſis Epiſcopus poſt mortem templo inferendus, reſumpta anima circumſtantibus dixit: Ultima Paſtoris veſtri verba accipite. Naturaliter ſum mortuus, ſed ut, quæ vidi nunciarem vobis, revixi: nec diu ſuperſtes ero, quia dormire in Domino placet. Ductores mei, quorum veſtitus, vultuſque longe pulcherrimi, ſermoque jucundiſſimus erat, mihi verſus orientem eunti pollicebantur Paradiſum, Hieroſolymiſque peracta Sanctorum adoratione Jordanem tetendimus, cujus accolis comitatum noſtrum augentibus lætitia mihi ſuborta eſt. Cum autem flumen tranſire maturarem, Comites Dominum præcepiſſe affirmabant, ut peccata venialia, quæ prius confeſſione non dilueram, pavore ex aſpectu Dæmonum concepto purgarentur. Extemplo tantus terrimorum Spirituum exercitus, haſtas acutiſſimas vibrantium, igneſque evomentium adſtitit, ut aer totus fervens, flammeuſque videretur: quo ſpectaculo ſupra modum cruciatus ſum. Ut igitur veſtræ ſaluti conſulatis, hoc recepto habitu vobis dixi, ſtatimque iterum expiravit. *Vincent. l. 25. c. 4.*

V. S. Patricio Hybernis Evangelium, & ex illo Purgatorii pœnas annunciante, cum plerique ad converſionem duriores peterent, evidenti ſigno demonſtrari, quod aſſerebat, impetravit a Deo, ut locus aliquis deſignaretur, per quem in Purgatorium quoddam animarum tranſiretur. Itaque egenus miles *Dionyſ. Carth. a. 9. de noviſſ.*

ad

ad extremum ingreſſus poſt alios plures, ductus a Spiritu ad omnia ſuppliciorum immanium loca fuit, & inaudita tormentorum exempla conſpicatus, etiam purgationis locum ſubiit, ac reverſus, enumeratis omnibus, quæ viderat, pœnarum purgatoriarum intolerabiles cruciatus, & diuturniora ſupplicia pronuntiavit.

Bloſius mon. ſpir. cap. 11.

VI. Religioſa quædam Virgo cum in Monaſterio D. Gertrudis defuncta eſſet, vidit ipſa Gertrudis animam ejus in loco admodum lucido mirifice exornatam conſiſtere, cui etiam Chriſtus adſtabat, & quinque vulneribus ſuis ſenſus ejus nova ſuavitatis dulcedine recreabat, eamque blande conſolabatur. Dixit itaque Gertrudis ad Dominum: Cum tu Deus totius conſolatioois huic tam amicabilem ſerenitatem exhibeas, quid eſt, quod ipſa mæſtiori vultu apparet, & gravamen internum oſtendit? cui Dominus: Ex hac mea præſentia, anima, quam cernis, non niſi delectamenta meæ humanitatis percipit. Unde & plene conſolari oon poteſt: ſed ubi a negligentiis præteritæ vitæ purgata fuerit, ego eam in præſentia jucundiſſimæ Divinitatis meæ perfecte conſolabor. Ad quæ iterum Gertrudis: Numquid, Domine mi, miſeratio tua non prævalet filiam tuam (cui ab infantia dederas pium cor, & benignam voluntatem erga homines) nunc abſolvere ab omni negligentiarum impedimento? Reſpondit Dominus: Pietatem cordis ejus, begnignamque voluntatem abundantiſſime remunerabor, ſed oportet, dictante Juſtitia mea, ut omnis macula abſtergatur. Et quaſi blandiendo tenens mentum puellæ adjunxit: In hoc ſponſa mea libentiſſime conſentit Juſtitiæ meæ; quia, cum plene purgata fuerit, gloria Divinitatis meæ jucundiſſime fruetur. Ad quæ verba illa benigno vultu annuit. Poſtea S. Gertrude offerente ſub miſſa pro eadem puella ſalutarem hoſtiam, quæ a Sacerdote elevabatur, dixit anima: In veritate certum eſſe experior, nullum quantumlibet exiguum bonum in homine carere remuneratione, nec ullam quantumvis parvam culpam eſſe, quæ non purgari debeat ante vel poſt mortem. Quia emim ſacram communionem libenter accepi, dum in terris vivebam, nunc magnum remedium obtinet de Sacramento Altaris pro me ablato. Et quia tam benignam voluntatem ad omnes homines habui, modo multo citius juvat me oratio pro me fuſa. Inſuper etiam æternam remunerationem expecto, quam in cælo recipiam. Sicque ſurſum ferri anima videbatur, ſublevata precibus Eccleſiæ.

Qualitas.

S. Greg. l. 4. Dial.

VII. S. Gregorius narrat, quemdam poſt viſa tormenta reorum, gaudia electorum, ad corpus rediiſſe, dixiſſeque, quod, ponte periculoſo ſuperato, viderit amœniſſimum campum, & pratum virens, in quo hominum candidatorum manſiones erant, tantuſque ſuavitatis odor, ut omnes ſatiaret.

Surius tom. 9.

VIII. Cum Clericus quidam Colonienſis equo fluvium tranſiret, S. Severinus Epiſcopus paulo ante defunctus, & jam miraculis e ſepulchro editis clarus, frænum equi apprehendit, manumque porrigi juſſit, quod cum Clericus feciſſet, ipſe eam aquæ cum tanto dolore immerſit, ut mox omnes carnes difluxerint, ſolaque oſſa apparuerint. Quærente vero cauſam tantæ pœnæ Clerico, reſpondit, ſe ob Horas Canonicas ſuo tempore non recitatas tantis pœnis adjudicatum fuiſſe. Poſtea reſtituta Clerico manu præcepit, ut eum aliorum Clericorum precibus commendaret, & diſparuit.

Beda l. 5. hiſt. Angl. cap. 13.

IX. Drithelmus cum poſt mortem ab Angelo in vallem immenſam, & horridam deductus, graviſſimis animas excruciari tormentis videret, & modo in ignem, modo in rigentes aquas projici, quærens, an non hic damnatorum eſſet locus, audivit, non illorum, ſed purgantium animarum eſſe locum; eorum præcipue, qui ſerius de peccatis pœnitentiam agerent. Unde ipſe miris corpus cruciatibus affligens, cauſam tantæ ſeveritatis quærentibus reſpondit: Eheu, ſinite, me, graviora ſunt, quæ vidi.

Spec. Ex. diſt. 9. ex. 101.

X. Puer quidam novem annorum ob non ſolutos novem obolos, quos a familia mutuos acceperat, Purgatorii pœnis adjudicatus, de earum acerbitate a matre, cui apparuerat, interrogatus, reſpondit: Si omnes carbones, quos carbonari in univerſo mundo a tempore nativitatis uſque fecerunt, in uno cumulo arderent, & tu dilecta mater mea in medio cumulo ſtares & arderes, non tantas pœnas ſuſtineres, ſicut jam in purgatorio ſuſtineo.

Vincen. Belvac. l. 7. c. 109.

XI. Monachus quidam ad Purgatorium in extremis ductus, vidit animas quaſdam acuminatis verubus affixas ad modum anſeris aſſari, tortorum vero alios follibus ignes animare, alio defluentem ex corpore adipem excipere iterumque illis ſuperfundere: quaſdam vero animas in alio loco quodammodo requieſcentes vidit, quos an noſſet, quærens Angelus, negante illo, reſpoodit, priores eſſe Fratres Ordinis tui, qui diſciplinam Monaſticam parum obſervaſſent; poſteriores vero, qui aut minus deliquerint, aut certe jam prope pro pœnis ſatisfecerint.

Bloſius in monili Spir. c. 12.

XII. Alius quidam Monachus admodum pius, cum in mortis exceſſu poſitus vidiſſet tormenta Purgatorii, reverſus ad ſe dixit: Nulla hominis lingua exprimere, nulla æſtimatio concipere poteſt varietatem, multiplicationem & gravitatem ſuppliciorum, quibus me aſpiciente purgandi ſubdebantur. Teſtis mihi eſt Deus, quia ſi quis me, & cunctos charos meos affeciſſet omnibus injuriis & pœnis, quas poſſunt homines in hac vita tolerare, vel etiam occidiſſet, & viderem eum deputari tormentis a me conſpectis, ego millies, ſi fieri poſſet, mortem pro ejus ereptiooe ſubire paratus eſſem; adeo pœnæ illæ, quas in Purgatorio vidi, excedunt menſuram, & modum cujuſvis doloris, anguſtiæ, amaritudinis ac miſeriæ hujus vitæ.

Surius 29. April.

XIII. Hugo Abbas Cluniacenſis per triduum in vinea poſt mortem detentus ſedit, quaſi ex

Digitized by Google

ex itinere ſatigatus, dum reſumeret vires, & pedum pulverem abſtergeret.

Bellovac. l. ſpec. mor. v. 1. diſt. 10. XIV. Bellovacenſis refert, Angelum quemdam viro cuidam apparuiſſe, eique dixiſſe, quod ſi tunc mori vellet, unico tantum die in purgatorio moraturus eſſet; ſecus autem, longam, & doloroſiſſimam toleraturus eſſet infirmitatem; Elegit igitur ſtatim ex ac vita migrare; ſed audite, quid tandem contigerit. Cum idem Angelus paulo poſt mortem ad animam intra flammas purgatorii hærentem, eamdem conſolaturus acceſſiſſet, anima ſe ab ipſo graviter deceptam fuiſſe, conqueſta fuit, eo quod jam non una die, ſicut Angelus promiſerat, ſed multis annis in iiſdem derelictus fuiſſet. Cui Angelus reſpondit: Ita quidem tibi videtur ob tormentorum acerbitatem, cæterum vero ex viginti quatuor horis, quibus in hiſce pœnis commorari debes, non niſi una ſolum hora præteriit. Tunc anima Angelum inſtanter rogavit, ut ſe apud Deum precibus ſuis interponeret, ut denuo in hanc vitam redire poſſet, promptam ſe offerens ad omnium atrociſſimorum tormentorum carniſicinam, toto futuræ vitæ tempore, pro divinæ voluntatis arbitrio tolerandam.

Dion. Carth. l. 4. nov. p. 3. a. 19. XV. S. Cyrillus ſcribit, ſe ab uno ex tribus mortuis per S. Hieronymum reſuſcitatis ſequentia intelleſiſſe: Quales putas credi eſſe pœnas paratas non ſolum damnatis, ſed etiam in purgatorio eſiſtentibus: ad quod ego: Puto, quod majores ſint pœnis præſentis vitæ. Et ille: Si omnes, quæ in mundo ſunt, pœnæ, tormenta, & afflictiones comparentur minori pœnæ, quæ illic habetur, velut ſolatia apparebunt. Mallet namque viventium quilibet, ſi illas per experientiam noſceret, omnibus pœnis his ſimul ſine remedio cruciari uſque ad finem mundi, quas omnes homines ab Adam, uſque in præſens ſigillatim perpeſſi ſunt, quam uno die inſerno, aut purgatorio affligi minori pœna, quæ ibi habetur. Et paulo poſt acerbiſſimum quoddam indicat tormentum dicens: Tanta pœna eſt, dæmones intueri, quod unuſquiſque mortalium potius ſe præberet ardentibua flammis arſurum, quam jugiter oculis formas illorum vellet inſpicere, quorum formis nihil pœnoſius, nihil horribilius poteſt excogitari.

Ibid. XVI. Petrus Cluniacenſis ſequentem narrat viſionem: Pervenimus in regionem ſpatioſam, viſu valde horrendam, in qua fuit multitudo innumerabilis inenarrabilibus ſuppliciorum immanitatibus expoſita. Innumerabiles pœnarum ſpecies vidi ibi; Hi enim torquebantur. Hi in ſartagine ſrigebantur. Hi unguibus ſulcabantur, uſque ad diſſolutionem compagum. Alii puniebantur in balneis confectis ex pice, & ſulphure, alliſque liquaminibus ex ære, plumbo, aliiſque metallis, cum fœtore horrendo. Quoſdam vermes monſtruoſi, dentibus venenatis rodebant. Et hæc quidem omnia in primo purgatorio ipſum vidiſſe ſcribit. De ſecundo vero purgatorio in hunc modum refert: Vidimus profundiſſimam vallem, in qua erat flumen altiſſimum, quod nebulam indicibilis exhalabat fœtoris; Erat quoque in ea ignis, qui videbatur uſque ad cælum pertingere; Atque ex alia parte fuit tanta immanitas frigoris, ut nihil pœnalius ea me conſpexiſſe putaverim. Ibi erant innumerabiles animæ, quæ nunc in flumen illud fœtidiſſimum mergebantur, nunc inde erumpentes, ignibus involvebantur, ac inde exeuntes aſperrimis frigoribus tradebantur. Tandem in alterum deſcendit purgatorium, de quo ſequentia refert: Poſt hæc venimus ad tertium purgatorii locum, qui ultra, quam mente concipi poteſt, horribilis extitit, & pœnalis, imo nulla lingua exprimere poſſet minima loci illius ſupplicia. Venimus ergo ad maximum campum, quem operiebat chaos horrendum, cui admixtus ſuit fluvius ſulphureus immenſi fœtoris, nebula quoque & flamma, intra picis nigerrima ſpargebatur confuſe per campum: Planities campi ſcatebat multitudine vermium; vermes illi ſuper omnem æſtimationem erant horribiles, monſtroſi, deformes, aſpectu pavendi, & naribus ignem execrabilem ſpirantes, qui turmas miſerorum voracitate inſatiabili lacerabant, & ſuper miſeros illos dæmones curſitabant, ac more inſanientium ſæviebant in eos, atque per ſerramenta ignita, eos fruſtatim per ſingula membra truncabant; nunc omnem carnem uſque ad oſſa funditus abradebant. Nunc igni injectos liqueſecerunt velut metalla. Parum eſt hoc, teſtor Deum, imo tanquam nihil, quicquid dicere nitimur de pœnis loci illius. In breviſſimo enim temporis ſpatio intuebar eos, centum vel amplius pœnarum diverſitatibus quaſi annihilatos, & mox reſtauratos, & iterum fere in nihilum redactos.

XVII. In Promptuario exemplorum legitur, quod, dum ex duobus Religioſis, qui familiares invicem amici erant, uni morti vicino revelatum fuiſſet, quod in purgatorio eo uſque moraturus eſſet, donec pro ipſo aliquod Miſſæ Sacrificium offerretur, alterum Religioſum amicum rogarit, ut, poſtquam animam exhalaſſet ſubito pro ſe Miſſam celebraret; quod cum is punctualiter adimpleſſet, anima, per illud ſacrificium liberata, priuſquam in cælum conſcenderet, eidem amico apparens, de dilata nimium Miſſæ celebratione graviter lamentata fuit, credebat enim ſe viginti annis intra purgatorii flammas fuiſſe commoratam, cum tamen non niſi illo temporis ſpatio in eo fuiſſet, intra quod Miſſa de requiem abſolvi poterat. *Manſi diſc. 1. n. 4.*

XVIII. Boverius, PP. Capucinorum hiſtoricus anno 1586. memorat, P. Conſtantinum a Salvatore, virum plane ſanctum, nonnullis poſt obitum diebus Patri cuidam apparuiſſe, & de ſalutis ſuæ rebus interrogatum, inter alia hæc dixiſſe. Heu! Heu! frater quam diſtricta Domini judicia ſunt, atque ab hominum ſenſu ac ſententia longe remota? Quæ enim viventibus virtutes videntur, a Deo plerumque, qui recte omnia metiri novit vitia reputantur. Ego quidem Dei miſeratione ſalutem conſecutus, jam cæleſti gloria fruor, verumtamen in purgatorio igne triduo pœnas exſolvi, quæ *Jac. Hautinus in patroc. de f. l. 1. n. 305.*

trium

Digitized by Google

tione amabilis vultus Dei conſolaretur. Videbatur tamen ex eo aliquantulum ſerenari, quod ex oblationibus ſupradictis aliqnis quaſi vapor de calidis ferculis exiens, ad ipſam reflectebatur, unde mirifice recreabatur. Et poſt nonnulla ſic author: Ex his omnibus, ſed & maxime ex affectu ſupplicantium de hora in horam ſemper amplius ſerenata, cœpit magis magiſque convertere, & levare oculos ad jucundiſſimum lumen beatificantis Divinitatis, quod irreverberato intuitu aſpexiſſe, & omnium gravaminum etiam memoriam veraciter depoſuiſſe, & abundantiam bonorum æternæ beatitudinis immarceſſibiliter induiſſe. Iſta vero, quæ pro ipſa orabat, cum videret eam in tali ſtatu quieſcere, requiſivit ab ea dicens: Pro qua culpa nunc maxime gravaris? Et anima: Propter propriam voluntatem, & proprium conſilium, unde & pro eo nunc tantum gravamen conſcientiæ perfero, quod ſi in unum redigerentur omnium mortalium cordium gravamina, ſimile mihi non videretur illi, quod ſentio. Tunc iſta: Quali remedio poſſet tibi ſubveniri? Et anima: Si quis cogitaret me pro his gravatam, & caveret ſibi a ſimilibus, multum mihi gravamen allevaret.

Ib. n. 141. ex Bloſio. XXIII. Anima cujuſdam Juvenis poſt mortem apparuit S. Mechtildi, a qua interrogata, utrum pœnam aliquam ſentiret. Reſpondit, ſe nullam pœnam ſentire, niſi quod amantiſſimum Deum ſuum non videret, quem ingenti & ineffabili deſiderio conſpicere cupiebat: dicebat enim, quod anima, mole corruptibilis carnis adhuc gravata, multum impeditur neceſſitatibus corporalibus, nunc comedendo, nunc aliud faciendo, nunc cum hominibus converſando; ſed anima pia, quæ corpore ſoluta eſt, quia Deum ſummum bonum jam magis cognoſcit, inæſtimabili ejus flagrat deſiderio.

Ib. n. 142. XXIV. Eadem virgo Mechtildis aliquando ſpiritu perducta eſt in hortum amœniſſimum, cælo vicinum, ubi erat copioſa multitudo animarum, quæ non aliam pœnam ſuſtinebant, quam vermen conſcientiæ, unamquamque vehementer arguentis, quod benigniſſimo atque dulciſſimo Deo ſuo fidelis non fuerat: unde & ad eum poſt mortem ſine impedimento pervenire non promeruerat. Qui quidem vermis animam non deſerit, donec illa intret in plenum gaudium Domini ſui.

Cornel. a Lap. in l. 3. Reg. c. 11. XXV. Romæ Concionator quidam inſignis inter concionandum aſſeruit, nuper cuidam ſanctæ perſonæ revelatum eſſe, Salomonem ad hæc uſque tempora acres pœnas in purgatorio ſubiiſſe, at jam iis abſolutis abiiſſe in cælum. Obiit autem Salomon juxta Salianum anno ab orbe condito 3059. ante Chriſtum 994. adeoque ſic in purgatorio fuit annis bis mille ſexcentis.

In libello ſuppl. animar. purg. XXVI. In Provincia Gallo-Belgica anno 1050. in Cœnobio Inſulis adjacente religioſus ſenex feſti S. Cæciliæ privilegio in ſomno vidit religioſum armis igne rubentibus coopertum: quem cum rogaret, quis eſſet, reſpondit, ſe illius loci religioſum eſſe, & jam quadraginta annis ſub his armis arſiſſe, ac decem inſuper ſupereſſe; cauſam pœnæ eſſe, quod æquales deſpexerit, & alienæ famæ detraxerit, ad uſus proprios aliqua ſumpſerit; ideo ejus ſe preces poſcere.

XXVII. In Chronica S. Franciſci legitur lib. 4. cap. 7. fuiſſe quemdam ſanctitatis celebrem ejus Ordinis mortuum, pro quo cum omnes altero die Sacrum feciſſent, excepto uno, qui quidem, cum crederet virum tam ſanctum ea ope non egere, pro eo non fecit; altera nocte apparuit huic mortuus, & queſtus eſt, ſe defectu hujus Sacri pati diutius; Is vero veniam petit, cauſamque prætermiſſi Sacri recenſet. Cui alter: Longe omnem rationem humanam ſuperat, quam rigide Deus ibi judicet, puniatque quidquid hic non plene eſt expiatum. *Marc. Rom. c. 8.*

Cauſa Purgatorii.

XXVIII. Juſtus Monachus, eo quod tres aureos per proprietatem ſervaſſet, etiam dimiſſa & caſtigata jam culpa, triginta dierum Purgatorium ſuſtinuit. *Spec. ex. diſt. 1. ex. 74.*

XXIX. Quidam Pater ex S. Dominici Familia menſe integro in Purgatorio morari debuit, propter familliaritatem cum ſæcularibus nimiam, & ſolatia ex iis hauſta. *Ib. diſt. 7. ex. 37.*

XXX. Ludovicus II. Imperator poſt triginta annorum ſpatium a morte elapſum apparuit filio, dixitque: Adjuro te per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut me eripias ab his tormentis, in quibus detineor, ut tandem aliquando vitam æternam habere poſſim: & tamen tantopere pietati addictus fuerat, ut Pii cognomentum obtinuerit. *Baron. t. 10. anno 874.*

XXXI. Soror S. Damiani poſt obitum Fratri apparens dixit, ſe quindecim diebus in Purgatorio graves pœnas dediſſe, quod aliquando in cubiculo ſuo cantus chorizantium in platea cum aliqua dulcedine audiviſſet, nec pœnitentiam egiſſet. *Spec. ex. d. 9. ex. 113.*

XXXII. Quædam Abbatiſſa S. Birgittæ apparens, ferreo reti gravata apparebat propter regularum tranſgreſſionem; ignea vero lingua propter levitatem in verbis, & plumbeis manibus & pedibus propter bonum exemplum neglectum. *Lib. 6 revel. c. 29.*

XXXIII. Quidam Epiſcopus propter detractiones ſui Clerici libenter auditas, & non caſtigatas, poſt mortem graviter a fœtore, qui ex Inferno a dicto Clerico prodierat, punitus eſt. *Spec. ex. diſt. 6. ex. 39.*

XXXIV. Religioſus quidam ſocio apparens dixit, ſe in Purgatorio torqueri, eo quod res antiquas, quando novæ oblatæ ſunt, abſcondiſſet; petiit proinde, ut per Abbatem abſolveretur; quo facto lætiſſimus & clariſſimus iterum apparuit cum candida turba eorum, quibus Angelus crucem prætulerat, cum eaque ſe in cælum abire dixit. *Ib. diſt. 9. ex. 34.*

XXXV. In Bononienſi Provincia quidam Capuccinus in culinam ad calefaciendum ſe conferens, vidit in primis duos caculas carbones præparantes, tum Fratrem Capuccinum veru ſuffixum a tertio aſſari, quod ligna inutiliter combuſſiſſet, & paupertatis citram exiguam etiam in aliis habuiſſet. *Ex annalis Capuc. 1603.*

Annal. Ciſtercienſ.

XXXVI. Quidam in Purgatorio punitus eſt, quod ad verſum *Gloria Patri* caput ex præſcripto non inclinaſſet.

Spec. ex.

XXXVII. Cuidam ægroto Fratri apparens Abbas cum quindecim aliis Fratribus dicebat, ipſos graviter puniri in Purgatorio propter diſtractiones in oratione admiſſas, neque liberari poſſe propter negligentiam Fratrum in oratione pro ipſis fuſa.

Annal. Capucc. An. 1584.

XXXVIII. Cyprianus a monte Cervino Guardianus Capucciuorum noctu ſecedens Eboli in templum, deprehendit ibi Fratrem jam pridem mortuum, in angulo orantem & dicentem, quod ibi Purgatorium haberet, eo quod orationi negligenter in eo loco vacaſſet, nec debitum SS. Euchariſtiæ cultum exhibuiſſet: liberatum tamen iri, ſi in privilegiato Altari pro ipſo Sacrum fieret.

Cantipr. l. 2. apum c. 16.

XXXIX. Hugo Victorinus apparens poſt mortem ſocio dixit, propter diſciplinam recuſatam vix Dæmonem in Inferno fuiſſe, a quo non ictum in tranſitu per Purgatorium acceperit.

Caſar. l. 12. c. 41.

XL. Quidam ob lodicem a peregrino donatam eo fine, ut pro eo oraret, cum hoc facere neglexiſſet, eadem lodice in purgatorio graviter punitus eſt.

Vita S. Mariæ Magd. de Pazz. c. 64.

XLI. Quædam Monialis Carmelitana debebat ſedecim diebus hærere in Purgatorio, quia ob reſpectus humanos non monuerat Superiores Monaſterii de re aliqua, ad quam ſe inſpirari ſentiebat.

Annal. Capucc. an. 1563.

XLII. Juſtinus Clericus, qui Fratris crimen ad Guardianum amarulento animo detulerat, eidem in horto ambulanti dixit, ſe ob hoc peccatum in periculo damnationis fuiſſe, & triginta annorum Purgatorio adjudicatum.

Ib. 1576.

XLIII. Frater Antonius Bononienſis Laicus, vir facetus, quindecim ab obitu diebus Fr. Angelo Teutonico apparens dixit, ſe, licet in ſervitio peſte, morientium occubuerit, tamen, quia Fratres ſua garrulitate a ſeverioribus ſermonibus avocaſſet, ne tempeſtive ad horas Canonicas venirent, quindecim diebus quotidie ſuper ardentes prunas Patavio Veronam quinquaginta mille paſſibus diſtantem ambulare coactum fuiſſe.

Id. 1573. n. 58.

XLIV. In Conventu Aſtenſi Sacerdos poſt triduum a morte, Guardiano ad communia loca eunte, flebilem vocem emiſit, & adjuratus dixit, ſe in illas ſedes omni ferro candenti ardentiores compulſum, eo quod ſigno ad horas Canonicas dato, in illa prius loca ſe contuliſſet.

Ib. 1608. n. 63.

XLV. In Romano Conventu, dum quidam noctu lucernam accenſurus in culinam ſe confert, tres ibi defunctos Fratres oſtendit, qui facies ac linguas ardentes, prunas raptantes, ſemiuſtas gerebant, cauſamque roganti dixerunt, id ſe pati, quod eo in loco ſæpe de abſentibus murmuraſſent.

Stapl. Do. 2. poſt Epiph.

XLVI. S. Udalricus Purgatorium tranſire hac ſola de cauſa debuit, quod Adalberonem nepotem ſuum ſibi in Epiſcopatu ſubſtinuerit, licet eo prius mortuo non ſucceſſerit ſubſtitutio.

Lanc. op. 36. n. 397.

XLVII. Vitalina Virgo ſanctiſſima S. Martino Epiſcopo apud ſepulchrum ejus quærenti, num Dei præſentia frueretur? reſpondit, ſe nondum frui, eo quod Feria ſexta, qua Mundi Redemptor paſſus eſt, caput abluiſſet.

Bloſius c. 6.

XLVIII. Apud Abbatem Bloſium c. 6. Monilis, defunctus amico ſuperſtiti videndum ſe præbuit, & ſe ideo in expiatoriis cruciatibus ardere dixit, quod in frequentando ſacræ ſynaxis Sacramento fuiſſet negligentior, eximi ſe inde poſſe, ſanctiſſimi illius Sacramenti ſumptione, devota; communicavit (quanto vero ardore, ſic monitus) amicus pro amico, & poſtridie illum gratia pro beneficio agentem vidit. Si S. Nicolai Tolentini pane, vel agnis Dei, vel reliquiis ignes extinguuntur, id quod ſæculorum monumenta loquuntur, quid non poterit panis iſte, qui Deus eſt.

Conzaga p. 4.

XLIX. Conaaga in Provincia Canariæ in Conventu conceptionis Beatæ Virginis Joannis de Via meminit, qui ſub Annum 1541. exceſſit. Is Aſcenſio Novitio ſuo, dum ægrotaret, miniſtro, tertio adſuit, & quis eſſet roganti reſpondit: Frater Joannes de Via ego ſum, qui ex maxima Dei miſericordia cælicolis adnumeratus exiſto. Veruntamen ne id ſtatim aſſequar, impedimento ſunt quædam defunctorum officia a me oblivioni tradita. Quamobrem a te obnixe peto, ut ea quamprimum ex charitate perſolvenda cures. Dixit viſa & audita loci Præfecto Novitius, & curata ſunt omnia diligenter. Tum Aſcenſio Novitio SS. Franciſco & Bernardino comitatus Joannes de Via iterum adſuit cæleſti lumine copioſo illuſtratus, & actis tenerrimis pro præſtita opera gratiis videri deſiit, quia ad patriam tranſiit ad videndum æternum Deum.

S. Petrus Damian. ep. 6.

L. Quidam Monachus preces pro alio poſt mortem perſolvendas aſſumpſerat, ſed quia eas perſolvere neglexerat, paulo poſt extinctus, & in purgatorium præcipitatus, non prius inde dimiſſus eſt, quam communi omnium devotione fuerat liberatus.

Nadaſi.

LI. Apud Vigliegam dixit avunculus, ſe quidem jam e Dei Judicis ſententia cæleſti libertate donatum, ſed ob ſocordem nepotis in iis, quæ juxta teſtamenti vim curanda erant, ſuffragii oblivionem multa paſſum. Tu vero, inquit, ad nepotem, in pœnam oblivionis tuæ alterum tantum patieris; ſupra omne id, quod paſſus ſum ego, præter ea, quæ pro tuis culpis pati alias debes. Diſceſſit ille & pœnitens facti nepos rite confeſſus etiam illam negligentiam ſuam, in lectum decidit æger, inde in mortem.

Spec. ex. V. Defuncti ex. 2.

LII. Pater Joannes Major narrat, Ciſtercienſem quemdam cætera probum Religioſum, ob eam tamen, qua Diaconatum cupiebat, ambitionem pœnas in purgatorio dediſſe. Adverte vero ad id, quod ille fratri Sacriſtæ, cui apparuit, dixit: Quodque adhuc gravius, abſque condigna pœnitentia hujus delicti de corpore exivi, quia nec tanti ponderis hoc fore putabam, quanti poſt mortem inveni.

LIII. Modica res videbatur Joanni Pico Mirandulano Comiti, negligere talentum ingenii, & tamen apud Delrium lib. 2. diſquiſitionum, quæſt. 26. ſect. 5. a morte apparuit,

& di-

Digitized by Google

& dixit, torqueri ſe pœnis expiatoriis, quod non ſatis diligenter & ſœcunde talentum ſibi a Deo creditum eruditionis & ingenii multiplicaſſet, & quia non, quanti par erat, feciſſet internas Dei ſuggeſtiones, inſpirationeſque &c.

Cæſarius L. V. c. 36. LIV. Cæſarius ait, ſe e Benignæ Abbatiſſæ ore accepiſſe, quæ narro: Gertrudis novem circiter annorum parvula in religioſo Conventu educata, poſt mortem comparebat in choro, ſeque humi ſternebat. Rogata ab illa, cui apparebat, quid vellet: Ad ſatisfactionem, inquit, huc veni, quia libenter tecum in choro ſuſurravi, ſemiplene verba proferens. Idcirco in eodem loco juſſa ſum ſatisfacere, ubi contigit me peccare. Et niſi tibi de eodem vitio caveas, eamdem pœnam moriens ſuſtinebis. Satisfactione completa tendebat verſus cæmeterium mirabili virtute murum tranſcendens.

Jordan. l. 1. de Com. Spir. c. 30. r. 2. LV. Jordanus a Saxonia ait, notum ſibi quemdam in ordine ſuo magnum a morte pro cuidam viro apparuiſſe, & ſe integerrimo anni unius ſpatio in atrociſſimis ignis purgantis tormentis fuiſſe, jam tamen Dei miſeratione cæleſti familiæ adſcribendum, dixiſſe. Rogatus, quid ita vir in tanta ſanctitatis æſtimatione habitus tanto tempore tantis fuiſſet pœnis excruciatus, reſpondit: Ob cogitationes pravas, quibus ajebat cor ſuum ſæpe vexatum, a divina tamen protectione cuſtoditum, ne prorueret, omni nimirum cuſtodia ſervandum eſt cor, cum ſemper, tum in his vel maxime, ut ne quid nævi adhæreat, tranſeunt illæ quidem per cor, at adeo lutulento pede, ut vehementer advertendum ſit, ne quod luti fruſtum, ne quod impuri pedis veſtigium poſt ſe relinquant.

Nadaſi l. c. hebd. 20 n. 3. LVI. Audivi (inquit Nadaſi) e viro, cujus ætas, doctrina, & religioſa virtus facilem apud me fidem invenit, noſtra ætate virum, nobilitate ac virtute præſtantem, die Beatæ Virginis confeſſum feſto (ipſe illi a conſcientiæ arcanis erat) & communione munitum, domi frugali refectum prandio, ad viſitandum Patrem confeſſarium ſuum adiiſſe, ibi oblatum ſibi urbanæ humanitatis cauſa vini vitrum exiguum ſemel ebibiſſe: domum reducem, noctu repentino neſcio, quo morbo deceſſiſſe. Patri ipſi, præmiſſo in faciem calidiſſimo anhelitu adſuiſſe, ac ſe mortuum & in purgatoriis ſuppliciis pœnas dare dixiſſe. Rogavit hominem is, qui mihi hæc retulit, Pater: quid ita in purgatorio eſſet, cum heri confeſſus & indulgentiam plenariam fuerit conſecutus, cauſam dedit defunctus, ſe quidem indulgentias conſecutum, ſed poſt prandium pauxillum illud vini ex illo vitrello bibiſſe ſupra ſitim, ideo ſe pœnas dare, & daturum, donec pro ſe ſacrum fiat. Rogavit ergo, ut id quamprimum liceret, facere ne omitteret, ſignum liberationis fore, ſi non rediret. Fecit, ut primum per tempus licuit, ſummo mane ſacrum Pater, & anima non rediit.

Ib. n. 4. LVII. Modica res, inquit idem, videbatur matutina juſculi ſumptio religioſo illi valetudine non ſatis firma utenti, & tamen ajunt etiamnum ſuperſtites, illum in fimeto ſedere viſum poſt mortem & quidem uſque ad os: & cauſam illam taſſum, quam dixi.

LVIII. S. Birgittæ pro anima præclaræ virtutis viri oranti dictum a Beatiſſima Virgine: Filia, hujus Eremitæ amici mei anima de corpore egreſſa, mox perveniſſet in cælum, ſi in morte perfectum habuiſſet deſiderium pertingendi ad præſentiam Dei, ejuſque viſionem: quod quia non habuit, detinetur nunc in purgatorio deſiderii, ubi nulla pœna eſt, niſi ſolum deſiderium perveniendi ad Deum. Scito tamen ipſam traducendam in cæleſtem gloriam, antequam corpus ejus recondatur in terra. Quis ergo ſecurus, quis ab igne illo tam cito, ac putamus, evadet inter mortuos liber? *Eloſius in conclav. c. 21.*

LIX. Fr. Sylvio Capuccino una anima in templo ante SS. Sacramenti aram ſic locuta eſt, ut ita dicam, lacrymabiliſſime: Ah mihi! Ah mihi! quid non debeo pœnarum pati, O juſte hominum judex, quando illis finem impones? O fratres! O fratres! Si vos ſciretis, quam hæc graves ſint pœnæ, quod non terroris ac tremoris conciperetis? O Sylvi, ego ſum anima fratris N. quæ horribilibus in Purgatorio tormentis excrucior, cauſa horum ſunt peccata linguæ meæ, ob quam ego tanta patior, quanta eloqui plane non poſſum, ajebat ſe rixas interdum inter fratres excitaſſe. Hoc vero uti maxime videbatur, quod contra Franciſcum ejus loci Superiorem ſeu Guardianum deliquiſſet, illum accuſando non zelo, ſed alio affectu. Quare demiſſe rogare ſe, ut ſui loco Sylvius veniam, ſimulque triginta ſacrificia Miſſæ peteret a Superiore offenſo a ſe. Superior libentiſſime omnibus annuens, tres proximos dies omnibus ſacerdotibus, ut pro fratre illo ſacrificarent, deſtinavit. Tertio die adſuit, ad agendas Guardiano gratias, purgata jam anima, dixitque ſe jam ad cælum proficiſci, ibi ſe illum præſtolaturum. Primum offenſas remitti ſibi voluit, tum demum offerri ſacrificia, & quidem illius opera, quem a ſe ſciebat offenſum. *Nadaſi hebd. 22. n. 9.*

LX. Catharina Riccia Florentina, ut in ejus vita Guidus lib. 1. cap. 21. teſtatur, Anno 1545. die Purificationis B. Virginis ad ſuum conclave redux reperit illic Deiparam Virginem cum parvulo ſuo Filio Deo Jeſu & cum S. Vincentio Confeſſore. Ibi ſub pallio vidit quarumdam ejuſdem Cœnobii monialium animas, & ſororis ſuæ, quæ omnes erant Catharinæ precibus a Purgarorio liberatæ. Horam integram tenuit cæleſte ſpectaculum. Dedit B. Virgo Catharinæ in ſinum felicem parvulum ſuum, qui illam monuit, ut primo certæ quædam e cœnobio labeculæ tollerentur. Secundo ut omnibus diceretur, ut de ope certæ ad Jeſu Matrem recurrerent. Tertio, ut Cœnobii mater, non tantum adverteret ad errores, verum cum plurima charitate etiam pœnitentiis animadverteret, ne ipſa poſtea in Purgatorio pateretur, quæ neglexiſſet. *Idem 37. hebd. 13. n. 4.*

LXI. Berlaymont ex aliis novennis parvuli meminit, qui matri e Purgatorio ſpectabilis, dixit adeo acerbis ſe doloribus cruciari, ut *Id. hebd. 14. n. 1.*

ſi multis annorum millibus comportarentur carbones, tantum facere non poſſent incendium. Materoum cor ad hæc illacrymari, & inculpati parvuli pœnas obſtupeſcere cœpit: At parvulus incurium ſe in exolvendis minimis quibuſdam debitis fuiſſe ſe dixit, quæ forte pro reculis, quas ad pueriles uſus emerat, cootraxerat. Satis ergo creditoribus fieri, ac preces pro ſe fundi juſſit. Et vero liberaliter id ac perlibenter fecit mater optima, cui gratias jucuodas retulit in libertatem filiorum Dei aſſertus novennis puer, dicens: O mater dilecta gratias tibi ago: ex quo debita mea perſolviſti, me a Purgatorio liberaſti, ideo cælos introibo, & pro te ac fratribus meis Deo ſupplicabo.

Vincent. Spec. hiſt. c. 109.

LXII. Monachus quidam, teſte Vincentio, in extremis agens, antequam decederet, raptus eſt in Spiritu, ductuſque eſt ad loca pœnarum infernalia, viditque, quod ſine horrore referre non poſſumus, animas ſcilicet multas verubus, & contis acuminatis infixas, ad rogum maximum in modum anſerum torreri & aſſari, ipſoſque crudeliſſimos tortores ſufflatoriis aliiſque igneis inſtrumentis miſerorum tormenta totis niſibus aggregantes. Alii vero patellas & ſartagines ignitas deſubtus jacentes ponebant, adipemque, qui de ardentibus jacentium membris fluebat, diligentiſſime colligentes, eundem rurſus bullieotem & ſerventem ſuper eos, a quibus fluebat, refundebant, quam pœnam cæteris cruciatibus intolerabiliorem eis eſſe conſiderabat. Poſthæc ductus eſt ad quemdam refrigerii locum, ubi multitudinem animarum, quaſi poſt gravem aliquem laborem quieſcentium invenit, interrogatuſque ab Angelo ductore ſuo, ſi ſciret, quæ hæc eſſent, ſe neſcire reſpondit. Sanctus vero Angelus dixit ei: Hi, quos vidiſti ad ignem illum permaximum aſſari, homines ſunt ordinis tui, qui licet criminalibus peccatis ſe nequaquam fœdaverint, non tamen, ſicut monet Scriptura, ſervire Domino in timore & tremore curaverunt, non diſciplinæ cenſuram tenere, non quietis & ſilentii patientes eſſe, non denique vigiliarum & orationum ſolemnem devotionem, neque laboris ſanctæ pſalmodiæ executionem ſtrenue, ſicut oportet, æmulari ſtuduerunt, ſed magis curioſi, ſacceti, vagi, ſuperflui, deſidioſi, pigri, ſomnolenti, ſignis, jocis & levitatibus indulgentes, Monaſticæ profeſſionis puritatem violare non timuerunt, qui poſtquam ſecundum æquiſſimam Dei ſententiam in ſupra viſis pœnis alii brevius, alii prolixius pro quantitate & qualitate exceſſuum ſuorum purgati fuerint, mediante gratia Dei, in hunc refrigerii locum introducuntur, atque hic poſt horrenda ſupplicia illa pauſantes perfectionem Beatitudinis ſuæ cum patientia præſtolantur.

Annal. Domin. §. 1.

LXIII. Duo Fratres, quorum unus Novitius, & alter prædicator erat antiquus in conventu Colonienſi, eodem die defuncti ſunt. Tertia vero die poſt Novitius gaudens Infirmario apparuit, dicens, quod propter fervorem converſionis, quem habuit, ita cito purgatus eſt. Poſt menſes autem prædicator dictus eidem Infirmario apparuit glorioſus, pulcherrimum monile habens in pectore, & multos lapides pretioſos in veſte, & auream corooam in capite, cumque frater quæreret ab eo, quare Novitius cito, & ipſe tarde purgatus fuerat, & quid illa inſignia figurabant. Reſpondit: Ego propter familiaritates ſæcularium & verba ſolatii diutius in Purgatorio fui, ſed majorem gloriam ſum adeptus. Monile ſignificat rectam intentionem in Deum, lapides pretioſi animas, quas converti, corona ineffabilem gloriam, quam a Domino ſum adeptus.

Vita ad an. 1075.

LXIV. S. Annon dimidio fere anoo, priuſquam e vita excederet, viſus ſibi domum quamdam omni decore intus & foris reſplendentem intrare: Et ecce in ſubſelliis judicialibus tamquam ad concilium ſolemniter evocati reſidebant, Heribertus Colonienſis Archiepiſcopus, Bardo Moguntinus Archiepiſcopus, Boppo & Eberhardus Trevirenſis Archiepiſcopi, Arnulphus Wormatienſis Epiſcopus, & alii quamplures Galliarum Epiſcopi, quorum alios in carne noverat, alios fama tantum & lectione compererat, amicti omnes ſtolis Pontificalibus, & habentes veſtem inſtar nivis candidam, ipſe quoque candidis admodum ac pretioſis indutus ſibi videbatur, ſed partem candentis veſtimenti, eam ſcilicet, qua pectus tegebatur, ſordida quædam ac fœda caligo obduxerat, ac cæterum cultus ejus ſplendorem ſua fœditate plurimum obfuſcabat, quam tamen ipſe, nimio rubore perfuſus, objecta manu tegere ac celare, ne adſpicientium offenderet obtutum, conabatur. Vidit inter eos ſedem ſibi quoque miri decoris paratam, quam cum occupare gaudio, & exultatione æſtuans, procuraret, ſurgens Arnulphus, Wormatienſis Epiſcopus, modeſta voce eum prohibuit, dicens: Reverendos Patres, qui aſſiderent, nolle eum in ſuum admittere conſeſſum, propterea quod veſtem ejus turpis hæc macula fœdaret; cumque juſſus loco cedere, flens, confectoque nimium animo egrederetur, inſecutus eum idem Epiſcopus: Æquo, ait, animo eſto Pater, maculam tantum hanc, quæ veſtem tuam infecit, matorius ablui præcipe, quia non poſt multos dies, beatæ hujus maoſionis conſortium, & ſanctorum Patrum, quos aſpexiſti, conſeſſum voti compos percipies. Mane facto, cum familiari cuidam ſuo viſionem retuliſſet, ille ſapienter rem conjiciens: Macula, inquit, hæc veſti tuæ illata, nihil aliud eſt, Pater, ut æſtimo, quam memoria injuriæ civium tuorum, qui te anno ſuperiore Colonia expulerunt, quibus te, divinæ pietatis reſpectu, jam olim oportuerat admiſſi hujus veniam dediſſe. Hæc quod bona venia dixerim, pectori tuo tenacius, quam æquum ſit, inſidens, & amariſſimo mærore contra fas mentem tuam decoquens cæteram ſanctiſſimæ tuæ converſationis claritatem moleſta quadam caligine obducit & obſcurat.

Elias a Jeſus f. 61. p. 1. purg.

LXV. Cæſarius refert de puero quodam, qui ſine extrema unctione obierat, quem diabolus accuſavit, quod germano ſuo obolum ſurripuiſſet, nec pro eo furto pœniten-

tiam

tiam compleviſſet, cumque Deum puer quaſi velatum atque omnino terribilem conſpexiſſet, audivit eum a Dæmone petere, num vellet ipſe animam ob tam leve delictum condemnari. Poſtquam vero pro ea viginti quatuor ſeniores Deo ſupplicaſſent, conjectus eſt puer in puteum plane horrendum & ardentem, in quo ubi per horam terribiliſſime tortus fuiſſet, ad vitam rediit, tantaque ſe brevi illo horæ ſpatio perpeſſum fuiſſe affirmavit, ut nullatenus ſibi poſſibile fore dixerit, tormentorum gravitatem explicare.

Diuturnitas.

Spec. ex. d. 9. ex. 181. LXVI. Quidam Monachus defunctus Abbati apparens, & pœnitentiam pro peccatis petens, cum Abbas ei injunxiſſet, ut pro pœnitentia maneret in Purgatorio, donec corpus ejus ſepultum foret, exclamavit voce magna: O pœnitentia ſine miſericordia.

Iod. Andriev. tr. 2. de Purg. LXVII. Pater quiſpiam Dominicanus cum Fratri cuipiam ſuo agonizanti ſacrum promiſiſſet: poſt ſacrum mox dictum apparens Frater dicebat, jam ſibi viginti annos interim elapſos videri.

S. Anton. p. 4. ſum. tit. 14. c. 10. §. 4. LXVIII. Quidam ſcelerate vivens gravi morbo cruciatus, cum optione per Angelum facta tres Purgatorii dies pro biennali morbo elegiſſet, ubi vix per horam in Purgatorio fuit, putavit, ſe plurimis annis ibi hæſiſſe, ideoque rogavit, ut ad terras redire liceret, malle ſe quippe, quamdiu Deus vellet, graviſſimo morbo vexari, quam reliquis duobus diebus in Purgatorio hærere.

Boverius in annal. Capucc. t. 7. p. 204. LXIX. P. F. Conſtantinus a Salvatore vir alioqui ſanctus, & gratiis gratis datis in hac vita ornatus, nonnullis poſt obitum diebus apparuit, dixitque, triduo ſe Purgatorii pœnis, quæ trium millium annorum ſpatium videbantur, purgatum fuiſſe, quod & in ſuperioris officio paulo remiſſior fuiſſent, & nimis indulgens in remiſſionibus concedendis.

Surius 16. Jun. LXX. Innoc. III. Pontifex S. Ludgardi flammis circumdatus apparuit dixitque, cruciandum ſe eſſe pœnis acerbiſſimis uſque ad diem judicii.

Dion. Car. a. 30. de noviſſ. LXXI. Quidam In Spiritu raptus, inter alios Doctorem quemdam Decretorum In Purgatorio vidit, quem cum interrogaſſet, num ſe propediem liberandum ſperaret? Scio reſpondit ille, quod ante diem Judicii veniam non conſequar.

§. VI. EXEMPLA DOMESTICA.

Annal. Rom. 1597. I. B. Virgo Celſo Finetto Scolaſtico apparuit, & quatuor annis in Purgatorio hæſurum dixit: ſocium vero illius Ridolfinum Logicæ ſtudioſum non longo intervallo ſecuturum, & biennio ibidem detentum iri.

Annua Coll. Neap. 1603. II. Mortuus erat prope Neapolin Theologiæ ſtudioſus, qui poſt mortem intimo ſocio apparuit, dixitque, ſe in Purgatorio graviter vexatum eſſe, quod olim in ſacro aliquantulum confabulati eſſent, nec confeſſi; ipſe proin adhuc confiteretur.

III. P. Jacobus Rhem cum quemdam ſor-

Lohner Bibliotb. Tom. V.

dida veſte, & forma ſibi apparentem interrogaſſet, qua de cauſa adeo torqueretur, is reſpondit, ſe propter flagellationes ſine facultate peractas iis pœnis adjudicatum. *Annua Ingolſt. 1612.*

Ex litt. manuſcr. IV. Quidam Pater, quod non ea, qua par erat, alacritate & celeritate moribundis adſtitiſſet, poſt mortem inviſibiliter id officium præſtare, & ſic interea viſione beatifica carere debuit.

Annua Arag. Domus prof. Valent. 1606. V. Cum P. Michael a Fontibus in India aliquando ex laboribus conſternatus jaceret, B. Virgo illi apparuit, bonoque eſſe animo juſſit; ob hos enim labores a Purgatorio liberum fore. Quo dicto mire ille recreatus ſemper Feria ſecunda ob hoc beneficium humi cœnabat, lanceſque lavabat.

Faber in auctar. tb. 4. in feſto S. Jo. Bapt. n. 1. VI. Ægrotabat aliquando Juvenis ex Societate nec dum initiatus, ſed ſenſu & virtute juvenilem ætatem ſupergreſſus. Hic ingraveſcente morbo, uni familiari ſocio dixit: Heus tu, mi Frater, ora, obſecro, pro me Dominum; grandis enim mihi imminet tempeſtas. Et ecce vix hæc dixerat, cum ſubito multiplex cruciatuum & dolorum procella ingruere, æſtuare pectus, ardere, premi, frangique ſcapulæ, humeri, tergum, caput totum tremere, pungi, lancinari cœpit, imo & omnibus reliquis in membris & oſſibus deſævire malum. Stupere interim omnes, condolere laboranti, precibus ad Deum juvare, blandiſque vocibus conſolari æſtuantem, ipſe patienter omnia tolerare, & B. Virginis opem implorare. Perduravit viginti quatuor horis hoc malum, quibus elapſis æger quaſi in portu conſiſtens cauſam tantæ tempeſtatis explicuit, dixitque, ſe petiiſſe a B. Virgine, ac Deo, ut Purgatorium ſuum in hac vita ſuſtinere liceret, preceſque ſuas exauditas fuiſſe. Unde paulo poſt ſancte in Collegio Eborenſi obiit.

Nieremb. lib. 2. de pulcb. Dei c. 11. VII. Cum Joannes Fernandez ecſtaſim aliquando ſuiſſet paſſus, viſus eſt ſibi in ſpatioſum, amœniſſimumque hortum duci: ibi vero animam conſpexit veſte adeo miri ſplendoris, artiſque, & operis phrygionici circumdatam, ut divinum ei aliquid ineſſe ſuſpicaretur. Cum autem ad eam propius acceſſiſſet, quæve eſſet, ſciſcitaretur, reſpondit hæc, ſeſe de Societate Jeſu fuiſſe, nomenque ſuum indicavit. Tum Fernandez admirabundus exclamavit: Hem! inquiens, haud dubie illuſtrem gloriam aſſecuta es. At anima excepit: Adhuc me tenet acerbus dolor. En iſte mihi locus purgandæ aſſignatus eſt; quod SS. Triadem, cujus tamen beneficio caſtitatis florem illibatum ſervavi, frigide nimis dilexerim, propterea deſideriorum flamma ſuccenſa hic hærere cogor.

§. VII. SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut palmes aridus & abſciſſus nequit reviviſcere, aut fructum aliquem gignere; ita & animæ purgantes, quia de terra viventium abſciſſæ ſunt, & extra ſtatum merendi, ſibi prodeſſe nequeunt. *Fab. conc. 2. in com. anim. n. 3.*

II. Sicut famelicus aut venaticus canis vi- *Ib. conc. 8. n. 1.*

Digitized by Google

videns leporem aut cibum, vehementer dolet, ſi vel fune vel alio impedimento retineatur, quo minus inſequi eos, & apprehendere queat; ita non minorem ſentit dolorem anima, ſi a conſpectu Dei quem poſt mortem tantopere deſiderat, Purgatorii pœnis affixa retineatur.

Ibid. III. Sicut is, qui a Rege quopiam ad regnum poſſidendum adoptatus, eo tempore, quo jam regnum accipere debeat, ob regem offenſum in exilium aliquot annorum damoaretur, merito graviſſimum ex tali relegatione dolorem ſentiret; ſic non minorem ſentient, quæ in Purgatorium relegantur animæ, utpote quæ poſt mortem ſe regni cæleſtis poſſeſſionem adituras ſperabant.

Ibid. IV. Sicut, qui venit ante initium Comædiæ, nihil aut perparum angitur, ſi parum expectare debeat: multum vero dolet is, qui ſua culpa tardius venit, magnamque Comædiæ partem neglexiſſe ſe adverit; ita quia Patres in Limbo pretium Redemptionis nondum exhibitum, adeoque nec gloriam ſibi debitam ſciebant, minus angebantur; ſecus vero ſe res habet nunc cum animabus in Purgatorio conſtitutis, hæ enim cum cælum apertum eſſe norint, utique graviſſime dolent, quando ſe ſua culpa ab ejus ingreſſu arceri vident.

Id. n. 3. V. Sicut caminorum purgatores, quia nigredo cuti eorum adhæret, difficillime & non niſi aqua aut lixivio calido valde & mordaci lavantur; ita cum & homines per longiorem vitæ uſum quam plurimam peccatorum nigredinem contrahant, ab hac non niſi per grave Purgatorium liberari poterunt.

Id. n. 4. VI. Sicut infirmos nihil fere magis cruciat, quam ſi erepta loquendi aut ſcribendi aut nutu ſe explicandi facultate priventur; ita oon minimus dolor eſt animarum in Purgatorio detentarum, quod opem petere a viventibus non ſinantur.

Ibid. com. n. 6. VII. Sicut mercator, cum merces valde pretioſas mari vehit, etiam graviſſima maris incommoda, æquo, hilarique fert aoimo; ita animæ purgantibus pœnis addictæ, æquiſſimo eas pectore patientiaque ſumma ſupportant, quia pretioſiſſimas meritorum cæleſtium merces vehere ſe norunr.

Ibid. VIII. Sicut Trochilus, cum vero aſſandus infigitur, ſemetipſum ad ignem gyrat, torretque; ita animæ, cum Dei juſtitiam cernant, ſeipſas libenter Purgatorio igni torrendas, & torquendas committunt.

S. Greg. apud S. Thom. 1. p. q. 100. art. 2. IX. Sicut ſub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat; ita ſub eodem igne inferni peccator crematur, & electus purgatur.

Pad. Chr. p. 2. c. 29. X. Sicut ridiculi videntur Brachmanes Calecutii, qui tam magno impendio lignum odoriferum, Sandal ab iis vocatum, comportaot, quo eorum poſt mortem cadavera comburantur; ita multo magis ridendi ſunt homines, qui in hac vita materiam voluntarie coacervant, qua eorum animæ poſt mortem tam crudeliter, ſenſibiliterque torqueantur.

Anonym. XI. Sicut ſtultum, nec immerito crederemus, qui, cum poſſet certo tempore omnia debita ſua unico obolo extinguere, eo neglecto mallet ſollutionem differre in tempus, quo integris millionibus ea ſolvenda forent; ita non minorem Inſipientiam committere is cenſendus eſt, qui pœniteotiam ſuam in alteram vitam ubi tam caro pretio ſolvere debet, differre mavult.

§. VIII. MOTITA.

Ad Purgatorium timendum.

I. G*Ravitas pœnæ ſenſibilis*: quam quidem Sanctus Auguſtinus ſat clare ſequentibus verbis proponit: Quamvis ſalvi per ignem; gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid homo poteſt in hac vita. Et noſtis, quanta hic poſſunt mali, & quanta poſſunt pati: tanta enim paſſi ſunt, quanta paſſi ſunt & boni. Quid enim quiſque maleficus aut latro, aut adulter, aut ſacrilegus ſceleratus pertulit legibus, quod non pertulit Martyr in Confeſſione Chriſti. *S. Aug. in Pſ. 37.*

II. *Gravitas pœnæ ex carentia viſionis beatificæ oriri ſolita*: ſic enim P. Joannes Baptiſta Saochez olim de ſe cuipiam ſaſſus eſt, ſi certo ſciret, ſe per integrum diem non moriturum, dolorem hujus cognitionis ſufficientem futurum ad vitam ſibi adimendam, quanto magis ſeutient animæ, a majori longe deſiderio ſuo implendo ſe arceri.

III. *Diuturnitas utriuſque pœnæ*: ponamus enim (quod plerique ſaciunt) decem tantum ab aliquo peccata venialia committi per diem; quantus per unum annum peccatorum numerus excreſcet? certe trium millium, ſexcentorum, & quinquaginta numerum æquabit; ſi ergo unicum peccatum leve ſæpe plurium annorum Purgatorium meruit, ut ſupra oſtenſum eſt, quam diuturnam pœnam merebuntur peccata tam libere patrata?

IV. *Facilitas incurrendi*: quia, ut Cardinalis Bellarminus aſſerere non dubitavit, vix ulli juſti homines, niſi ex magna miſericordia Dei, pœnam Purgatorii acerbiſſimam evadunt, ita ut recta a corpore ad cælum evolent. Atque idipſum confirmat S. Thereſia de ſeipſa ſcribens; Qnamvis multarum animarum ſtatum mihi Dominus revelare dignatus ſit, ex omnibus tamen, quas vidi, animabus neſcio, an ulla Purgatorium evaſerit, præterquam religioſi illius, de quo paulo ante verba feci, & S. P. F. Petri de Alcantara, nec non illius Dominicani, cujus ſupra memini. *Bellarm. l. 2. de amiſ. grat. c. 15.* *Vita c. 38.*

V. *Difficultas exeundi e purgatorio*; ſunt enim animæ illic detentæ Evangelico Paralytico ſimiles, ſeipſas juvare non potentes; conſtat autem, quam rarum & tenue auxilium a viventibus offeratur.

§. IX. MEDIA.

Ad Purgatorii pœnam fugiendam, aut minuendam.

I. I*Mitatione Chriſti ſtudere*: ſic enim implebitur, quod ipſe promiſit, dicens: Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. *Jo. 8. v. 12.*

II. *Chriſtiano modo vivere*: nam, teſte S. Maximo, tota vita Chriſtiani crux eſt & mar- *S. Max.*

ty-

tyrium, ſi ſecundum Evangelium vivat; atqui Martyres privilegium habent, quod ſine Purgatorio ad cælum evolent. Adde, quod ipſa vitatio peccati ſit medium perefficax, ad *S. Aug. ho. 16. ex. 50.* flammas illas evitandas, cum juxta S. Auguſtinum, tanta ſit pertranſeundi mora, quanta eſt peccati materia. Talis profecto uti ſimplicitate ſua, morumque innocentia parvolorum vitam aſſumit, ita cum his quoque ſine purgatorio ad cælos tranſibit.

Matt. 5. v. 7. III. *Miſericordiam animabus frequenter exhibere*: ſic enim pari menſura iterum nobis remetietur Deus; implebitque; quod apud Matthæum promiſit: Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur.

Lantiz. opuſc. 6. v. 461. IV. *Virtutis ſtudium*: ſic enim B. Virgo Godefrido Monacho nuntiari juſſit, ut de virtute in virtutem proficeret, ſic enim futurum, ut verus Monachus, ſervuſque ſuus & filii dici queat; nec permiſſuram ſe, ut anima illius in purgatorium veniat, ſed ipſam ſuſcepturam & filio oblaturam.

V. *Victoria ſui, & abnegatio voluntatis propriæ*: quod medium S. Gregorius ſequentibus *S. Greg. l. 4. Dial. c. ult. l. 3. revel. apud Lantiz. l. 6.* verbis præſcripſit: Audenter dico, quia ſalutari hoſtia poſt mortem non indigebimus, ſi ante mortem Deo hoſtia ipſi fuerimus. Et Chriſtus S. Birgittæ dixit: Qui propriam voluntatem relinquit, mihi Deo ſuo obediens, habebit cælum ſine pœna.

Ibid. VI. *Pura intentio*: uti Chriſtus S. Mariæ Magdalenæ de Paza. ſuaſit, dum petens, quæ optima eſſet præparatio ad pœnas purgatorii evadendas, alta voce in raptu dixit: Oportet ſpoliari totaliter nobis ipſis, & veſtiri te, o Domine mi, oportet ambulare cum pura, munda & ſincera intentione. Hinc illa aſſiduo inculcabat Monialibus, ut, ſi fieri poſſet, etiam ictus oculorum, & minimos motus membrorum ad Dei gloriam dirigerent; ſic enim recta ad cælum ituras.

VII. *Pœnitentiæ & indulgentiarum lucrandarum ſtudium*; nam, teſte S. Auguſtino, *S. Aug. ſerm. 220. S. Petr. Dam. ep. 20. l. 6.* ceſſat vindicta divina, ſi converſio præcurrat humana. Quod eleganter etiam confirmans S. Petrus Damianus: O quam jucundum, ait, o quam inſigne ſpectaculum, cum ſupernus Judex de cælo proſpectat, & homo ſeipſum in inferioribus pro delictis ſuis mulctat! ubi reus ipſe in pectoris ſui tribunalibus præſidens, trifarium tenet officium: in corde ſe conſtituit Judicem, in corpore reum, in manibus gaudet ſe exhibere tortorem, ac ſi Deo ſanctus pœnitens dicat: Non opus eſt, Domine, ut officio tuo punire me præcipias: non expedit, ut ipſe me juſti examinis ultione percellas, ipſe mihi manus injicio, ipſe de me vindictam capio, vicemque peccatis meis reddo. Hæc eſt hoſtia, quæ viva mactatur, ad Deum per Angelos oblata defertur.

Cantipr. l. 2. apum c. 9. VIII. *Labor ſedulus pro majore Dei gloria ſuſceptus*; uti S. Bernardus indicavit, dum fratrem quemdam ſedulo laborantem conſpicatus, dixit illi: Eja frater, age, quod agis; nullum aliud poſt hanc vitam purgatorium ſuſtinebis.

Dauroic. c. 2. catech. hiſt. tit. 29. ex. 12. IX. *Generoſorum actuum exercitium*; maxime venia inimicis data, quam cum nobilis quidam fratris occiſori ad genua procidenti dediſſet, Chriſtus ſequenti nocte eidem apparens dixit: Quoniam heri condonaſti inimico tuo, noveris, me animam fratris occiſi hac hora e purgatorio liberaſſe, & inſuper animam patris tui ex eadem pœna exemiſſe, & ambos mecum duxiſſe ad gloriam cæleſtem: te quoque invito in octavum diem, ut relicta hujus mundi miſeria poſſis gloria mea frui. Et ſic factum eſt; nam octavo poſt die bene præparatus ſancte quievit.

X. *Sanctorum cultus*: Sic Dagobertus Rex *Beirline. V. Purg. f. 030. l. 6. revel.* Francorum ab ingenti Dæmonum turba ad pœnas abreptus, ope SS. Martini, Mauritii & Dionyſii Martyrum invocata ereptus, atque ad cælos deportatus eſt. Sed & B. Virgo quondam S. Birgittæ dixit, nullam eſſe pœnam in purgatorio, quæ propter illam non fiat remiſſior & lenior ad ferendum.

§. X. ASCETICA.

I. IN *primis noſſe & credere debet Aſceta, purgatorium dari*, eumque eſſe carcerem, *Mat. 18.* de quo Chriſtus ſervo Evangelico dixit: Non exibis inde, donec ſolvas noviſſimum quadrantem; hoc enim de carcere Mundi aut Inferni intelligi non poteſt, cum ex inferno nulla ſit redemptio, in carcere mundi vero non ponantur omnes tales, qui per ultimi quadrantis ſolutionem dimittantur carcere.

II. *Noſſe debet ſalutarem timorem hujus pœnæ concipere*: quem in finem ſerviet B. Guar- *B. Guarricus ſ. 4. de purif.* rici Abbatis ſententia, ſic loquentis: Væ nobis, ſi dies adimpleatur, & purgatio minime adimpleatur, & poſtea neceſſe ſit impleri, & illo nos igne purgari, quo nihil pœnalius, nihil acrius aut vehementius in hac vita poteſt excogitari! Sed quis ille tam perfectus, tam ſanctus, qui, cum hinc exierit, nihil debeat igni illi? quis ſic purum ut omnem in ſe ſcoriam excoxerit peccati, ut gloriari poſſit caſtum ſe habere cor ut, dicere poſſit: Mundum eſt cor meum, ut purus ſum a peccato? Ex hoc ſane timore perfecta erga Deum ſubjectio orietur, uti ſapienter advertit S. Anſelmus, ſic diſ- *S. Anſ. in Elucid.* currens: Sciendum eſt etiam, quia gravior eſt ille ignis, quam quidquid poteſt homo pati in hac vita; omnia enim tormenta quæ hic ſunt, faciliora ſunt, & tamen homines, ne ea patiantur quidquid ab homine juſſum fuerit, faciunt; quanto melius eſt, ut faciant, quæ jubet Deus, ne illa graviora patiantur.

III. *Noſſe debet ſolidum modum evitandi purgatorium*, quem quidem Chriſtus olim S. Gertru- *Lantiz. opuſc. 6. n. 112.* dem docuiſſe videtur; cum enim hæc vidiſſet animam, quæ communibus Eccleſiæ ſuffragiis juvari non poterat ob quoddam impedimentum, petiit a Deo, eam ut doceret, quibus orationibus poſſet obtinere, ut anima cujus libet defuncti liberetur ab hoc terribili pondere, quod eſt impedimentum ſuffragiorum Eccleſiæ. Cui Dominus reſpondit: Per talem affectum amoris, qualem tu in hac hora ſenſiſti, non per orationes. Et ſicut hoc nullus homo poteſt per ſe habere, niſi ego dederim; ſic etiam tale auxilium nulli animæ

præſtari poteſt poſt mortem, niſi quæ ſpeciali gratia hoc promeretur in vita. Scias tamen, hoc ipſum intolerabile gravamen proceſſu temporis relevari quibuslibet orationibus ſive laboribus Amicorum fideli intentione peractis. Et ita citius vel tardius liberantur, ſecundum quod conatus Fidelium pro eis affectuoſiori inſtat devotione, & ſecundum etiam quod in vita promeruerunt. Ex qua revelatione facile patet, præ aliis ad evitandas purgatorii pœnas efficax eſſe remedium miſericordiam animabus præſtitam; hæc enim facit, ut & ipſæ animæ liberatæ pro nobis efficaciter orent, & nos digni efficiamur, ſimilem illi, quam exhibuimus, miſericordiam experiri.

Manſi diſ. 2. n. 5. IV. *Noſſe debet*, *unde gravitas pœnarum purgatorii oriatur*, quod equidem author quidam innominatus apud Manſi ſic oſtendit: Ad dolorem tria concurrunt, & ſimul uniuntur, ſcilicet potentia, objectum, & utriuſque unio. Quod attinet ad potentiam, clarum eſt, potentiam animæ capaciorem eſſe potentia corporis, ac proinde animam acerbioris doloris eſſe receptivam. Quod vero ſpectat ad objectum, pœna ſenſus atrociſſima eſt, quia infligitur per ignem realem, ſine ulla comparatione activiorem igne noſtro elementari: hic enim in comparatione illius eſt, quaſi eſſet depictus, eſtque ad hoc ordinatus, ut tamquam inſtrumentum divinæ juſtitiæ eidem rigoroſe ſatisfaciat, nec non ut rigor ille ejuſque incrementum animas magis magiſque purificet & emundet. Quod vero attinet ad unionem potentiæ cum objecto, pœna quoque intenſiſſima eſt, quia ſi demus exemplum corporis alicujus, quod in medias flammas projectum carboniſque accenſis copioſe contectum, hoc certe nullam habet proportionem, ſi comparetur cum anima in eumdem ignem conjecta; quia unio, quæ fit inter corpus & ignem, fit per extremas utriuſque partes & ſuperficies, adeo ut, quando corpus ad ignem acceſſerit, ignis oſſa illius, omneſque corporis partes penetret, ita tamen, quod paulatim idipſum faciat. At vero cum anima voraciſſimo igni integre & totaliter ſit alligata, ab eodem penetrata, unita, atque ab ejus activitate abſorpta, utpote qui ad gradus forte ut octo aſcendit, ab acerbiſſimo illo dolore numquam deſiſtere poterit; & ideo quis exceſſivum hunc ardorem, ejuſque intenſiſſimam activitatem aſſequi valebit. Suarez adductis multorum ſanctorum Patrum aliorumque claſſicorum Doctorum authoritatibus, pœnas purgatorii a pœnis inferni ſola perpetuitate diſcrepare aſſerit; cujus rationem a priori, ab ordinatione divinæ juſtitiæ, deſumendam eſſe dicit: nec non ab offenſæ quantumvis minimæ adverſus ipſum commiſſæ gravitate, quæ altioris rationis eſt, quam omne malum creaturæ. Et ideo licet non ſemper æternam meretur, meretur tamen pœnam graviorem, & quaſi altioris rationis, quam Deus in vita futura cum rigore exigit, quia homo in hac vita tempore ſibi conceſſo uſus eſt ad benigniorem compenſationem faciendam. Notandum quippe eſt, quod, quanto res aliqua eſt magis ſenſitiva, tanto quoque vehementius dolorem ſentiat, quemadmodum in nervis, digitis & tibiis experimur, quia nervi ſunt ſenſus tactus inſtrumenta. Anima igitur quæ in flammis purgantibus patitur, in gradu ſuperlativo ſenſitiva exiſtit, utpote quæ primum mobile & prima cauſa eſt omnium ſenſuum; nam, ut habet axioma illud Philoſophicum: Propter quod unumquodque eſt tale, illud magis eſt tale. Ideo, ut author quidam ſcribit, cum agit in ipſam aliquod agens læſivum, ipſam maxime lædit, & tanto magis, quanto læſivum eſt magis activum, ignis autem inter omnia elementa eſt magis activus.

V. *Noſſe debet*, *cur purgatorium a Deo decretum ſit*; id quod S. Bonaventura ſequentibus verbis declarat: Omnes adſtricti tenentur ex decreto divinæ juſtitiæ, donec reddiderint noviſſimum quadrantem; cujus ratio eſt, quia in ſuprema Jeruſalem nihil inquinatum intrare poteſt; impoſſibile eſt animam intrare regnum gloriæ, quamdiu habet aliquid purgandum. Hoc figuratum eſt in libris Regum, ubi dicitur: *Malleus & ſecuris non ſunt audita in ædificatione templi*, prius enim quadrabantur & dolabantur lapides & ligna in Libano; & poſtea collocabantur in templo: Sic lapides vivi neceſſario in hac vita quadrantur, & polliuntur merito, vel poſt hanc vitam igne purgatorio, antequam ſuperædificentur in cælo. *S. Bon. l. 7. comp. Theol. c. 3.*

VI. *Noſſe debet*, *an vere per rotas & alia crudelitatis inſtrumenta torqueantur*; de qua re ſic diſcurrit Hautinus: Quamobrem quæ Tondalus quidam apud Chartuſianum de 4. noviſſ. cap. 21. perhibet ſe vidiſſe in purgatorio, beſtiam nimirum horribilem (cujus ventri animæ immerſæ duriſſimas pœnas dabant, & velut canum, urſorum, leonum, ſerpentium, & aliorum truculentiam animalium perpetiebantur). Item carnifices cum cultris, ſecuribus, dolabris, falcibus, terebris, hujuſmodi crudelitatis, & inſtrumentis: item alia, quæ videre ſibi viſi ſunt alii, non aliud ſignificabant, quam crudeliſſima, quæ fingi animo, & exerceri poſſunt apud mortales ſupplicia, non quidem ea ipſa per ſeſe, ſed in igne purgatorio eminenter, ut ajunt, contenta reperiri. *Hautin. l. 1. num. 104.*

VII. *Noſſe debet cauſas*, *ob quas eadem pœna damni tam gravis accidat purgantibus animabus*, quas quidem fuſe explicat Hautinus, dum ait, gravitatem hanc oriri, Primo, ex dilatione viſionis beatificæ, de qua ſic diſcurrit Suarez: Tale eſt illud bonum, ſcilicet viſio, ut ſi opera noſtra, vel afflictiones per ſe ſpectentur, eſſet ſuperabundans præmium illorum, etſi ad breve ſolum tempus concederetur: ergo e contrario retardatio tanti boni, & privatio ejus, licet temporalis, maximum malum eſt, infinite (ut ita dicam) excedens omnia hujus vitæ nocumenta. Secundo, ex deſiderii, quo Deum videre deſiderant, vehementia; nam, ut S. Thomas recte advertit, quanto aliquid magis deſideratur, tanto ejus abſentia eſt moleſtior, & quia affectus, quo deſideratur, ſummum bonum poſt hanc vitam, *Suar. de purg. ſ. 1.* *S. Th. in 4. diſt. 21. q. 1. a. 2.*

vitam, in animabus ſanctis eſt intenſiſſimus, quia non retardatur mole corporis, & etiam quia tempus fruendi ſummo bono jam adveniſſet, niſi aliquid impediret, & ideo de retardatione maxime dolent. Tertio, ex privatione amoris beatifici; etſi enim optimum Numen in illo carcere vehementer ament: ſed cum adhuc in fidei caligine & ipſæ verſentur, noverintque quemcumque amorem ſuum nihil eſſe ad amorem patriæ, quo jam potirentur, niſi vecordia ſua divino lumini rebelles ante hac fuiſſent, ſcilicet amoris ſui frigus damnant, volentiſſimeque ferunt, non poſſe ſe tam eximio illo ac cæleſti amore totas nunc inflammari.

Suar. l. c. Eo maxime, quod (neſcio quo peccato) amor hic expetendus videtur prævisione Dei, ac poſſeſſione: Nam poſſeſſio quidem, ſpei meta eſt, atque (ut vocant) objectum: amor autem beatificus caſtiſſimi amoris ſcopus ac votum: quare mallent omnino quælibet tormenta, & cujuſvis boni jacturam perennem perpeti, quam breviſſimam hujus amoris (quippe longe præſtabilioris boni, gratioriſque rectæ voluntati) quam horribilis ſit, vel jactura quælibet, vel miſeria. Itaque hac maxime cauſa ingemiſcunt amantiſſimæ animæ cum propheta Pſalm. 119. *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus eſt: habitavi cum habitantibus Cedar*, ſive, ut Hebræi, *cum tabernaculis Cedar*. Quæ vox tenebras ac nigredinem notat, atque adeo ſimul fidei caliginem, ſimul tenebras purgantium locorum, ubi licet non domos manſuras, ſed tabernacula peregrinantium incolant pii manes, tamen præ dolore exclamant: Multum, id eſt, nimis incola fuit anima mea. Quarto, ex jactura gaudii beatifici: etſi enim illorum mœror illi gaudio ex æquo reſpondere nequeat, cum & ipſe mœror longe ſit inferioris ordinis, ut & cognitio, & amor piorum manium; tamen boni, quod gaudio beatifico continetur, magnitudo jacturæ illius magnitudinem denotat, & hæc triſtitiæ ex ea ortæ gravitatem. Certe ludus eſt & jocus omnis alius mœror illi collatus. Quinto, ex jactura graduum gloriæ amiſſorum, de qua ſic loquitur Suarez: Exiſtimo, triſtitiam illam, ut eſt pœna per ſe impoſita ad purgationem culparum, magis eſſe de gradibus beatitudinis perpetuo amiſſis, ſeu non lucratis propter otium, & venialia peccata, quam propter ſolam dilationem beatitudinis aliquando conſequendæ: & hoc igitur modo gravius triſtantur animæ imperfectiores, & quæ majorem reatum habent. Sexto, ex rejectione gratiæ actualis, & ſanctificantis: cum enim gratiam, & illius augmentum quærere, & admittere optabiliſſimum ſit; repudiare, non poteſt non eſſe turpiſſimum. Nam Philoſophorum ſcitum eſt, ex contrariis contra conſequi. Et ſane in gratiæ repudiatione ineſt aliquis illius, imo & Numinis eam offerentis, contemptus. Gratiæ quidem, propterea quod rem omnium auguſtiſſimam & præſtantiſſimam homo tanti non æſtimat, quanti abjectiſſimas mundi quiſquilias, quas utique magno labore, gratiam vix levi vult mercari. Numinis autem deſpectio inde promanat, quoniam, qui donum tantum ac tale rejicit, donantem contemnere cenſetur. Etenim quemadmodum honoris excellentia a perſona honorantis petenda eſt, ita & doni, quod honoris habet rationem, pretium a dignitate dantis promanat. Et ita moribus hominum comparatum eſt; ut torques ac bullæ a regibus donatæ, etſi per ſe non admodum pretioſæ, maximi æſtimentur. Sicut ergo, qui regis donum vilipenderet, pariter ejus dignitatem haberet contempti, ita, qui gratiam (ſummum Dei donum) contemnit, Deum contemnit. Septimo, ex peccatorum recordatione: nam ut Sanct. Ambroſius ait, nullus dolor major eſt, quam qui peccati mucrone vulnerat conſcientiam. Octavo, ex neglecta ſatisfactione tam ex opere operantis, quam ex opere operato; id quod Hautinus ſic oſtendit. Quæritur Jeruſalem, plangitque apud Jerem. vatem Threnorum c. 1. 15. rem mirandam. Nam de Deo judice loquens: *Vocavit*, ait, *adverſum me tempus*: *Hautin. l. 1. num. 219.* Quorſum? ſcilicet, ut ipſum tempus miſeram illam ream, vel teſtis, vel accuſator ageret. Quid ita? Quoniam, cum conditum eſſet eique conceſſum ad præſtandum vero Numini obſequium ac cultum, maleſana ad idololatriam & ſcelerum omne genus tempore abuſa eſſet. Non diſſimili ratione ingemiſcunt pii manes, graviter redargui ſe a tempore, quod in vivis tranſegere: quia, cum datum eis eſſet ad facilem pro culpis ſuis ſatisfactionem, per intolerabilem ſocordiam ſuam otioſe illud ſefellere. Porro tot ſunt illius voces, quot horæ, immo quot momenta: nec pauciora capita accuſationis. Propterea quod omnia præteritæ vitæ momento eorum mentibus ſeſe obtrudant, ſimulque propriam ſingulis momentis ſatisfaciendi opportunitatem, cujus neglectum accuſat. Atque hinc non modicus piorum manium mœror, hinc illi gemitus, nolui dum poſſem! non poſſum, dum vellem! O! mihi præteritos referat ſi Conditor annos? ſed heu! tempus non erit amplius. Apoc. 10. *Eheu! homo vanitati ſimilis factus eſt, dies ejus ſicut umbra prætereunt*. Pſalm. 143. Quam enim vanum atque inſanum eſt, ſinere, ut dies & anni præterfluant velut umbra, quippe inanes, & meriti, & ſatisfactionis, cum utroque pleni duci poſſent, & facili negotio pretioque longos, & ingentes cruciatus redimere? *Ecce*, clamat, & ingemit unaquæque anima: *menſurabiles poſuiſti dies meos, & brevi ſane menſura, & tamen ſubſtantia mea tamquam nihilum ante te*. Pſalm. 38. cum enim breve ſpatium vitæ cumulandis meritis, ſolvendiſque levi pretio noxarum mearum pœnis, totum impendendum fuiſſet, heu! prope totum vacuum abiit, & licet variis negotiis diſtentum, laboribuſque exercitum, judicio divino inſtar flocci ac nihil reputatum eſt, quia mundo, non Deo, ac ſaluti impenſum. Ita, quod Jobus gemebat cap. 17. *dies mei tranſierunt: cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum*: illæ, inquam, cogitationes, quibus lactabam animam ſpe inani aliquando ſatisfaciendi, diſſipatæ quidem

dem ſunt, attamen non ceſſant jam diſtorquere, & excruciare animum.

VIII. *Noſſe debet, quod, etſi maxima ſit animarum purgantium pœna, non tamen illæ ſint*
S. Bern. Sen. to. 2. ſ. 41. ar. 2. c. 3. *omnis ſolatii, & gaudii expertes.* Nam, ut S. Bernardinus Senenſis advertit, multiplici titulo gaudent. Immo quia confirmatæ ſunt in gratia, nec valent malum velle, nec agere. Secundo, quia ſunt certæ de gloria. Tertio, quia affectæ ſunt bene erga Juſtitiam divinam in ſe. Ideo delectantur, patienter tolerando divinam juſtitiam in ſe. *Lætabitur juſtus, cum viderit vindictam.* (Pſalm. 57.) ſcilicet ſuper ſe exerceri. Quarto, ob conformitatem cum Dei voluntate, ideo voluntarie ſuſtinent omnia. Ut enim teſtatur Hugo de arrha Sponſæ, ſi pœna Inferni eſſet voluntaria, non eſſet pœna. Hinc patet, etiam inter hæc graviſſima tormenta, meliorem, & feliciorem eſſe ſtatum earum animarum, quam hominum, qui ſunt in mundo. Ibid. a. 2. cap. 1. Quinto, ob Sanctorum affectionem; Sancti enim aſſidue orant Deum pro illis proximis ſuis, quos cruciari cernunt. Sexto, ob juſtorum participationem; ſicut enim membra jam nutrita ſubveniunt aliis membris; ſic & ii, qui e purgatorio tranſierunt in paradiſum, precibus ſuis juvant animas in purgatorio. Septimo, ob propriam perfectionem: Nam, ſecundum S. Auguſtinum, qui in hoc ſæculo magis meruit alios adjuvare, in altero amplius juvatur. Pone, quod moriatur pauper cum multis meritis, tamen habens aliquid ad purgandum; & moriatur dives aliquis cum paucis meritis, habens plurima ad purgandum. Dico, quod eleemoſynæ per divitem diſpenſatæ pauperi proderunt amplius ſive minus, prout ſuis orationibus, meritis, & exemplis, in præſenti vita juvit divitem illum vivum ſine defectu. Ex quo patet, quod utile ſit orationibus, & meritis, & exemplis vivos vel mortuos divites, & quoslibet adjuvare: cum hæc plus proficiant facienti, quam recipienti. Octavo, ob proximorum ſubventionem, quæ animabus innoteſcit, divina inſpiratione, vel Angelica revelatione, vel noviter morientium annuntiatione, vel experientiæ cognitione, quia ſcilicet propter ſuffragia, quæ illis impenduntur, ſentiunt ſibi minui pœnam. Et hoc conveniens eſt, ut, cum de purgatorio fuerint liberatæ, gratias ſuffragatoribus ſuis referre ſciant. Non enim poſſibile eſt, ut ingratitudo vel aliud quodcumque vitium locum habeat in gloria illa ſempiterna. Ibid. art. 2. cap. 2. ſerm. 65. Nono, aliud eſt gaudium animæ recipientis, nam magis proſunt ſuffragia illis, pro quibus fiunt. Decimo, eſt gaudium facientis, nam talia ſuffragia plus proſunt facienti, quam aliud aliquod opus miſericordiæ, quia quanto eſt miſeria major, tanto eſt major miſericordia. Unde S. Joannes Damaſcenus in ſerm. de his, qui in fide dormierunt, ait: Quicumque proximi ſalutem temporalem curat, primum ſibi prodeſt, ſecundum proximo; Ideo iſta ſuffragia facta in charitate, proſunt facienti æternaliter, ſed recipienti non niſi temporaliter. De tali æternali profectu, qui provenit facienti, gaudent etiam, qui in purgatorio ſunt. Si autem is, pro quo fit oratio, eſt in inferno, ad facientem revertitur ſuffragii virtus; ſi autem in cælo, tunc ſalvatus obligatus eſt ad orandum pro ſuffragante: & pie creditur, quod id proficiat. Undecimo, gaudium eſt particulare; nam ſuffragia, quæ fiunt pro uno, plus ei proſunt, quam ſi eadem pro pluribus fierent. Ubi ſecundum Richardum in 4. diſt. 41. nota, ad curandam pœnam concurrit virtus agentis, & diſpoſitio patientis: quia juxta Philoſophum lib. 2. de anima, actus activorum ſunt in patiente prædiſpoſito. Poteſt ergo diminui pœna, vel propter diminutionem virtutis ex parte agentis; vel propter diminutionem diſpoſitionis ad patiendum ex parte ſuſtinentis. Unde inæqualiter diſpoſiti ad patiendum ab æquali virtute, inæqualiter patiuntur, v. gr. pœna magnum onus portantis minui poteſt, vel per diminutionem oneris, vel per aliquam confortationem virtutis illius, quæ portat onus. Sic & pœna purgatorii minuitur. Primo, per ſatisfactionem: ſecundo, per conſolationem: quantum ad diminutionem pœnæ. Primo modo, ſuffragia pro uno facta aliis quidem nihil proſunt, Secundo tamen modo, facta pro uno, aliis proſunt, quia per Dei miſericordiam ſuffragia pro quovis in purgatorio exiſtente aliis omnibus innoteſcunt & quia ſe invicem diligunt in charitate; ideo omnes gaudent de illius pœnæ alleviatione, pro quo ſuffragia facta ſunt. Non credo tamen, quod tantum gaudium in eis ſit, ut totam eorum pœnam totaliter tollat: nec forte abbreviat, ſed forte intentionem patientis mitigat. Duodecimo, gaudium eſt generale vel univerſale: quod ſit, quando generalia ſuffragia pro defunctis fiunt. Tunc quidem talia ſuffragia melioribus proſunt, quia juxta ordinem juſtitiæ diſtributivæ meliora bona communia melioribus ſecundum virtutem diſtribuuntur.

§. XII. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occaſione thematis: *Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare,* 2. Mach. 12. v. 46.
ut a peccatis ſolvantur: poteſt exiſtentia, & veritas purgatorii probari, idque tribus potiſſimum teſtimoniis, cum juxta Chriſti teſtimonium, in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. 1. Authoritate *S. Scripturæ*, juxta textus §. 2. citatos, quorum unus Mat. 18. v. 16.
alterve clarior ſeligatur, & explicetur. 2. *SS. Patrum*: quorum teſtimonia §. 3. reperire eſt. 3. *Ratione*: quod triplici ratione fieri poteſt, nempe vel oſtendendo, quod, ut ipſe etiam Cicero diſcurrit, quod conſtet experientia, hominum alios eſſe optimos, & his merito præmia æterna deberi: alios peſſimos, in quos proin recte pœna æterna conſtituta ſit: alios demum ex parte bonos, ex parte malos: & pro his neceſſarium eſſe locum, in quo a peccatis purgentur: vel demonſtrando, quod ipſis etiam Ethnicis lumen naturæ dictarit, eſſe ſimilem locum, uti §. 13. oſtendetur: vel enarrando varia exempla, quibus probetur mortuos a vivis opem petiiſſe, & quibus fidem adhibendam eſſe ob qualitatem circumſtantiarum, ipſa ratio

Digitized by Google

ratio dictet. Quæ omnia fuſius diducta apud Faber. conc. 1. in commem. anim. & apud Jacobum Montifordum tr. de miſ. animabus exhibenda c. 1. & 2. videri poſſunt.

Eccl. 4. n. 12. II. Ex occaſione thematis: *Funiculus triplex difficile rumpitur*: poteſt dicere Concionator, nihil eſſe communius, quam ut omnes homines ad purgatorium properent, atque ad flammas illas vehementius ſuccendendas ligna ipſi comportent, cum etiam juſtus ſepties in die cadat; & quod dolendum, paucos eſſe, qui dignam de illo loco pœniſve æſtimationem habeant; ſe proinde triplici funiculo eos retrahere conaturum, id eſt, demonſtraturum triplici cauſa, cur purgatorium ſingulari ſtudio declinare debeat. 1. Ob gravitatem *pœnæ ſenſibilis*, quæ tum ex varietate, tum ex acerbitate colligi poteſt, cum juxta fundatam doctrinam Doctorum gravior ſit minima pœna illius loci omnibus tormentis, & mortibus hujus mundi. Fingamus autem hominem quempiam ſingulis in membris acutiſſimum morbum chiragræ, podagræ, colicæ, dentium, calculi &c. habere: aut reum omni genere tormentorum, quo ullus Martyrum eſt excarnificatus, torqueri, quantopere non abhorreremus a tali miſeria? atqui gravior eſt purgatorii pœna. 2. *Ob carentiam viſionis beatificæ*, quæ tanto gravior eſt, quanto vehementius eſt deſiderium dictæ viſionis ex ſumma æſtimatione illius conceptum. 3. *Ob diuturnitatem*, quæ triplici ex capite oritur; nempe ex temporis ipſius longitudine: ex pœnarum acerbitate, quæ facit, ut una hora aliquot annis æquivalens viſa ſit: & ex deſiderii vehementia, quæ facit, ut omne tempus, quod ab impletione illius ſuſpendit, longum videatur. Quæ omnia fuſius explicata videri poſſunt apud Jacobum Montfortium cap. 3. & ſeq. & Mathiam Fabrum conc. 3. in commemoratione animatum.

Pſ. 141. v. 8. III. Ex occaſione thematis: *Educ de cuſtodia animam meam*: poteſt explicari, quam gravis ac moleſtus, atque adeo merito fugiendus ſit purgatorii carcer, ob quadruplicem cauſam a S. Bonaventura aſſignatam, nempe. 1. Quod reddit *meritum impoſſibile*, quia tunc venit nox, quando nemo poteſt operari. 2. Quia reddit *jugum ineffugabile*: cum per potentiam Dei plus quam mille ferreis catenis januiſque teneantur, & conſtringantur. 3. Quia reddit *debitum inſolubile*: cum tempus ibi ſit patiendi dumtaxat, atque adeo non niſi alienis meritis hoc debitum exſolvi citius queat. 4. Quia *reddit incendium intolerabile*: cum ibi gravior hora una in pœna ſit futura, quam hic centum anni in amariſſima pœnitentia, ut loquitur pius Author. Quæ omnia videri poſſunt fuſius deducta apud Henricum Engelg. in commem. anim. §. 1.

S. Bon. in ſerm. de anim.

L. 2. c. 24. §. 4.

Matth. 5. v. 25. IV. Ex occaſione thematis: *Eſto conſentiens adverſario tuo, dum es in via*: poſſunt varia media ad conciliandum Chriſtum, ſatisfaciendumque pro pœna proponi, præcipue tria. 1. Orando, ut debitum dimittatur; ſicut Chriſtus docuit, dum in oratione Dominica etiam hanc petitionem poſuit: Et dimitte nobis debita noſtra. 2. *Amando*: quia amicorum proprium eſt, amato debita facile condonare; hinc de S. Maria Magdalena Chriſtus dixit: Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. 3. *Mutua remiſſione*: ſi ſcilicet Chriſto vel inimicis ſua debita dimittamus, vel ſi amore ipſius pro animabus in Purgatorio exiſtentibus frequenter oremus & operemur, ſicque eorum debita ſolvamus; hæc enim omnia ut ſibi facta reputat Chriſtus.

V. Ex occaſione thematis: *Ignem ardentem extinguit aqua*: poteſt oſtendi, quomodo ignem purgatorii reſpectu noſtri extinguere, id eſt, evitare debeamus: Videlicet. 1. *Affundendo aquam pœnitentiæ ſeu lacrymarum*: ſi enim nos ipſos adjudicaremus, (id eſt, puniremus,) non utique judicaremur, teſte S. Paulo. 2. *Affundendo lac miſericordiæ*: nam lac ſpecialiter aptum eſſe ad ignem extinguendum, experientia oſtendit; ſed aptius eſt lac miſericordiæ ad ignem purgatorii extinguendum, ut jam pridem ſuaſit Daniel Nabuchodonoſori dicens: Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum. 3. *Subtrahendo ligna*: nam, ut Salomon ait, cum defecerint ligna, & extinguetur ignis; hæc autem ligna nihil aliud ſunt, quam ipſa peccata. Unde S. Bernardus: Ceſſet voluntas propria (per quam peccatum committitur,) & infernus non erit. Vide hæc fuſius apud Fabrum in conc. 6. comm. anim. & in Auctario the. 4. in feſto S. Jo. Baptiſtæ.

Eccl. 3. v. 33. 1. Cor. 11. v. 31. Dan. 4. v. 24. Prov. 26. v. 20.

VI. Ex occaſione thematis: *Qua menſura menſi fueritis: eadem remetietur vobis*: poteſt oſtendi, non eſſe efficacius medium evadendi purgatorium, quam ſi quiſque conetur, multas ex purgatorio animas liberare, idque probari poteſt triplici ratione. 1. Ex parte Chriſti, qui perinde reputat hoc beneficium, ac ſi ſibi fuiſſet exhibitum; ac proinde merito eximit a purgatorio illum, qui ipſum toties in animabus exemit. 2. Ex parte animarum liberatarum, quæ agnoſcentes beneficii magnitudinem, tum ex gloriæ acceleratæ magnitudine, tum ex pœnarum abbreviatarum acerbitate, non ceſſabunt orare pro ſuo benefactore, ut ne ipſe quoque veniat in locum illum tormentorum. 3. Ex parte æquitatis: quia æquiſſimum eſt, ut qua menſura menſi ſumus, eadem remetiatur nobis. Quæ fuſius explicata vide apud Montfordum cap. 11. — Luc. 6. v. 38.

VII. Ex occaſione thematis: *Tibi dabo claves regni cœlorum*: poteſt oſtendi 1. quam magnus theſaurus in Eccleſia a Chriſto ſit repoſitus ad debita noſtra extinguenda. 2. Quomodo ad hunc theſaurum claves Pontifici ſint traditæ, iſque per eas aperuerit eum, variaſque indulgentias eum in finem propoſuerit. 3. Quam efficax hæ indulgentiæ ſint medium ad debita ſua ſolvenda, & quomodo quiſque earum ſe participem facere poſſit ac debeat. De qua materia vide fuſius differentem Montfordum c. 14. & Fabrum in Auctario them. 4. n. 4. in feſto S. Jo. Bapt. — Matt. 16.

Digitized by Google

§. XII. ALII CONCEPTUS.

Qualitas.

Mauſ dij.1.n.1. I. IN Offertorio Miſſæ, quæ pro animabus defunctorum celebratur, lacus cujuſdam fit mentio, qui ad lacum leonum, in quem Daniel projectus fuit, allndit, dicitur eoim: *Libera eas de ore leonis, & de profundo lacu*: Et certe ex omnibus ſacræ Scripturæ locis, ad vivaciter nobis deſeribendum animæ alicujus in flammis illis purgantibus detentæ ſtatum, aptior, magiſque propria hac lacus figura alia ſeligi non poterat. Enim vero Rex Babyloniæ permiſit, ut Propheta Daniel, licet ipſi ſummo amore deditus eſſet, in prædictum lacum projiceretur, avidis ferarum illarum faucibus exponendus, atque ab iiſdem devorandus; permiſit, inquam vel invitus, prout ex verbis illis colligitur: *Abiit Rex in domum ſuam, & dormivit incœnatus, cibique non ſunt allati coram eo, inſuper & ſomnus receſſit ab eo; Permiſit vero idipſum, ut Medorum atque Perſarum legibus ſatisfaceret, ſecundum quas Regi in bac pœna diſpenſandi facultas non erat.* Eadem quoque ratione Deus (licet animæ purgantes in gratia & amicitia ipſius cooſtitutæ ſint, & de ſua æterna gloria ſecuræ; licet etiam illas ſummopere diligat; utpote ipſi deinceps per omnem æternitatem conjungendas) his non obſtantibus, in communibus ioviolabilis juſtitiæ ſuæ legibus nequaquam diſpenſat; ſi quidem ſemel ſtatuit, quod nil coinquinatum intret in regnum cælorum, ac proinde quod, priuſquam in regnum cælorum aditum habere poſſint, purificari debeant ab omnibus ſordibus peccatorum ſuorum contractis. Septem leones ad dilacerandum Propheta deſtinati, ſeptem præfigurabant vitia capitalia; reatus item, & reliquias peccatorum a quibus in myſtico hoc lacu expurgantur. In leonibus adeo exceſſivus prædominatur calor, ut ſemper ob eumdem ſebri laborent: unde merito non ſolum propter truculentiam, verum etiam ob ignem, quem ſibi congenitum habent, flammas illas purgantes aptiſſime præfigurant. Obſervanda quoque in hac hiſtoria eſt notabilis quædam circumſtantia; ſicut enim Rex nihil adeo deſiderabat, quam condemnati Danielis liberationem, prout ex jubili & lætitiæ demonſtrationibus, quas poſt Danielem liberatum edidit, maoifeſte deducitur; ita quoque Deus nihil adeo vehementer deſiderat, quam ut animæ illæ ex hoc pœnoſo carcere liberentur, divinique ſuæ juſtitiæ debita ſolvatur ſatisfactio. In cujus figuram motus eſt Deus, ut Angelum quemdam e cælo in Judæam amandaret, ut per apprehenſum, & ex capillo ſuſpenſum Abacuc, Prophetæ famelico io lacu ſuo prandium deportaret, quod præfigurabat ſuffragia, quæ (Deo inſpirante) a devotis fidelibus in utilitatem & ſubſidium animarum illarum offeruntur, & ſpecialiter incruentum Miſſæ ſacrificinm, quod præ cunctis aliis efficax eſt, & ſatisfactorium. Obſervandum tamen hoc loco eſt, quod Aogelus ille Daniel cibum hunc non immediate attulerit, ſed Abacuc induxerit, ut prandium hoc illi miniſtraret. Ipſe quidem ad hoc multum contulit, dum Abacuc in breviſſimo tempore in regionem adeo procul diſſitam, quemadmodum Judæa a Babylonia diſtat, deportavit. Per quod Deus indicare voluit, quod Angeli, utpote qui non ſunt viatores, nec in ſtatu merendi conſtituti, opera ſatisfactoria pro illis animabus offerre nequaquam poſſint, cum hoc ſolum ad nos pertioeat, ipſi tamen partibus ſuis non deſiot, utpote qui in beneficium illarum animarum corda fidelium ad hæc ſuffragia ferenda pro virium ſuarum poſſibilitate movent & inſpirant.

II. Rupertus Abbas præ quavis alia figura Cherubinum conſiderat, ad ingreſſum terreſtris paradiſi collocatum, a quo gladio flammeo & verſatili homines arcebat, dicente ſacro textu: *Collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubinum, & flammeum gladium, atque verſatilem*: dicitque prædictus Rupertus Abbas, Flammeum gladium, atque verſatilem ante Paradiſum eſſe collocatum, ut quicumque deinceps admittendi ſunt illuc, tranſeant per examinatorium ignem. Obſervandum porro eſt, hunc Cherubinum cum gladio illo flammeo ibidem non fuiſſe collocatum, ad arcendum ab ingreſſu Paradiſi homines, niſi poſt perpeſſam innocentiæ & juſtitiæ originalis jacturam; ut per hoc inſinuetur, quod pariter ignis purgatorius nos ab aditu in Paradiſum cæleſtem excludere nequeat, niſi quando noſtra culpa innocentiam amiſimus baptiſmalem. Quæreodum porro occurrit hoc loco, quo myſterio Deus ex omnibus novem Angelorum choris potius Cherubioum elegerit, & non aliquem ex Poteſtatibus vel Dominationibus, vel Seraphinis, qui ad hoc munus magis apti fuiſſe videbantur, eo quod præ nimio amoris incendio ſciotillarent, & arderent? Reſpondet Rupertus: Recte Angeli, qui hujuſmodi præſunt, Cherubio de plenitudine ſcientiæ vocantur, ipſi namque judicandi plenam habent ſcientiam; ſciunt enim, quid in libro cujuſque noſtrum ſcriptum ſit, & in ooviſſimo recitaturi ſunt libros illos, de quibus in Daniele ſcriptum eſt: *Judicium ſedit, & libri aperti ſunt.* Bene etiam habent memoriæ traditum, quid boni aut mali geſſerit quiſque noſtrum. *Flammeum &c.* Per ignem tribulatio & ærumnæ hujus vitæ deootantur, quia Deus tamquam aurum in fornace probavit electos: qui autem peccata per adverſitates patienter toleratas non purgat, neque ullos contritionis & amoris ſuper omnia actus (qui pariter per ignem figurantur, de quo dicitur: *Ignem veni mittere in terram*) in hac vita excitant, illis opus eſt, ut per flammas purgantes pertranſeant. *Gladium.* Porro gladius juſtitiæ ſignum eſt; *Juſtus Dominus, & juſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus.* Et ideo Deus indiſpenſabilem condidit legem, quod nulla anima vera filiorum libertate perfrui poſſit, niſi prius debitis in hac præſenti vita contractis plene ſatisfecerit. *Verſatilem*: per hoc, quod enſis hic flammeus

Rupertus Abbas l. 1. in Gen. c. 32.

vet-

Digitized by Google

verſatilis ſit, Deus indicare voluit, pœnam purgatorii amovibilem eſſe, non vero item pœnam inferni, ubi nulla eſt redemptio. Advertenda quoque eſt alia quædam notabilis circumſtantia, ſcilicet quod ſacer textus non dicat: Hunc gladium, huncque ignem in manibus Cherubini ſuiſſe poſitum, ſed potius ita habeat: *Collocavit ante Paradiſum Cherubim*; & poſtea ſaparatim ſubdat: *Et flammeum gladium, atque verſatilem*. Quia Angeli nequaquam pœnarum noſtrarum miniſtri ſunt: quin potius in utilitatem noſtram fidales devotos inſtigant, ut animabus ſuffragia porrigant, quamdiu ibi ſunt detentæ. Et ideo antiquus quidam interpres *Verſatilem* conſiderans, inquit: Gladius verſatilis dicitur, quia poteſt removari.

Manſi diſ. 1. n. 19. III. David Rex Legatis illis, qui ab Ammonitis adeo indigne tractati fuerant, præcepit, ne coram facie ſua apparerent, in regia, ſed manerent in Jerico, donec creſcerent barbæ aorum, id eſt, ut Gloſſa expooit, donec digni habeantur præſentia ſui regis; quod ſi igitur hi Legati citra ullam ipſorum culpam ſuam indigne tractati, aliquamdiu expectare debuerunt, donec conſpectu ragio digni efficarentur; quanto convenientius eſt, ut anima mundetur & purificetur, ut ſit non habena maculam, neque rugam, priuſquam in conſpectu Regis gloriæ compareat?

Ib. diſ. 2. n. 4. IV. Neſcio, an Paradoxum ſit, dicera, ignem purgatorii pœnoſiorem eſſe igne illo, quo puniuntur damnati. Porro Ariſtotelea in ea eſt opinione, quod flamma activior & voracior ſit in ſummitate, quam in fundo: cujus dicti varitate ſuppoſita dici poſſet, ignem purgatorii acerbiorem eſſe igne inferni; hic enim eſt infimus, id eſt, in centro: ille vero altior eſt, circa vaſtam illius globi terreſtris ſuperficiem: Ad idem probandum alia quoque adduci poſſet malior ratio: quia Juſtitia Dei reprobos punit citra condignum: at vero ab animabus purgantibus eadem Dei Juſtitia ſummo cum rigore & punctualitate ſatisfactionem exigit. *Non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem*, quia ex toto rigore juſtitiæ in purgatorio ſecundum menſuram præſcriptam ſatisſacere debemus.

V. Job aliquando intar alia quaſtus aſt: *In amaritudinibus moratur oculus meus*: de oculo queritur, inquit Tertullianus, qui totus in tormentis poſitus eſt. At vero ex quo totum ipſius corpus vulneribus e vermibus exeſis ſaucium fuerit, mirum eſt, quare de ſolo oculo fuerit conqueſtus. Omnia in figura repræſentabat namque Job quamdam in purgatorio conſtitutam animam, quæ tametſi atrociſſimis & innumaris abſorbeatur doloribus, ſpecialiter tamen ex oculo affligitur, id eſt, ex eo, quia Deum videre non poſſit. Unde continuo ait: *quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Omnes quidem aliæ pœnæ tolerabiles ſunt, at vero pœna damni omnes alias excedit. Tametſi enim anima purgans, de gloria, quæ in clara Dei viſione conſiſtit, certiſſima ſit & ſecura, attamen ex illa gloriæ dilatione longum quemdam & pœnoſiſſimum ſuſtinet infernum. Nam, ut Sanctus

Tert. l. de patient.

Antoninus ait: Anima a corporis gravamine ſeparata, tunc intelligit Deum ſummum bonum, & quod ad illud adipiſcendum eſt creata: & quia immediate ipſum ſummum bonum poſſideret, ſi non eſſet in ea impedimentum, duplex igitur tormentum animam cruciabit, ſcilicet hæc dilatio impatientiſſima ſa cum Deo uniendi, innumeris aliis purgantis ignis pœnis conjuncta; & remorſus vermis voraciſſimi, quo cor illius continuo rodetur, ao quod Deum adeo erga ſe beneficum offenderit; id quod tunc per lumen ſibi infuſum, perqua vivacem appreheuſionem evidantium cognoſcat.

VI. Sacer textus de Abſalone refert, quod, cum interveniante Joab, in gratiam Davidis patris ſuis reſtitutus eſſet, jamque eum ab exilio revocari juſſiſſet, cum hoc tamen pacto, ne ante faciem ſuam compareret: *Revertatur in domum ſuam, faciem autem meam non videat*; adeo contriſtatus fuerit ex eo, quod patris, quem exaſperaverat, faciem videre prohiberetur, ut pœnam hanc veluti clavum cordi ſuo infixum ſenſerit, unde in haſce prorupit voces: *Obſecro ergo, ut videam faciem Regis, quod ſi memor eſt iniquitatis meæ, occidat me*. Videre igitur faciem Davidis, potiorem æſtimabat gratiam, quam vitam commodam agere. At vero finiti ad infinitum nulla eſt proportio. Facies etenim Dei glorificat, omneſque animas, quæ in cœlo ſunt, beatas efficit, & bonum quoddam infinitum conciliat; cum beatitudo ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione parfectus: E contra vero in purgatorio degere, non ſolum eſt pati pœnas Inferni quoad ſenſum, verum etiam pœnam damni ſuſtinere, licet ſolum ad tempus. At vero ex alia parte quia animæ illæ ſecuræ ſunt, quod tandem aliquando coram facie Dei ſint compariture, hæc tam immenſi boni dilatio tanto plus illas cruciat, quanto boni hujus infiniti conſecutionem ardentius ſuſpirant: Nam ſpes quæ diſfertur, affligit animam: unde ſicut juxta proportionem ſpei creſcit & augetur afflictio, conſequens eſt, quod, cum animæ purgatorii pro objecto ſpei ſuæ bonum aliquod habaant infinitum, de quo aliquando conſequendo ſecuræ exiſtunt, infinitam pariter ſuſtineant pœnam ex dilatione conſecutionis. *Manſi diſſer. 1. num. 2.*

VII. Iſraelitæ, qui in Babylonia detinebantur captivi, lamentabantur dicentes: *Super flumina Babylonis illic ſedimus, & flevimus*. At vero cur juxta flumina illa ſedentes plorabant? num forte quia luto immerſi erant? vel quia in cavarnis ſubterraneis detinebantur? aut vero quia pedes eorum compedibus, manus vero catenis vinctæ arant? vel denique quia in humeris ſuis immenſa cogebantur portare pondera ad muros Babyloniæ reſtaurandos: Nihil horum illos ad fletum permovebat: quid ergo? hoc ſolum, *Cum recordaremur tui, Sion*. Omnia in figura contingebant illis. Cuncta namque exceſſiva tormenta corporalia tanti non faciebant, quanti hoc unicum, quod ſcilicet ſe tam procul ab Jeroſolyma poſitos aſſa recordarentur. *Ibid.*

At

Digitized by Google

At vero quænam terrenam inter & cæleſtem Jeroſolymam eſt proportio? Ad hanc Propheta regius ſuſpirabat, dum inquit: *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi eſt Deus tuus?*

S. Bonav. de Sanct. Laur. ſerm. 1. VIII. S. Bonaventura ait: Plus ſatisfacit hic homo valde modica pœna voluntaria pro peccatis aſſumpta, quam ibi per maximam; ſive quia ibi eſt involuntaria, ſive quia, ſi ibi eſt voluntaria, eſt tamen ratiooe ſtatus immeritoria, nulla laude vel præmio digoa. Timeant igitur peccatores hunc ignem, qui nihil reliquit intactum, vel uihil penitus impuoitum, ſive verbum fuerit permodicum, ſive opus inutile, ſive quid modicum in corde peccatum: uode dicitur: *Quis ſtabit ad videndum eum?*

Did. Niſſ. §. 2. in fer. 2. poſt Domi. 1. Quadr. IX. Abierunt in Ægyptum Fratres Joſephi, comitemque babebant Benjamin, quod Joſephi id ita præcepiſſet. Erat Benjamin Joſephi uterinus frater. Cumque illum coram vidiſſet, percontatus eſt, num frater ipſorum eſſet: ut audivit eſſe: *Commota fuerunt viſcera ejus ſuper fratre ſuo*, inquit ſcriptor Geneſ. 43. verſ. 30. quo LXX. tranſtulerunt. Torquebantur viſcera ejus. Quid vero illud, quod animum ejus tantopere exulcerabat qui præſentem habebat fratrem tam vehementer expetitum? Reſpondet S. Ambroſius l. de Joſeph. c. 10. Torquebantur viſcera ejus, quia complectendi ejus, quem deſiderabat libertas differebatur. Ratio ſtatus non permittebat, ut ſub id tempus ſui erga fratrem affectus ſigna ederet, cum e contra amor plurimum ſollicitaret, ut illum ſuavi complexu ſtringeret, nec ſui neſcium relinqueret, denique etiam luculentis ſignis ſibi chariſſimum amantiſſimumque demonſtraret. Cumque illum coram habere, nec gaudere illo, uti optabat, poſſet, idcirco torquebantur viſcera ejus, hæc illi lethalis anxietas erat; nec enim alia tam eſt crudelis, quam frui oon poſſe bono, quod proximum habeas.

Ibid. X. Ivit cælorum Regioa Inviſum cognatam ſuam Eliſabeth, quæ profundiſſimæ bumilitatis exercitio fuit. Dum tecta ſubit, ut Deo fæta erat, gloriamque cælorum ac terræ caſtiſſimo utero geſtabat, ita vix dulcem amicamque ſalutationem Mariæ Eliſabeth audivit, quando exultavit infans in utero ejus, quando Joannes intra maternum alvum ſubſiliit. Hos ſaltus ſacri Expoſitores volunt fuiſſe indicia & effectus ootitiæ hoſpitis, qui illi advenerat. Quid vero ſignificare voluerit infans Joannes, quando Salvatoris ſui certior factus intra maternoeum viſcerum clauſtra ſaltibus luſit, taliaque indicia edidit ipſe nondum editus? Sanct. Joannes Chryſoſtomus in explicatione iſtius verbi, *Exultavit*, peculiare aliquid ſcribit, dicens: Tamquam injuſtam cuſtodiam quatiebat matricem, in clauſtra naturæ inſultabat calcibus & clauſis labiis vociferabatur figuris, tali matri dicens, injuſte facis, o mater, quæ tardas Prophetam, geſtas in utero præcurſorem Chriſti Regis, Martyrem ſtringis. Hæc ex illo Metaphraſtes apud Surium 24. Junii. Ut aves caveis iocluſæ, & anguſti carceris impatientes, omnia pertentant, ſi qua forte in liberum evadere aerem contingat: Ita Joannes, quod uſus linguæ negabat, toto corporis geſtu, & ſubſaltatione ſatis iodicabat, quam invitus illis materni corporis circumſcriberetur anguſtiis, & quam vehementer prodire in lucem cuperet. Sed illud io verbis Joannis expendendum, quod matri velut dixiſſe fertur: Martyrem ſtringis. Unde vero oaſci potuit Martyrium Joannis, aut quis carnifex mortem illi intra uterum parare, & adornare matris? Quis carnifex, dicis: quis tyranous? Non alius quam vicinitas boni propinqui. Itaque bene dixit Joannes: Martyrem ſtringis, nam ad manum habere Deum, nec illo frui pro voto poſſe, hoc eſt eſſe martyrem, & grave aliquid pati, nec enim crudelius eſt tormentum, quam habere bonum coram ſe, nec poſſe illo gaudere.

XI. Anxia, & ſaucia animo ſponſa dulcem & amabilem ſponſum perquirebat, qui nonnumquam (ut ſincerior puriorque ſponſæ ſuæ amor evaderet) faſtidia illi adferre quædam ſolebat, poſt quæ gratiores ac jucundiores ipſæ ſuavitates accidunt: *In lectulo meo*, in quo caſte ac dulciter conquieſcere conſuevimus, *per noctes quæſivi quem diligit anima mea: quæſivi illum, & non inveni*. At illa Cant. 3. verſ. 1. Diſceſſerat ſcilic. ſponſus a molli ſtrato, ubi illum ſponſa indagabat Gilberti Abbatis obſervatio eſt, numqnam majores animi anguſtias paſſam ſponſam, quam hac vice & occaſione. Cujus banc ſubjicit rationem: Nemo enim, quod ardenter quærit, non anxia caret, tantoque cumulatiore anguſtia, ſi vicina ſpe jam jamque apprehenſura fraudatur; Proxima erat ſponſa delitioſo ſponſi lecto, in quo caſtas honeſtaſque voluptates captare ſolita, quas tunc illi, ut mereodi copiam majorem faceret, ſponſus negabat. Hoc vero, ait Gilbertus, fuit pati cumulatiore anguſtia, atrociores cruciatus: habere eoim vicinum bonum, nec eo frui poſſe, pœna quædam pœnarum eſt, & tormentorum tormeotum. *Ibid.*

§. XIII. MISCELLANEA.

Veritas.

I. TRes in Orbe principes Religiones ſunt, & omnes pro mortuis curam gerunt. 1. Judaica, quæ ſuum Mahoſor, libellum precatorium, paſſim precibus pro Defunctis impletum habet. 2. Turcica, quæ pariter pro mortuis orat, & reverenter admodum de iis loquitur, alitque ſex mille lampades ante ſepulchrum Mahometi in Urbe Mecha. 3. Chriſtiana, de qua conſtat. Soli Hæretici miſericordiæ expertes ſunt, ad quorum ſepulchra cum cantetur tantum & prædicetur, periit cum ſonitu memoria eorum. *Beſſæus in comm. anim.*

II. Etiam Ethnici mortuos colendos cenſuerunt. Hinc Albani cum mortuis ſepeliebant, quæ chariſſima & pretioſiſſima fuerant, & Cice- *Ibid.*

Digitized by Google

Cicero ſcribit: primum ad pietatem gradum eſſe, eorum, qui ante nos vixerunt, meminiſſe.

2. Reg. 14. III. Abſalon biennio exulare juſſus eſt ab aula Patris, tametſi David omne ei peccatum remiſiſſet; ita licet culpa quibuſdam morientibus remittatur, manet tamen pœna in Purgatorio exſolvenda.

Ep. 2. in peregr. ſeſol. IV. Cum Princeps Radzivilius Turcam quendam aviculas captas dimittentem interrogaret, cur id faceret? reſpondit is, ſe credere, merito hujus operis animas propinquorum ſuorum nonnihil ſublevari.

Qualitas.

Belſout in comm. anim. V. Recte clamant animæ Purgatorii: Miſeremini mei ſaltem vos, amici mei, quia manus Domini tetigit me; non enim utraque manus, nempe æternitas & acerbitas pœnarum, ſed una dumtaxat temporalis pœnæ eos tetigit.

L. 2. in fin. c. 19. VI. S. Gertrudis vidit animam quandam non potuiſſe communibus Eccleſiæ ſuffragiis juvari, donec aliquantulum purgata, Deo miſerante, deponeret onus culparum; ſcilicet inveteratarum, ab ea prius neglectarum.

Vit. p. 2. cap. 13. VII. B. Maria Magdalena de Pazzis in raptu dicebat, omnia tormenta, quæ paſſi ſunt Martyres, fuiſſe tanquam amœnum hortum reſpectu eorum, quæ infliguntur in Purgatorio.

§. XIV. AUTHORES.

I. Lucas Pinellus de altera vita a cap. 25. lib. 1. uſque ad 30.

II. Dionyſius Carthuſianus de noviſs. lib. 2. a cap. 14. uſque ad 34.

III. Jacobus Montfordus in tract. de miſericordia animabus præſtanda.

IV. *Seelen-Hulff.* Martini de Roa.

V. *Herold* Georgii Rauch.

VI. Nicolaus Lancizius opuſc. 6. c. 10. & 11.

VII. Caſparus Tauſch. in matre doloroſa par. 3. c. 7. per aliquot §§.

VIII. Jodocus Andries t. de Purgatorio.

IX. Philippus d' Outreman, p. 2. Pædag. c. 19. & 20.

X. Laurentius Beirlinck in Theatro Vitæ Humanæ. Vide eodem.

XI. Mathias Faber in comm. anim. c. 1. 2. 3. 4. & 7. & in Auct. them. 4. in feſto S. Jo. Bapt.

XII. Henricus Engelgrave in commemorat. Fidelium Defunctorum.

XIII. Joſephus a Jeſu Maria in Legato animarum.

XIV. Stimulus quotidianus Hieronymi Meazza.

XV. Jacobus Hautinus in Lytro animarum.

XVI. Laurent. Kepplerus in ſubſidio animarum.

XVII. *Heylſame Kurtzweil die Seelen zu fiſchen*, me Authore typo commiſſum.

TITULUS CXXII.

RELIGIOSUS STATUS.

I. EST ſtatus ad Chriſtianam perfectionem per vota Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ tendens, uti P. Hieronymus Platus definit; cujus definitionis clariorem, & fuſiorem explicationem ex S. Thoma affert ſequentibus verbis: *Platus l. 1. c. 2.* Ligare rem dicimur, quando alteri ſic eam adſtringimus, ut ei facultas adimatur, alio divertendi, religare autem, quam iterum eidem rei devincimus, cum qua prius conjuncta fuerat, & a qua defluens diſtare cœperat. Omnis autem res creata ante in Deo extitit, quam in ſeipſa; cum vero a Deo per creationem proceſſit, quaſi quibuſdam paſſibus progreſſa, ſeſe ab eo removiſſe videtur. Quare eæ quidem, quæ poſſunt, & quæ ejus capaces ſunt, rurſum in Deum revocandæ, & cum eo colligandæ ſunt. Primum autem vinculum, quo homo conjungitur, & alligatur Deo, eſt fides, cujus fidei officia, & ſigna, externis actibus exhibentur. Ex quo fit, ut religio prima, ac præcipua ſignificatione omnem cultum, ac cæremoniam notet, qua Deum rite venerantes, fidem noſtram, quæ in animo latet, conteſtamur. Sed tamen quia Deus non ſola fide, nec ſolis ſignis fidei colitur, verum aliis quoque virtutibus, ſpe, & charitate; ideo harum quoque virtutum opera interdum religionis opera appellantur, ut viſitare Pupillos, & Viduas in tribulatione, quemadmodum dixit S. Jacobus Apoſtolus c. 3. Et prior quidem illa religionis ſignificatio in omnes Chriſtianos convenit; omnes enim ipſa Baptiſmi profeſſione ſeſe ligant cum Deo, ac devovent ad cultum ei debitum præſtandum. Poſterior autem, qua quibuſdam charitatis operibus illigamur, propria, ac peculiaris eſt certorum hominum, qui certis etiam actionibus deſtinantur ſive hæ ad vitam contemplativam, ſive ad activam pertineant, quot enim ſunt hæc operum genera, tot religiones ad ea exequenda inſtitui poſſunt. S. Dionyſius putat hanc ob cauſam ab initio omnes Religioſos fuiſſe Monachos appellatos, eo, quod hoc nomen ab unitate veniat, atque adeo perquam aptum viſum fuerit ad unitatem illam ſignificandam, quam cum Deo religioſa diſciplina efficit. *S. Dionyſ. de Eccl. Hier. c. 12.*

II. Alii alias definitiones, aut deſcriptiones potius attulerunt. S. Joannes Damaſcenus dixit: Hoc vere Monaſtici Ordinis munus eſt, numquam Spirituali opere vacuum inveniri. *S. Damaſ. c. 38. in vita Barlaam.* Abbas Moyſes commonebat Fratres, dicens: quatuor ſunt Monacho principaliter obſervanda, id eſt, tacendi, ſervandi mandata Dei, humiliandi ſemetipſum, & anguſtia paupertatis. S. Climacus dicebat: Monachus ita virtutibus affectus eſt, ut voluptatibus alius. *S. Clim. gr. 1.* Et iterum: Monachus eſt ordo, & ſtatus Angelicus, in corpore materiali, & ſordido conſummatus. Monachus eſt perpetua naturæ violentia, ſenſuumque vigilantiſſima, & indefeſ-

ſa

Digitized by Google

ſua cuſtodia. Monachus eſt caſtificatum corpus, excipiatum os, animuſque ſemper divino lumine irradiatus. Et iterum: quis eſt fidelis, & prudeos Monachus? qui fervorem ſuum ſervavit inextinguibilem, & in dies uſque ad finem vitæ ſuæ ignem igni adjicere, fervorem fervori, deſiderium deſiderio & ſtudium ſtudio
S. Bern. de altis. & baſſ. eord. nomquam deſiit. S. Beroardos ait, religioſum ſtatum eſſe, io qoo debet eſſe Angelica converſatio in corpore; io corde prophetica expectatio, in utroque Apoſtolica perfectio.

Diviſio.

III. Dividitur lo *Contemplativum Activum*, & *Mixtum*. Contemplativus eſt, qui in ſola contemplatione, & meotis agitatione conſiſtit, atque ad dilectionem Dei immediate, ac directe ordinatur; qualis eſt Monachorum SS. Antonii, Baſilii, Benedicti, Romualdi, Brunonis, & ſimilium. Activus eſt, qui in operibus externis charitatis occopatur, & ad ſolam Proximi dilectionem ordinator immediate, licet indirecte, & priocipaliter ac ultimate etiam ad dilectionem Dei teodat, & talis eſt Equitum Jeroſolymitanorum, S. Jacobi, S. Joannis, Fratrum de Miſericordia, aut Redemptione Captivorum. Tertius eſt eorum, qui contemplationem cum actione conjungunt, & ad Dei, Proximique dilectionem ordinaotur; qualis eſt Ordo SS. Auguſtini, Domioici, Franciſci, Ignatii, qui poſtea in varias iterum claſſes dividuntur.

IV. Alio modo dividi poteſt Religioſus Sta-
Platus l. 2. c. 28. tus in Statum *Monachorum*, in quo potiſſimum viget ſancta illa nuditas, nihil habendo, nihil poſſidendo, fraterna concordia, & ſumma unitas, unum corpus e multis membris, mutuom auxilium, obedientia majorum conjuncta com humilitate ipſius ſtatus, & cum iis fructibus, qui ex obedicotia exiſtunt. Et *Clericorum*, in quo excellunt labor, & opera in Proximos, concionandi ſtudium, pugna cum Dæmone, propagatio divini honoris, dignitas ipſa Sacerdotalis, tractatio divioorum Myſteriorum. Quam diviſionem, more ſuo præ-
S. Ambr. apud Platum. clare ediſſerens S. Ambroſius, hæc duo, inquit, in attentiore Chriſtianorum devotione præſtantiora eſſe, qois ambigat Clericorum officia, & Monachorum inſtituta? iſta ad comitatem, & moralitatem diſciplina, illa ad abſtineotiam aſſuefacta, atque patientiam. Hæc velut in quodam theatro, illa io ſecreto, ſpectator iſta, illa abſconditur. Ideo bonus Athleta ait, ſpectaculum facti ſumus mundo; hæc ergo vita in ſtadio, illa in ſpelunca: hæc adverſum confuſionem ſæculi, illa adverſus carnis appetentiam: hæc ſubjiciens, illa refugiens corporis voluptates: hæc gratior, illa tutior; hæc ſeipſam regens, illa ſeipſam coercens: utraque tamen ſe abnegans, ut fiat Chriſti, quia perfectis dictum eſt: Qui vult venire poſt me: abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Hæc ergo dimicat, illa ſe removet: hæc illecebras vincit, illa refugit: huic Mundus triumphatur, illi exultat: huic Mundos crucifigitur, vel ipſa Mundo, illi ignorator: huic plura tentamenta, & ideo major victoria; illi frequentior lapſus, facilior cuſtodia. Hucuſque S. Ambroſius.

V. Denique dividi etiam poteſt Religioſus Status in ordinem *Mendicantium*: qui vi inſtituti ſui nullos ſtabiles redditus poſſidere, ſed mendicata eleemoſyna vivere coguntor, quales ſunt præcipue Ordo SS. Dominici, Franciſci, Auguſtinianorum, Eremitarum, Carmelitarum, & Societatis Jeſu; & *non Mendicantium*, qui ſtabiles redditus poſſidere poſſunt, quales ſunt Benedictioi, Canooici Regulares, & ſimiles.

VI. Porro hæc diverſitas, & varietas, tum *Platus l. 2. c. 24.*
ad dignitatem, tum ad utilitatem Eccleſiæ inſtituta eſt. Ad dignitatem quidem, quia, ut in Regum aulis, ita & in Eccleſia, quæ eſt Dei aula, ad amplitudinem, & majeſtatem pertinebat, ut quam plurimos haberet ſervorum ordines, qui & inſtituto, & ipſo etiam veſtitu quaſi in multas claſſes diſtiocti eſſent; & ut hac varietate ad cæleſtis Jeruſalem imaginem, quam proxime accederet, in qua oon unus Angelorom Ordo, ſed tot Ordines, & Hierarchiæ, natura quidem, ſed gradu, officiiſque diſpares aſſidue Deo ſerviunt. Ad utilitatem vero Eccleſiæ tendit hæc varietas, quatenus per hos ordines, quaſi per totidem cohortes, fortiſſime propugnatur (unde plerumque nova Hæreſi exorta, novus quoque ordo exortus eſt,) per eoſdem tamquam fideliſſimos Dei Amicos precibus juvatur, & Deo conciliatur! & particularium membrorum ſaluti promovendæ, ſecundum ingeniorum, & propenſionum varietatem, diverſa, & accommodata media offeruntur.

Ritus.

VII. Varii variis a Religionibus adhibentur, ſed quinque præcipue ſunt omnibus communes. Primus eſt *Habitus*, a ſæcularibus, & Laicis diverſus, in quo explicando totum librum Inſtitutionum ſuarum conſumpſit Caſſianus, potiſſima tamen illius cauſa eſt, teſte Sancto Dionyſio, ut ſignificetur Religioſis, eos cum veſte vitam quoque mutare, moreſque a Laicis diverſos aſſumere debere.

VIII. Alter ritos eſt *Capitis certa tonſura*, quæ omnibus etiam Religioſis, ſaltem in Clericali Ordine conſtitutis commuois eſt, & tum ad ſpineam coronam Chriſti, ot vult V. Beda; vel ad regiam dignitatem, cum *V. Beda l. 5. hiſt. Ec.*
ſervire Deo regnare ſit: vel ad indicandam ſuperfluarum curarum rejectionem, ut vult B. Iſidorus: vel denique io ſignum pœniten- *S. Iſid. l. 2. de off. c. 4.*
tiæ (nam olim pœnitentes non niſi tooſi in Eccleſiam recipiebantur,) adhibetur.

IX. Tertius eſt *Probatio*, tum io favorem ingredientis, tum Religionis etiam ipſius inſtituta, ot hæc quidem illius mores, & genium, ille hujus difficultates experiri poſſit, eſtque varia juxta Statutorum, & Conſuetudinum cujuſque ordinis varietatem, potiſſimum tamen in trium votorum religioſa obſervaotia, operibus humilitatis, & pœoiteotiæ, & in-

Digitized by Google

& inſtructione in rebus ad perfectiooem religioſam, ac officia ordinis pertinentibus conſiſtit.

Baſæus de Monach. Stat. X. Quartus eſt *Profeſſio religioſa*, qua quis in verum Ordinis religioſi membrum aſſumitur, ac ad valorem ſuum tria requirit capita. 1. Ut fiat poſt annum ſaltem probationis completum. 2. Ut profitens annum decimum ſextum compleverit. 3. Ut coram eo, qui habet legitimam ſuſcipiendi poteſtatem, aut ejus vicario fiat, idque vel explicite, ut ſi quis diſtincte tria vota Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ voveat: vel *implicite*, ut ſi quis ſe victurum juxta regulam promittat, vel *tacite*, ut ſi quis poſt Novitiatum geſtet Profeſſorum habitum.

S. Greg. l. 2. dial. c. 37. XI. Quintus denique eſt *Regulæ propoſitio*: in qua ſicut proprius cujuſque Religionis Spiritus continetur, ita præcipuo ſtudio a ſingulis Religioſis obſervanda eſt, utpote de qua merito dici queat id, quod poſt mortem S. Benedicti duobus Religioſis ejuſdem Ordinis dictum eſt, dum viam paleis ſtratam, & luminibus præfulgentem conſpicati, has a Sene viæ Inſiſtente voces audiverunt: Hæc eſt via, qua dilectus Domini Benedictus ad cælum aſcendit.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Matth. 7. v. 14. I. INtrate per anguſtam portam, quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam.

Matt. 19. v. 21. II. Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni, ſequere me.

Luc. 14. v. 26. III. Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum, & Matrem, & Uxorem, & Filios, & Fratres, & Sorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe Diſcipulus.

Ib. v. 27. IV. Qui non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe Diſcipulus.

Eccl. 6. v. 25. V. Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum. Subjice humerum tuum, & porta illam, & ne acediaris in vinculis illius.

Pſal. 44. v. 11. VI. Audi, Filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliviſcere populum tuum, & domum Patris tui.

Gen. 12. v. 1. VII. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monſtravero tibi, faciamque te ingentem magnam, benedicam tibi. & magnificabo nomen tuum, & eris benedictus.

Iſaia 26. v. 20. VIII. Vade Populus meus, intra in cubicula tua, claude oſtia tua ſuper te, abſcondere modicum, ad momentum, donec pertranſeat indignatio.

Eph. 4. v. 1. IX. Obſecro vos, ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis; cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes invicem in charitate.

Eccl. 39. v. 17. X. Obaudite me divini fructus, & quaſi roſa plantata ſuper rivos aquarum fructificate: Quaſi Libanus odorem ſuavitatis habete. Florete flores quaſi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam, & date Canticum, & benedicite Dominum in operibus ſuis.

XI. Poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. *Joan. 15. v. 16.*

Utilitas.

XII. Quia melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia, elegi abjectus eſſe in domo Domini mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. *Pſal. 83. v. 11.*

XIII. Omnis, qui reliquerit domum, vel Fratres, aut Sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut Uxorem, aut Filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. *Matt. 19. v. 29.*

XIV. Bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua. *Thren. 3. v. 27.*

XV. Melius eſt, duos eſſe ſimul, quam unum; habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ; ſi unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ ſoli, quia cum ceciderit, non habet ſublevantem ſe. Et ſi dormierint duo, fovebuntur mutuo, unus quomodo calefiet? Et ſi quiſpiam prævaluerit, duo reſiſtent ei: funiculus triplex difficile rumpitur. *Eccl. 4.*

XVI. Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum Patrum ſuorum, & non imputabit eis, quod minus ſanctificati ſint. *2. Paral. 30. v. 18.*

XVII. Ero quaſi ros Iſrael, germinabit ſicut lilium, & erumpet radix ejus, ut Libani: ibunt rami ejus, & erit quaſi oliva: gloria ejus, & odor ejus ut Libani. Convertentur ſedentes in umbra ejus, vivent tritico, & germinabunt quaſi vinea, memoriale ejus ſicut vinum Libani. *Oſea 14. v. 6.*

XVIII. Dedit illis regiones Gentium, & labores populorum poſſederunt, ut cuſtodiant juſtificationes ejus, & legem ejus requirant. *Pſ. 104. v. 44.*

XIX. Si audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis Populis, mea eſt enim omnis terra. *Exod. 19. v. 5.*

XX. Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cæleſtibus, in Chriſto. *Eph. 1. v. 3.*

Neceſſitas.

XXI. Jam non eſtis Hoſpites, & Advenæ, ſed eſtis cives Sanctorum, & Domeſtici Dei: ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu. *Eph. 2. v. 19.*

XXII. Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum. Qui aliquando non Populus, nunc autem Populus Dei: qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti. *1. Petr. 2. v. 9.*

XXIII. Fidelis Deus, per quem vocati *1. Cor. 1. v. 9.*

eſtis in ſocietatem Filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri.

Eccl. 24. v. 15. XXIV. Sic in Sion firmata ſum, & in civitate ſanctificata ſimiliter requievi, & in Jeruſalem poteſtas mea. Et radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea.

Eccl. 17. v. 14. XXV. Pars Dei Iſrael facta eſt manifeſta, & omnia opera eorum velut Sol in conſpectu Dei, & oculi ejus ſine intermiſſione inſpicientes in viis eorum.

Iſaiæ 43. v. 1. & ſeq. XXVI. Hæc dicit Dominus, creans te Jacob, & formans te Iſrael: noli timere, quia redemi te, & vocante nomine tuo, meus es tu. Cum tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te, cum ambulaveris in igne, non combureris, & flamina non ardebit in te. Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, & glorioſus, ego dilexi te, & dabo homines pro te, & populos pro anima tua. *v. 21.* Populum iſtum formavi mihi; laudem meam narrabit.

Jucunditas.

Pſal. 83. v. 5. XXVII. Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in ſæcula ſæcnlorum laudabunt te.

3. Reg. 10. v. 8. XXVIII. Beati viri tui, & beati ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam.

Pſal. 26. v. 4. XXIX. Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitam in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluntatem Domini, & viſitem templum ejus.

Neceſſitas.

Prov. 1. v. 24. XXX. Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis id, quod timebatis, evenerit. Cum irruerit repentina calamitas, & interitus, quaſi tempeſtas ingruerit, quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia.

Fœcunditas.

Jer. 3. v. 19. XXXI. Quomodo ponam te in Filios, & tribuam tibi terram deſiderabilem, hæreditatem præclaram exercituum gentium? & dixi: Patrem vocabis me, & poſt me ingredi non ceſſabis.

Ezech. 36. v. 37. XXXII. Hæc dicit Deus: adhuc invenient me domus Iſrael ut faciam eis: Multiplicabo eos ſicut gregem hominum, ut gregem ſanctum, ut gregem Jeruſalem in ſolemnitatibus ejus: ſic erunt civitates deſertæ plenæ gregibus hominum, & ſcient, quia ego Dominus.

§. III. EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Laur. Juſt. apud Lancig. op. 5. n. 191. I. VIrilium animorum, atque Chriſto in ſpiritu militantium proprium hoc eſſe cognoſcitur, ut magis belli, quam tranquillitatis tempus, & potius exerceri laboribus, quam ignavia contabeſcere concupiſcant.

S. Bonav. l. de ſex. alis c. 1. II. In hoc differunt laudabiles Religiones & jam collapſæ, non quod nullus peccans in laudabilibus reperiatur, ſed quod nullus impune peccare ſinatur, & peccandi aditus præcludatur ſtudioſe, ut boni corrigantur, incorrigibiles eliminentur.

S. Gregor. hom. 20. in Ezech. III. Cum aliquis omne, quod habet, omne, quod vivit, omne, quod ſapit, omnipotenti Deo vovit, holocauſtum eſt.

S. Aug. in Pſ. 83. IV. Quoniam dictum eſt: Fili, accendens ad ſervitutem Dei, ſta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem: accedens quoque ad ſervitutem Dei, ad torcular ſe veniſſe cognoſcat. Tribulabitur, conteretur, comprimetur, non ut in hoc ſæculo pereat, ſed ut in apothecas Dei diffluat.

S. Chryſ. ho. 3. in Gen. V. Quotidie de bonis operibus vos admonere cupimus ut perſecti, conſummatis virtutibus vita prædita ſpectabiles facti ſitis, irreprehenſibiles, & ſinceri, immaculati Filii Dei, & luceatis, ſicut luminaria in Mundo, ſermonem vitæ habentes, in noſtri gloriationem in die Chriſti, ut vel ſolo aſpectu his propoſitis, qui vobiſcum verſantur, ac veſtræ ſpiritualis fragrantiæ, veſtræque optimæ vitæ, ac converſationis bonæ ſint participes.

S. Clim. gr. 2. & 21. VI. Attendamus nobis ipſis, ne forte dum anguſtam & arduam viam vos pergere aſſerimus, latam & ſpatioſam vitam teneamus, noſque ipſos ſeducamus. Anguſtam tibi viam indicabit ventris afflictio, panis inedia, ſalubre, & purgativum ignominiæ poculum, ſubſannationes, illuſiones, ludibria, abſciſſiones propriarum voluntatum, offenſarum tolerantia, contemptus noſtri, murmurationum toleratio, vim ſibi in tolerando contumelias inferre, injurias fortiter perpeti, detrahentibus non indignari, contemnentibus te non ſuccenſere, condemnantibus humilitatem exhibere. Beati, qui prædictam viam pergunt, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.

S. Gregor. orat. 12. VII. Horum opes ſunt in paupertate, poſſeſſio in peregrinatione, gloria in contemptu, potentia in infirmitate, fœcunditas in cælibatu. Qui deliciis minime ſtudere pro deliciis habent: qui regni cæleſtis gratia humiles ſunt, qui in Mundo nihil habent, & ſupra Mundum exiſtunt: qui in carne extra carnem vivunt: qui pro portione Dominum habent: qui propter Regnum cæleſte inopia laborant, & propter inopiam regnant.

Thom. Kemp. ſerm. 2. VIII. Ibi diverſa ſunt officia, & multa exhibentur charitatis obſequia. Ibi omnia tempus habent, & ad opus ſuum quiſque ex obedientia vadit. Ibi infirmus a fortiori ſuſtentatur. Ibi ſanus Infirmum viſitans, Chriſto ſervire lætatur. Ibi uno deficiente, alius locum ejus ſupplet. Ibi ſana membra pro debilibus roborantur. Ibi activus pro vacante laborat, vacans pro laborante exorat. Ibi habet homo multos pro ſe orantes, & in extremis ſe contra Diabolum protegentes. Ibi tot auxiliarios invenit, quot ſocios habet.

Caſſian. l. 5. c. 4. IX. Vetus eſt B. Antonii, admirabiliſque ſententia, Monachum, qui poſt cœnobiale propoſitum faſtigia nititur ſublimioris perfectionis

Digitized by Google

nis attingere; minime debere ab uno univerſa genera virtutum expetere. Alius enim ſcientiæ floribus exornatur, alius diſcretionis ratione robuſtius communitur: alter patientiæ gravitate fundatur, alius humilitatis, alius continentiæ virtute præfertur, alius ſimplicitatis gratia decoratur. Hic magnanimitatis, ille miſericordiæ; iſte vigilantium, hic taciturnitatis; ille laboris ſtudio ſupereminet cæteros: & idcirco Monachum ſpiritualia mella condere cupientem, velut apem prudentiſſimam, debere unamquamque virtutem ab iis, qui eam familiarius poſſident, decerpere, & in ſui pectoris vaſe diligenter recondere.

Aug. ad Eudoxium & hab. 11. q. 3. Convos autem.
X. Vos autem Fratres hortamur in Domino, ut propoſitum veſtrum in Domino cuſtodiatis & uſque ad finem vitæ, perſeveretis ac ſi qua opera veſtra mater Eccleſia deſideraverit, nec elatione avida ſuſcipiatis, nec blandiente deſidia reſpuatis, ſed miti corde obtemperetis Deo cum manſuetudine portantes eum qui vos regit mites in judicio, qui docet manſuetos vias ſuas, nec otium veſtrum neceſſitatibus Eccleſiæ præponatis: cui parturienti ſi nulli boni miniſtrare vellent, quomodo naſceremini? non inveniretis.

Hieron. ad Paulin.
XI. Si cupis eſſe, quod diceris, Monachus, id eſt; Solus quid facis in urbibus: habeto ſimplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos: & ſerpentis aſtutiam ne aliorum ſupplanteris inſidiis.

Iſidor. in Sinonym.
XII. Religionem & profeſſionem tuam habitu & inceſſu demonſtra, ut ſit ingreſſu tuo ſimplicitas; in motu puritas, in geſtu gravitas, in inceſſu honeſtas.

Neceſſitas.

S. Bern. ſerm. 20. in Cant.
XIII. Dignus plane eſt morte, qui tibi, Domine Jeſu, recuſat vivere, & mortuus eſt: & qui tibi non ſapit, deſipit: & qui curat eſſe niſi propter te, pro nihilo eſt, & nihil eſt. Propter temetipſum Deus feciſti omnia, & qui vult eſſe ſibi, & non tibi, nihil eſſe incipit inter omnia.

S. Hilar. in Matth.
XIV. Cæſari, ait Dominus, reddendum eſſe, quod Cæſaris eſt: Deo autem, quæ ejus ſunt propria, corpus, animam, voluntatem; ab eo enim hæc profecta & aucta retinemus, & proinde condignum eſt, ut ſe totos reddant, cui debere ſe recolunt originem & profectum.

S. Greg. l. 2. ep. 61.
XV. Plerique ſunt, qui, niſi omnia reliquerint, ſalvari apud Deum nullatenus poſſunt.

S. Cypr. apud Laurenz.
XVI. Lubrica ſpes eſt, quæ inter fomenta peccati ſalvare ſe poſſe ſperat. Incerta eſt victoria inter hoſtilia arma pugnare, & impoſſibilis liberatio eſt, flammis circumdari, nec ardere.

S. Bern. de conv. ad Cleric.
XVII. Periclitatur caſtitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in ſæculo nequam. Fugite de medio Babylonis, fugite & ſalvate animas veſtras.

Utilitas.

S. Laur. Juſt. c. 7. de diſc. Mon.
XVIII. Secure ſperet, poſt hanc peregrinationem illam ſupernam intrare Jeruſalem, quicumque in juſtorum Congregationem fuerit vocatus. Magnum quippe Electionis indicium eſt, hujus Fraternitatis habere conſortium, facileque ab illa excluditur, qui ab hac fuerit ſegregatus. Ideo cum omni circumſpectione, & animi maturitate ſe ſtudeat promovere, quiſquis in hæc ſancta Collegia Deo dicata vocatus eſt, ne Diaboli fallacia, aut ſui negligentia, amoveatur ab illo.

Ibid.
XIX. Illius cæleſtis Civitatis iſte eſt introitus, iſte nempe eſt locus, de quo ait S. Jacob: Vere non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cæli. Qui hic viriliter, & perſeveranter certaverit, coronabitur illic glorioſe. Ambo caſtra Dei, ambo ſedes Sapientiæ, ambo Sanctorum civitates: qui in hac laudabiliter converſatus fuerit, ab illa excludi non poterit.

S. Bern. ſer. 3. de dedic. Eccl.
XX. Optimum certe caſtrum tuliſti Chriſto, ſi inimicis ejus tradideris Claram vallem. Optimos inde ſingulis annis, & pretioſos in oculis ſuis redditus accipit: & prædam multam, quam hoſtibus eripit, in hunc monitionis ſuæ locum ſolet inducere, & habet fiduciam multam in fortitudine ejus. Ecce enim, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregavit eos, a Solis ortu, & occaſu, ab Aquilone, & mari.

S. Laur. Juſt. de Mon. converſ. c. 38.
XXI. Eſt clauſtrum hortus concluſus, paradiſus deliciarum, thalamus nuptialis, cubile immaculatum, virtutum ſchola, tabernaculum fœderis, reclinatorium Sponſi, bellatorum ſtatio, ſanctitatis domus, caſtitatis cuſtos, pudicitiæ firmamentum, religionis magiſterium, & obedientiæ ſanctæ ſpeculum ſingulare.

S. Bern. in c. 4. Cant.
XXII. Sicut Grex tonſarum, inquit. Quam bene Monachi tonſis ovibus comparantur, quia re vera tonſi ſunt, quibus nec corda, nec corpora, nec aliquid mundanum in proprietate relictum eſt? Quæ aſcenderunt de lavacro: lavacrum Baptiſmus eſt, de quo aſcendit, qui ad celſitudinem veræ perfectionis intendit; deſcendit autem, qui ſe vitæ mancipat inhoneſtæ. Omnes gemellis fœtibus, quia verbo pariunt, & exemplo. Et ſterilis non eſt in eis, quia nullus eſt, infœcundus.

S. Leo ſ. 4. de jejun. 7. menſ.
XXIII. Eccleſiaſticus Miles, etiamſi ſpecialibus præliis poſſit fortiter facere, tutius tamen, & facilius dimicabit, ſi contra hoſtem palam in acie ſteterit, ubi non ſuis tantum viribus certamen ineat, ſed ſub invicti Regis imperio fraternis conſociatus agminibus bellum univerſale conficiat. Minore enim diſcrimine multi confligunt cum hoſte, quam ſinguli; nec facile patet vulneri locus, quem oppoſito ſcuto fidei, non ſua tantum, ſed aliorum etiam fortitudo defendit, ut ubi eſt una omnium cauſa, ſit una victoria.

S. Leo ſ. 10. quadrag.
XXIV. Etſi non eadem eſt membrorum omnium pulchritudo, nec in tanta varietate partium, meritorum poteſt eſſe parilitas, communionem tamen obtinet decoris, connexio charitatis. In ſancto enim amore conſortes, etiamſi non iiſdem utantur gratiæ beneficiis, gaudent tamen invicem bonis ſuis, & non poteſt ab eis extraneum eſſe, quod diligunt, quia incremento niteſcunt proprio qui profectu lætantur alieno.

Digitized by Google

Caſſian. coll. ult. cap. ult. XXV. Centuplam Fratrum, Patrumque recipiet quantitatem, quiſque Patris unius, vel Matris, vel Filii pro Chriſti onmine, charitate cootempta, in omnium, qui Chriſto ſerviunt, dilectionem ſinceriſſimam tranſit, pro uno ſcilicet tot inveniens Patres, Fratreſque ſerventiores, ac præſtantiores ſibi charitate devinctos. Multiplicata etiam domorum atque agrorum poſſeſſinne ditabitur, quiſquis una domo pro Chriſti dilectinne relicta, ionumera Monaſteriorum habitacula tanquam propria poſſidebit in quacumque orbis parte velut in ſuæ domus jure ſuccedens. Quomodo enim onn centuplum, & ſi Domini noſtri ſententiæ ſuper adjici aliquid fas eſt, plus quam centuplum recipit, qui decem vel viginti ſervorum miniſteria infida, & coactitia derelinquens, tot ingenuornm, ac onbilium ſpnotaneo ſulcitur obſequio.

S. Bern. de bon. Rel. XXVI. Quæ eſt iſta, quæſo, tam pretioſa margarita, pro qua univerſa dare debemus, id eſt, noſmetipſos (quia totum dedit, qui ſemetipſum obtulit) ut poſſimus eam habere? Nonne hæc eſt Religio ſancta, in qua homo vivit purius, cadit rarius, ſurgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quieſcit ſecurius, moritur confidentius, purgatur citius, remuneratur copioſius.

S. Bern. ep. 114. XXVII. Modica, tranſitoria, terrena ſunt, quæ deſeris: maxima, æterna, cæleſtia ſunt, quæ appetis. Plus dicam, & vera dieam: tenebras deſeris, & lucem ingrederis, de profundo fluctuum emergis ad portum, & de miſera ſervitute ad felicem libertatem aſpiras, & de morte denique tranſis ad vitam.

Dignitas.

S. Hier. ep. 27. in Epitap. S. Paulæ. XXVIII. Gaudeas, mater tua longo Martyrio coronata eſt; non ſolum enim effuſio ſanguinis in Martyrio reputatur, ſed devotæ quoque mentis ſervitus immaculata, quotidianum Martyrium eſt.

S. Bern. ſer. 1. de Sanct. XXIX. Quid ſibi vult, quod eadem promiſſio facta eſt pauperibus, & Martyribus, niſi quia vere Martyrii genus eſt paupertas voluntaria? quod enim Martyrium gravius eſt, quam inter epulas eſurire, inter veſtes multas, & pretioſas, quas offert Muodus, quas oſtentat malignus, quas deſiderat ipſe noſter appetitus, algere? an non merito coronabitur, qui ſic certaverit, Mundum abjiciens promitteotem, irridens inimicum tentaotem, &, qund glorioſius eſt, de ipſo triumphans, & crucifigens concupiſcentiam prorientem?

Idem ſer. 30. in Cant. XXX. Genus Martyrii eſt, ſpirito facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra cæduotur, horrore quidem mitius: ſed diuturnitate moleſtius.

Gloſſ. ap. Plat. l. 2. c. 8. XXXI. Alii vovent vitulos, alii arietes, vel domos, Nazaræus ſeipſum. Hoc eſt Nazaræi votum, quod eſt ſuper omne votum: Filius enim, vel Filia, vel pecus extra nos eſt: ſeipſum vero Deo offerre, non alieno labore, ſed proprio placere, perfectius eſt, & eminentius omnibus votis.

S. Bern. ſer. Ecce nos relig. XXXII. Quis ſæcularis honor excogitari poteſt, qui non prorſus in tantæ ſublimitatis comparatione vileſcat? non unius ſiquidem Civitatis aut Populi, ſeu regionis unius, ſed univerſitatis Judices habent præſidere cum Chriſto. Nec ſolum homines, ſed & ipſos Angelos judicabunt; qui Parentem ad modicum vaporem præſentis gloriæ dedignantes, & exſufflantes, improperium Chriſti univerſis Chriſti præferunt titulis dignitatem.

Jucunditas.

S. Laur. Juſt. in l. de obed. c. 18. XXXIII. Nemo proculdubio explicare valet, quanto repleatur gaudio, quanta potiatur pace, quibus ſpiritualibus reficiatur deliciis, & quot divinis quotidie illuſtretur ſplendoribus, qui deliberato animo, & cæleſti inſpiratione afflatus renunciat ſponte ſæculo, ſecedit in clauſtro, & militat Deo, nihil terrenum ambiens, nihil temporale poſſidens, nihilque quod amorem ſuum veodicare queat, omnino reſervans.

S. Chryſ. in apolog. vit. Mon. l. 3. XXXIV. Una ibi voluptas, uoa jucunditas, unæ deliciæ, unum deſiderium, una ſpes omnibus ioeſt. Ibi veluti quadam ex regula, & libra cuncta ſunt diligentiſſime ordinata, nulla ibi inæqualitas; cæterum ordo ſummus & moderatio, & convenientia, & ineffabilis concordiæ ſervandæ diligentia, jugiſque, ac perpetua lætitiæ materia. Illic ſolum videas id perfecte contingere, nuſquam alibi, non modo quod præſentia omnia contemnant, omnemque a ſe rixæ, & pugnæ materiam abſcindant, certiſſimaque cæleſtium bonorum ſpe beati ſint, ſed quod ea quoque, quæ ſingulis contingant, & triſtia, & læta, communia eſſe omnium exiſtiment. Quippe & mæror facilius fugatur, cum pro viribus ſua omnes comportent onera, lætitiæque occaſiooes habent innumeras, non in ſuis quiſque geſtientes.

S. Bern. ſ. 46. in Cant. XXXV. In Eccleſia lectum, in quo quieſcitor, clauſtra exiſtimo eſſe, & Monaſteria, in quibus quiete a curis vivitur ſæculi, & ſolicitudinibus vitæ. Atque is lectus floridus demonſtratur, cum exemplis, & inſtitutis Patrum, tamquam quibuſdam beneolentibus floribus. Fratrum cooverſatio, & vita reſulget.

S. Laur. Juſt. de Mon. perf. cap. 6. XXXVI. In humanis rebus, & io hac peregrinatione, nihil tam efficaciter gerit in ſe imaginem cæleſtis Patriæ, quam Monaſtica converſatio, & congregatio divino cultui di cata.

Idem c. 9. vit. XXXVII. Conſulto Deus gratiam Religionis hominibus occultavit, ne, ſi cognoſceretur ejus felicitas, omnes ad eam confugerent.

S. Aug. ep. 37. XXXVIII. Sapientia, quos alligaverit, & exercitatoriis quibuſdam laboribus edomuerit, ſolvit poſtea, liberatiſque ſeſe donat ad fruendum; & quos primo temporalibus nexibus erudierit, poſt æternis amplexibus alligat. Quo vinculo nec jucundius, nec ſolidius cogitari quidpiam poteſt. Prima hæc aliquantulum dura confiteor, illa vero ultima nec dura dixerim, quia dulciſſima ſunt, nec mollia, quia firmiſſima. Vincula vero hujus Muodi aſperitatem habent veram, jucundita-

Digitized by Google

ditatem falſam, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, tam plenam miſeriæ, ſpem beatitudinis inanem. His tu ne inſeras collum, & manus, & pedes.

Facilitas.

S. Aug. in Pſ. 99. XXXVI. Omnis ſervitus amaritudine plena eſt, omnes ſervili conditione ligati, & ſerviunt, & murmurant. Nolite timere illius Domini ſervitutem. Non erit ibi gemitus, non murmur, non indignatio, Magna felicitas eſt eſſe in domo iſta ſervum, etſi cum compedibus. Libera ſervitus eſt apud Dominum; libera ſervitus, ubi non neceſſitas, ſed charitas ſervit. Simul es ſervus & liber: ſervus, quia factus es; liber, quia amaris a Deo, a quo factus es. Noli ſervire cum murmure; non enim id agunt murmura tua, ut non ſervias, ſed ut magis ſervus ſervias. Servus es Domini, libertus es Domini; non te ſic quæras manumitti, ut recedas de domo Manumiſſoris tui.

S. Bern. in Pſ. qui habitat. XXXVII. Quoniam ſi abundat tribulatio veſtra pro eo, abundabit conſolatio veſtra per eum, ut in eo delectetur anima, quæ in his renuit ſolari. Apud ipſum namque ipſa quoque tribulatio, magnam quamdam conſolationem poterit invenire. Nonne enim certum eſt, ſupra vires humanas, ultra naturam, contra conſuetudinem eſſe, quæ ſuſtinetis? alius igitur portat iſta; ille ſine dubio, qui ſecundum Apoſtolorum portat omnia verbo virtutis ſuæ. Quid igitur timendum nobis, ſi adeſt, qui portat omnia.

S. Bern. ſer. 1. de ded. Eccl. XXXVIII. Neceſſe eſt, ut unctio ſpiritualis gratiæ adjuvet infirmitatem noſtram, obſervantiarum, & multimodæ pœnitentiæ cruces, devotionis ſuæ gratia leniens: quia nec ſine cruce ſequi Chriſtum, & ſine unctione, crucis aſperitatem ferre quis poſſet? Hinc eſt, quod multi abominantur, & fugiunt pœnitentiam, crucem quidem videntes, ſed non videntes unctionem. Vos qui experti eſtis, ecce ſcitis, quia vere crux noſtra inuncta eſt, & per gratiam Spiritus adjuvantis ſuavis, & delectabilis eſt pœnitentia noſtra, &, ut ita dicam, amaritudo noſtra dulciſſima.

§. IV. EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas.

l. 1. c. 17. §. 2. I. HAbitus, & tonſura modicum conferunt: ſed mutatio morum, & integra mortificatio paſſionum verum faciunt Religioſum.

Ibid. §. 1. II. Si vis debite ſtare, & proficere, teneas te tanquam exulem, & peregrinum ſuper terram. Oportet te ſtultum fieri propter Chriſtum, ſi vis religioſam ducere vitam.

Ibid. §. 3. III. Ad ſerviendum veniſti, non ad regendum; ad patiendum, & laborandum ſcias te vocatum, non ad otiandum, & fabulandum.

l. 1. c. 18. §. 1. IV. O quantus fervor omnium Religioſorum in principio ſuæ inſtitutionis fuit! O quanta devotio orationis! quanta æmulatio virtutis; quam magna diſciplina viguit! quanta reverentia, & obedientia ſub regula Magiſtri in omnibus effloruit! teſtantur adhuc veſtigia derelicta, quod vere viri ſancti & perfecti fuerunt, qui tam ſtrenue militantes, Mundum ſuppeditaverunt.

V. Vita boni Religioſi omnibus virtutibus pollere debet, ut ſit talis interius, qualis videtur hominibus exterius. *l. 1. c. 19. §. 1.*

VI. Eſto vigilans, & diligens in Dei ſervitio, & cogita frequenter, ad quid veniſti? & cur ſæculum reliquiſti? nonne ut Deo ſervires, & ſpiritualis homo fieres? igitur ad profectum ferveas. *l. 1. c. 25. §. 1.*

VII. Quomodo faciunt tam multi alii Religioſi, qui ſatis arctati ſunt ſub diſciplina clauſtrali? raro exeunt, abſtracte vivunt, pauperrime comedunt, groſſe veſtiuntur, multum laborant, parum loquuntur, diu vigilant, mature ſurgunt, orationes prolongant, frequenter legunt, & ſe in omni diſciplina cuſtodiunt. Et ideo turpe eſſet, ut tu deberes in tam ſancto opere pigritare, ubi tanta multitudo Religioſorum incipit Deo jubilare. *Ibid. §. 2.*

VIII. Vere vita boni Monachi crux eſt, & Dux Paradiſi. *l. 3. c. 16. §. 4.*

Utilitas.

IX. Habebunt gratiam magnam, qui ſponte ſe ſubjecerint tuæ ſanctiſſimæ ſervituti. *l. 3. c. 10. §. 1.*

X. O amplectendum, & ſemper optandum ſervitium, quo ſummum promeretur bonum, & gaudium acquiritur ſine fine manſurum. *Ibid.*

XI. Religioſus fervidus omnia bene portat, & capit, quæ illi jubentur. *l. 1. c. 25. §. 7.*

Dignitas.

XII. Magnus honor, magna gloria, tibi ſervire, & omnia propter te contemnere. *l. 3. c. 10. §. 1.*

XIII. O ſacer Status Religioſi famulatus, qui Hominem Angelis reddit æqualem, Deo placabilem, Dæmonibus terribilem, & cunctis Fidelibus commendabilem. *Ibid. §. 6.*

XIV. Non magnum mihi videri debet ſervire tibi, ſed hoc potius magnum mihi, & mirandum apparet, quod tam pauperem & indignum dignaris in ſervum recipere, dilectis ſervis tuis adunare. *Ibid. §. 2.*

Jucunditas.

XV. Invenient ſuaviſſimam Spiritus Sancti conſolationem, qui pro amore tuo omnem carnalem abjecerint delectationem. Conſequentur magnam mentis libertatem, qui arctam pro nomine tuo ingrediuntur viam, & omnem mundanam neglexerint curam. *Ibid. §. 5.*

XVI. O grata, & jucunda Dei ſervitus, qua homo veraciter efficitur liber, & ſanctus. *Ibid. §. 4.*

XVII. Quam dulce & jucundum eſt, videre fervidos & devotos Fratres bene morigeratos, & diſciplinatos. *l. 1. c. 25. §. 5.*

§. V. EXEMPLA.

Vocatio.

S. Bonav. c. 2. vit.

I. CUm S. Franciſcus adhuc ſæcularis, pauperi cuidam ſuas veſtes amore Dei donaſſet proxima nocte ſibi viſus eſt in amplum palatium ductus, in quo ampliſſima aula, variis armis cruce Chriſti inſigniti referta, cernebatur. Quærenti autem, cujus eſſent? reſponſum eſt, omnia ad ipſum pertinere, militeſque ipſius. Quare ſomnium de militia profana interpretatus ad Apuliæ Comitem, ſub cujus auſpiciis militare decreverat, ſe contulit, verum eo in itinere ſic iterum Chriſtus eum allocutus eſt: Franciſce, uter tibi melius facere poteſt, Dominus; an Servus? dives, an pauper? Cumque Franciſcus, quod erat, reſpondiſſet, ſubjecit Chriſtus: Cur ergo pro ſervo Dominum relinquis, & pro paupere homine divitem Deum? Ad quam vocem Franciſcus: quid ergo, ait, facere me jubes? Cui iterum Chriſtus reſpondit: Redi in Patriam tuam: quod enim vidiſti, nihil temporale indicat, nec humana, ſed divina ope in te complendum eſt.

Antonius Senenſ. in Chron.

II. Monetus cum diu Reginaldi Dominicani conciones declinaſſet, tandem ſociorum importunitate ad unam tractus, ubi illa verba: *ecce video cælos apertos:* explicari, & ſibi quoque nunc patere audivit, ita commotus eſt, ut mox finita concione Reginaldum adjerit, eique propoſitum Religionis intrandæ aperuit.

Surius 10. Sept.

III. S. Nicolaus Toleotinas audiens occaſione illorum verborum. Nolite diligere Mundum: ab Auguſtiniano quodam Prædicatore vanitatem Mundi magno fervore explicari, poſt concionem ſtatim Concionatorem adiit, ſummiſque precibus in Ordinem admitti petiit.

Platus l. 3. c. 38.

IV. Andreas Virdonenſis Archidiaconus, cum Claram vallem veniſſet, illius Cœnobii pietatem & ordinem præſeos inſpecturus, admiſſus in Capitulum, ubi Monachorum ordinem, quietem, & habitum Angelicum vidit, adeo iocitatus eſt ad ſeſe iiſdem aggregandum, ut nec ad ſua ordinanda domum redire voluerit.

Ib. c. ult.

V. Rolandus vir nobilis cum totum diem quondam inter epulas, ludos, choreas, veſtitu pretioſo indutus conſumpſerit, tandem veſpere ad ſe reverſus, cogitavit quo omnia hujus diei gaudia abiiſſent? reputanſque, ſicut dies iſta abjerat, ita reliquam quoque vitam abituram cum ſua felicitate, nihilque præter pœnitentiam, & dolorem manſurum, poſtero die Religionem ingreſſus eſt.

Ibid.

VI. Petrus Conſalvus Epiſcopi Valentini Nepos, cum opima beneficia Patrui diu ad delicias & inanem ſaſtom adhibuiſſet, tandem, ubi cum Sociis equo ſuperbo per urbem vectus, ab eodem in lutum excuſſus, ideoque a Spectatoribus procaciter irriſus eſt, ſic ſecom decernere cœpit: Quandoquidem, o Muode, ego a te, cui tam fideliter ſervivi, tam male tractor, ego quoque te viciſſim, ut mereris, tractabo: Itaque eodem momeoto conſtituit, ſe Religionem S. Dominici ingreſſurum, quod & poſtero die cum omnium admiratione præſtitit.

Platina lib. 3. c. 38. ex. Fernardo Juſtiniano oratorio in vita Laurent. cap. 2.

VII. Laurentius Juſtinianus Patriarcha cum annum ageret undeviceſimum, qui, ætatis flexus lubricus eſſe ſolet, ac periculoſus, apparuiſſe ei dicitur Dominus Jeſus, Virginis ſpecie, cujus ſplendor Solis ſplendorem facile ſuperaret, vultuque placidiſſimo hæc ei dixiſſe: Cur Adoleſcens cor tuom effundis, & pace in ſectando teipſom per multa ſpargis? Quod qoæris penes me eſt: Ego ſi me ſponſam accipere decreveris, pacem hanc certiſſime polliceor. Ille & tanta pulchritudine, & tam magnifico promiſſo delectatus quæſivit, quod ei nomen, quod genus eſſet. Tum illa, Ego ſum Dei ſapientia, quæ ad homines reformandos humanam formam indui; Quare cum Laurentius ſe eam libentiſſime accipere, reſpondiſſet, illa dato oſculo læta & gaudens, ut videbatur, abſceſſit. Ipſe vero non multo poſt in Monaſterium ad oblatas nuptias ſe contulit.

Ex Brev. Rom. juxta Conc.

VIII. Bonaventura. Balneo regio in Etruria natus, cum incidiſſet in vitæ periculum, mater ejus vovit, ſi inde evaſiſſet, ſe eum religioni B. Franciſci dicaturam. Itaque adoleſcens in ordinem Fratrum Minorum adſcribi voluit.

Trid. 13. Julii.

IX. Non eſt hoc loco prætermittenda Aſellæ virginis memoria, quam D. Hieronymus ſcribit in matris otero fuiſſe benedictam, antequam naſceretur, & in phiali nitentis vitri, & omni ſpeculo purioris, patri traditam per quietem: & adhuc infantiæ pannis involutam, vixque decimum annum ætatis excedentem honore futuræ beatitudinis conſecratam. Hæc poſt duodecimum ætatis annum hunc vivendi modum elegit, arripuit, tenuit cœpit, implevit. Unius cellulæ clauſa anguſtiis latitudine paradiſi fruebatur. Idem terræ, ſolum & orationis locus extitit & quietis. Jejunium pro ludo habuit, inediam pro refectione. Cum autem hoc propoſitum arriperet aurum colli ſui, quod quidem murænulam vulgus vocat, quod ſcilicet, metallo in virgulas lenteſcente quadam ordinis flexuoſi catena contexitur, eaſque parentibus vendidit, & tunicam fuſciorem, quam a matre impetrare non poterat, induta, pro negotiationis auſpicio ſe repente Domino conſecravit. Ubi moderate ita ſe habuit, & intra cubiculi ſui ſecreta cuſtodivit, ut nunquam pedem proferret in publicum, nunqoam viri noſſet alloquium. Et quod magis mirandum, ſororem virginem magis amaret, quam videret.

Utilitas.

S. Thoma 2. 2. qu. 189 art. 3. ad 4.

X. In Vitis Patrum legitur, quod quidam viderit eamdem gratiam deſcendentem ſuper eum, qoi habitum Religionis aſſumpſit, & ſuper eum, qui baptizatur. Quod tamen, teſte S. Thoma, non ideo fit, quod talis a ſatisfactione liberetur, ſed quia eo ipſo, quod voluntatem ſuam in ſervitutem redigit propter Deum, plenarie jam pro omni peccato ſatisfecit.

XI.

Lancz. opuſc. 1. n. 21. XI. S. Simeon Salus cum Joanne ſocio habitum ſuſcepturus a S. Nicone Monaſterii Præfecto, audiviſſet a Fratribus. Beati eſtis, quoniam cras regenerabimini, & mundi efficiemini, ſicut nati eſtis, ab omni peccato, ac ſi die hoc eſſetis baptizati! cucurrit ad S. Niconem, rogavitque ne ſe denuo baptizari permitteret, cui S. Nicon reſpondit: Recte dixerunt Fratres; etenim ſi Deo placuerit, cras ſancto & Angelico habitu te induam. Quo facto Simeon Joanni dixit: Ex quo Dei ſervus nos eo habitu induit intrinſecus inflammor neſcio unde, & quærit anima mea neminem videre, alloqui, & audire.

S. Dorot. ſer. 1. XII. S. Doſitheus Tribuni cujuſdam Filius, cum poſt quinquennium in ſervitio Infirmorum ſub diſciplina S. Dorothei tranſactum, moriturus ab hoc audiviſſet: Vade in pace, Fili, & te Trinitati præſenta, nec non Deum pro nobis precare: mirantibus hoc dictum Fratribus, utpote qui nihil ſpeciale in Doſitheo vidiſſent, Deus Seni cuidam ſancto Sanctos illius Monaſterii vita functos videre cupienti, inter illos etiam S. Doſitheum ſingulari gloria fulgentem oſtendit; utpote quam ſingularis obedientiæ ſtudio meruiſſet.

Platus l. 2. c. 40. XIII. Fr. Ægidius ex ordine S. Franciſci, petenti conſilium de Religionis ingreſſu, reſpondit: Dic mihi, ſi Mendicus certo ſciret, alicubi magnum theſaurum latere, an conſultaret, num eundem expediret effodere? cumque is negaſſet: quanto igitur, inquit, alacrius & promptius debent homines ad infinitum illum Dei theſaurum accurrere, in quo ſolo ſunt veræ, & æternæ divitiæ.

Ibid. XIV. S. Anſelmus quondam extra ſenſum raptus, vidit fluvium immanem, & præcipitem, in quem omnes ſordes Mundi confluxerant, & a quibus paſſim viri, fœminæque abriperentur, ac paſcerentur, poſtea vero amplum, & ſpatioſum clauſtrum vidit, cujus parietes argento obducti, hortus amæniſſimus, aer placidiſſimus & omnia alia adeo jucunda, & ſuavia erant, ut nihil ad felicitatem deſiderari poſſet. Et per hoc quidem clauſtrum Religionem, per fluvium vero illum, Mundum ſignificari intelligebat.

Idem in prom. l. 2. XV. S. Gregorius Magnus ab ineunte ætate Monaſticam vitam profeſſus eſt, itaque amorem ejus retinuit, ut etiam Eccleſiæ Diaconus creatus & Legatus Apoſtolicus Conſtantinopolim declaratus, noluerit diſcedere, niſi cum aliquot Monachorum comitatu, ut quaſi Monaſterium ſecum circumferret.

Dignitas.

Vit. p. 2. 24. XVI. Cum S. Clara profeſſionem cum ſuis Sororibus feciſſet, apparuit illi Chriſtus in Forma pulcherrimi Juvenis, qui depoſita corona ex floribus immarceſcibilibus, poſuit eam in capite S. Claræ, in ſignum, quod eam denuo acceptaret in Sponſam, ſicut illa ſe denuo illi conſecraverat in actu Profeſſionis.

Pratum ſpir. l. 8. c. 18. XVII. In Lucka, domo Ordinis Ciſterclenſis Converſus quidam Rodulphus nomine, poſt Matutinum ſtans & orans ſub dio, vidit Chriſtum in Cruce pendentem, & cum eo quindecim alios, partim Sacerdotes partim Laicos crucifixos; cumque quæſiviſſet, quid ſibi portenderet iſthæc viſio? reſponſum ei eſt hos ſolos ex Ordine illo eſſe vere Religioſos, cum ipſo Chriſto Crucifixos, ſeque illius paſſioni conformare.

Jucunditas.

XVIII. S. Romualdus de ſe confeſſus eſt: Vixi centum annis in Religione, & quidem in ſumma auſteritate, viginti vero in ſæculo, ſed eheu! quam longa, & miſera hæc mihi vitæ tempora! quam brevia & jucunda illa religionis fuere. *Kuegler. de conom. Conſeſ.*

XIX. Suatocopius Rex Bohemiæ & Moraviæ ab Arnulpho Imperatore prælio victus, cum ægre evaſiſſet, in Eremum fugit, ibique in ſumma paupertate inter Anachoretas reliquam vitam exegit. Morti proximus expoſuit, quis fuerit, atque effuſis copioſis lacrymis dixit adſtantibus, nullam regi fortunam ſolitudinis tranquillitati præferendam, veram ſe vitam in caula duxiſſe, in aula mortem. *Ibid.*

XX. Carolus Quintus dicere ſolebat in ſeceſſu illo ad S. Hieronymi Monaſterium plus uno die liquidæ voluptatis & ſinceri gaudii ſe percepiſſe, quam ex omnibus aulæ deliciis, victoriis ac triumphis. *Ibid.*

XXI. S. Scholaſtica dicere ſolebat: Si dulcedo, quam Deus abſcondit ſervis ſuis, nota eſſet ſæcularibus, Monaſteria non caperent eos, qui Deo ſervire vellent. *Ibid.*

XXII. B. Maria Magdalena de Urſinis Novitiis Præfecta, ſi forte eas ridentes conſpexiſſet, læto vultu ad eas dicebat: Ridete, Filiolæ meæ, ridete, quia juſta vobis cauſa ridendi, & gaudendi eſt, dum Mundi fluctibus ereptæ, in portum hunc ſecuriſſimum translatæ eſtis; non enim fecit taliter omni nationi. *Ibid.*

§. VI. EXEMPLA DOMESTICA.

Vocatio.

I. SAnctus Franciſcus Borgia Iſabellæ Reginæ Hiſpaniæ funus Granatam deducens, cum feretro aperto adeo immutatum vultum vidiſſet, vanitatem rerum mundanarum inde colligens, Societati noſtræ nomen dedit. *Vita.*

II. P. Joannes Nunnius Sacerdos B. Virginem rogavit, ut vitæ modum ſibi patefaceret; unde apparuit illi B. Virgo, cum P. Petro Fabro adſtante, jubetque Conimbricam adire, ibique rationem vitæ ab hoc Patre ediſcere. Fecit id Nunnius, & Conimbricam ingreſſus, Fabrum ſtatim e facie novit, a quo monitus, labores potius pro Chriſto expetere, quam quietis propriæ dulcedinem quærere, in genua procidit, ardentibuſque precibus in Societatem admitti petiit. *Hiſt. Soc. l. 4. n. 116.*

III. P. Franciſcus Ribera Doctor Theologiæ, cum P. Martino Guttierio ipſum viſitanti dixiſſet, ſe decreviſſe, prope Sacellum quoddam B. Virginis vitam privatam inter preces & ſtudia vivere, & certis temporibus ad conciones habendas excurrere, Guttierius ve- *Vita B. Alv. c. 19.*

ro reſpondiſſet: Domine doctor, placet quidem hoc propoſitum, ſed quis tunc ſibi optimum pignus, quod habet, retinebit, propriam ſcilicet voluntatem? Hæc vox ita cor ejus penetravit, ut relicto mundo, Societatem ſit ingreſſus.

Hiſt. Soc. p. 2. lib. 3. n. 68. IV. Ludovicus Corbellinus Civis Florentinus nobilis, natura triſtiori, ſed acri judicio, cum Medicus ei ſuaſiſſet, ut lætitiæ ſerio ſe daret, ſi diu vivere vellet, aſſumptis fidiſſimis ſociis, totius fere Italiæ, Hiſpaniæ, & Galliæ loca jucundiſſima inviſit. Venit tandem Lutetiam, ubi torneamento Regio interfuit, in quo cum vidiſſet Henricum ſecundum in oculo ictum, paulo poſt deceſſiſſe, Mundi vanitatem agnoſcens, nuntium eidem remiſit, Societatemque amplexus eſt.

Annal. Aquit. 1594. & 95. V. Cum anno 1594. in tota Gallia decretum de Societate ejicienda emanaſſet, Diſcipuli noſtri tanto ejuſdem amore ſucceſi ſunt, ut Ruthenis ſupra triginta, Auſciæ vero viginti Juvenes ſelectiſſimi eandem expetierint, aut cum noſtris, aut pro noſtris morituri.

Hiſt. Soc. p. 2. n. 40. VI. P. Cornelius Vishavæus, cum multis Religionem perſuaſiſſet, rogavit tandem Deum, ut ſibi quoque aliquam oſtenderet, & audivit clare intarius vocem: Lovanium iret, ibi ſe Angelicos homines reperturum, illos ſequeretur. Ivit ille, reperit noſtros, fecit exercitia, ſuſceptus eſt.

Platus l. 3. c. 38. VII. P. Cladius Aquaviva, cum ei etiam in mente fuiſſet, illud Domini dictum: Oves meæ vocem meam audiunt; ſimul invaſit eum timor, ne ſi cæleſti illi conſilio non obediret, non eſſet ex ovibus Chriſti. Quam ob cauſam eadem hora, ac pene momento ad noſtros venit, ſeque eis toto animo addixit.

Dignitas.

Vit. c. 65. VIII. De B. Aloyſio dicit Sanct. Maria Magdalena de Pazzis: O quantam gloriam habet Aloyſius Filius Ignatii! nunquam credidiſſem: niſi illam mihi monſtraſſet Jeſus meus. Ego vellem poſſe ire per totum Mundum, & dicere, Aloyſium eſſe magnum Sanctum, & vellem poſſe monſtrare unicuique ipſius gloriam, ut Deus glorificaretur. Habet tantam gloriam, quia operatus eſt interne. Quis poſſet unquam explicare valorem & virtutem operum internorum? non eſt comparatio aliqua interni cum externo. Aloyſius fuit Martyr incognitus.

Vita P. Alv. c. 31. IX. De P. Baldaſſare Alvarez revelavit Deus S. Thereſiæ, eo tempore nullum fuiſſe in tam ſublimi perfectionis gradu conſtitutum, quam ipſe fuerit.

Jucunditas.

Platus l. 2. c. 37. X. Guillelmus Elfinſtonius Scotus, cum vix menſe in Societate tranſacto in morbum lethalem incidiſſet, incredibilem ſemper & vultu, & geſtu, & verbis alacritatem præſetulit, cum ſatiari non poſſet gratiis Deo agendis, quod in Societate moreretur. Viſis poſtea Angelis, & accepto ab Angelo Cuſtode Nuntio, quod per Purgatorium eſſet tranſiturus, tanta dulcedine, & fervore completus eſt ut corpus ipſum, licet morbi gravitate fractum, inſolitis motibus, ſuper lectum cum omnium admiratione exiliret. Inter quæ gaudia repente conſiſtens, tanquam placidiſſimo ſomno conſopitus ſpiritum exhalavit.

Lyræus apophe. XI. S. Ignatius adeo lætus ſemper, ac exultans extiterat, ut diceret, non minus eſſe miraculum, videre mœſtum Religioſum, qui aliud nihil, quam Deum, quærat, quam deprehendere lætum aliquem peccatorem, qui alia præter Deum quærit. Hinc cum Franciſcum Coſterum Tironem etiamnum ad riſum pronum advertiſſet, eundem, dum quondam actu riſiſſet, ad ſe vocavit, dixitque: Franciſce, audio te ſemper ridere. Et ego dico tibi, Fili, mi, ut rideas & gaudeas in Domino ſemper. Religioſus enim nullam triſtitiæ cauſam habet, ſed multam lætitiæ; quapropter denuo dico tibi, ſemper ſis lætus & hilaris in Domino.

Engelgr. in comm. conf. §. 1. XII. Card. Bellarminus dicere de ſeipſo ſolebat: Cum eſſem Religioſus, neſciebam, quid in vita eſſet triſtitia; factus Cardinalis, neſcio quid ſit lætitia.

§. VII. SIMILITUDINES.

Qualitas.

Platus l. 1. c. 30. I. SIcut vites & aliæ teneriores arbuſculæ vinciri ſolent ad ſtipites, ut ab illis ſuſtententur; ſic Homines infirmi & conſtantes per vota alligant ſe Deo, ut ab illo conſerventur, & ſtabiliantur.

Id. c. 32. II. Sicut ii, qui carnis & rerum terrenarum curæ ſe dedunt, toto animo in ea defixi hærent; ſic qui animæ curam ſuſceperunt, ſolis rebus ſpiritualibus ſe impendunt.

S. Chryſ. ho 23. ad pop. III. Sicut e ſummo montis vertice proſpectantibus omnia puſilla videntur; ſic Religioſi animo in cælis habitantes omnia terrena quaſi parva, & vilia gaudia deſpiciunt.

Platus l. 2. c. 21. IV. Sicut is, qui in cruce pendet, nec quid ante oculos agatur attendit, nec de caſtrino ſolicitus eſt, nec ullius rei cupiditate tenetur; ita Religioſus Mundo crucifixus nihil jam terrenum curat, ſed tota mente cæleſtibus inhiat bonis.

S. Bern. in ſer. Ecce nos reliq. V. Sicut vetus tabernaculum foris ſaga cilicina & pellibus arietum veſtitum, intus autem totum inauratum erat; ita Religioſus exterius vili quidem habitu veſtitus, ſed intus aurea charitate, aliiſque virtutibus pulcherrimis exornatus eſt.

Platus l. 2. c. 20. VI. Sicut in cœna, quæ ex multorum ſymbola & contributione inſtruitur, lautior fit tractatio, quam ſi ab uno inſtruatur; ſic Religioſi licet ſinguli boni ſint, meliores tamen fiunt; ſi in unum ſint collecti, quia cum unuſquiſque aliquid virtutis, ac prudentiæ habeat, ſi id in communione conſerant, perfectius quid efficietur.

Ibid. VII. Sicut navigii tabulæ, ſi ſolitariæ ſint, parum poſſunt; conjunctæ vero plurimum valent ad navigationem peragendam; & lapides ſeorſim accepti nihil proſunt, conjuncti vero pulcherrimum ædificium faciunt, ſic Religioſi, e-

ſi, etiamſi ſecundum ſe non plus valeant, quam quantum in unoquoque eſt roboris & virtutis, conjuncti tamen, alterius ope, ac virtute non modice adjuvantur.

Ibid. VIII. Sicut viridis ſtipes, etſi per ſe in igne ardere difficulter poſſit, inter alios tamen ardentes ſtipites eadem flamma facile conflagrat; ſic prorſus evenit in Religioſis, qui etſi ſeparatim degentes langueant, aliis tamen charitate accenſis mixti, facile eorum conſuetudine, chortatione atque exemplis incaleſcunt.

Ibid. IX. Sicut in fune torto ſingula fila tenuia ſunt, connexa tamen & implicata maximas moles trahunt, difficileque rumpuntur; ſic Religioſi, licet ſecundum ſe debiles, ſi bene cohæreant, & uniantur, omnia ſuſtinent, trahunt, & vincunt.

S. Macar. hom. 1. X. Sicut corporis membra, cum multa ſint, unum tamen faciunt corpus, & ſe mutuo juvant, dum unumquodque proprio fungitur officio; ſic & Religioſi ſibi invicem cedunt, &, qui legit, orantem amore, & gaudio complectitur, ſecum hoc reputans, quia pro ſe precatur.

Plat. l. 1. c. 29. XI. Sicut nummus atritus, & diminutus, ſi ſolus ſit, rejicitur: ſi autem inter duo, triave millia nummorum offeratur, accipitur; ſic homines imperfecti, etſi alioquin per ſe parum grati ſint, ſi tamen in Religione cum aliis perfectis conjungantur, hoc lucrum faciunt, ut aliorum abundantia ipſorum ſuppleat, ſublevetque inopiam.

Ibid. c. 30. XII. Sicut Proci, cum Virginem nuptam vident, alio cogitationes transferunt; ſic cum Hoſtes noſtri Deo in Religiones nos deſponſatos vident, ſpes quodamodo illis præciditur nos rebus terrenis implicandi, atque ob id ipſum ſæpe ſolicitare nos deſerunt, ne nihil aliud conſequantur, quam ut cum ſuo ipſorum cruciatu coronam nobis augeant.

S. Anſel. l. 1. ſimil. XIII. Sicut, cum quis ſecandus eſt, alligari cupit, & licet poſtea, dum ſecatur, clamet, ut ſolvatur, non tamen vult exaudiri, ſicque proficit ei ſectio etiam invito animo admiſſa, ſic qui ab initio ſponte Religionis jugum ſuſcipit, etiamſi deincidant, a quibus voluntas abhorret, perſert tamen, quia vinctus eſt, & illud ipſum medicamentum, quamquam non adeo libenti animo receptum, prodeſt tamen, & ſanitatem affert, quam fortaſſe ſolutus reſugiſſet, ut denique compulſo morbo gaudeat etiam, ſibi non aliter licuiſſe.

Platus l. 2. c. 32. XIV. Sicut Regis filius, qui ad futurum regnum nutritur, ea ex ſpe tum delectationem magnam, tum altitudinem animi concipit, ut humiliora ac ſordidiora averſetur, ſic Religioſus, dum ſe ad regnum cæleſte deſtinatum cogitat, omnia, quæ mundus offert, tamquam dignitate ſua inferiora, generoſo animi impetu rejicit.

Ibid. c. 33. XV. Sicut Agricola vineam, & Paſtor gregem ſuum curant, nullique labori, ac difficultati cedunt ob commoda, quæ inde percipiunt: ſic Deus non ſolum ob ſuam bonitatem ſanctis gregibus, & vineæ Religioſorum hominum providentiam ſuam impertit, ſed ob aliquam quodammodo utilitatem ſuam, unde a S. Paulo vocantur vas ſanctificatum in honorem, & utile Domino. *2. Tim. 2.*

XVI. Sicut in magna domo Domeſtici non tantum a Patre, ac Domino, ſed etiam a Matreſamilias gignuntur, aluntur, educantur, ac reguntur; ita Religioſi non tantum a Deo, ſed etiam a S. Dei Matre foventur, ac proteguntur. *Ibid. c. 16.*

XVII. Sicut, cum homo gignitur, neceſſe eſt, ut omnia ei tribuantur, quæ ſunt ad hominis conſtitutionem neceſſaria, ita cum Deus hominem ad religioſum ſtatum vocat, omnia talenta, ac virtutes ad hunc finem neceſſarias eidem largiri debet. *Ibid. l. 2. c. 9.*

XVIII. Sicut Tyberis, ſi aquam, quæ ſemper labitur, retineret, in immenſam aquarum quantitatem excreviſſet, ita Religioſa, cum quotidie bonis operibus augendis inſiſtant, ingentem gratiæ, gloriæve acceſſionem facere oportet. *Ibid. c. 18.*

Jucunditas.

XIX. Sicut Iſaac, cum immolandus eſſet, non ipſe tamen, ſed aries pro ipſo immolatus eſt; ipſe autem lætius vixit, confirmata ſpe poſteritatis; ſic Religioſi, licet ſeipſos gaudio privare videantur, tamen non perit gaudium, ſed vitium, & contumacia, cujus nimirum cornua vepribus hærentia indicant, numquam ſine anxietatis aculeis eſſe poſſe. *S. Bern. in 1. Cant.*

XX. Sicut, ſi quis magnam haberet ſarcinam, quæ tamen alterius humeris deſerretur, nullum inde gravamen, ſed potius ſolatium, & utilitatem magnam perciperet, ita in onere Religioſæ diſciplinæ præmium & gaudium noſtrum, onus vero ſuperiorum eſt. *Ibid. l. 3. c. 10.*

XXI. Sicut animi triſtitia ipſum etiam corpus confici videmus; ita viciſſim lætitia mentis in ipſum etiam corpus redundat. *Ibid. c. 27.*

Diverſitas.

XXII. Sicut Medici, cum ægrotus appetentiam ciborum perdidit, accomodant ſe, quantum licet, ad eos cibos, quos ille minime aſpernetur, ultroque plures proponunt, ut e multis aliqui ſaltem placeant; ita Deus, quoniam ſæculares homines negotiis terrenis immerſi cæleſtium rerum guſtum miſerunt, plures Religiones propoſuit, ut, qui unam faſtidit, ab alia alliciatur. *Ibid. l. 3. c. 25.*

XXIII. Sicut in Naturæ ordine tanta a Deo rerum varietas introducta eſt, ut variæ ejus perfectiones, quo pluribus communicarentur, eo magis innoteſcerent; ita in ordine gratiæ, iſta multiplicatione ſtatuum, officiorum, ac munerum id agitur, ut variis modis, ac a variis mambris participetur illa plenitudo gratiæ, quæ a Chriſto Domino, ac Salvatore noſtro ut capit promanat: Ex quo major utique ipſius Chriſti gloria exiſtit, cujus & vis in merendo, & liberalitas in donando, magis ac magis illuſtratur. *S. Tho. 2. 2. q. 182. ar. 4.*

Facilitas.

XXIV. Sicut ſi cui tranſeundum flumen eſt, navi vel ponte facilius tranſitur, aut ſi *Platus l. 3. c. 30.*

terra

terra iter faciendum, jumento aut rheda facilius peragitur, quam pedibus; ita iter ad Deum, & alteram vitam facilius per vehiculum aut navim religionis, quam pedibus vitæ ſæcularis, peragitur.

§. VIII. MOTIVA

Ad Religioſum ſtatum amplectendum.

I. QUia Religioſus *cadit rarius*: tum quia non habet tot exempla, & occaſiones peccandi; tum quia gravitatem, & fœditatem peccatorum per frequentes Meditationes, & Examina melius cognoſcit. Id teſtatur S. Bernardus dicens: An experimentum quæritis, de quo loquimur? quando is, qui prius vix per biduum poterat a luxuria, crapula, & comeſſationibus, & ebrietatibus, & cubilibus, & impudicitiis, cæteriſque ſimilibus, & diſſimilibus vitiis continere, nunc ab iis continet multis annis, tota utique vita. Confirmat id ipſum Senecæ effatum, quo dixit: Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat; ubi autem plures ſunt teſtes, quam in Religione; ubi tantopere urgetur ſocii præſentia?

S. Ber. ſ. 3. in dedic.

II. Quia *vivit purius*: partim quia per Profeſſionem, velut alterum Baptiſmum, a præteritis peccatis mundatur: partim quia per Sacramentorum frequentationem, & librorum ſpiritualium ſuperiorumque, ac aliorum Magiſtrorum directiones perfectius in virtutis ſtudio ſtabilitur.

III. Quia *ſurgit velocius*: tum quia exemplis bonis domeſticis, quæ quotidie videt, erigitur: tum quia ſuperiorum tamquam Medicorum ſpiritualium curatione ſublevatur: tum quia colloquiis piis cum Domeſticis vehementer accenditur ad fugam vitiorum, & virtutis amorem: tum ob uberiorem influxum gratiæ, quem in Religione experitur ad reſurgendum a lapſibus: ob quas cauſas merito Deus S. Catharinæ Senenſis dixit: Religio tutior eſt, ſi ibi quis ruat, aptior eſt ad ſurgendum, quia cum majori bono ſe reperit. Alius vero prudenter dixit, Religioſorum, & Sæcularium Hominum lapſum habere ſe, ſicuti ſe habet ædificium dirutum, ex quo lapides adhuc ſuperſunt, ut adeo facile iterum erigatur: & ſicut ædificium a fundamento deſtructum, de cujus materia nihil ſit relictum.

S. Catha. Sen. dial. c. 144.

IV. Quia *incedit cautius*: frequentes enim lapſus in ſæculari ſtatu docuerunt, quam ſit caute incedendum, cum enim per meditationes quotidiana talium lapſuum gravitatem, ac periculum accuratius perpendat, (id quod vix unquam ſerio faciunt ſæculares,) hinc fit, ut Theodoro Studita teſte, piis implexus cogitatis, & diſtentus, hoſtiles laqueos evadat. Unde de eo verificatur illud S. Chryſoſtomi. Avicula ſemel capta laqueo, mox elapſa, & cervus in rete decidens & effugiens, iiſdem iterum difficulter capitur, nam cuique eſt experientia cautelæ Magiſtra, hinc, ut Salomon ait, fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum.

S. Theod. Studita apud Lan. opuſc. 1. num. 99.
S. Chryſ. ho. 19. ad pop.

V. Quia *irroratur frequentius*: tum quia Religioſi voluntas tota eſt in lege Domini obſervanda defixa, atque ideo juxta S. Davidem ſimilis eſt ligno plantato ſecus decurſus aquarum: tum quia ipſe ſe liberaliorem erga Deum exhibet, atque adeo merentur etiam viciſſim Deum liberalem in dandis gratiis experiri. Unde merito B. Ægidius Franciſcanus cuidam ſæculari quærenti, an poſſet in ſæculo divinam gratiam ſibi conciliare? reſpondit: Potes quidem, ſed mal'em ego gratiam unam in Monaſterio, quam decem in ſæculo. Quæ enim in Monaſterio obtinetur gratia, ea & creſcit facile, & facile cuſtoditur, quod is, qui Monaſticum ſequitur inſtitutum, ab omni mundi ſtrepitu, & ſollicitudine perturbante (quæ magnum afferunt gratiæ impedimentum) ſejunctus ſit, aliique Fratres piis adhortationibus, & ſanctis exemplis a malo eum pertrabant, & ad bonum incitent; ſecus vero ſe res cum gratia in ſæculo requiſito habeat, ubi laudatur potius, qui malum operatur: & irriſioni eſt expoſitus, quam qui bonum operari conatur.

Prov. 1. verſ. 17.
Wading. to. 2. annal. anno 1262. nu. 31.

VI. Quia *quieſcit ſecurius*: tum quia a curis ſæculi liber eſt: unde S. Bernardus alicubi ait: In Eccleſia lectum, in quo quieſcitur, clauſtra eſſe exiſtimo, & Monaſteria, in quibus quiete vivitur a curis ſæculi, & ſollicitudinibus vitæ: tum quia ob paternam, & occultam Superiorum providentiam de rebus neceſſariis etiam optime ei providetur; unde merito S. Gregorius de tali ſcripſit: Liber ergo dimittitur, qui calcatis deſideriis, ab appetitione rerum temporalium, ſecuritate mentis exoneratur. Similis proinde eſt columbæ a Noe emiſſæ, quæ, cum non inveniret, ubi requieſceret pes ejus, ad arcam reverſa eſt. Quam arcam merito Patres Spirituales Religionem eſſe dicunt, ad quam, teſte S. Eucherio, confugiendum eſt, qui frementis ſæculi tempeſtate vexantur. Hic ſtatio fidiſſima, & quies certa. Accedit, quod in Religioſis maxime verificetur illud Chriſti promiſſum: Tollite jugum meum ſuper vos, & invenietis requiem animabus veſtris.

S. Bern. ſ. 46. in Cant.
S. Greg. l. 30. mor. c. 11.
S. Euche. paren. ad Valerian.

VII. Quia *moritur confidentius*: nam, ut S. Chriſoſtomus ait, ægrotanti non uxor adſtat crinibus ſolutis, nec pueruli imminentem flentes orbitatem: non famuli expirantem importunis precibus pulſantes, ut ſe cuipiam commendatos relinquat. Sed his impedimentis omnibus ſolutus animus id unum tantummodo cogitat, quomodo cum majore gratia extremum Deo ſpiritum reddat. Alibi vero idem ſanctus ait, Religionem hoc habere, ut eos, qui eam ſecuti ſunt, primum in hac vita multis bonis repleat, deinde poſt vitæ exitum hilares, & ludibundos ad Dei tribunal perducat. Cujus rationem alio loco reddens ait: Impoſſibile eſt, mentiri Deum, promiſit autem ille vitam æternam, iſta relinquentibus. Reliquiſti tu omnia, iſta, & abjeciſti; quid igitur prohibet de hujuſmodi confidere promiſſione, & eſſe ſecurum? Recte ergo S. Bernardus exclamat: O vita ſecura, ubi pura conſcientia! O, inquam, vita ſecura, ubi abſque formidine mors expectatur, imo

S. Chryſ. ho. 14. in 1. ad Ti.
Idem, ad compar. Regis & Monachi.
Idem l. 3. de prov. col. 11.
S. Bern. ſ. ad milit. templi c. 1. idem ſ. de vit. ſolit.

Digitized by Google

imo & exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum devotione. Et iterum! Spiritui a corpore exeunti, a cella in cælum non longa, nec difficilis via invenitur, moriens enim aut vix, aut nunquam aliquis a cella in infernum deſcendit; quia vix unquam aliquis, niſi cælo prædeſtinatus, in ea uſque ad mortem perſiſtit.

VIII. Quia *purgatur citius*: id eſt, a purgatorii pœnis liberatur; tum quia ipſum vitæ religioſæ genus eſt quodammodo perpetua pœ- *L. 1. c. 24. §. 24.* nitentia, & ſatisfactio, juxta illud Thomæ Kempenſis effatum: Habet magnum & ſalubre purgatorium, qui ſibi ipſi violentiam frequenter facit, & carnem omnino Spiritui ſubjugare conatur; tum quia mortem crebrioribus & efficacioribus ſuffragiis, operibuſque a Fratribus ſuis adjuvatur: tum quia quampluribus etiam indulgentiis Religioni conceſſis a Purgatorio ſe liberare poteſt.

IX. Quia *remuneratur copioſius*: uti pulchre *S. Anſelmus apud Plat. l. 1. c. 31.* S. Anſelmus oſtendit, dum dixit: Omnis hominum vita ſimillima eſt totæ frumentariæ, quæ numquam moveri & verſari deſinit. Sed intereſt inter homines, qui eam curant, alii enim farinam ſic defluentem negligunt, ut tota in flumen elapſa pereat, uti ſæculares, qui numquam mentem, ac cogitationem ad æterna erigunt, intenti caducis, & terrenis. Alii partem ſervant, partem negligentia perdunt quales ſunt, qui, licet in ſæculo degant: aliqua tamen bona & ſalutaria peragunt, eleemoſynas tribuunt, frequentes ſunt in templo, ægrotos viſitant. Atque ii pro operum menſura tantundem præmii accipient. Alii demum ſubjecto ſacco totam excipiunt; & hi ſunt Religioſi, qui, quoniam ex Superiorum ſuorum juſſu, ejuſmodi rebus implicantur, quamvis temporale ſit, quod agunt, nihil tamen in eis de labore ſuo perit. Quin etiam, licet cogantur quidpiam, negotiis urgentibus, vel de communi diſciplina remittere, hæc tamen omnia obedientiæ virtus compenſat, eaque farinam defluentem totam puram ita colligit, ac recondit, ut ad illos in omnem æternitatem alendos ſufficiat. Hinc *S. Greg. l. 7. mor. c. 31.* recte de talibus S. Gregorius ait: Animam ſuam juſti in vano non accipiunt, qui intentione continua ad ejus utilitatem referunt, quidquid corporaliter operantur quatenus & tranſeunte opere, operis cauſa non tranſeat, quæ vitæ præmia poſt mortem pareat.

§. IX. MEDIA.

Ad Religioſum Statum digne amplectendum.

Sap. 6. v. 12. & 13. I. ARdens *deſiderium perfectionis*: nam teſte Salomone, initium illius eſt veriſſima diſciplina concupiſcentia: facileque videtur ab his, qui diligunt eam, & invenitur ab his, qui quærunt illam, præoccupat, qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat. Qui de luce vigilaverit ad illam non laborabit: aſſidentem illam foribus ſuis inveniet. *S. Hier. apud Rodriq. p. 1. tr. 1. c. 3.* Hinc S. Hieronymus, non ſufficit nobis, ait, velle juſtitiam, niſi & juſtitiæ patiamur famem: dicereque cum Regio Propheta poſſimus: Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. At S. Thomas Aquinas ſorori quærenti; qua ratione ſalvari poſſet? merito reſpondit: Si volueris, ſalvabere.

II. *Oblivisci præteritorum, & ad anteriora ſe convertere*: ita S. Paulus exemplo ſuo do- *Phil. 3. v.* cuit dicens: Fratres, ego non arbitror me comprehendiſſe; unum autem, quæ quidem retro ſunt, obliviſcens, ad ea vero: quæ priora ſunt, extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu. Quod ipſum confirmans S. Hieronymus, quicumque factus eſt, inquit, *S. Hier. ſup. Pſ. 83.* quotidie in priora extenditur, & præteritorum oblivifcitur. Felix eſt, qui quotidie proficit, qui non conſiderat, quid heri fecerit, ſed quid hodie faciat, ut proficiat. Nam, ut S. Chryſoſtomus recte advertit, a *S. Chryſ. ho. 10 ſup. ep. Rom.* currendo non ceſſat, qui ſe curſus ſui terminum necdum attigiſſe conſiderat. E contrario vero, ſi reſpicis ad ea, quæ habes, inquit Sanctus Bernardus, elevaris in ſuper- *S. Bern. apud Rodriq. l. 1. c. 17.* biam, dum te aliis præponis: proficere negligis, quia magnum te eſſe arbitraris, & tepidius incipies deficere, & remiſſius agere.

III. *Ita ſe gerere, ac ſi eo primum die ad Religionem veniſſet*: ſic enim jam olim Abbas Agatho ſuaſit, dum antiquo Monacho ro- *Rodr. p. 1. tr. 1. c. 14.* ganti, quomodo ſe in Religione habere deberet? reſpondit: Vide, qualis fueris primo die, quando exiſti de ſæculo, & receptus fuiſti in clauſtro, & talis permane ſemper. Quod ipſum etiam S. Antonius morti proximus ſuis ſuaſit dicens: Ego quidem Filioli, ſecundum eloquia ſcripturarum, Patrum gradior viam; jam enim Dominus me invitat, jam cupio videre cæleſtia: ſed vos, o viſcera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repente perdatis, hodie vos religioſum ſtudium arripuiſſe arbitremini, & cœptæ voluptatis fortitudo ſuccreſcat. Ita Sanctus Bernardus fe- *Surius to. 2. p. 186.* cit, qui, teſte Surio, ſemper ſe velut Novitium unius diei tractabat; imo omnium San- *Eccl. 18. v. 6.* ctorum proprium eſt, teſte Siracide, ut cum conſummaverint, tunc incipiant.

IV. *Sæpe a ſe rationem exigere, cur religionem ſit ingreſſus*: ſic S. Bernardus iterum do- *Rodr. p. 1. tr. 1. c. 15.* cuit, aſſiduo ſeipſum his verbis compellare ſolitus: Bernarde, ad quid veniſti? Imo & ipſe Chriſtus hoc medio uſus eſt erga Judam Proditorem, dum dixit. Amice, ad quid *Matt. 26. v. 50.* veniſti? quaſi dicere voluerit: Conſidera, o Juda, quantum beneficium a me per vocationem ad Apoſtolatum acceperis, & mox a propoſito facinore deſiſtens, magiſtro tuo adhærebis potius, quam prodes. Merito ergo etiam pius Aſceta ſic Religioſum alloquitur: *L. 1. de imit. c. 25. §. 1.* Eſto vigilans, & diligens in Dei ſervitio, & cogita frequenter, ad quid veniſti? & cur ſæculum reliquiſti? nonne ut Deo ſervires, & ſpiritualis homo fieres? igitur ad profectum ferveas, quia mercedem laborum tuorum in brevi recipies.

V. *Brevem ſibi hujus vitæ curſum circumſcribere*: ita Eccleſiaſtes hortatus eſt dicens: *Eccl. 9.* Quodcumque poterit manus tua facere, inſtanter

Digitized by Google

ter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia ſunt apud Inferos, quo tu properas: id ipſum etiam S. Baſilius ſuaſit his verbis: ſemper ante oculos tuos verſetur ultimus dies. Cum enim diluculo ſurrexeris, ad veſperum te ambigas pervenire: & cum in lectulum ad quieſcendum membra tua poſueris: noli confidere de lucis adventu, ut facilius te poſſis refrænare ab omnibus vitiis.

S. Baſil. in Struct. ad Fil. Spirit.

Sic exemplo ſuo docuit S. Job dicens: Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea. Vocabis me, & ego reſpondebo tibi. Vere beatus ſervus quem, cum venerit Dominus ejus, invenerit vigilantem.

Job. 14. *Matt. 24.*

VI. *Aſſuefacere ſe virtutibus*: Nam comparato uſu, conſuetudineque in operando, aſperum iter virtutis planum, atque jucundum reddetur: id quod jam pridem Spiritus Sanctus per Salomonem indicavit, dum dixit: Audi, Fili mi, & ſuſcipe verba mea, ut multiplicentur tibi anni vitæ. Viam ſapientiæ monſtrabo tibi, ducam te per ſemitas æquitatis, quas, cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum. Quod ipſum etiam confirmans S. Paulus, omnis autem diſciplina, ait, in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris; poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ. Et clarius S. Bernardus primum, inquit, tibi importabile videbitur, aliquid proceſſu temporis ſi aſſueſcas, judicabis non adeo grave, paulo poſt & leve ſenties: paulo poſt nec ſenties: paulo poſt etiam delectabit.

Prov. 4. v. 10. *Hebr. 12. v. 11.* *S. Ber. l. 1. de conſid. c. 2.*

VII. *Animum rebus altis, egregiiſque applicare*: ſic enim jam olim Corinthiis Apoſtolus ſuaſit dicens: æmulamini chariſmata meliora. Per hoc enim medium efficietur, ut, cum ad ſuperiora connitimur, ſaltem ad mediocritatem perveniamus, ad exemplum ſcilicet ſagittariorum, qui, ut metam certius attingant, paulo altius ſupra ſcopum dioptam dirigunt.

1. Cor. 12. v. 31.

VIII. *Etiam res parvas æſtimare, & non contemnere*, qui enim ſpernit modica, paulatim decidet, Siracide teſte; & ut S. Bernardus recte advertit, a minimis incipiunt, qui in maxima proruunt, veriſſima enim ſententia eſt: nemo repente fit ſummus. Et, ut iterum Siracides monet, in pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perſtillabit domus. Ex minimis guttis, ait S. Bonaventura, multiplicatis inundationes aquarum fiunt, quæ etiam magna aliquando mœnia ſubruunt, per modicam rimam aqua latenter in navem influit, donec ſummergatur.

Eccl. 19. v. 1. *S. Bern. de vit. & mor. inſti.* *Eccl. 10. v. 18.* *S. Bonav. in prom. relig. l. c. 20.*

IX. *Ad aliorum exempla reſpicere*: ſic Sanct. Antonius ſuaſit, dicere ſolitus, Religioſum debere api ſimilem eſſe & in unoquoque illud ſtudioſius contemplari, quod in ipſo præſtantius effulſerit. Certe Charilaus nobilis apud Lacedæmonas Philoſophus quæſitus, quam rempublicam optimam eſſe cenſeret? eam, reſpondit, in qua cives de virtute contenderent.

Rodriq. p. 3. tr. c. 31.

X. *Conſiderare, quantopere Deus & ſancti noſtram perfectionem deſiderent*: nam, ut S. Cyprianus ſapienter advertit, ſi hominibus lætum & glorioſum eſt, Filios habere conſimiles, & tunc magis generaſſe delectat, ſi ad Patrem lineamentis ſoboles paribus ſucceſſive reſpondeat; quanto magis in Deo Patre lætitia eſt, cum quis ſic ſpiritualiter naſcitur, ut actione ejus & laudibus divina generoſitas prædicetur?

S. Cypr. in c. 5. Matt.

§. X. ASCETICA.

I. SEptem fere ſunt, quæ ab Aſceta ſpecialiter de Statu Religioſo ſunt notanda. Primum eſt, ut bene cognoſcat, quænam requirantur ad ſtatum Religioſum, nimirum ſequentia tria. 1. *Tria vota* Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ; per hæc enim homo perfecte Deo dicatur, & abdicatur propria voluntate, & libertate: 2. *Regula particularis*, ſive Inſtitutum; quæ quidem non per ſe requiritur (cum ad eſſentiam non alia pertineat regula, quam quæ in divinis præceptis, ipſiuſque votis, continetur,) ſed per accidens, quia Eccleſia non conſuevit Statum Religioſum approbare, niſi cum tali particulari regula. 3. *Approbatio Eccleſiæ, & votorum admiſſio*: quia enim grave periculum immineret Eccleſiæ, ſi cuilibet licentia fieret novam Religionem excogitandi, ideo merito a Concilio Lateranenſi & Lugdunenſi ſtatutum eſt, ut nullus deinceps Ordo ſine approbatione Eccleſiæ inſtitueretur.

Beirl. v. Relig. ſ. 128.

II. Secundum eſt, ut bene cognoſcat varios modos, quibus Deus vocare ſolet ad Religioſum Statum, quos quidem Sanct. Bernardus, & Caſſianus aſſignaverunt. Tres ſunt vocationum odines, & modi. Primus ex Deo eſt, ſecundus per hominem, tertius ex neceſſitate. Ex Deo quidem eſt, quoties inſpiratio quædam immiſſa in cor noſtrum, nonnumquam etiam dormientes nos ad deſiderium vitæ æteruæ, ac ſalutis exuſcitat, Deum ſequi, & ejus inhærere præceptis compunctione ſaluberrima cohortatur. Quomodo B. Antonium avidum eſſe cognovimus. Secundus vocationis modus eſt, cum vel exemplis quorumdam Sanctorum, vel monitis caſtigati, ad deſiderium ſalutis accingimur, (quo modo duo Aulici ex vita S. Antonii lecta vocati ſunt.) Tertius vero vocationis modus eſt, qui ex neceſſitate deſcendit, cum ingruentibus repente tentationibus, quæ vel mortis pericula comminantur, vel amiſſione percutiunt, vel carorum morte compungunt, ad Dominum, quem ſequi in rerum proſperitate contempſimus, ſaltem inviti requirere compellimur. De quo ultimo gerere ſic loquitur Caſſianus: Abbati Moyſi nil deſuit ad perfectæ beatitudinis meritum quod metu mortis, quæ ei propter homicidii crimina intentabatur, impulſus ad monaſterium decurrit; quia ita neceſſitatem converſionis arripuit, ut eam in voluntatem prompta animi virtute convertens, ad perfectionis faſtigia ſumma pervenerit. Et Paulo nihil obfuit, quod repente cæcatus ad vitam ſalutis velut invitus videtur attractus, qui poſtea Dominum tanto animi fervore ſectatus, initium neceſſitatis voluntaria devotione conſum-

S. Bern. in ſentent. Caſſ. col. 3. c. 3. 4. *Ib. n. 5.*

Digitized by Google

ſummans, glorioſam tantis virtutibus vitam incomparabili fine concludit.

Manual. Sodal. c. 11. p. 5. III. Tertium eſt, ut ſolidum ſciat modum inquirendi vocationem, qui quidem in ſequentibus regulis conſiſtit. 1. Non eſt expetenda aut expectanda revelatio, aut miracula, aliave ſigna extra naturæ ordinem, quia, cum Deus lumen mentis inſeruerit, hoc fide adjutum ſufficere poterit ad vocationem inquirendam. 2. Ut animus ad eam, quæ haberi poteſt maxima æqualitate componatur, ſolumque Dei beneplacitum in hoc negotio quæratur. 3. Ut quoniam ſecretum conſilium ſecretum auditum quærit, negotia, curæque ſeponantur, conſcientiaque per confeſſionem purgata, meditationi, ac Sacramentorum frequentationi diligentius inſiſtatur. 4. Ut quoniam duo ſunt vocationum a Deo provenientium genera, alterum, quo voluntas vitæ religioſæ deſiderio acceditur: alterum, quo ratio illuminata vanitatem, ac periculum vitæ ſæcularis ex una parte, ex altera vero ſecuritatem, ac felicitatem vitæ religioſæ agnoſcit, diligenter inquiratur, quo horum duorum generum quiſque vocatus ſit; & ſi quidem priori genere ſe quis vocatum ſentiat, etſi non ſimpliciter neceſſarium ſit, ut ulterior inquiſitio inſtituatur, tamen majoris ſecuritatis gratia etiam Rationis conſultatio jungatur; & ab initio quidem finis, propter quem creati ſumus, ob oculos ponatur: deinde vero varii ſtatus, de quibus conſultandum eſt, ob oculos ponantur, & quid in ſingulis commodi, incommodive reperiatur, tum ex illorum, tum ex noſtra natura judicetur. Tum quid in morte aut judicio extremo elegiſſe mallemus, aut, quid alteri cuipiam æque nobis cognito, ac amato, ac nos ipſi chari, aut cogniti ſumus, ſuaderemus in hoc negotio, perpendatur. Tandem tota hæc electio Deo commendetur, & cum viro aliquo prudente communicetur, ejuſque ſuper ea conſilium requiratur.

IV. Quartum eſt, ut ſolidum etiam ſciat modum exequendi vocationem, qui quidem in quatuor potiſſimum induſtriis conſiſtit. 1. Ut magni æſtimetur beneficium vocationis ad religioſum ſtatum, quem in finem memora- *Serm. de ingrat.* bilis iſta Sanct. Bernardi ſententia proderit: Magna eſt ſuper nos, magna valde miſericordia Dei noſtri, quos tam ineffabili Spiritus ſui virtute, tam inæſtimabili dono gratiæ ſuæ eripuit a vana noſtra converſatione hujus ſæculi, in quo eramus aliquando ſine Deo, aut certe, quod execrabilius eſt, contra Deum, non ignorantiam habentes, ſed contemptum. Cujus vitæ, aut potius mortis (anima enim, quæ peccaverit, ipſa morietur,) utinam frequenter in oculis cordis noſtri tetra verſaretur imago, quanta videlicet cœcitas, quanta perverſitas illa fuerit, ut ſedula meditatione penſantes miſericordiæ pondus, etſi non tam perfecte, ſicut eſt, aliquatenus tamen æſtimare poſſemus liberatricis miſericordiæ quantitatem. Jam vero ſi quis ex nobis diligenter conſiderare non negligat, non modo unde erutus, ſed ubi ſit conſtitutus; non ſolum quid evaſerit, ſed & quid acceperit; non tantum unde revocatus ſit, ſed etiam, quo vocatus, inveniet ſine dubio cumulum hujus miſericordiæ omnino menſuræ prioris excedere quantitatem. In eumdem finem non parum proderit ponderaſſe, quod Sanct. Baſilius monet, ſcilicet eum, qui ſæ- *S. Baſil. ſ. 2.* culo nuntium remiſit, hoc in primis cogitare debere, ſe jam ultra humanæ naturæ fines proceſſiſſe, ſeque ipſum ei inſtituto tradidiſſe, quod ſit quam maxime a corpore ſejunctum, ac propterea Angelorum converſationem imitandam ſuſcepiſſe: ſiquidem hoc Angelicæ naturæ proprium eſt, liberum eſſe a vinculis terrenis, nec omnino diſtrahi ad ullam aliam pulchritudinem contemplandam, ſed oculos in Dei vultum aſſidue defixos habere. Unde merito etiam P. Hieronymus *Platus l. 1. c. 22.* Platus diſcrimen hoc eſſe ait inter ſæcularem, qui affectu ſolo relinquit omnia, & Religioſum, qui affectu, & opere omnia relinquit, quod ille quaſi adverſo flumine remiget, & ideo difficilius tardiuſque progrediatur, gravius fatigetur, & facilius relabatur; quoniam vix ullus eſt, qui in ea perpetua contentione, ac lucta adverſus tot difficultates &.impedimenta durare poſſit. Iſte vero quaſi propitiis ventis feratur, utpote quem nihil impedit aut retardat, omnia juvant & impellunt, locus, ſtatus, ſocii, occupationes & ſtudia, quibus tenetur, denique quidquid videt, vel audit. 2. Ut bona intentione amplectatur Statum Religioſum, nam, ut Sanct. Auguſtinus ſapienter dixit, *S. Aug. conc. 12. in pſ. 18.* magni intereſt, cum aliquid boni facimus, cujus rei contemplatione faciamus; officium quippe noſtrum non initio, ſed fine penſandum eſt; ut ſcilicet non tantum, ſi bonum eſt, ſed præcipue ſi bonum eſt id, propter quod facimus, cogitemus. 3. Ut celeriter executioni mandetur vocatio; nam, ut recte diſcurrit Sanct. Joannes Climacus, ſi vocan- *S. Clim. grad. 1.* te nos terreno, & mortali Rege, & in ſuum obſequium nos militare jubente, nihil moraremur, neque occaſiones quæreremus: ſed omnibus dimiſſis illi magna alacritate pareremus; attendamus nobis ipſis, caveamuſque diligenter, ne forte Regi Regum, & Domino Dominantium, & Deo Deorum, nos vocanti ad cæleſtem hunc ordinem, propter noſtram deſidiam, & negligentiam obtemperare recuſemus, & poſtmodum ante tribunal illud horrendum inexcuſabiles inveniamur. Pulchre etiam Sanct. Baſilius: Ad vitam, *S. Baſil. ho. 12.* inquit, te vocamus, o homo, quid fugis vocationem? ad bonorum participationem, quid negligis donum? regnum cælorum apertum eſt; qui vocat, non mendax eſt: via facilis eſt: non tempore, non ſumptu, non negotio opus eſt. Quid cunctaris? quid tergiverſaris? quid jugum times, velut juvenca nondum jugum experta? bonum eſt, leve eſt, cervicem non atterit, ſed glorificat. Subde indomitam cervicem, fias Chriſti jumentum, ne dimiſſo jugo, & vitam degens liberam, feris te laniandum exponas. Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus: dulcedinem mellis quo-

quomodo eam ignorantibus declarare poſſim? Guſtate, & videte. *S. Aug. ſ. 39. de verb. Do.* Aliam vero adhuc rationem accelerandæ executioni affert, Sanct. Auguſtinus his verbis: Ecce indulgentiæ dator aperit tibi oſtium, quid moraris? gaudere deberes, ſi aperiret aliquando pulſanti, non pulſaſti, & aperit, & foris remanes? ne ergo differas. Et iterum: De miſericordiæ operibus quodam loco ſcriptura dicit: Ne dixeris, vade, & revertere, cras ego dabo: cum poſſis continuo benefacere; non enim ſcis, quid ſequenti continget die. Audiſti præceptum non differendi, ut in alium ſis miſericors, & differendo, in te es crudelis? exhibe & animæ tuæ eleemoſynam. Non dicimus, ut tu Deo des, ſed non repellas manum dantis. 4. Ut conſtanter portetur jugum Religionis ſemel ſuſceptum: nam, ut Sanct. *S. Ephr. in ſ. non decet eos.* Ephrem ait, ſi quis poſt renunciationem, & abdicationem vitæ, in virtutis ſtadio claudicare incepit, & ſenſim a recta via reſilire, oculoſque retrorſum convertere, hic & in vita præſenti erit exemplo, & poſt hanc vitam regno cælorum privatus, indignum ſeipſum Sanctorum choro reddet. *S. Bern. de modo bene viv. c. 20.* Sanct. Bernardus vero ait: Qui de Monaſterio ad ſæculum redeunt, a Societate Angelorum ſeparantur, & Dæmonibus ſociantur. Qui ſanctam congregationem relinquunt & ad ſæcularem vitam deſcendunt, a Societate Dei elongantur atque dominio Diaboli ſubjuguntur. *Cæſar. ho. 3. ad Monach.* Hinc merito Cæſarius ſic Monachos ſuos hortatus eſt: Quid gravius, quam ut ſubito eradiceris de loco, ad quem te Dominus Deus tuus vocaverat, in quo te primum illuminaverat, in quem te poſt mala ſæculi quaſi ad portum de gravi tempeſtate eduxerat? oblivisci ſubito fraternitatis, ſocietatis, & conſolationis, oblivisci loci illius, in quo primum priſtinum habitum, & ſæculares mores exueras? aves ipſæ diligunt nidos ſuos, amant feræ loca, in quibus nutritæ ſunt, amant cubilia, & paſcua, & tu intellectu præditus, ratione munitus, ita interdum alienus a ratione efficeris, ut præferas Dei beneficiis voluntates, vel intentiones tuas, & ſequaris proprias cogitationes, quæ quamlibet ad duros labores, quamlibet ad ſalutis naufragia, atque animæ detrimenta te rapiant, totum hoc præ nimia cordis indignitate non ſentis. Nec dicas, *S. Chryſ. l. 3. con. vitup. vit. mon.* inquit Sanct. Chryſoſtomus, unde nobis conſtare poterit, quod ſtabit ille, perſeverabit omnino? multi enim exciderunt. Et ego tibi reſpondebo: unde vero tibi conſtat, quod non perſeverabit? multi enim ſunt, qui perſeveraverunt, & quidem longe plures, quam qui exciderunt. Itaque iſtorum gratia magis confidendum eſt, quam illorum metuendum.

V. Quintum eſt, ut ſciat, in quo conſiſtat verus Spiritus ſeu perfectio Religioſi Status, nimirum in cognitione, & amore Dei; ſicut enim Beatorum in cælis felicitas his duobus conſummatur; ita perfectio hominum in hac vita, quæ eſt beatitudo inchoata, in iiſdem quoque recte conſiſtere dicitur. Id quod ipſe quoque Chriſtus indicaſſe videtur, dum dixit ad Apoſtolos: Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt: id eſt, *Matt. 5. v. 48.* ſicut Pater ſeipſum cognoſcendo generat Filium; & amando eumdem ſpirat Spiritum Sanctum, & ſic quodammodo in ratione Trinitatis perſonalis perfectus evadit; ita & homo quoque, utpote ad imaginem Dei factus, per cognitionem, & amorem ejuſdem Deitatis perfectus efficitur. Sicut autem duplex eſt amor, affectivus, quo quis gaudet de bono Perſonæ amatæ; & effectivus, quo quis operatur propter beneplacitum & bonum amati; ita perfectio quoque duplicem hunc amorem includit, ut ſcilicet quis ex animo gaudeat Deum eſſe, qui eſt; & ſimul etiam in ſubſtantia, modo, & fine ſuorum operum ſolum Dei beneplacitum inquirat, id quod breviter nonnemo ſequentibus duobus verſibus indicavit.

Omne tulit punctum, patitur qui ſemper, agitque.
Quæ vult, quove modo vult Deus & quia vult.

Quia vero ad hanc perfectionem addiſcendam, & exercendam Chriſtus nobis pro Magiſtro datus eſt, ideo recte a nonnullis Aſcetis dicitur tota Religioſorum perfectio in perfecta imitatione Chriſti conſiſtere. Id quod inprimis Sanct. Ambroſius ſequentibus *S. Ambr. in explic. tit. Pſal. 38.* verbis indicavit. Chriſtus eſt finis omnium, quæ pia mente poſcimus, in omnibus tibi ſequendus eſt. Ad quem igitur contendas, niſi ad perfectionem omnem, ſummamque virtutum. Et ideo tibi dicit: Veni: ſequere me, hoc eſt, ut ad conſummationem virtutum pervenire merearis: Ergo qui ſequitur Chriſtum, eum pro poſſibilitate ſua debet imitari, ut præcepta ejus ſecum meditetur, & divinorum exempla factorum. Sanct. Bernardus autem id ipſum confirmans, *S. Bern. in hom. ecce nos.* ubi verbum, inquit, caro factum eſt, & habitavit in nobis, jam nobis in eo tradita eſt imago vitæ, & perfectionis exemplar, quod oporteat etiam corporaliter imitari, ut utraque ſequentes veſtigio, non ulterius cum Patriarcha Jacob, altero femore claudicemus. Neque id dicemus, tanquam ſalvari quis vel hoc tempore nequeat, ſi ſecus egerit, ſed ut gradum cognoſcat proprium, & locum perfectionis, aut diſcipulatus officium non uſurpet. Nam ideo, teſte Sancto Laurentio Juſtiniano, ſe voluit trans- *S. Laur. Juſtin. faſc. 2. mor. cap. 12.* formare in ſingulos, ut charitatis compagine ſingulos reformaret in ſe, conformaretque ſibi. Fecit ſe, ſicut te, ut te faceret, ſicut ſe.

VI. Sextum eſt, ut ſciat apta & efficacia media perveniendi ad perfectionem Statui Religioſo præfixam, quorum ſat multa priori §. ſunt aſſignata, ſed quæ omnia fere ad tria revocari poſſunt, ab ipſa Sponſa in Can- *Cant. 1. v. 1.* ticis mox ab initio aſſignata, dum dixit: Oſculetur me oſculo oris ſui: quibus verbis *grande deſiderium* indicavit. Trahe me: quibus verbis gratiam a Deo petivit, ſuamque diffidentiam in propriis viribus declaravit. Poſt te curremus in odorem unguentorum tuorum: quibus verbis *cooperationem* propriam inſinuavit. Hæc ſane tria media,

ſcili-

Digitized by Google

ſcilicet deſiderium, oratio, cooperatio, merito, funiculus triplex dici poſſunt, quo homo perfectiſſime unitur Deo, & ſic religioſam perfectionem conſequitur.

VII. Septimum eſt, ut quoniam accedentibus ad ſervitutem Dei, præparatio ad tentationem ſuadetur a Siracide, mature ſibi de firmo ſcuto proſpiciat, quale quidem aptiſſimum a Sanct. David offertur, dum ait: *Eccl. 1. v. 1.* Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti me. Hoc ſane ſcuto contra geminum exercitum, quem, teſte S. Auguſtino, contra homines educit Dæmon, nempe voluptatem allicientem, & in tribulationem terrentem, fortiſſime propugnabitur, veriuſque de illo, quam de Myrtili militis ſcuto dici poterit:

Effugi geminum clypeo diſcrimen in uno.
Dum premererque ſalo, dum premererque ſolo.

Pſ. 88. v. 22. Hinc de eodem Davide, velut viro ſecundum cor ſuum Deus dixit: Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.

§. XI. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occaſione thematis: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*: poteſt oſtendi, quam vere hoc religioſus quivis dicere poſſit. Et 1. quidem oſtendatur, quam vere vita Religioſorum crux dici queat; ſi enim Sanct. Auguſtinus *S. Aug. ſerm. 31. de Sanct.* de quolibet Chriſtiano dixit: Tota vita Chriſtiani hominis, ſi ſecundum Evangelium vivat, crux eſt, atque martyrium; quanto magis de Religioſo perfectionem Evangelii ſectante id dici poterit? certe non immerito Theophylactus *Theoph. orat. de cruc.* de illis dixit: Monachis crux omnino cognata, & familiaris eſt, quorum tota vita afflictio, & mortificatio, & luctus, & ignominia, & ſubjectio, & id genus alia, quæ crucem comitantur. Et P. Balthaſſar Alvarez dicere ſolitus erat, religionem eſſe ſcholam, in qua ſcientia diſcitur crucifixos faciendi. 2. Oſtendatur, quam vere etiam dicatur Religioſus tribus clavis huic cruci affixus, ſcilicet vel per tria vota Religioſa; vel, ut S. Hieronymus explicat per humilitatem, patientiam, & obedientiam, de quibus S. Paulus ad Philippenſes dixit: *2. Phil. v. 8.* Humiliavit ſemeptipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. 3. Oſtendatur ex conditionibus crucifixi, quam vere hoc præconium Religioſo conveniat, quas quidem conditiones Caſſianus *Caſſ. l. 4. c. 34.* ſequentibus verbis expreſſit: Sicut crucifixus non pro animi ſui motu membra ſua quoquam movendi vel convertendi habet poteſtatem; ita & nos voluntates noſtras, ac deſideria non ſecundum id, quod nobis ſuave eſt, ac delectat ad præſens, ſed ſecundum legem Domini, quo nos illa conſtrinxerit, applicare debemus. Et ſicut is, qui patibulo crucis ſuffigitur, non jam præſentia contemplatur nec de ſuis affectionibus cogitat, non pro die craſtino ſolicitudine, curaque diſtenditur, nulla poſſidendi concupiſcentia permovetur, nulla ſuperbia, nulla contentione, nulla æmulatione ſuccenditur, non de præſentibus dolet injuriis, non præteritarum jam recordatur, ſeque, cum adhuc ſpirat corpore, cunctis elementis credit eſſe defunctum, illuc præmittens ſui cordis intuitum, quo ſe non dubitat illico tranſiturum; ita nos quoque crucifixos oportet his omnibus, id eſt, non ſolum carnalibus vitiis, verum etiam ipſis elementis, mortuos eſſe, illuc habentes oculos animæ noſtræ defixos, quo nos ſperare debemus momentis ſingulis tranſituros. Ita Caſſianus. Quod totum bene agnovit S. Ignatius Lojola, hinc in præfatione veteri Conſtitutionum dixit: *Engelgr. in feſto trium Martyr. Japon. §. 6.* Homines Mundo crucifixos, & quibus mundus ipſe crucifixus ſit, vitæ noſtræ ratio nos eſſe poſtulat. Hinc merito Gonſalvus Silveria Societatis noſtræ Sacerdos dixit: Non ſiſtam gradum, donec cum Jeſu affigar cruci. Quam altus vero ſit hic gradus, Chriſtus ipſe olim Rudolpho Converſo Ordinis Ciſtercienſis oſtendit, dum ei cum aliis quindecim Ordinis illius Religioſis in cruce ſuffixis apparuit, dixitque, hos ſolos ex illa Congregatione ſecum eſſe crucifixos. Vide hæc fuſius deducta apud Engelgrave loco citato.

II. Ex occaſione thematis: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis* *Jo. 15. v. 13.*: poteſt Religio Martyrio comparari, quia, teſte Sanct. Gregorio, duo ſunt Martyrii genera, unum in mente, *S. Greg. hom. 35. in Evang.* alterum in mente ſimul & actione. Itaque Martyres eſſe poſſumus, etiamſi nullo percutientium ferro trucidemur. Mori quippe a perſequente, Martyrium in aperto opere eſt, ferre vero contumelias, odientes diligere, Martyrium eſt in occulta cogitatione. Potiſſimum vero probetur hæc aſſertio triplici ex capite. 1. *Ex forma Martyrii*, quæ in eo conſiſtit, quod, ſicut in carnis Martyrio perſecutor Chriſtum eripere conatur erepta fide; ita in Martyrio mentis Diabolus, quo nullus eſt immanior hoſtis, Chriſtum (aliis virtutibus ereptis) eripere conatur. Hinc Sanct. *S. Aug. l. 210. de temp.* Auguſtinus ait: Contra mortiſera blandimenta luctemur, ſcientes in eo etiam quotidiana Martyria Chriſtianis deeſſe non poſſe. Si enim caſtitas & veritas, & juſtitia Chriſtus eſt; ſic & ille, qui eis inſidiatur, perſecutor eſt, & ille, qui ea in aliis defendere, & in ſeipſo cuſtodire voluerit, Martyr eſt. Cum ergo Religioſus tres primarias virtutes, ſcilicet paupertatem, caſtitatem, & obedientiam, ſingulari ſtudio, & fortitudine defendat, merito Martyrii palma illi non negatur. Hinc de paupertate quidem dixit Sanct. Bernardus: *S. Bern. ſ. 1. de SS.* Quid ſibi vult, quod eadem promiſſio facta eſt pauperibus, & Martyribus, niſi quia vere genus Martyrii eſt paupertas voluntaria? De caſtitate vero S. Ambroſius *S. Amb. lib. 1. de Virg.* ait, non ideo laudabilis eſt virginitas, quia in Martyribus reperitur, ſed quia ipſa Martyres facit. De obedientia denique Sanct. Theodorus Studita, *S. Theod. ſ. 39.* ait, inhærere frangendæ voluntati, Martyrium eſt. Et Sanctæ Gertrudi revelatum olim fuit, Religioſos ſub una regula obedientiæ viventes Martyribus annumerari, *Lancic. opuſ. 1. n. 98.* quia propriæ voluntati reſiſtunt, & ſenſus mortificando a peccatis, ad quæ propendent, abſtinent, & ſic ſe Deo offerunt in odorem ſua-

vita-

Digitized by Google

vitatis. 2. *Ex natura mortis*: quia ſicut mors corporis a divitiis, amicis, & omnibus rebus mundi ſeparat, ipſaſque partes corporis ſejungendo per tormenta graves cruciatus infert; ita Religioſus Status ſeparat per tria vota ab omnibus rebus creatis, tantoque majorem cruciatum affert, quanto magis ejuſmodi bona plerumque per affectum ſolent inhærere: & quanto ſeipſum quiſque magis diligit, quam *Platus l. 2. c. 12.* bona ſua. Hinc Paphnutius Abbas Tyranno varia tormenta minitanti dixit: Putaſne, tua hæc tormenta adeo mihi horribilia videri, ut propter ea Deum verum negandum putem? quinimmo hoc ſcito, noſtras Monaſticas conſtitutiones multo plura in ſe tormenta continere, quoniam in multis exercitationibus aſſidue tentamur. Sed Salvator noſter ita nos corroborat, ut omnia perſerre, & ſuperare poſſimus. Quare idem etiam nunc corroborabit me ad tuam hanc ſævitiam ſuperandam. 3. *S. Bern. ſer. 30. in Cant.* *Ex diuturnitate durationis*, de qua Sanct. Bernardus dixit: Genus Martyrii eſt, Spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius. Atqui in oculis *Rich. Vict. in pſ. 116.* Dei, inquit Ricardus Victorinus, majoris eſt meriti, ſæpe mortificari, quam mori. Nonne mors Martyrum tanto erat pretioſior, quanto mortem præcedens pœna productior? quibus volentibus mortem, non dabatur occidi. Qua de materia fuſius diſcurrentes videri poſſunt Hieronymus Platus lib. 2. cap. 12. & Nicolaus Lancizius opuſc. 1. cap. 4.

Exod. 15. v. 13. III. Ex occaſione thematis: *Dux fuiſti in miſericordia populo, quem redemiſti, & portaſti eum in fortitudine tua ad habitaculum ſanctum tuum:* poteſt vocatio ad Religioſum ſtatum eductioni Populi Iſraelitici ex Ægypto comparari; nam, uti recte S. Bernardus dixit, ibi populus eſt de Ægypto, hic homo de ſæculo. Ibi proſternitur Pharao, hic Diabolus: ibi ſubvertuntur currus Pharaonis, hic carnalia deſideria, quæ militant adverſus animam. Illi in fluctibus, iſti in fletibus; Marini illi, amari iſti. Puto & nunc clamitare Dæmonia, ſi forte contingat incidere in talem animam: Fugiamus Iſraelem, quia Dominus pugnat pro eo. Præcipue tamen hæc comparatio inſtitui poteſt quatuor ex capitibus: 1. Ratione Populi educti, ſcilicet Iſraelis, qui interpretatur videns Deum, fuit populus electus, & ſpecialiter dilectus a Deo, quæ prærogativæ multo magis conveniunt ipſis Religioſis, ut facile oſtendi poteſt. 2. Ratione loci, ex quo ſunt educti, videlicet ex Ægypto, ubi onerabantur laboribus, flagellabantur, & a cultu Dei impediebantur, quæ Mundo rectius attribuuntur, ex quo educti ſunt Religioſi. 3. Ratione modi eductionis: ſcilicet in die per nubem, in nocte per ignis columnam, & per viam maris rubri, & deſerti, quæ poſſunt explicari de Chriſti exemplo, utpote qui vere nubi comparari queat: de illuminatione Spiritus Sancti, qui columna ignis vocari poteſt: de remiſſione peccati per pœnitentiam obtenta, quæ poteſt itineri per mare rubrum comparari. Et tandem per relictionem omnium rerum, quæ poteſt viæ per deſertum attribui. 4. Ratione termini, ad quem adductus eſt, ſcilicet terram lacte & melle manantem, viriſque fortiſſimis conſtantem, quæ ad puritatem vitæ, conſolationum abundantiam, & fortitudinem Religioſorum trahi poſſunt. Videatur de hac materia fuſius diſcurrens Hieronymus Platus libr. 3. in proœmio.

IV. Ex occaſione thematis: *Tollite jugum meum ſuper vos: jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve*: *Matt. 11. v. 29.* poteſt qualitas Religioſi Status explicari. Et 1. oſtendi, quodnam ſit jugum illud, quod Chriſtus tolli præcepit, nempe jugum crucis, de quo ipſe dixit: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* *Matt. 16.* 2. Oſtendatur, cur jugum dicatur, quia ſcilicet non ſolus Religioſus id portat, ſed Chriſtus cum ipſo, utpote exemplum præbens, ut, quemadmodum ipſe fecit, ita & Religioſus faciat. 3. Oſtendatur, quomodo ſit *jugum ſuave, & onus leve*; tum propter gratiam vocationis; tum propter conſolationum abundantiam; tum propter centuplicem promiſſionem. Quæ omnia fuſius apud Platum l. 3. c. 4. 7. 13. & aliis videri poſſunt.

V. Ex occaſione thematis: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te*: *Pſ. 83. v. 5.* poteſt Religioſus Status cum Paradiſo cæleſti comparari. 1. Quia ſicut in cælo nulla eſt divitiarum, voluptatum carnis, propriæ voluntatis appetitio; ita nec in Religioſo ſtatu. 2. Quia ſicut in cælo nihil aliud agunt, niſi ut Deum laudent: ita & in Religione hoc ſolum agitur, utpote in qua omnia ad laudem Dei referuntur; ſic enim, ut ait Sanct. Auguſtinus, laudas Deum, *S. Aug. in pſ. 146.* cum agis negotium: laudas, cum cibum & potum capis: laudas, cum in lecto requieſcis; laudas, cum dormis. 3. Quia ſicut in cælo ſumma eſt tranquillitas, & felicitas, eo quod in uno, eoque ſummo bono delectentur beati, ita ſumma quoque eorumdem eſt felicitas. Quæ omnia fuſius apud Platum l. 3. c. 15. videri poſſunt.

VI. Ex occaſione thematis: *O quam bonum, & jucundum eſt habitare Fratres in unum*: *Pſ. 132. v. 1.* poſſunt explicari utilitates, quæ ex Religioſorum unitate percipiuntur, quæque a Siracide jam pridem indicatæ ſunt, dum dixit: *Eccl. 4.* *Melius eſt duos eſſe ſimul, quam unum; habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ; ſi unus ceciderit, ab altero fulcietur*. Quibus verbis primus fructus indicatur, ſcilicet quod a ſe mutuo ſubleventur, & erigantur, partim precibus, partim adhortationibus, partim exemplis. Unde mox addit: *Væ ſoli, quia cum ceciderit, non habet ſublevantem ſe.* Alter fructus indicatur his verbis: *Et ſi dormierint duo fovebuntur mutuo: unus quomodo calefiet?* nimirum ſicut carbo junctus aliis ardentibus carbonibus ſponte inardeſcit, ita idem tepido Religioſo evenit, ſi ferventibus jungatur. Tertius indicatur ſequentibus verbis: *Et ſi quiſpiam prævaluerit, duo reſiſtent ei*; nam, ut S. Bernardus ait, in Religione tot ſunt auxiliarii, quot ſocii, & tales, qui dicere poſſunt cum Apoſtolo: *quia*

non

Digitized by Google

non ignoramus aſtutias inimici. Congregatio enim pro fortitudine ſua terribilis, ut caſtrorum acies ordinata. Quæ fuſius deducta videri poſſunt apud Platum l. 1. c. 29.

§. XII. MISCELLANEA.

Qualitas.

S. Joann. Climac. gr. 28. I. SAnctus Climacus Monaſterium appellat ſalutarem Fullonum officinam, in qua dum Monachus contumeliis, & ignominiis, & Fratrum vexationibus extenditur, atque intellectualiter pulſatur, fortaſſis etiam ſenſibiliter, calcibuſque tunditur, & conculcatur, ſordes, quæ animæ veſtes commaculaverant, diluuntur.

In vitis PP. II. Pambo Abbas, dicebat, Religioſum debere eſſe ſimilem corpori mortuo, quod neque ſenſum, nec voluntatem habet: aut qualis baculus in manu ſenis, qui eo ad arbitrium utitur.

Surius in vitis PP. III. S. Laurentius Patriarcha Venetus Adoleſcentem nobilem ex Monaſterio domum remiſit, hac ſolum de cauſa, quod Fratrum conſilio, & perſuaſione vitam monaſticam ſuiſſet amplexus. Cauſam vero ſciſcitanti dixit, religionis propoſitum, a Spiritu Sancto eſſe debere, non ab humana ſuadela.

Engelgr. de com. Confeſſ. in ea. IV. Quidam dicebat, tunc Religioſum vocationi ſuæ ſatisfacturum, ſi tria Sanctorum ſervaverit, ſcilicet ſpernere mundum, ſpernere neminem, ſpernere ſperni.

Ibid. V. Alius dicebat, tria Religioſum ad Monaſterium afferre debere. *Dorſum aſininum*, ut omnia portet. *Os porcinum*, ut omnia, quæ apponuntur, comedat. *Cor columbinum*, quod nullam amaritudinem habeat.

Ibid. VI. Caſſianus dicere ſolebat, neminem poſſe eſſe verum Religioſum, niſi ſurdus, mutus, & cæcus fuerit; hanc enim eſſe victoriam, quæ vincit mundum.

Platus l. 2. c. 6. VII. Character veri Religioſi eſt altitudo quædam animi, qui ſuper omnia quæ in hoc mundo ſunt, erectus, omnia quaſi ſubter ſe habet, omnia deſpicit, ac pro nihilo ducit, ac non modo ea non quærit, ut mundani, ſed etiam oblata, & ultro affluentia, ut lutum, & ſtercus abominatur.

Idem l. 2. cap. 10. VIII. Sicut duplex eſt hominis perfectio, eſſentialis una, quæ hominem completum efficit, & accidentalis altera, quæ etiam venuſtatem, & ſpeciem addit, ut ſi homo non integrum dumtaxat corpus, ſed etiam venuſtum habeat; ita duplex etiam Chriſtiani perfectio, quarum prior, & quodammodo eſſentialis in plena mandatorum obſervatione conſiſtit; poſterior vero etiam obſervationem conſiliorum ſuperaddit, & talis eſt, ut aſpicientes perinde, ac vultus formoſus in amorem rapiat.

S. Bern. ſerm. ad FF. de monte Dei. IX. S. Bernardus pulchre explicat perfectionem ad Religioſum requiſitam, dum ait: Unitas Spiritus cum Deo homini ſurſum cor habenti, proficientis in Deum voluntatis eſt perfectio, cum jam non modo vult, quod Deus vult, ſed ſic eſt non tantum affectus, ſed in affectu perfectus, ut non poſſit velle, niſi quod Deus vult. Velle enim, quod Deus vult, hoc eſt, jam ſimilem Deo eſſe: non poſſe autem velle, niſi quod Deus vult; hoc eſt, jam eſſe, quod Deus eſt, cui velle, & eſſe idipſum eſt.

Æquitas.

X. Fr. Ægydius, cum aliquando ex litterato quæſiviſſet, num crederet, magna eſſe præmia, quæ præparavit Deus diligentibus ſe? & is affirmaſſet, ſubjecit Ægidius: Atqui ego oſtendam, te non credere. Quantum valent poſſeſſiones tuæ? Mille aureos, ait ille. Si hos ergo, ait ille, ſic collocare poſſes, ut centum mille ſubito efficerent, nonne ſtatim eos exponeres? ergo cum non exponas, manifeſte apparet, te non habere fidem Chriſto promiſſam. *Platus l. 1. c. 18.*

XI. Recte quidam de Mundo cecinit:

Mundus non mundus qui mundos polluit: ergo
Qui manet in Mundo, quomodo mundus erit?

Utilitas.

XII. Fuit quidam magnus inter prævidentes; hic affirmabat, dicens: quia virtutem, quam vidi ſtare ſuper baptiſma, vidi etiam ſuper veſtimentum Monachi, quando accepit habitum ſpiritualem. *Vit. P. l. 6. lil. b. n. 5*

XIII. Cum Sanct. Gertrudis ſe ad iter aliquod, licet viribus corporis deſtituta obtuliſſet, Chriſtus de Cruce in amplexus ejus demittens, dixit: Bene venias mihi Cariſſima, vulnerum meorum emplaſtrum leniſſimum, omniumque dolorum meorum levamen ſuaviſſimum. In quibus verbis intellexit, quod quando aliquis offert integram voluntatem ſuam ad omne beneplacitum Dei, hoc Dominus tali modo acceptat, quaſi homo ille tempore paſſionis ejus omnibus vulneribus leniſſima adhibuiſſet emplaſtra. *l. 3. ſia. c.*

XIV. Sanct. Anſelmus ait: ſi illi tantam a Deo gratiam ſperare poſſunt, qui divitias ſuas velut fructus Deo conſecrant; quantam merebuntur ii, qui etiam ſeipſos velut arborem eidem offerunt, quemadmodum Religioſi faciunt. *S. l. de mil.*

XV. Chriſtus quondam Sanct. Catbarinæ Senenſi dixit: Ego nunquam in me vere ſperantibus in aliquo deficio, ſed gratioſe provideo. Et unde procedit, quod homo quandoque ſtans in deliciis cum pannis multis, & in magna cura proprii corporis, habendo quotidie cibaria delicata, continue tamen eſt infirmitate gravatus. Poſtquam autem amore mei ſe contempſit, & amplexatus eſt voluntariam paupertatem, unico ſibi veſtimento reſervato ad cooperiendam corporis nuditatem, ipſe idem efficitur corpore fortis atque ſanus; & non videtur, quod aliquid ei noceat, neque conſequitur, quod illi corpori ſuo detrimentum aliquod inferant frigora, ſive calores, vel alia cibaria groſſa. Totum hoc a providentia mea procedit, quia de illo curam habere cœpi, qui mihi de ſe totaliter curam commiſit, omnino derelinquendo ſemetipſum. Ergo, dilectiſſima Filia, vi- *Lancig. opuſc. 2. n. 130.*

vides aperte, in quanta requie conſiſtant hi peramabiles pauperculi mei.

Dignitas.

S. Tereſ. in itin. perſ. c. 12. XVI. Sanct. Thereſia dicebat: Vita boni Religioſi, & ejus, qui vult eſſe ſtrictus amicus Dei, eſt longum Martyrium.

l. 4. Rev. c. 17. XVII. S. Agnes dixit S. Birgittæ: Martyrii genus eſt, delicias habere, & delciiis non uti.

Lanciz. opuſc. 1. n. 93. XVIII. S. Julianus, poſtquam cum Baſiliſſa virginitatem illibatam ſervare decrevit, vidit inter cætera cum Sponſa allatam a duobus Angelis librum argenteum, & in eo aureis litteris exaratam hanc ſententiam: Quiſquis mei deſiderio mundum contempſerit, iis annumerabitur, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati.

S. Greg. orat. ult. in Jul. XIX. S. Gregorius Naziauzenus de Religioſis Ordinibus dicit: Omnes ſunt terreſtre cælum, omnes ſunt gregis Domini primitiæ, columnæ & coronæ fidei, pretioſæ margaritæ, templi illius lapides, cujus ſundamentum, & lapis angularis eſt Chriſtus.

S. Laur. Juſt. ſer. de S. Hugon. XX. B. Laurentius Juſtinianus ait: Omnes ſunt terra ſancta, in quibus puritatis cuſtoditur candor, & quantum fas eſt, cæleſtis vitæ præferuntur inſignia.

Platus l. 3. c. 30. XXI. Jordanus Generalis Magiſter Ordinis S. Dominici dicere ſolebat, Religioſos eſſe velut Cubicularios ſupremi Regis, qui ab eo intime, ac ſamiliariſſime adhibentur; ſæculares autem ſervire velut in coquina, aliiſque vilibus miniſteriis.

Beirlinck tr. Relig. fog. 162. XXII. Fr. Ægidius Franciſcanus aliquando interrogatus, quid de Religioſis Familiis ſentiret? reſpondit, curiam eſſe magni Regis, in quam ingredi cuivis datum eſt, & nullius reputatur ars; at non ita bene, & convenienter in ea converſari.

§. XIII. AXIOMATA.

I. Servire Deo, regnare eſt.

Anonym. II. Pauca ſcribere, pauca legere, & multa facere, officium eſt veri Religioſi.

Hugo Ric. in via Reg. III. Summa Religioſi perfectio eſt, communia quæque Religionis officia perfecte obire.

Mem Th. Kep. l. 3. c. 10. IV. Non habitus, & tonſura, ſed vita Religioſa facit Monachum.

V. Monachus extra Monaſterium, & piſcis extra fluvium, uterque tendit ad interitum.

§. XIV. AUCTORES.

I. S. Joannes Chryſoſtomus lib. tribus contra vituperatores vitæ Monaſticæ.

II. S. Thomas opuſc. 19. contra impugnantes Religionem.

III. Joannes Caſſian. de Inſtit. Cænobiorum.

IV. B. Albertus Magnus in defenſorio Mendicantium.

V. Hieronymus Platus de bono Status Religioſi.

VI. Nicolaus Lancizius opuſc. 1.

VII. Laurentius Beyrlinck in Theatro vitæ humanæ. V. Religio, & Religioſus.

VIII. Robertus Bellarminus lib. 2. controv.

IX. Manuale Sodalitatis B. V. c. 13. part. 4. & ſeqq.

X. Henricus Engelgrave in cælo Empyr. de communi Confeſſ.

TITULUS CXXIII.

RESIGNATIO IN DIVINAM VOLUNTATEM.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I. EST actus Charitatis divinæ, quo homo ſuam voluntatem cum divina in in omnibus conſormat.

Diviſio.

II. Dividitur a Thoma Kempenſi in *perfectam*, & *imperfectam*, dum ait: Quidam ſe *L. 3. c. 8. §. 2.* reſignant, ſed cum aliqua exceptione: non enim plene Deo confidunt, ideo ſibi providere ſatagunt. Quidam etiam primo totum offerunt, ſed poſtea tentatione pulſati ad propria redeunt, ideo minime in virtute proficiunt. Hi ad veram cordis libertatem, & jucundæ familiaritatis meæ gratiam non pertingent, niſi integra reſignatione, & quotidiana ſui immolatione prius facta, ſine qua non ſtat, nec ſtabit unitio fruitiva.

III. Omnia, quæ accidunt, divinæ voluntati adſcribere, exemplo Joſephi Patriarchæ *Gen. 45. v. 8.* Fratribus dicentis: Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum. Et Jobi dicentis: *Job 1. v. 21.* Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt.

IV. Voluntatem Dei in omnibus ut juſtam agnoſcere ac venerari, exemplo S. Davidis *Pſ. 144. v. 17.* dicentis. Juſtus eſt Dominus in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis; nam, ut recte S. Auguſtinus ait, poteſt Deus aliquos ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt; non poteſt autem quemquam ſine malis meritis damnare, quia juſtus eſt. Unde recte inſert S. Gregorius, *Lib. 9. moral. c. 18.* rationem de occulto Dei conſilio quærere nihil aliud eſſe, quam contra conſilium ejus ſuperbire.

V. Omnia ad divinæ voluntatis nutum facere velle, & ideo nihil ordiri, niſi eadem prius explorata, exemplo S. Pauli dicentis: *Act. 9. v. 6.* Domine, quid me vis facere? ne cum Iſraelis Principibus decipiamur, ſi os Domini prius non interrogemus.

VI. Adverſa, quæ accidunt, generoſo ſilentio concoquere, exemplo Davidis dicentis: *Joſue l. 9. v. 19.* Obmutui, & non aperui os meum, quoniam *Pſ. 38. v. 10.* tu feciſti. Hic enim, teſte Boetio, quidquid citra ſpem videas geri, rebus quidem rectus *Boeth. l. 4. de inſtit. cap. 16. §. 2.* ordo eſt, opinioni vero tuæ perverſa confuſio.

VII. In beneplacito Dei ſolo ſuper omnia delectari exemplo Sanctorum, qui magis de executione voluntatis divinæ, quam de ſua gloria, lætantur. Quo ſenſu etiam pius Aſceta

Digitized by Google

ta dixit: Devotus homo, ubique ſecum fert conſolatorem ſuum Jeſum, & dicit ad eum: Adeſto mihi Domine Jeſu, in omni loco, & tempore. Hæc mihi ſit conſolatio, libenter velle carere omni humano ſolatio. Et ſi tua voluntas, & juſta probatio pro ſummo ſolatio.

Gradus.

VIII. Primus eſt, voluntatem Dei in rebus præceptis accurate exequi, & quæcumque his adverſa peccata ſtudioſe devitare, exemplo
Pſ. 118. v. 113. S. Davidis de ſeipſo fateotis: Iniquos odio habui, legem autem tuam dilexi. Hinc & Apoſtolus Theſſalonicenſibus ſcripſit. Hæc eſt voluntas Dei, Sanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos a fornicatione, &c.

IX. Secundus eſt, voluntatem, ſeu beneplacitum Dei etiam in conſiliis Evangelicis arripiendis exequi, exemplo Apoſtolorum, aliorumque tot millium Religioſorum.

X. Tertius eſt, etiam in aliis materiis & actionibus ea quæ Deo magis placent, eligere, & ſummo ſtudio perficere, exemplo S. Thereſiæ, quæ, ut magis Deo placeret ad ea, quæ perfectiora judicaret, eligenda voto ſe adſtrinxit. Quos omnes tres Gradus Apoſtolus
Rom. 12. v. 1. Romanis olim ſuaſit, dum dixit: Obſecro vos, Fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis membra veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

2. Mach. 1. v. 2. I. BEncfaciat vobis Deus, & det vobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem corde magno, & animo volenti.

Joan. 4. v. 34. II. Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus.

Joan. 6. v. 37. III. Deſcendi de cælo, noo ut faciam voluntatem meam, ſed ejus, qui miſit me.

Rom. 12. v. 2. IV. Nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri, ut probetis, quæ ſit voluotas Dei bona, beoeplacens, & perfecta.

Epheſ. 5. v. 17. V. Nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes, quæ ſit voluntas Dei.

Ib. v. 8. VI. Ut filii lucis ambulate, probantes, quid ſit beneplacitum Deo, & nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum.

VII. Chriſto paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini, quia qui paſſus eſt in carne, deſit a peccatis: ut jam non deſideriis hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt, in carne vivat temporis.

1. Petr. 4. v. 1. VIII. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorſum non abii.

IX. Ubi erat impetus Spiritus (id eſt, Spiritus Sancti inſpiratio) illuc gradiebantur (animalia ſcilicet ab Ezechiele viſa) nec revertebantur, cum ambularent.

Luc. 22. v. 42. X. Pater, ſi vis, transfer calicem iſtum a me; veruntamen non mea, ſed tua voluntas fiat.

XI. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam: tunc dixi: Ecce venio. *Pſal. 39. v. 8.*

XII. Non ceſſamus pro vobis orantes, & poſtulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni ſapientia & intellectu ſpirituali, ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & creſcentes io ſcientia Dei. *Coloſſ. 1. v. 9.*

Neceſſitas.

XIII. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. *Matth. 7. v. 21.*

XIV. Servus qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non præparavit, & non fecit ſecundum voluntatem ejus, vapulabit multis. *Luc. 12. v. 47.*

XV. Conjungere Deo, & ſuſtine, ut creſcat in noviſſimo vita tua. *Eccl. 2. v. 3.*

Utilitas.

XVI. Qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. *Matth. 7. v. 21.*

XVII. Qui facit voluntatem Dei, manet in æternum. *1. Joan. 2. v. 17.*

XVIII. Omnis, qui audit verba mea hæc, & facit, ea aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram, & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit; fundata enim erat ſuper petram. *Matth. 7. v. 24.*

XIX. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam. *Pſal. 72. v. 28.*

XX. Aquieſce igitur ei, & habeto pacem, & per hæc habebis fructus optimos. *Job 22. v. 21.*

XXI. Implebitur agnitione voluntatis Dei, & voluntas Dei in manu ejus dirigetur. *Coloſſ. 1. v. 9.*

Dignitas.

XXII. Quicumque facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ille meus Frater, & Mater eſt. *Matth. 12. v. 50.*

XXIII. Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nomioavit, & eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultra derelicta, & terra tua non vocabitur deſolata, ſed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua habitabitur. *Iſaiæ 62. v. 4.*

XXIV. Qui adhæret Domino, unus Spiritus eſt. *1. Cor. 6. v. 17.*

Æquitas.

XXV. Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus. *Job 2. v. 10.*

XXVI. In die booa fruere bonis, & malam diem præcurre: ſicut enim hanc, ſic & illam fecit Deus, ut non inveniat homo contra eum juſtas querelas. *Eccl. 7. v. 15.*

Jucunditas.

XXVII. Agnoſcent qui derelicti ſunt, quoniam nihil melius eſt, quam timor Dei: & nihil dulcius, quam reſpicere in mandatis Domini. *Eccl. 23. v. 37.*

T 2 XXVIII.

Digitized by Google

Iſaiæ 48. v. 18. XXVIII. Utinam attendiſſes maodata mea: facta eſſet quaſi flumen pax tua.

Prov. 1. v. 33. XXIX. Qui me audierit, abſque terrore requieſcet, & abundantia perſruetur, timore malorum ſublato.

§. III. EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Aug. in pſ. 125. I. QUi ſunt recti corde? qui noo reprehenduot Deum qui voluntatem ſuam ad Dei voluntatem diriguot, non voluntatem Dei ad ſuam curvare conantur.

Id. l. 10. Conf. c. 26. II. Optimus miniſter tuus eſt, qui oon magis nititur hoc a te audire, quod ipſe voluerit; ſed potius hoc velle, quod a te audierit.

Id. lib. de dilig. Deo. III. Oportet nos in eumdem affectum quandocumque tranſire, ut quomodo Deus omnia eſſe voluit propter ſemetipſum, ſic nos quoque nec nos ipſos, nec aliud aliquid vel fuiſſe, vel eſſe velimus, niſi æque propter ipſum, ob ſolam videlicet illius voluntatem, non noſtram voluptatem.

S. Hier. Epiſt. ad Julian. IV. Tu te putas in virtutum culmine conſtitutum, ſi partem offeras ex toto. Teipſum vult Dominus hoſtiam viventem: te da Deo, non tua.

S. Aug. in Pſ. 35. V. Quod ſæpe diximus, illi ſunt recti cordis, qui ſequuntur in hac vita voluntatem Dei. Voluntas Dei eſt aliquando, ut ſanus ſis, aliquando, ut ægrotes. Si, quando ſanus es dulcis eſt voluntas Dei, & quando ægrotas, amara eſt voluntas Dei non recto corde es. Quare? quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei, ſed Dei vis curvare ad tuam. Illa recta eſt, ſed tu es curvus. Voluntas tua corrigenda eſt ad illam, non illa curvanda eſt ad tuam, & rectum habebis cor.

Idem de Catech. rud. c. 14. VI. Nemo melius ordinat, quid agat, niſi qui paratior eſt non agere, quod divina poteſtate probibetur, quam cupidior agere, quod humana cogitatione meditatur.

Æquitas.

S. Anſel. VII. Solus Deus, quidquid vult, debet velle propria voluntate, itaut aliam, quam ſequatur, non habcat ſupra ſe. Cum igitur homo vult aliqnid per propriam voluntatem, Deo aufert quaſi coronam ſuam. Sicut enim corona ſoli Regi competit, ſic propria voluntas ſoli Deo. Et ſicut Regem aliquem inhonoraret, qui ſuam coronam ei auferret, ita homo inhonorat Deum, qui aufert ei propriæ voluntatis privilegium, habendo, quod ille ſolus debebat habere.

S. Aug. in pſ. 61. VIII. Itaque, Fratres mei, Judas malignus traditor, & perſecutores Chriſti maligni omnes, impii omnes, iniqui omnes, damnandi omoes: & tamen Pater proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Diſpone, ſi potes: diſtingue, ſi potes: redde Deo vota tua, quæ diſtinxerunt labia tua. Vide; quid tibi fecerit ioiquus, quid juſtus: ille voluit, iſte permiſit: ille injuſte voluit, iſte juſte permiſit. Voluntas injuſta damnetur, permiſſio juſta glorificetur. Noli ergo mirari, permittit Deus, & judicio permittit: permittit, & menſura, numero, pondere permittit. Apud illum non eſt iniquitas, tu tantum ad eum pertine.

Id. apud Max. Heliotr. l. 3. c. 4. §. 4. IX. Si bona eſt arbor, inquiebat olim Adamus, cur non tango? ſi mala eſt, quid facit io Paradiſo? Huic Deus: ideo eſt in Paradiſo, quia bona, ſed nolo eam tangas, quia obedieotem te volo, non contradicentem Servum. Eccur boc? quia tu ſervus, & ego Dominus. En tibi mille rationes in una, quia Deus noſter eſt Dominus, & voluntatem ſuam nobis ſequendam propoſuit, non judicandam, nos autem Servi ſumus: æquiſſimum ergo eſt, hac nos ire, qua nos ducit voluntas Domini.

S. Hier. Epiſt. 32. ad Lucin. X. Aurum deponere, incipientium eſt, non perfectorum; fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antiſthenes: ſeipſum offerre Deo, proprie Chriſtianorum eſt.

S. Hier. ad Paul. de obitu Bleſillæ. XI. Bonus eſt Deus, & omnia, quæ bonus facit, bona ſint, neceſſe eſt. Mariti orbitas irrogatur? plango, quod accidit: ſed quia ſic placet Domino, æquo animo ſuſtinebo. Unicus raptus eſt Filius? durum quidem, ſed tolerabile, quia ſuſtulit ille, qui dederat.

Utilitas.

S. Chryſ. ſerm. de Zachar. XII. Magna vis eſt voluntatis, quæ efficit nos poſſe illa quæ nolumus.

S. Aug. lib. de quantit. anim. c. 20. XIII. Conſtanter Deo crede, eique te totum permitte, quantum potes. Noli eſſe velle quaſi proprius, & in tua poteſtate, ſed ejus clementiſſimi & utiliſſimi Domini te ſervum eſſe profitere. Ita enim te ad ſe ſublevare non deſinet, nihilque tibi evenire permittet, niſi quod tibi proſit, etiamſi oeſcias.

Joannes Gailer. de Spirit. propriet. 7. XIV. Si te quotidie ex integro divinæ voluntati ad omnes illius nutus promptum, paratumque offeras, veniam noxis obtines, tantumque gratiæ mereris, ut poſſis non tantum Inferorum rogos, ſed & piaculares flammas non timere. Sincera hæc tui oblatio ad omnem Dei voluotatem exequendam pœnitentiarum, indulgentiarum loco eſt.

S. Bern. ſer. quom. vol. noſtr. div. XV. Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere poteſt, quam ut illi ſe commendet, qui male agere non poteſt.

Dignitas.

Salvian. ap. Drex. in Heliot. l. 2. c. 3. §. 2. XVI. Totius humilitatis ſumma in eo videtur conſiſtere, ſi voluntas noſtra divinæ, ut digoum eſt, ſubjecta ſit voluntati.

XVII. Summa Juſtitia eſt voluntas Dei: ſumma Prudentia eſt, divinæ voluntatis, ac divinæ Providentiæ decretis placido animo acquieſcere.

Caſſian. collat. 9. c. 20. XVIII. Quid eſt hoc aliud dicere: Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra: quam ut ſint homines ſimiles Angelis; & ſicut voluntas Dei ab illis impletur in cælo, ita & hi, qui io terra ſunt, non ſuam, ſed ejus univerſi faciant voluntatem.

Euthym. in cap. 12. Matth. XIX. O admirandam virtutem, quæ ad ſe accedentes ad tantum extollit honorem, ut ipſos Chriſti faciat eſſe cognatos! Revera ſummum vitæ bonum eſt humanæ voluntatis cum divina conjunctio.

Bloſius in ſerag. inſtit. XX. Super omnia, quæ vel dicere, vel facere poſſumus, hoc a nobis maxime expoſcit Deus,

Deus, ut intus in corde dicamus: Domine, fiat gratiſſima voluntas tua inter omnes preces, quas Chriſtus in hoc mundo fudit, illa ſumma, & excellentiſſima fuit: Pater, non mea ſed tua voluntas fiat.

Jucunditas.

S. Bern. ſerm. 31. in Cant. XXI. Talis conformitas maritat animam Verbo, cum, cujus ſimilis eſt per naturam, ſimilem etiam ipſi exhibet ſe per voluntatem, diligens, ſicut dilecta eſt. Ergo ſi perfecte diligit, nupſit. Quid hac conformitate jucundius.

S. Bern. ſerm. 21. in Cant. XXII. Si mens in Deum forti intentione dirigitur, quidquid ſibi in hac vita amarum fit, dulce æſtimat: Omne, quod affligit, requiem putat: tranſire & per mortem appetit, ut obtinere plenius vitam poſſit.

XXIII. Eris inter adverſa, & proſpera mutabilium temporum, teneos quamdam æternitatis imaginem, dum te cœperis renovare, & reformare, in inſigne illud antiquum ſimilitudinis æterni Dei, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio: quippe ſicut ipſe, & tu eris in hoc mundo, nec in adverſis timidus, nec in proſperis diſſolutus.

S. Aug. ſerm. 10. de Sanct. XXIV. Vis gaudium habere ſempiternum? adhære illi, qui ſempiternus eſt.

§. IV. EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas.

l. 3. c. 31. §. 1. I. FIli, oportet te adhuc multum addiſcere, qui necdum bene didiciſti? quæ ſunt hæc, Domine? ut deſiderium tuum ponas totaliter ſecundum beneplacitum meum, & tui ipſius amator non ſis, ſed meæ voluntatis cupidus æmulator.

l. 3. c. 17. §. 3. II. Dixit tibi ſæpiſſime, & nunc iterum dico. Relinque te, reſigna te, & frueris magna interna pace. Da totum pro toto: nihil exquire, nihil repete: ſta pure & inhæſitanter in me, & habebis me.

Neceſſitas.

l. 4. c. 8. III. Quid magis a te requiro, quam ut te ſtodeas mihi ex integro reſignare; quidquid præter teipſum das, nihil curo: quia non quæro datum tuum, ſed te. Sicut non ſufficeret tibi omnibus habitis, præter me, ita nec mihi placere poterit, quidquid dederis, te non oblato. Offer te mihi, & te da totum pro Deo, & erit grata oblatio.

Utilitas.

l. 3. c. 27. §. 1. IV. Quare vano mœrore conſumeris; cur ſuperfluis curis fatigaris, ſta ad beneplacitum meum, & nullum patieris detrimentum.

l. 1. c. 33. V. Non te magni reputes, aut ſpecialiter dilectum exiſtimes, ſi in magna fueris devotione, atque dulcedine: quia in iſtis non cognoſcitur verus amator virtutis, nec in iſtis conſiſtit profectus, & perfectio hominis: In quo ergo Domine; in offerendo te ex corde voluntati divinæ, non quærendo, quæ tua ſunt, nec in parvo, nec in magno, nec in tempore, nec in æternitate, ita ut ona æquali facie in gratiarum actione permaneas inter proſpera, & adverſa, omnia æqua lance penſando.

Jucunditas.

l. 3. c. 23. §. 1. VI. Nihil amatorem tuum, & cognitorem beneficiorum tuorum ita lætificare debet, ſicut voluntas tua in eo, & beneplacitum æternæ diſpoſitionis tuæ. Nam voluntas tua, & amor honoris tui omnia excedere debet; & plus eum conſolari magiſque placere, quam omnia beneficia ſibi data vel danda.

l. 2. c. 4. §. 1. VII. Si nihil aliud, qoam beneplacitum Dei, & proximi utilitatem intendis, & quæris, interna libertate perfrueris.

§. V. EXEMPLA CATHOLICA.

Qualitas.

J. 4. v. 34. Luc. 22. v. 42. I. CHriſtus de ſe ipſo dixit: Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus. In monte Olivetí oravit: Pater, ſi vis transfer calicem iſtum a me, veruntamen non mea, ſed tua voluntas fiat.

part. 4. tit. 15. c. 4. §. 3. II. B. Virgo, quantopere reſignata fuerit in voluntatem Divinam, teſtatur S. Antonius ſic alloquens illam: O Domina, ita divinæ voluntati conformis fuiſti, ut audeam dicere; ſi nullus fuiſſet, qui Filium crucifigeret, ut adimpleretur voluntas Dei, ipſa illum in cruce poſuiſſes & clavis affixiſſes. Neque enim minoris te obedientiæ fuiſſe credendum eſt, quam Abraham, qui proprium Filium propriis manibus Deo obtulit occidendum, & comburendum. *ſer. 2. ſ. 53.* Sed & S. Bernardus ait: Intemerata Virgo habuit continuum aſpectum ad Dei beneplacitum, promptumque conſenſum. *Luc. 1. v. 38.* Teſtantur id verba illa: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.

Drex. Heliot. l. 4. c. 3. §. 3. III. Abraham, ut notant Hebræi, decies rigide tentatus a Deo, ſemper ſibi ſimilis, & in divinam voluntatem reſignatus manſit.

Gen. 50. v. 19. IV. Joſephus Fratribus illis timentibus, ne injuriam illatam vindicaret, dixit: Nolite timere: num Dei poſſumus reſiſtere voluntati? Vos cogitaſtis de me malum, & Dominus convertit in bonum.

Tob. 3. v. 12. & 6. V. Tobias ſenior cæcitatis plaga immiſſa dixit: Juſtus es, Domine, & omnia judicia tua juſta ſunt. Et nunc, Domine, ſecundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum. Sed & uxori ad murmurandum contra Deum incitanti reſpondit: Nolite ita loqui; quoniam Filii Sanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam daturus Deus eſt his, qui fidem ſuam numquam mutant ab eo. *c. 2. v. 18.*

L. 1. Reg. c. 3. v. 18. VI. Heli auditis per Samuelem gravibus pœnis, quibus Deus ipſum, & Filios ejus caſtigare decreverat, dixit: Dominus eſt, quod bonom eſt in oculis ſuis faciat.

2. Reg. c. 15. v. 25. VII. David, cum e conſpectu Abſalon fugere cogeretur, Sadoch Sacerdoti cum Arca pariter fugienti dixit: Reporta Arcam Dei in urbem: ſi invenero gratiam in oculis Do-

Digitized by Google

Domini, reducet me. Si autem dixerit mihi, non placet: præſto ſum, faciat, quod bonum eſſe coram ſe. Sed & in aliis calamitatibus dicere ſolitus eſt: Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti.

Pſal. 38. v. 10. VIII. Job omnibus ſuis bonis ſpoliatus, & gravibus inſuper corporis ulceribus vexatus, non peccavit in labiis ſuis, ſed hanc unicam æterna memoria digniſſimam ſententiam protulit: Dominus dedit, Dominus abſtulit. Sicut Domino placuit, ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictum.

Act. 9. v. 6. IX. S. Paulus in terram a cæleſti voce proſtratus, converſionis ſuæ fundamentum per has voces: Domine, quid me vis facere? poſuit.

lib. 1. de quant. animæ, cap. 20. X. S. Auguſtinus de ſeipſo dixit: Vellem, ut nihil aliud agerem, quam reddere me, cui me maxime debeo, atque ita Dei fieri, quod Poeta ait, amicum mancipium Domino.

Lib. recognit. XI. S. Clemens de S. Petro ſcribit, illius dogma fuiſſe: Nos Chriſtiani de nulla re, vel eventu ſolliciti ſumus, ſed in Dei providentia plane conquieſcimus ſcientes nos illi curæ eſſe, atque ab eo per omnia diligi, ut cuncta nobis cedant in bonum.

Annal. Domin. p. 1. l. 2. c. 83. XII. Fr. Reginaldus, cum B. Virgo comitata a SS. Cæcilia, & Catharina ab eo periculoſe ægrotante peteret: quid tibi vis, faciam, Fili? admonitus ab una duarum Virginum illarum dixit: Domina mea ſuaviſſima, cum non habeam aliam voluntatem a tua, in eam, & manus tuas benedictas me totum conjicio. Quo dicto B. Virgo eum oleo linivit, & extemplo ſanavit.

Vita p. 2. cap. 4. XIII. S. Catharina Senenſis, cum Chriſtus ei ſpineam, & auream coronam offerret, & alterutram eligere juberet, eidem cum reverentia dixit. Diu jam eſt, Domine, ex quo omnem voluntatem meam tuæ intime conjunxi, ac proinde in mea poteſtate non eſt nullius rei electio, ſi tamen velis, ut juxta ſenſum meum reſpondeam, ſpineam præopto, ut tibi pro me ſpinis coronato ſimilior evadam. Dixit, & ſimul ſpineam coronam arripiens capiti impreſſit.

Ruffinus Aquil. n. 202. XIV. S. Macarius rogatus a duobus, quomodo orare deberent? Reſpondit, non eſt opus multa verborum copia, manus ad Deum crebrius pandendæ, clamandumque Domine Deus quomodo vis, & ſicut tibi placet, ita fiat: ſiquidem ipſe novit, quid nobis expediat.

to. 10. tr. 23. p. 303. XV. Alius quidam homo, teſte Salmerone, alphabetum recitavit, & dixit: Domine; tu junge litteras, & quod tibi magis placet, mihique magis expedit, largire.

Bleſ. l. 4. div. in ſin. c. 21. XVI. S. Gertrudis a Chriſto ſanitatem, & morbum offerente, cum neutrum elegiſſet, ſed plicatis in crucem manibus electionem ipſius voluntati reſignaſſet, audivit hæc verba: Quicumque cupit ad me ſæpius adiri, ſuæ voluntatis clavem mihi offerat, nec eam a me unquam repetat. Quo audito Sanct. Gertrudis precatiunculam hanc: Non mea; ſed tua voluntas fiat, mi amantiſſime Jeſu: trecenties ſexagies quinquies quotidie repetivit.

Idem in monil. Spir. c. 10. XVII. Cuidam ſibi devoto cum Deus copioſas conſolationes fuiſſet largitus, ille has deprecatus rogavit, ut in deſolationes verterentur, quas cum quinquennio integro graviſſimas tuliſſet, Angelum Deus miſit, qui ſolatium denuo offerret, ſed ille & hoc deprecatus, hanc unicam ſibi ſummam conſolationem fore dixit, ſi ſciret, Deo placere, quod in his ærumnis ſit conſtitutus.

Drex in Hel. inter. l. 1. c. 2. §. 3. XVIII. Vir quidam & eruditione, & virtute maximus dicere ſolebat: Salve amaritudo amariſſima, omnis gratiæ, benedictioniſque plena. Quo unico dicto ſe in omnibus ſolabatur.

Nauclerus vol. 2. apud Rodriq. p. 2. tr. 8. cap. 31. XIX. S. Lupus cum ab Attila Trojam Galliæ urbem occupare volente quæſiſſet, quis eſſet: & ille reſpondiſſet, ſe eſſe flagellum Dei, mox aperiri portas juſſit dicens Salve flagellum Dei.

Raderus volum. 1. Bav. San. XX. S. Eliſabetha audiens Ludovicum Maritum ſuum in expeditione ſacræ militiæ defunctum, dixit ad Deum: Noſti, o Domine, quod præſentiam mariti omnibus mundi deliciis præferrem, ſed quia tibi eum eripere mihi placuit, ita acquieſco, ut, ſi vel minimo capillo eum revocare præter beneplacitum tuum poſſem, nollem id facere.

Utilitas.

Cæſarius lib. 10. Dial. c. 6. XXI. Quidam Monachus per reſignationem voluntatis ſuæ cum Divina, ad tantum ſanctitatis pervenit gradum, ut ad ſolum veſtium, aut cinguli ejus contactum ægri ſanarentur.

In Vita PP. XXII. Agricola quidam ex agris ſuis ſemper, & plures & meliores fructus cum reciperet, rogatus cauſam a vicinis, reſpondit ſe ſemper tempeſtatem, quam vellet habere, eam ſcilicet, quam Deus miſiſſet, nec aliam ſe velle.

Rodriq. part. 1. tract. 8. cap. 9. XXIII. Severus Sulpitius narrat, S. Martinum toto, quo vixit tempore numquam iratum fuiſſe viſum, aut triſtem, eo quod voluntatem ſuam cum divina perfecte conformaſſet.

Rusbroch in ſin. oper. XXIV. Cuidam Virgini neſcienti, in quo vera devotio & oratio conſiſteret, ideoque ſummopere afflictæ, apparuit ſpecioſiſſimus infans, dixitque, veram devotionem in abnegatione, contemptuque ſui ipſius, & perfecta reſignatione in manus Dei, conſiſtere.

Roſweidus in vitis PP. 3. c. 12. XXV. Epictetus, & Aſtion Martyres cum ad omnes Latroniani Judicis quæſtiones nihil aliud reſpondiſſent, quam: Chriſtiani ſumus, fiat voluntas Dei noſtri in nobis; non ſolum mirum inter omnes cruciatus robur ipſi ſenſerunt, ſed etiam Vigilantium Judicis aſſeſſorem permoverunt ad fidem Catholicam amplectendam.

Surius in vit. cap. 12. Aug. XXVI. S. Clara, licet per annos octo, & viginti graviſſimis morbis exerceretur, numquam tamen vel minimum queri, ſed potius continuo Deum laudare eſt audita. Cumque in extremo morbo per ſeptemdecim dies ne bolum quidem guſtare poſſet, Confeſſario ipſam conſolari volenti dixit: Ex quo cognovi gratiam Domini mei Jeſu Chriſti per ſervum tuum Franciſcum, nullus unquam mihi morbus durus, nulla pœna moleſta, nulla pœnitentia gravis eſt viſa.

Di-

Digitized by Google

Dignitas.

Aliment. piet. c. 7. ex l. 6. Rev. S. Birgittæ. XXVII. S. Joſephus adeo voluntati divinæ ſe conformabat, ut quotidie diceret. Utinam vivam, & voluntatem Dei adimpletam videam. Ita ipſa Dei SS. Mater S. Birgittæ revelavit, addiditque, hanc eſſe cauſam, cur tanta in cælo gloria frueretur.

Taulerus in ſ. ſer. de ſanctiſ. XXVIII. Vir quidam eruditus & pius morti vicinior, cum ab Amicis rogaretur, ut doctrinam aliquam monumeoti loco relioqueret, ſic eis reſpondit: Virtutum ſummarium, & omnis doctrinæ breviarium eſt, omnia, quæ nobis Deus evenire permittit, ab illius manu accipere, nec aliud unquam velle, quam omnia ad divinæ voluntatis perpendiculum facere.

Jucunditas.

Bloſius in inſt. ſpir. in appen. ex Taulero. XXIX. Theologus quidam octo annis petens a Deo gratiam, & occaſionem cognoſcendi, io quo vera animi quies, & ſolatium conſiſteret, tandem mendicum ante fores templi vidit, cui cum bonum imprimis, dein fortunatum, taodem etiam felicem Veſperem precatus eſſet, reſpondit ille, numquam ſe malum, aut infortunatum diem habuiſſe, eo quod omnia de manu Dei accipere conſuevifſet, & ea, quæ permittit ille, aut ordioat, optima ſibi eſſe crederet.

In Dial. XXX. S. Catharina Senenſis a Deo ſuppliciter petens, ut modum oſtenderet veram animæ pacem obtinendi, a Chriſto ſibi apparente didicit, breviſſimam eſſe viam dictum finem obtinendi, ſi & crederet, Deum eſſe *potentiſſimum*, atque adeo ſine ejus permiſſione nihil ei accidere poſſe: *ſapientiſſimum*, qui ſciat omnia, quæ accidunt, in bonum convertere: & *optimum*, qui nihil, niſi quod optimum cuique eſſe judicaverit, permittat.

Surius t. 7. XXXI. S. Lyduvina id identidem repetebat: Hoc mihi, Domine, acceptiſſimum erit, ut affligeos me dolore non parcas, cum tuæ voluntatis impletio ſit mihi ſumma conſolatio.

Hilarop. l.c.4.ſ.4. XXXII. B. Jacoponus dicere ſolebat, ſe a conſcientia ſua quæſiviſſe, cur ſe non amplius, ut olim affligeret, cui illam reſpondiſſe: Hoc ea de cauſa facio, quia te divioæ voluntati penitus permiſiſti, & in eo, quod illa ſtatuit abſque omni expoſtulatiooe acquieſcis.

S. Hier. in Reg. Monaſ. c.11. XXXIII. Monachus quidam bis quotidie ſaxum ingentis pooderis per tria milliaria portare juſſus, cum octo anoos in hoc labore inſumpſiſſet, interrogatus, quo animo tantum laborem ſuſcepiſſet; tam læto, reſpondit, ac ſi mihi res omnium honorificentiſſima injuocta fuiſſet.

Vit. Compend. c.6. XXXIV. Ferdinandus II. Imperator ita voluotatem ſuam cum divina reſignaverat, ut de ſeipſo diceret: Jam pridem me moleſtiæ confeciſſent, niſi me, meaque omnia providentiæ divinæ commiſiſſem. Quotidianæ ipſius preces erant: Domine, ſi eſt ad laudem tuam & gloriam, & ſalutem meam, ut major ſim, quam ſum, exalta me, & glorificabo Te. Si eſt ad laudem tuam, decuſque tuum, in gradu, quo ſum, conſerva me, & ego glorificabo Te: ſi eſt ad laudem tuam & gloriam, ac ſalutem meam, ut in humiliori gradu ſim, humilia me, & ego glorificabo Te. Cum aliquando ſermo incidiſſet de malis ubique iogruentibus, dixit: Faciamus, quod in nobis eſt, & ſinamus nos & hæc regi ac dirigi a Deo, nos ejus voluntati conſormemus, ſatagamus, ut cælum lucremur, & Deus omoia bene diſponet.

Panormitanus invic. Alphonſi. XXXV. Alphonſus Rex Arragoniæ interrogatus, quem in hoc orbe beatum eſſe crederet; reſpondit: eum qui ſeipſum ſumma pietate, & affectu Deo committit, & omnia, quæ illi eveniunt, non aliter quam rem a Deo factam laudat & acceptat.

Drex. in Heliop. l. 3.c.13. ſ 2. XXXVI. Eudoxia Auguſta Theophili Imperatoris Conjux, cætero oon laudabilis, hoc uno tamen plurimum commendanda, quod cum Filius ejus morbo graviſſimo decumberet, & Epiphanius Salaminis in Cypro Epiſcopus accerſitus, ut precibus Filio ſanitatem reſtitueret, operam ſuam ſpopondiſſet, ſi Dioſcorus hæreticus urbe exigeretur, illa dixerit: ſi Deo viſum fuerit, vivet Filius meus. Sin eum ille, qui dedit, auferre voluerit, fiat voluntas ejus.

§. VI. EXEMPLA DOMESTICA.

Qualitas.

Ribad. l. 5. vit. c.3. I. S. Ignatius tam perfecte ſuam voluntatem cum divina conſormarat, ut totius etiam ſocietatis, quam taoto labore erexerat, diſſolutionem æquo animo laturum ſe diceret, ſi ſine culpa ſua id accidiſſet.

Vit l 2.c. 2. Ponnæ. quin. in Iſ. ad amor. div. p.3. c.24. II. S. Franciſcus Xaverius ad Mauricienſes iturus, Amicis evideos vitæ periculum oſtendentibus id unum reſpondit: Sicut fuerit voluntas in cælo, ſic fiat. Alias in litteris ad S. Ignatium ſcriptis flexis gentibus petiit, ut ſibi impetret gratiam ad Dei cognoſcenda voluntatem, eamque perfectiſſime adimplendam.

Vit. l.1. cap. 32. III. Sanct. Franciſcus Borgia cum Deus ipſi optionem dediſſet, mortem vel vitam conjugis eligendi, in lacrymas ſalutus reſpoodit: Domine Deus, unde hoc mihi, ut arbitratui committas meo, quod in tua ſolius eſt poteſtate; mea permagna refert, tuam ſequi in omnibus voluntatem. Quis enim rectius novit, quid e re mea ſit, quam Tu mi Deus; Tua itaque voluntas fiat: nec de uxore ſolum, ſed de liberis etiam, deque me ſtatuas, rogo, quidquid tibi placuerit: fiat voluntas tua.

Vit. l.2. c. 1. §.2. IV. P. Ludovicus de Ponte quantopere ſuam cum divina voluntate conjuxerit, teſtatus, eſt ipſe his verbis: Gaviſus ſum defectibus naturalibus meæ Perſonæ, ac linguæ, & aliis, qoia Deus me illis voluit ita eſſe notatum. Gaviſus tentationibus, quas patior, ac miſeriis internis, & externis, quia Deus ita vult. Si Dei voluntas eſt, ut mille annos vivam oneratus majoribus laboribos, ac tenebris internis & externis, dummodo ipſum non offendam, id volo. Mihi cælum eſt facere voluotatem Dei, cum ipſo habeo cælum in terra. Crebro id habebat in ore,

Deum optime ſcire quid nobis expediat, quæ verba tanto ſpiritu animare conſueverat, ut iis omnem animis audientium perturbationem in adverſis ablueret. Sed & in conſiliis dandis tam conſtanter, & aſſeverate ea pronuntiabat, ac ſi voluntatem Dei legiſſet, vel ex tabulis recitaret. Singulis diebus repetebat votum a ſe brevi hac forma conceptum: Fiat, Domine, in me, de me, pro me, circa me, & omnia mea Sanctiſſima voluntas tua in omnibus, & per omnia, nunc, & in æternum.

Vita c.3. V. P. Balthaſſar Alvarez de ſeipſo teſtatus eſt, quod, cum aliquando aliquid peteret a Deo, quod pro ipſius obſequio cupiebat: intellexit, omnem perfectionem conſiſtere in facienda voluntate Dei, & maximum omnium Sacrificiorum Sacrificium eſſe cum eadem conformari; unde ipſe totis viribus ſe huic ſtudio dedit, & vere etiam maximam ejus perfectionem aſſecutus eſt. *cap. 41.* Dicere ſolebat, præcipuum omnis bonæ orationis fructum eſſe, dare Deo quidquid ille a nobis petierit, magnaque conformitate ei acquieſcere in omnibus; *cap. 34.* quæ ipſe de nobis ſtatuerit. Cuidam Religioſo ſic ſcripſit: Cupis proficere, tuæque orationi bene attendere, ut placeas Deo? permittas te ab eo gubernari, & incipias amorem, quem erga illum habes in eo oſtendere, quod ſis contentus, & pacatus, quandocumque & quacumque via voluerit ille te ducere, & cum eo, quod ille dare voluerit, modicum, aut multum, aut nihil. Et credo certe, te magis illi placiturum, ſi gaudeas, & tranquillus ſis cum tua paupertate, quamdiu ille te non eduxerit ea, quam ſi obtineres imaginariam illam celſitatem. Satis haſtenus eo modo ſerviſti Deo, qui tibi placuit: incipias jam ſervire eidem vel unico die, quomodo ipſe cupit.

Ann. 1593. Prov. Sardiniæ. VI. P. Sebaſtianus a Campo in agone hæc verba magna Spiritus exultatione dicebat: Impleatur, impleatur, ſcilicet voluntas Dei. Nova, nova perfectio.

Ann. Luſit. sol. Ebo. 1670. VII. Vincentius de Rocha Scholaſticus, cum ſacra ipſi pro recuperanda valetudine offerrentur: Non ita, ajebat, ſed ejus conſervationem, vel ademptionem Deo committamus, utraque ſors mihi grata eſt ex ejus voluntate, & decreto,

§. VII. EXEMPLA PROFANA.

L. 1. diſſert. c. 16. I. EPictetus de ſeipſo ſic ſcripſit: Appetitum meum obedientem præbui Deo, vult ille me fabricitare? volo & ipſe. Vult me aliqua re potiri: volo & ipſe, Non vult: nolo. Mori me vult? mori igitur volo. Vir prudens ita rem conſiderat, hanc rationem ſecum init: ſi Deo ſe dediderit, ſe iter tuto confecturum. Quid eſt illud, dedere ſe Deo? ut, quod voluerit, & ipſe velit; & quod ille noluerit, & ipſe nolit. Quid ergo iſtud fiet? quomodo fieret aliter, niſi conſideranda Dei voluntate, & admiroiſtratione. Quid mihi dedit meum, & mei juris? quid ſibi ipſe reſervavit? liberam voluntatem mihi dedit: & quæ in mea poteſtate ſunt, ea nec impedi- *L. 1. diſſ. c. 1.* ri, nec prohiberi poſſe voluit. Et alibi: Mihi quidem optabile eſt a morte me invadi, nulla alia re, niſi voluntate mea curanda occupatum, ut perturbatione vacuus & liber, dicere poſſim Deo: Numquid præcepta tua violavi? numquid ad alia abuſus ſum facultatibus, quas mihi dediſti? num ſenſibus? num te unquam incuſavi? num gubernationem tuam reprehendi? ægrotavi quia voluiſti: ægrotarunt & cæteri, ſed ego volens. Pauper fui, te volente, ſed lætus. Non imperavi, quia tu voluiſti? Numquam appetivi imperium. Numquid me unquam hac de cauſa triſtiorem vidiſti? numquid unquam vultu minus hilari ad te acceſſi? Paratus, ſi quid mandes, ſi quid imperes. Hæc me cogitantem, hæc ſcribentem, hæc legentem occupet mors.

II. Seneca de ſeipſo dixit: In omnibus, quæ adverſa videntur, & dura, ſic formatus ſum. *Epiſt. 96.* Non pareo Deo, ſed aſſentior. Ex animo illum, non quia neceſſe eſt, ſequor. Nihil unquam mihi accidet, quod triſtis excipiam, quod malo vultu: nullum invitus conſcram. Omnia autem, ad quæ gemimus, vel expaveſcimus, tributa vitæ ſunt.

III. De Socrate ſcribit Cicero: Hoc nec hilariorem quiſquam, nec triſtiorem vidit, qui æqualis ſemper fuit in tanta inæqualitate fortunæ uſque ad extremum vitæ. *In quæſt. Tuſcul.*

§. VIII. SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. SIcut Clericus reſignans beneficium, ſeipſum penitus illo privat, & arbitrio Prælati committit, ut diſponat de illo ſecundum voluntatem ſuam, ſine contradictione præcedentis poſſeſſoris; ita perfectus Homo ſemetipſum reddit manibus Divinis, ut impoſterum nolit eſſe ſuus, nec vivere ſibi, nec edere, nec laborare, nec dormire pro ſe, ſed pro ſola gloria ſui Creatoris. *Lud. Gra. in Duce peccat. f. 787.*

II. Sicut Nummularii monetam adulterinam aut a tinnitu, aut a ſignis, & inſcriptione noſcunt, & rejiciunt, ita nos, quidquid vel tenuem umbram vitii præſefert, abominemur tamquam Divinæ voluntati contrarium. *Drex. in Heliotr. l. c. 4. reg. 1.*

III. Sicut Heliotropium de die cum Sole ſe, etiam nubiloſo tempore circumagit, noctu vero ejus deſiderio florem cæruleum contrahit, ita & homo vere reſignatus in omnibus, etiam adverſis, ſe Divinæ voluntati conformat, continuoque ejus deſiderio, cum nox deſolationis ingruit, langueſcit. *Ibid. c. 2. §. 1.*

IV. Sicut Levitæ olim omnia vaſa Sanctuarii hyacinthino pallio involvebant, & deſuper operimentum extendebant; ita quiſquis ſe Deo commiſit, nihil videre, aut ſcire cupit earum rerum, quæ in cæleſti Sanctuario Divinæ voluntatis geruntur. *Ibid. §. 4.*

V. Sicut Citharœdus tamdiu trahit, intendit, aut remittit fides Citharæ, donec aſſonent: ita tamdiu voluntas noſtra vel adſtringenda, vel retrahenda eſt, donec voluntati Divinæ concordet. *Idem l. 3. c. 1. §. 5.*

VI. Sicut duo ſunt in capite oculi, quorum unus non poteſt videre, quod alter non videat, & licet objectum ab utroque oculo videa- *S. Anſel. l. Simil. c. 63.*

deatur, ipſum tamen in ſe eſt unum; ita Beati in cælo, & perfecti Homines in terris. Divino nutui in omnibus ſe conformant, quia in omnibus Ordinem Divinæ Juſtitiæ, ad quem diriguntur vident.

Æquitas.

S. Greg. l. 1. mor. c. 12.

VII. Sicut æger ſanguiſugas patienter tolerat, donec Medicus eas removeat, ita cum tribulationes pariter vitioſum ſanguinem peccatorum noſtrorum eliciant, merito æquiſſimo animo tolerandæ ſunt, donec Deus eaſdem auferat.

Faber in feſto S. Jo. Bapt. con. 1. n. 1.

VIII. Sicut non dubitanter credimus, & obſequimur horologio, quod ſcimus a perito Aſtronomo dirigi; ita libenter omnes afflictiones acceptare debemus, quia ſcimus a Deo in ſummum noſtrum bonum directas.

Drex. in Heliotr. l. 2. c. 1. §. 4.

IX. Sicut Olitor horti ſui rivulum ſub ſua poteſtate habet, & ad quaſcumque vult arbores, vel areolas educit: ita Deus omnium hominum corda in manu ſua habet, & per ea gratias & dona ſua, imo & aquas tribulationum, prout cuique expedire novit, diſtribuit, ac proin gratiſſimo animo omnia ſunt accipienda.

Idem l. 3. c. 2. §. 3.

X. Sicut ſi quis te ferrea chirotheca cædat, & ſanguinem eliciat non chirothecæ, ſed manui ictum adſcribis, ita, cum quis per hominem læditur, non hic, ſed manus Dei percutiens reſpicienda eſt, S. Jobi exemplo dicentis Miſeremini mei ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.

Job. 19. v. 21.

Neceſſitas.

Rodr. p. 1. tr. 8. c. 5.

XI. Sicut aer, & ventus, quia non ſunt cibus proportionatus corpori, ſatiare illud non poſſunt; ita cum omnia creata ſint vanitas, & ſola voluntas Divina cibus animæ proportionatus ſit, hæc ſola ſatiare eum poterit.

Ibid.

XII. Sicut lingula Horologii a Magnete tacta non quieſcit, donec Septentrionem reſpiciat, ita cum homo quivis a Deo ad voluntatem ejus implendam creatus ſit, tamdiu non quieſcet, donec ad eam faciendam animum converterat.

Fab. Dom. 3. poſt Epiph. conc. 2. n. 2.

XIII. Sicut qui abſque regula ædificium molitur, gravis erroris periculo ſe exponit; ita qui abſque Divinæ voluntatis regula actiones ſuas peragit, non niſi ruinam expectare poterit.

Utilitas.

Caſparus Tauſch. in matre dol. p. 2. c. 20.

XIV. Sicut corpus perfecte quadratum, quocumque projiciatur, immotum & ſtabile manet; ita & vir perfecte reſignatus in omni Divina diſpoſitione acquieſcit. Et ideo verba illa: *ab æterno ordinata ſum*: quæ Rabbi Himmanuel vertit: *a ſæculo teſſelata ſum*; Salazar B. Virgini accommodat, ut quæ per modum cubi in omni Dei ordinatione ſuaviſſime quievit.

Julius Faſius de mort. c. 13.

XV. Sicut qui naviculam fluctuantem, & ſubmerſionis periculo proximam triremi caſu tranſeunti alligaret, prudenter ageret, ſalutemque ſuam in tuto collocaret; ita idipſum facit, qui inſtabilem voluntatem ſuam Divinæ alligat, & conformat.

Jucunditas.

Hugo apud Drex. in Heliot. l. 1. c. 1. §. 1.

XVI. Sicut accidens adeſt & abeſt præter ſubjecti corruptionem: ita præſens tribulatio, & ærumna adeſt, & abeſt præter Juſti contriſtationem, & conturbationem.

S. Chryſ. hom. 11. in ep. 2. ad Cor.

XVII. Sicut cælum altius eſt imbribus ac pluviis, & cum nubibus obducitur, pati quidem putatur, ſed nihil patitur; ſic & nos etſi putamur pati, nihil id eſt; triſtitia quaſi nubibus obduci putamur, ſed non triſtamur.

Ibid.

XVIII. Sicut ſi exiguam ſcintillam in ingens pelagus injicias, eam protinus extinxeris: eodem modo moleſtia omnis quantum libet ingens, ſi in animum ſibi bene conſcium, & Divinæ voluntati conformatum inciderit, confeſtim perit, & evaneſcit.

Rodriq. p. 1. tr. 8. c. 4.

XIX. Sicut Rubus ardens Moyſi oſtenſus conſumi videbatur, nec conſumptus eſt; ita homo reſignatus, licet per varias tribulationes affligi videatur, revera tamen non affligitur.

Ibid.

XX. Sicut tres pueri in Babilonica fornace ignem quaſi ventum roris flantem experti ſunt, ideoque Deum laudabant, ita qui voluntatem Deo unitam habent, omnes tribulationes ſuaves, & jucundas experiuntur, & pro iiſdem Deum benedicunt.

Anonym.

XXI. Sicut Hebræi, dum manna olim comederunt, omne guſtus delectamentum in eo repererunt; ita qui divinam voluntatem ſemel guſtare cœperunt, in ea, quidquid deſiderant, inveniunt.

§. IX. MOTIVA.

Pſal. 118. v. 137.

I. ÆQuitas tum quia juſtus eſt, & recta judicia ejus: tum quia potens eſt, & conſilium ejus ſtabit, ac voluntas ejus fiet: tum quia bonus eſt, & ſuaviter omnia diſponit in ſuum, & noſtrum finem, & bonum.

Iſ. 46. v. 10. Sap. 6. v. 3. Eſth. 13. v. 9.

II. *Neceſſitas*; quia in ditione ejus cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui poſſit reſiſtere voluntati ejus. Sed, ut Eccleſiaſticus teſtatur, omne, quod voluerit, faciet: & ſermo illius poteſtate plenus eſt: nec dicere ei quiſquam poteſt: quare ita facis?

Pſ. 5. v. 13.

III. *Utilitas*: tum quia voluntas Dei eſt fortiſſimum contra omnes adverſitates ſcutum, juxta illud Davidis; Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti me: tum quia eſt optima diſpoſitio hæc conformitas cum voluntate Divina, ad Divina dona accipienda, uti Eccleſiaſticus inſinuavit dicens: Conjunge te Deo, & ſuſtine, ut creſcat in noviſſimo vita tua, id eſt, ſanctitas, in qua vera vita conſiſtit: tum quia ſpecialiter etiam conducit ad omnia, quæ petuntur, a Deo impetranda, uti Chriſtus S. Birgittæ dixit. Quia tu mihi nihil negaſti in terra, ideo ego nihil tibi negabo in cælo, voluntas tua complebitur.

L. 1. rev. cap. 24.

IV. *Dignitas*: quia per hanc virtutem homo magis, quam per ullam aliam cum Deo conjungitur, eique familiaris, gratus, & ſimilis efficitur; hinc S. Catharina Senenſis virum Deo reſignatum perinde ut Chriſtum beatitudine quadam etiam in terra frui dicebat.

V. *Jucunditas*: quia talis reſignatio facit, ut ſemper habeat quis, quod vult, & nihil male

Digitized by Google

le velit, in quibus duobus capitibus vera beatitudo conſiſtit, teſte S. Auguſtino.

§. X. MEDIA.

S. Cath. Sen. in dialog.
I. F*Irma fides*, qua credatur, nihil ſine Dei providentia fieri, & quidquid ab illa permittitur, in ſummum bonum noſtrum cedere. Hinc illud S. Auguſtini ſemper ob oculos habendum: quid timet homo in ſinu Dei poſitus? tu de ſinu illius noli cadere, & quidquid tibi illic evenerit, in bonum cedet.

Eubulci cum Ariſt.
II. *Intenſa*, & *fervens charitas*: nam proprius effectus amoris eſt unire inter ſe amantes, quod cum realiter per phyſicam unionem fieri non poſſit, moraliter ſaltem per voluntatum conjunctionem fieri oportet.

Rodriq. p. 1. tr. 8. c. 3.
III. *Mortificatio*: nam ſicut duo aſſeres, quo melius dedolantur, tanto facilius conglutinantur, & uniuntur, ita humana voluntas tanto perfectius Divinæ conjungi poteſt, quanto diligentius per mortificationem obſtacula ſunt remota.

Seneca de c. nſlant. c. 6.
IV. *Providentiæ Divinæ exempla frequenter objicere*, præcipue Jacobi Patriarchæ, Joſeph, Tobiæ, Eſtheris, Judithæ, Saulis, Davidis, Jobi &c. nam, Seneca teſte, quiſquis divinam circa omnia Providentiam, & oculum illum numquam dormitantem conſiderat, contumelias, verba probroſa, ignominias & cætera dehoneſtamenta, velut clamorem hoſtium fert, & e longinquo tela, ſaxaque ſine vulnere circa galeas crepitantia excipit.

Anonym.
V. *Obedientia Superioribus terrenis præſtita*: ſic enim paulatim voluntas debilitabitur, & tanto facilius Divinæ ſubjicietur, quanto æquius eſt Dei, quam hominum, implere voluntatem.

In Dialogo S. Cathar. Senenſ.
VI. *Cubiculum ex voluntate Divina ſibi extruere, & in illud ſe includere*, uti Chriſtus olim S. Catharinæ Senenſi ſuaſit: Id autem fiet, ſi nihil, niſi quod divino beneplacito conforme noverimus, tentemus, omniaque Divinæ providentiæ adſcribere aſſueſcamus.

Rodriq. p. 2. tr. 8. c. 6. Drexel. in Heliotrop. l. 3. c. 5. §. 3.
VII. *Exemplum Sæcularium* ob oculos habere ob viliſſimum bonum, totos ſe aliorum voluntati accommodantium: certe de Harpalo legitur, quod, cum Filium ſuum epulatus fuiſſet, & Aſtyages Rex, qui epulas illas inſtruxerat, reliqua Filii brachia proferri juſſiſſet, interrogaſſetque: & quomodo tibi hæc placent? reſpondit: Quidquid facit Rex, illud mihi placet. Sed & notum eſt, quid Judith adulatoria quapiam æquivocatione ſuperbiſſimo Tyranno Holoferni inſtinctu Dei illuſura, olim nuntiari juſſerit, nempe: Quæ ego ſum, ut contradicam Domino meo? Omne quod erit ante oculos ejus bonum & optimum; hoc faciam. Quidquid autem illi placuerit, hoc mihi erit optimum omnibus diebus vitæ meæ.

§. XI. ASCETICA.

I. QUatuor ſunt præcipue, quæ circa hanc virtutem bene obſervare, aliiſque inculcare debet Aſceta.

Drex. in Heliotrop. l. 1. c. 3. §. 1.
Primum eſt, ut ſummam de hoc Exercitio reſignationis æſtimationem habeat, certoque ſibi perſuadeat, omnis doctrinæ, quam Chriſtus tot diviniſſimis Concionibus tradidit, caput hoc fuiſſe, ut Homines doceret ſuam cum Divina voluntate in omnibus caſibus perfectiſſime conformare, atque adeo in hac conformitate omnem hominum profectum conſiſtere.

Vit. P. Balthaſ. Alvar. c. 31.
II. Secundum eſt, ut bene cognoſcat regulas Divinæ voluntatis cognoſcendæ, quas quidem breviter, ſed bene ſimplex noſter Frater Joannes Ximenus aſſignaſſe videtur, dum dixit, tres eſſe Superiores, a quibus ſemper voluntas Divina cognoſci poſſet, nempe Deum in cælo, Capitulum ſeu Superiorem in Eccleſia, vel Monaſterio, & Rationem domi. Atque adeo primam Regulam eſſe Dei volitionem, aut prohibitionem, in lege aliqua Divina vel naturali lege expreſſam: Secundam omnem Dominorum, aut Majorum, aut Præſidum voluntatem: Tertiam Rationem ſeu intellectum proprium, dum ſcilicet implorato prius Numinis auxilio eligitur illud, quod Deo in talibus circumſtantiis magis placere indicatur: Quo in judicio ut minus quis aberret, ſuadent Viri pii & prudentes, id ſemper præferendum, quod propriæ inclinationi magis repugnat, quod alteri, quem æque ac nos ipſos diligeremus, ſuaſuri in tali caſu eſſemus: & quod denique in hora mortis, aut in judicio extremo conſtituti, factum a nobis fuiſſe vellemus, juxta notum illum verſum: Fac modo, quæ quondam facta fuiſſe velis.

S. Senec. in lib. Exerc.

In Dialogo S. Cath. Senenſ.
III. Tertium eſt, ut fundamenta, quibus tota hæc conformitas & reſignatio innititur, bene intelligantur, quæ quidem ab ipſo Chriſto Sanct. Catharinæ Senenſi olim ſunt indicata, dum eidem 1. ſuaſit, ut firmiter crederet, eum eſſe *Potentiſſimum*, atque adeo nihil ſine voluntate ipſius accidere illi poſſe, uti ipſemet olim conteſtatus eſt, cum dixit; Nonne duo paſſeres aſſe væneunt? & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro. Et iterum per Iſaiam: Ego Dominus, & non eſt alter formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: ego Dominus, faciens hæc omnia. Clariſſime autem alibi per eumdem, dum dixit: Væ Aſſur, virga furoris mei & baculus ipſe eſt, in manu eorum indignatio mea. Ad Gentem fallacem mittam eum, & contra Populum furoris mei mandabo illi, ut auferat ſpolia & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem, quaſi lutum platearum. Ipſe autem non ſic arbitrabitur, & cor ejus non ita exiſtimabit: ſed ad conterendum erit cor ejus, & ad internecionem Gentium non paucarum. Hinc olim Titus Jeroſolymam obſidione cingens, viſis in circuitu tot cadaveribus, altum ingemuit, & elatis in cælum oculis ac manibus dixit, factum illud ſuum non eſſe. 2. Suaſit, ut firmiter quoque crederet, eum *Sapientiſſimum* eſſe, omniaque ſcire in bonum convertere: nam, ut recte dixit Theophilus Bernardinus, ſubtiliſſime ſe noſtris peccatis & erroribus inſinuat Deus, non ut approbator, & particeps, ſed ut averſator & corrector, qui ex malis bona plura, quaſi ignem ex aqua, elicit. Hinc a Davide Filius

Matt. 10. v. 29.

Iſ. 45. v. 7.

Iſ. 10. v. 5.

Theophil. Bern. l. 1. perfect. c. 4. §. 7.

Iſ. 28. v. 6.

Digitized by Google

lius unicornium vocatur, eo quod cornua non habcat ſupra oculos, ut Taurus, ſed infra, ut optime videat, quem & ubi percutiat. 3. Suaſit, ut pariter firmiſſime crederet eum *Optimum* eſſe, atque adeo velle etiam omnia in ſummum noſtrum bonum dirigere: uti recte S. Hieronymus concluſit dicens: Bonus eſt Deus, & omnia, quæ bonus facit, bona ſint neceſſe eſt. Immo, ut S. Baſilius vult, unum hoc in mentibus noſtris præſumptum oportet, quod nihil eorum, quæ nobis accidunt, malum ſit, aut tale, ut melius illo excogitare queamus. Cui conſentiens S. Damaſcenus: omnia, inquit, quæ Dei providentia fiunt, pulcherrime, ac diviniſſime fieri neceſſe eſt, atque ita denique, ut meliori modo exiſtere prorſus nequeant.

S. Hieron. in epiſt. ad Paulam de obitu Bleſillæ. Baſil. ho. 9. ex var. Quod Deus non eſt author malorum.

IV. Quartum denique eſt, ut ſolidam addiſcat, doceatque praxim, in hac ſeſe reſignatione exercendi, quæ quidem in duobus fere capitibus conſiſtit. 1. Ut aſſueſcat in omnibus, quæ fiunt, ad Divinam Juſtitiam reſpicere, dicereque cum S. Davide: Juſtus es, Domine, & rectum (id eſt, ad optimum finem, nempe ut vel puniat, vel probet, vel præmiet, & hoc triplici funiculo Adæ ſecundi, difficuiter rumpibili, nos ad ſe trahat ſibique arctiſſime uniat, directum) judicium tuum. 2. Ut inſtructus ſit jaculatoriis orationibus, voluntatem Dei in memoriam revocantibus, iiſque ſedulo in variis caſibus utatur, ex qualibus totus pſalmus centeſimus decimus octavus eſt compoſitus. Pro ſingulis actionibus ſequentes ſervire ex eo poſſunt. Pro deſiderio: Utinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas! Pro Meditatione: In juſtificationibus tuis meditabor: non obliviſcar ſermones tuos. Pro examine: In quo corrigit Adolaſcentior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos: Vel: Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in teſtimonia tua. Pro oratione vocali: Appropinquet dedeprecatio mea in conſpectu tuo, Domine: juxta eloquium tuum da mihi intellectum. Vel: Septies in die laudem dixi tibi; ſuper judicia juſtitiæ tuæ. Pro operatione: Levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi, & exercebar in juſtificationibus tuis. Pro colloquio: In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui. Pro confeſſione: Erravi, ſicut ovis, quæ periit: quære ſervum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus. Pro propoſito: Juravi, & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ. Pro fuga vitiorum: In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Pro gratiarum actione: In æternum non obliviſcar juſtificationes tuas, qua in ipſis vivificaſti me. Pro Zelo: Tabeſcere me fecit zelus meus: quia obliti ſunt verba tua inimici mei. Pro amore Dei: Portio mea, Domine, cuſtodire legem tuam. Vel: Omnis conſummationis vidi finem: Latum mandatum tuum nimis. Pro humilitate: Bonum mihi, quia humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas. Vel: cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua: & in veritate tua humiliaſti me. Pro reſignatione: Paratus ſum, & non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata tua. Pro morbo: Tuus ſum ego: Salvum me fac, ut cuſtodiam mandata tua. Pro deſolatione: Dormitavit anima mea præ tedio; confirma me in verbis tuis. Contra oculorum curioſitatem: Averte oculos meos, ne videant vanitatem: in via tua vivifica me. Contra reſpectum humanum: Etenim ſederunt Principes, & adverſum me loquebantur: Servus autem tuus exercebatur in juſtificationibus tuis. Contra contemptum: Aufer a me opprobrium, & contemptum, quia teſtimonia tua exquiſivi. Contra invidiam: Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua. Contra gulam: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua: ſuper mel ori meo. Quod ſi minus placeat tanta ſimilium precum copia, imaginetur ſibi Voluntatem ſuam tanquam Goliathum, ideoque ſequentes quinque aſpirationes velut limpidiſſimos quinque lapides aſſumat, quibus ſe contra eum defendat. Et quidem ſi aliquid jam præteritum eſt malum, dicat: Sicut Domino placuit, ita factum eſt: Sit nomen Domini benedictum. Si præſens: Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra. Si futurum: Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis, hoc faciat. Si a Deo immiſſum: Obmutui, & ſilui a bonis, quia tu feciſti. Si ab Hominibus illatum: Dimitte eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei, ut malediceret, & quis eſt, qui audeat dicere: quare ſic fecerit?

Pſ. 118. v. 137.

§. XII. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occaſione thematis: *Inveni David, Filium Jeſſe, virum ſecundum cor meum qui faciet omnes voluntates meas*: explicari poteſt, quis vir ſecundum cor Dei, nempe qui facit *omnes* voluntates Dei, hoc eſt, *quod Deus* vult, *quomodo* vult, *quia* vult, ſeu, ut alii dicunt, quoad ſubſtantiam, modum, & finem; juxta vulgare diſtichon illud: *Act. 13. v. 22.*

Omne tulit punctum, patitur qui ſemper, agitque,
Quæ vult, quove modo vult Deus, & quia vult.

In poſteriori parte concinnis explicari poſſunt gratiæ, quas Deus viro ſecundum cor ſuum offert; nempe quod oleo ſancto ſuo (id eſt conſolatione, alias terrenas conſolationes, per inde ut oleum aliis liquoribus ſupernatat, excendete, repleat, ac recreet) ungat eum: manu ſua auxilietur ei (id eſt, in omnibus actionibus ei adſit, ut proſpere eas perficiat) & brachio ſuo conſortet eum contra omnes inimicos & adverſitates, ita ut non contriſtet eum, quidquid ei acciderit; quæ omnia exemplo Davidis ſolide confirmari poſſunt.

II. Ex occaſione thematis: *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos*; probari poteſt, quam præclarum ſit ſcutum voluntas divina, ſimile nempe ſcuto Myrtilli militis, quo in primis ſe contra hoſtes in terra defendit, poſtea vero, cum naufragium paſſus eſſet, idipſum invertit & ſic pro navicula uſus periculum evaſit, ut notum illud diſtichon indicat. *Pſ. 5. v. 13.*

Effugi geminum clypeo diſcrimen in uno,
Dum premererque ſolo, dum premererque ſalo.

Oſtendatur itaque primo quomodo hoc ſcutum voluntatis divinæ defendat in ſolo, id eſt, tem-

Digitized by Google

tempore proſperitatis, contra hoſtes triplicis concupiſcentiæ, divitiarum ſcilicet, voluptatum, & honorum, cum ejuſmodi homo reſignatus de his omnibus non plus petat, quam quantum Deus dare decrevit, neque in datis aliter quieſcat, quam quia Deo placet, ut iis ipſe fruatur, ideoque dicat cum Davide: Omnis conſummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis. 2. quomodo etiam in ſalo, id eſt, tribulationibus defendat, præcipue in jactura bonorum, ut in Jobo apparet: in contemptu, ut David a Semei illuſus expertus eſt: in morbis, uti S. Edwina, & S. Clara, de quibus vide Rodriq. part. 1. tract. 8. cap. 16. & in ipſa denique morte, uti Chriſtus ipſe exemplo ſuo præclare docuit. Vide Rodriq. a cap. 15.

ad Philip. c. 4. v. 4.

III. Ex occaſione thematis: *Fratres, gaudete in Domino ſemper: iterum dico, gaudete:* oſtendi poteſt, quomodo perpetuam lætitiam habere poſſint Auditores, eum in finem explicetur 1. quid ſit verum gaudium, nempe quies vitalis in bono congruenter adepto, quæ in ratione potiſſimum conſiſtit, & per hoc a delectatione in communi, & exultatione (quæ in membra exteriora diffunditur) & jucunditate, (quæ in vultu proditur) diſtinguitur, ut docet S. Thomas. Porro quomodo hæc quies, ſive gaudium obtineatur, pulchre oſtendit Seneca, dum ait: Nolo tibi unquam deeſſe lætitiam. Volo tibi illam domi naſci: naſcitur, ſi modo intra teipſum ſit. Cæteræ hilaritates non implent pectus, ſed frontem remittunt: leves ſunt, niſi tu forte judicas illum gaudere, qui ridet. Animus debet eſſe alacer, & fidus, & ſuper omnia erectus. Mihi, crede, res ſevera eſt verum gaudium. Clarius vero S. Auguſtinus hoc ipſum explicans ait: Scimus, fratres, quod omnis homo gaudere deſiderat; ſed non omnes ibi quærunt gaudium, ubi poteſt inquiri; nam cum ea, quæ poſſumus contra voluntatem amittere, diliguntur, neceſſe eſt, ut pro iis miſerrime laboremus. Hoc ergo poſito fundamento. 2. oſtendatur, quomodo is, qui voluntatem ſuam cum divina conformat, ſempiternum habeat gaudium, quia ſcil. ſemper habet id, quod vult Deus, hoc autem, ut ſupra oſtendimus, optimum eſt. Hinc merito Epictetus hominem alloquens ait: Ignaviſſime homo, aliudne expetis, quam id, quod melius eſt; num vero, quid aliud melius eſt, quam quod viſum Deo fuerit; confirmetur hæc probatio exemplo Mendici, ſemper inter omnes ſuas miſerias gaudente, uti fuſius narrat Drexel. lib. 2. Heliotr. c. 1.

S. Thom. 2. 2. q. 17. ar. 3. & 4. Sen. epiſt. 23. ad Lucil.

S. Aug. ſerm. 3. de SS. Id. tr. 18. in Joann.

Epict. l. 2. differt. c. 7.

Joann. 4. v. 34.

IV. Ex occaſione thematis: *Meus cibus eſt ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me:* oſtendi poteſt, quam præclarum ſit convivium voluntas divina, ſimile ſcilicet illi, quod olim Norimbergæ apparatum dicitur, in quo tres tabulæ ſibi mutuo ſuperimpoſitæ erant, & prima quidem meras fictitias epulas (*Aſchau-Eſſen*) altera meros cibos ſolidos (*Haupt-Speiſen*) tertia meras cupedias, & bellaria (*Confect.*) continebat. Oſtendatur ergo 1. quomodo voluntas divina ſit ſimilis cibis fictitiis, quia vere illam non tangere, & dijudicare, ſed ſolum admirari, & in ea videnda delectari licet, illudque Davidis dicere: juſtus es Domine, & rectum judicium tuum. 2. Oſtendatur, quomodo ſimilis ſit ſolidis cibis, quia *ſatiat* (faciens quieſcere appetitum noſtrum, & dicere cum pio Aſceta: Domine tu ſcis, qualiter melius eſt: fac hoc vel illud, ſicut tibi placuerit. Da, quod vis, & quantum vis, & quando vis) *nutrit* (creſcere faciens in gratia, & gloria, uti ex Chriſti, B. Virginis, S. Joſephi, & aliorum primariorum Sanctorum exemplo patet) *roborat* ad omnes labores & adverſitates facile portandas, uti iterum Chriſtus, & S. Job experti ſunt. 3. Oſtendatur, quomodo bellariis ſimilis ſit, quia nulla major voluptas, quam voluntatis divinæ adimpletio, uti dum exemplo Sanctorum confirmari poteſt, beneplaciti divini adimpletione magis, quam ſua gloria delectantium; dum ex teſtimonio Eccleſiaſtici fatentis, quod non ſit oblectamentum ſuper cordis (maxime cum corde Dei conformati) gaudium.

l. 3. de imit. c. 15. §. 2.

Eccl. 30. v. 16.

Luc. 2. v. 14.

V. Ex occaſione thematis: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: oſtendi poteſt 1. quid ſit vera pax, nempe ſecuritas ab omni hoſte tam interno, quam externo; ut de externo quidem conſtat, de interno autem teſtatus eſt Iſaias dicens: Non eſt pax impiis, dicit Dominus. 2. Oſtendatur quomodo hanc pacem, & ſecuritatem poſſideant homines bonæ voluntatis, quia ſcilicet nec Deum timent, nec homines, cum illum, & hos ament, omnia vero, quæ ab hominibus accidere poſſunt, ſciant in bonum ſuum convertere. Hinc merito dixit S. David: pax multa diligentibus legem tuam. 3. Oſtendantur præclari effectus hujus pacis, qui ſunt *gaudium juge* (juxta illud Salomonis: ſecura mens quaſi juge convivium) incrementum divitiarum (ſpiritualium maxime, juxta commune proverbium: concordia res parvæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur) & *gloria*: ob devictum graviſſimum hoſtem, propriam ſcilicet voluntatem, unde merito talis ſperare poteſt ſibi accinendum, quod Davidi olim Filiæ Jeruſalem accinuerunt: Percuſſit Saul (& alii hoſtes) mille, & David (& omnis vir ſecundum cor Dei) decem millia. Et ut cum Judith ſemper procedat cum magna gloria.

Pſal. 28. v. 11.

Pſal. 118. v. 165.

Prov. 15. v. 15.

1. Reg. 18. v. 7.

Judith. 6. v. 21.

Matth. 12. v. 50.

VI. Ex occaſione thematis: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ille meus frater, ſoror, & Mater eſt.* Poteſt oſtendi in primis, quam vere dicatur matri Chriſti ſimilis, qui voluntati divinæ ſe in omnibus conformat, quia videlicet ut illa ipſum *concipit* dicendo: Ecce mancipium Domini: fiat mihi ſecundum verbum tuum. Ut illa *parit*, dum ſe Chriſto in obedientia uſque ad mortem crucis perfecte conformat. Ut illa *alit* lacte, & cibo optimo, quo libenter veſcitur, ut ipſe apud Joannem cap. 4. indicavit. Ut illa *infaſciat* faſciis candidiſſimis puræ conſcientiæ. Ut illa *ponit in præſepio* cordis tantopere exoptato, ubi gratiſſimo calore amoris calefiat. Ut illa utroque brachio, ſcilicet conformitate in proſperis, & adverſis *portat* 2. Oſtendi poteſt, quomodo

ta-

Digitized by Google

talis homo etiam ſavores Matri Dei conceſſos ſuo modo participet, nimirum quod ut illa, *præſervetur* a macula ſaltem actualis peccati: ut illa, copioſis donis repleatur: ut illa, vinum lætitiæ interioris aliis *impetret*: ut illa, felici, & quieta morte defungatur: ut illa, ſine purgatorio, ſaltem gravi *decedat*: ut illa, alios in gloria longiſſime *antecellat*.

Matt. 8. v. 10. VII. Ex occaſione thematis: *Fiat voluntas tua;* poteſt oſtendi, quomodo voluntas Dei ſemper, & ubique fieri debeat nempe 1. *accurate & integre*: ſi enim S. Franciſcus ſuam regulam voluit ad litteram ſervari, quanto magis Dei voluntas tali modo ſervanda erit. 2. *Indifferenter*: ſive proſpera, ſive adverſa decernat; cum eadem ſit voluntas Dei, quæ utrumque decernat. 3. *Univerſaliter*: non in propriis tantum rebus, ſed communibus etiam ærumnis. 4. *Prudenter*: diligenter inquirendo, quæ ſit voluntas Dei, ne ſub ſpecie Divinæ voluntatis propriam impleamus. 5. *Conſtanter*: exemplo Chriſti paulo ante obitum dicentis: Conſummatum eſt. Vide hæc fuſius explicata apud Fab. p. 1. in feſto S. Joann. Baptiſtæ conc. 5.

Luc. 11. v. 28. VIII Ex occaſione thematis: *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*: probari poteſt, quam vere dixerit S. Catharina Senenſis, eos, qui voluntatem ſuam Divinæ penitus conformatam habent, Chriſto ſimiles eſſe, & etiam adhuc in terra exiſtentes beatitudine frui, id, quod ex triplici effectu beatitudinis probari poteſt, 1. ex *impeccabilitate* Sanctorum, quis autem hanc magis participat, quam qui voluntatem Dei ſemper facere ſtudet? 2. Ex continua *laude Dei*? quis autem & hanc magis continuat, quam qui omnia ſua juxta Dei beneplacitum facere ſtudet? ita ſane S. Auguſtinus teſtatus eſt dicens: Vis ſemper laudare Deum? beneſac omnia, & laudaſti Deum 3. Ex *impaſſibilitate*, & perfecta *ſatietate* voluntatis: quis autem, & hunc effectum magis participat, quam vir ſecundum cor Dei, qui hoc ipſo, quod nihil aliud, quam Dei beneplacitum velit, habet ſemper, quod vult; & non poteſt habere, quod non vult. Certe non contriſtabit juſtum quicquid ei acciderit. Vide Drexel. in Heliotrop. l. 3. c. 6. & Rodriq. p. 1. tr. 8. c. 4.

In Pſ. 35. (margin beside "cere ſtudet")

IX. Ex occaſione thematis: *Quis eſt homo, qui vult vitam: & diligit dies videre bonos*: poteſt oſtendi, quomodo ſemper felicem annum habere queant, ſi ſcilicet doctrinam a Chriſto ipſo S. Catharinæ traditam, & ſuperiori §. n. 3. relatam, obſervent; ſic enim omnia cooperabuntur eis in bonum, & ſemper, quod volent optimum habebunt. Vide plura de hoc Fabro conc. 2. in Dom. 3. Epiph. & Dialogum S. Catharinæ Senenſis in fine viæ Regiæ ad vitam æternam P. Antonii Suquet.

Pſ. 33. v. 11.

§. XIII. MISCELLANEA.

Qualitas.

Vita PP. l. 1. I. Cum quidam Frater Senem interrogaret: quid faciam, ut vivam in Deo? reſpondit ille: Deus ſcit ſolus, quod bonum eſt. Sed tamen audivi, quod S. Antonius ad ſimilem quæſtionem reſponderit: Non ſunt omnia opera æqualia. Scriptura dicit: quia Abraham hoſpitalis fuit, & Deus erat cum eo. Et Elias diligebat quietem & Deus erat cum eo. Et David humilis erat, & Deus erat cum eo. Quod ergo vides animam tuam ſecundum Deum tuum velle, hoc fac, & cuſtodi os tuum.

II. S. Joannes in mari cum aliis Diſcipulis conſtitutus ſolus Dominum agnovit. Sic nempe pauci, & in gratia tantum conſtituti, Deum non in proſperis dumtaxat, ſed etiam in adverſis, cognoſcunt. *Drex. in Helior. l. 2. c. 2. §. 1.*

III. Quid vere eſt dedere ſe Deo, ut, quod ille voluerit, & ipſe velit, & quod ille noluerit, nec ipſe velit. *Epiſt. 30. §. 1.*

IV. Sapientis oculi in capite ejus, inquit Siracides, quia, ut S. Gregorius interpretatur, qui omnem obtutum in Deo, Deique voluntate figit, hic vere ſapiens eſt, hic, quotquot habet oculos, capiti gerit infixos. *Eccleſ. 2. v. 14.*

V. Illud Jobi. Numquid mittes fulgura; & ibunt, & revertentia dicent tibi: Adſumus, pulchre aliqui applicant ad viros Sanctos, qui ſi a Deo contra naturam ut fulgura deprimantur, erunt celerrime, iterumque revertuntur ad Deum, & ad alia ſe imperia offerunt. Sed hæc fulgura nonniſi ex nube denſa, beneque clauſa, id eſt, oratione ferventi, naſcuntur. *Job. 38. v. 35.* *Drex. in Heliotr. l. 2. c. 4. §. 9.*

VI. Quidam Princeps ſuorum Aulicorum uni dixerat: Cras debes mecum ad venationem egredi. Cui ille reſpondit: Non debeo, ſed libenter faciam. Ita homines Deo reſignatos cum Deo agere convenit. *Ibid.*

VII. Damnat Plato non immerito illam vulgi precationem: Deus det tibi, quidquid velis. Immo nunquam det, inquit, ſed faciat, ut velis, quod ipſe vult. Hæc enim eſt pura religio: ſic te religes Deo. *Ibid. l. 5. c. 12. §. 4.*

VIII. Homines vere reſignati ſimiles ſunt parvis ſtatuis medio globo plumbum intus continenti inſiſtentibus, aut lampadibus artificioſe pendulis, quæ quomodocumque moveantur, vel invertantur, mox ad centrum ſuum redeunt. *Drex. in Heliotrop. l. 4. c. 1. §. 8.*

IX. Romani olim libellis Supplicibus, quos Cæſari tradebant, ſubſcribere ſolebant: Numini, Majeſtatique tuæ devotiſſimus. Quanto magis hanc loquendi formulam erga Deum uſurpare convenit. *Ib. c. 1. §. 1.*

X. Iſaac, qui in monte Moria cadere debuerat, & liberatus eſt, ideo in proverbium abiit, & uſque hodie dicitur: In monte Dominus videbit, ſcilicet afflictiones virorum ſecundum cor Dei, ut eos in tempore liberet. *Ib. c. 3. §. 1.*

XI. Job a Deo graviter afflictus dicebat ad ipſum: Mirabiliter me crucias, hoc eſt, mirifice me exerces ærumnis corporalibus, & incredibili interea lætitia in mente perfundis, dum tuam lætus, & volens exequor voluntatem. *Job 10. v. 16.*

XII. Laudatur inter Judices Aod, qui utraque manu velut dextra utebatur: tales ambidextri ſunt, qui in utraque fortuna Viros ſe præbent, & Deo adhærent. *Rodriq. p. 1. tr. 8. c. 4. Jud. 3. v. 15 Fab. conc. 2. in Dom. 3. poſt Epiph. nu. 5.*

XIII. Cum quidam diceret, ſe Sponſæ amplexibus ſequenti nocte fruiturum, adſtantes *ex Nic. Serariq.*

vero

vero dicerent. Si Deus voluerit: reſpondit ille: Volente, nolente Deo potiar cupitis amplexibus. Sed dum eubitum it, tam ipſe, quam Spoſa mortua eſt. Hinc Benſiræ natum adagium. Si Deus voluerit.

Æquitas.

Lib. 4. diſſ. c. 7. XIV. Ei, quod accidit, ſemper acquieſco, dicebat Epictetus, melius eſt enim, quod Deus vult, quam quod ego volo. Adſum ei Servus & Miniſter, adeoque Pediſequus, ad eadem contendo, nec alia expecto. Idemque, quod ille, volam & ego quoque, ac ſentio.

Ruth.c.1. v. 16. XV. Laudatiſſima Ruth ad Noemi Socrum ſuam dixit: Quocumque perrexeris, pergam: & ubi morata fueris, ego pariter morabor: Populus tuus, populus meus, & Deus tuos, Deus meus: quæ te terra morientem ſuſceperit, in ea moriar. Hæc mihi faciat Deus, ſi non ſola mors me a te ſeparabit.

4. Reg.2. v. 2. Sed & Eliſæus Eliæ abeunti dixit: Vivit Dominus, & vivit Anima tua, quia non derelinquam te. Rex Joſaphat quoque Joramo ſuppetias poſcenti reſpondit: Aſcendam: qui meus eſt, tuus eſt: Populustuus, populus *4. Reg.3. v. 7.* meus: & equi mei, equi tui. Quanto magis ſimilem affectum erga Deum gerere convenit.

Utilitas.

Taulerus inſtit.c.38. XVI. Homini cuidam quærenti, quæ optima eſſet ad communionem præparatio? reſponſum eſt a Deo: Qui non habet, quod ſuum eſt: & qui appetit, quod ſuum non eſt: & cui ſatis placent, quæ a me fiunt, is, me, quando volet, percipere poterit.

Jo. de Tamboco in lib. conſol. XVII. Armigeri cujuſdam Uxor ſemper dicere ſolita in triſti caſu: hoc tibi melius eſt: idem etiam dixit, quando Maritus oculum amiſit. Nec ſefellit eventus, nam cum Rege ſuo morti proximo honoris gratia cum ipſo mori juberetur, reſpondit, parom decens eſſe, ut Rex tantus pro ſocio monoculum haberet, & ſic mortem evaſit.

Drex. in Heliotr. l. 3.c.9. §.1. XVIII. Clivus, in quo olim Jeroſolymis Chriſtus ad concionem dixerat, & mulier exclamarat: Beatus Venter, qui te portavit &c. numquam in hyeme arenis tegitur: in æſtate vero numquam virenti gramine caret. Huic ſimilis eſt homo perfecte reſignatus.

Plutarch. de l. educ. XIX. Hierophantus Themiſtoclis Filius gloriabatur, quidquid ipſi placuiſſet, id populo quoque Athenienſi probari; ſuæ enim ſententiæ Matrem ſuffragari; hujus Themiſtoclem, cujus univerſi Athenienſes ratum haberent decretum. Molto magis homo Divinæ voluntati conformatus gloriari poterit, quod velint omnes creaturæ quod ipſe vult, quia velle debent, quod ipſe & Deus vult.

Drex.p.1. Roſar. c. 24. §. 6. XX. Rex quidam ita ſuis convivium inſtrui juſſit in mari, ut eo finito omnia vaſa juberet in mare conjici: quæ tamen, quia retia occulte expandi juſſerat cum magno fœnore piſcium recepit. Simili ergo modo viri ſecundum cor Dei copioſius recipiont, quæ perdidiſſe videbantur.

Val.Max. l. 3. c. 7. XXI. Perſarum quiſpiam olim de ſuorum multitudine gloriatus dicebat: cras ſolem ſagittis obſcurabimus: cui feſtive Græcus reſpondit: gaudeo, ſic enim in umbra melius præliabimur. Idem reſpondere inimicis ſuis Deo devoti poſſunt.

XXII. Heliotropio, ait Plinus, ſunt æterna folia: rectius viris reſignatis folia non defluere dicuntur, uti S. David teſtatur. *Pſ.1.v.3.*

XXIII. Quid tibi opus eſt, ut ſis bonus? quærit Seneca, & reſpondet: velle. *Epiſt.80.*

XXIV. Cynecephalus non abſimilis homini ſeneſcit cum luna, ita ut cum ſidus ad extremam pervenit egeſtatem, oculi belvæ hient lumine vacui, & omne corpus deficiat. Adoleſcente vero luna iterum & oculorum acies, & vires creſcant. Unde tali modo reſtitutus, in poſteriores pedes ſe erigit, & mirabili corporis flexu, manibus ad lunarem circum elevatis ſuplici geſtu adorat lunam, & ubi luna circulum ſuum totum obtinuit, etiam ipſe ſimilem circulum velut diadema ſortitur. Simili modo ſe homo cum voluntate divina conformatus habet. *Drex. in 1. Heliotr. l.1.c.6.§ 3. ex Pierio.*

Dignitas.

XXV. Vir qoidam ſanctus dicere ſolebat: quidquid vis, hoc es. *Ibid.1. c. 9. §. 2.*

XXVI. Inter bonos viros, ac Deum amicitia eſt conciliante virtute. Amicitiam dico? imo etiam neceſſitudo, & ſimilitudo: quoniam quidem bonus ipſe tempore tantum differt a Deo, diſcipulus ejus æmulatorque, & vera progenies. *S.nec. l. de prov.c. 1.*

XXVII. Si Cæſar te adoptaſſet, quis ſupercilium tuum ferret? nunc cum Dei Filius ſis (propter voluntatis ſubjectionem) non te æſtimas, & attollis? *Epi apud Drex. in Heliotr. l. 3.c.3. §.3.*

Jucunditas.

XXVIII. Qui volontati divinæ ſe in omnibus conformat, Olympo Monti ſimilis eſt, in quo perpetua ſerenitas, nulli venti aut tempeſtates reperiuntur. *Rodr.p.1. tr. 8.*

XXIX. S. Dorotheus dixit, eum, qui divinæ Providentiæ ſe totum gubernandum committit, cum omnibus crucibus ſuis curru vehi; alios vero, qui hanc itineris agendi rationem ignorant, pone ſequi pedites, & oneroſas cruces moroſe trahere, aut laborioſe portare. *S.Doroth. ſerm. de obed.*

XXX. Arſenius Mareo Abbati quærenti: Eccur Pater ad nos non reviſis? apte reſpondit? cum iis, qoi ſupra nos degunt, melius mihi convenit, cum omnes idem velint; inter homines vero tanta fere voluntatis, quanta vultus diſſimilitudo eſt. *Drex in Heliotrop. l.2. c.3 §. 1.*

XXXI. Dux belli Jehu Jonadabum affatus dixit: Numquid eſt cor tuum rectum, ſicut cor meum cum corde tuo; Et ait Jonadab: eſt ſi eſt, inquit Jehu, da manum tuam, & levavit eum in currum. Idem contingit homini rectum cor, & voluntatem habenti: quieſcit enim in ſinu Dei, velut curru, & laborem non ſentit. *4.Reg.10. v. 15.*

XXXII. Stultus ut luna mutatur, homo ſanctus in ſapientia manet ut ſol, qui, etſi nube obducatur, in ſe tamen ſemper ſerenus manet. *Eccl. 27. v. 12.*

Neceſſi-

Digitized by Google

Neceſſitas.

Senec. de prov. c. 5. XXXIII. Cauſa pendet ex cauſa. Privata, ac publica longus ordo rerum trahit. Ideo fortiter omne ferendum eſt, quia non, ut putamus, incidunt cuncta, ſed veniunt. Olim conſtitutum eſt quid gaudeas, quid fleas; & quamvis magna videatur varietate ſingulorum vita diſtingui, ſumma in unum venit. Accepimus peritura perituri. Quid ita indignamur? quid querimur? ad hoc parati ſumus. Utatur, ut vult, ſuis natura corporibus; nos læti ad omnia, & fortes cogitemus nihil perire de noſtro.

Senec. li. de vit. beat. c. 15. XXXIV. Quiſquis queritur, aut plorat, & gemit, imperata facere vi cogitur, & invitus rapitur ad juſſa nihilominus. Quæ autem dementias eſt, potius trahi, quam ſequi? quæ ſtultitia & ignorantia conditionis ſuæ, dolere, quod aliquid tibi incidit durius; aut mirari, aut indigne ferre ea, quæ tam bonis acciduot, quam malis? morbos, dico, funera, debilitates, & cætera ex tranſverſo in vitam humanam incurrentia. Quidquid ex univerſi conſtitutiooe patiendum eſt magno excipiatur animo. Ad hoc Sacramentum adacti ſumus, ferre mortalia, nec perturbari his; quæ vitare noſtræ poteſtatis non eſt. In regno certe ad regnum nati ſumus; Deo parere, libertas eſt.

§. XIII. AXOMIATA.

I. POeta quidam non invenuſte oſtendit, omnia divinæ providentiæ committenda his verſibus:

Sicut it, ire ſinas, ſic vult Deus optimus ire,
Sicut enim nunc it, ſic ſemper it, ivit, & ibit.

II. Si deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas.

III. Sat facit indoctus Fidicen falta revolenti: Id eſt, voluntas bona ad omnia parata eſt.

IV. Sua cuique Deus fit Dira Cupido. Vel rectius: juſta voluntas.

Fac, quantùm poteris, tua ſitque intentio Juſta.
Cætera ſuprema cuncta relinque Deo.
Sic nivea intrabit mente pax alma quadriga.
Et lætos pariet ſemper amica dies.

§. XIV. AUTHORES.

I. FRanciſc. Arrias in tr. de mortificatione c. 11.

II. Antonius Gaudier in to. de natura, & ſtatibus perfectionis p. 3. ſ. 2. fuſe.

III. Jeremias Drexelius in Heliotropio. Et in Roſis p. 2. c. 6.

IV. Alphonſus Rodriquez in exercitio Perfectionis p. 1. tr. 8.

V. Euſebius Nierenbergius in vita divina. Et in lib. de adoratione in ſpiritu, & veritate l. 4. c. 12.

VI. Alphonſus Madrilienſis in Methodo perfecte ſerviendi Deo.

VII. Theophilus Bernardinus l. 2. de perfect. c. 15. 16. 17.

VIII. Bernardinus Roſignolius de diſcipl. l. 2. c. 29.

IX. Jo. Erardus Fullonius S. J. in bona voluntate optimæ conſentiente.

APPENDIX.

CUM hæc materia, ſi ulla alia, in praxi ſerviat ad ſolidam perfectionem, veramque animi quietem acquirendam, non parum ad eam magis illuſtrandam, & confirmandam conducere viſum eſt, ſi compendium doctrinarum ad eam pertinentium, ab Aſceta quopiam collectum, & Dialogus de hac ipſa materia inter Chriſtum, & S. Catharinam Senenſem inſtructus referatur; in his enim devotus voluntatis Divinæ æmulator inveniet, quicquid ad perfectam dictæ Reſignationis praxim deſiderare poteſt.

PARS I.

Continens Doctrinas, & fundamenta ad veram Reſignationem obtinendam pertinentia.

§. I. PROEMIUM.

I. SI vis ad veram perfectionem, animique tranquillitatem per breve compeodium pervenire, ante omnia laborandum tibi eſt, ut ſequentia tria fundamenta bene percipias, & per ea in omnibus caſibus particularibus te dirigas, ut infra declarabitur.

FUNDAMENTUM I.

Summa noſtræ felicitatis, & perfectio in hac, & altera vita, conſiſtit in perfecta conformatione voluntatis noſtræ cum divina, quam tanti faciunt ipſi etiam Beati, ut eam gloriæ ſuæ longe præferant, ideoque coronas ſuas ante pedes ejus ponant, parati amittere eas quandocumque, ſi ſanctiſſimæ ejus voluntati viſum foret.

Drexel. Heliotrop. l. 2. c. 4. §. 2. Uti pulchre P. Jeremias Drexelius oſtendit, ſic loquens: Illud hic ſingulariter obſervandum, beatos in cælo copioſius lætari de executione voluntatis Divinæ, quam de magnitudioe ſuæ gloriæ. Hinc omnes & ſuo ſinguli præmio contentiſſimi ſunt, nec ulli diſplicet, ſe minus altero habere. Sic enim, qui Deum vident, ad divinam voluntatem non tantum conformati, ſed ab illa etiam abſorpti transformatique ſunt in illa, ut jam ſolius Dei velle veliot, & magis gaudeant, hanc eſſe Dei voluntatem, ut ſint beati, quam ſe beatitudine hac frui. Hanc humanæ voluntatis cum divina conformitatem ſequitur excellentiſſimus amoris affectus, qui non tam conformitas, quam humanæ voluntatis cum Divina unitas vocari poteſt. Et hæc beatos ſic afficit, ut totis viribus, & quam ardentiſſime veliot Deum eſſe, qui eſt, tam ſapientem, ac potentem, tam miſeri-

Nota.

Digitized by Google

cordem ac juſtum, quam eſt, tam dignum omni honoris, & gloriæ amplitudine, ac majeſtate.

Notæ.

II. Ita 1. Deus Sanctæ Catharinæ Senenſi, cupienti veram, & brevem viam ad perfectionem cognoſcere, indicavit his verbis: Scias, ſervorum meorum ſalutem, perfectionemque hoc uno conſtare, ut meam ſolius faciant voluntatem, atque eam ſummo ſemper ſtudio adimplere nitantur, quantoque diligentius in id incumbunt, tanto perfectioni propius accedere; Quoniam mihi, qui ſumma ſum perfectio, magis preſſiuſque adhærent. Addidit, hoc exercitium omnes virtutes ſcripturarum volumina, & multiplices prædicationes complecti, ita ut, ſi ipſa ſuam ibi faciem contemplatura ſit, ſeque ad illud compoſuerit, quidquid patet, & latet in divinis ſermonibus, adimpletura ſit, & ſempiterna lætitia, & pace fruitura.

Thom. Kemp. l. 3. c. 25.

III. Ita 2. Thomas Kempenſis, in perſona Chriſti ſic loquens: Non ergo æſtimes te veram pacem inveniſſe, ſi nullam ſenſeris gravitatem: nec tunc totum eſſe bonum, ſi neminem pateris adverſarium: nec hoc eſſe perfectum, ſi cuncta fiant ſecundum tuum affectum. Neque tunc aliquid magni te reputes, aut ſpecialiter dilectum exiſtimes, ſi in magna fueris devotione, atque dulcedine: quia in iſtis non cognoſcitur verus amator virtutis: nec in iſtis conſiſtit profectus, & perfectio hominis.

In quo ergo Domine.

In offerendo te ex toto corde tuo voluntati Divinæ, non quærendo quæ tua ſunt, nec in parvo nec in magno, nec in tempore, nec in æternitate: ita ut una æquali facie, in gratiarum actione permaneas, inter proſpera, & contraria omnia æqua lance penſando. Si fueris tam fortis, & longanimis in ſpe, ut ſubtracta interiori conſolatione, etiam ad ampliora ſuſtinenda cor tuum præparaveris, nec te juſtificaveris, quaſi hæc, tantaque pati non deberes; ſed me in omnibus diſpoſitionibus juſtificaveris, & ſanctum laudaveris, tunc in vera, & recta via pacis ambulas, & ſpes indubitata erit, quod rurſus in jubilo faciem meam ſis viſurus. Nihil ergo amatorem tuum, & cognitorem tuorum beneficiorum ita lætificare debet, ſicut voluntas tua in eo & beneplacitum æternæ diſpoſitionis tuæ; de qua tantum contentari debet, & conſolari, ut ita velit libenter eſſe minimus, ſicut aliquis optaret eſſe maximus, & ita pacificus, & contentus in noviſſimo, ſicut in loco primo: atque ita libenter deſpicabilis, & abjectus, nullius quoque nominis, & famæ, ſicut cæteris honorabilior, & major in mundo. Nam voluntas tua, & amor honoris tui, omnia excedere debet; & plus eum conſolari, magiſque placere, quam omnia beneficia tibi data, vel danda.

Tritt- rum l. 3. Thom. Kemp. c. 22.

Alphon. Madril. c. 1. & 2.

Ita 3. Alphonſus Madrilienſis c. 1. & 2. fuſe & bene addens hoc exercitium alia in tantum ſuperare, quantuum ſol ſplendorem candelæ, & mare integrum unicam guttam excedit.

Rodrig. p. 1. tr. 8. c. 1.

IV. Ita quarto Alphonſus Rodriquez ſic loquens; Cæterum caput Diviniſſimæ ipſius doctrinæ princeps hoc fuit, ut ſanctiſſimæ ipſius voluntati, integre, perfecteque nos dederemus, conſecraremuſque rebus in omnibus, ac ſingulis. Neque vero verbis dumtaxat (quando orare nos docuit) ita inſtruxit, ut ab æterno Patre poſtularemus fieri voluntatem ejus ſicut in cælo, ita, & in terra, ſed & ipſe huic ſe doctrinæ perfectiſſime accommodavit: *ad hunc etenim finem deſcendi*, ait ipſe *de cælo*, *non ut faciam voluntatem meam*, *ſed voluntatem ejus*, *qui miſit me*. Atque implere jam volens opus redemptionis noſtræ, in oratione illa facta in horto, tametſi corpus, appetituſque ſenſitivus naturaliter mortem refugeret, quod ſatis ipſemet expreſſit, dicendo: *Pater*, *ſi poſſibile eſt*, *tranſeat a me calix iſte*: nihilominus tamen voluntas, appetituſque ſuperior promptus, expedituſque ſemper fuit ad calicem, quem dederat illi Pater, alacriter bibendum; unde mox ſubdidit: *Non quod volo ego*: *ſed quod tu*. Ut vero hanc rem in radice penituſque inſpiciamus, duo hic brevia quidem at ſubſtantialia fundamenta debemus ſupponere, quibus, veluti duobus cardinibus, totius ſequentis diſpoſitionis ſuperinjecta moles, debet inniti. Primum eſt, omnem profectus, perfectioniſque rationem in hac conformitate voluntatis noſtræ cum Divina conſiſtere, ita ut, quo hæc fuerit major, eo major etiam futurus ſit profectus. Facilis, ac plana eſt fundamenti hujus intelligentia. Certum enim eſt, perfectionem eſſentialiter conſiſtere in charitate, timoreque Dei: Plena doctrinæ hujus omnia ſunt Evangelia, plenæ Pauli Epiſtolæ, pleni Sanctorum libri. *Hoc eſt maximum*, *& primum mandatum*: *Charitas eſt vinculum perfectionis*. *Major horum eſt charitas*, *& amor Dei*; hujus autem amoris Dei pars altior, purior, perfectior, eſt iſthæc cum voluntate Dei conformitas in omnibus. Eadem velle, & eadem nolle, firma amicitia eſt, vox eſt magni Hieronymi ex Cicerone petita. Quanto igitur arctius quis ſe adſtrinxerit voluntati Dei, tanto melior erit, perfectiorque. Præterea clarum etiam eſt, nihil voluntate Dei melius eſſe, nihil perfectius. Ergo perfectiſſimus is erit, qui ſe Deo perfectiſſime conformaverit, atque conjunxerit.

Bloſius in farrag. utiliſſ. inſtit.

V. Ita quinto Bloſius his verbis: Quiſquis ita bona præditus eſt voluntate, ut ſeſe abneget, & propriæ renuntiet voluntati, ſeque liberrime reſignet, ac dedat voluntati Dei, ejus bona voluntas eſt perfecta, idemque abſque formidine, & anxia ſui cura vitam tranſigit, caducaque, ac labentia cuncta proculcat, & de vita æterna obtinenda quamdam ſe ſentit habere certitudinem. Ejuſdem in omnibus cum Deo voluntatis eſt, & pacem habet cum Deo, & in Deo imperturbabilem. Hic ex Deo natus, & verus Chriſti diſcipulus eſt: quia mitis eſt, & humilis corde. Moderate, ſuaviter, ac tranquille ferre novit, & verba aſpera, & truces geſtus, ſæva opera & quidquid demum injuriæ, ſive in ipſum, ſive in amicos ejus conferri poſſit. Eum nihil perturbare poteſt, neque jactura rerum terrenarum, neque corporis adverſa valetudo, neque ignomi-

nia,

nia, neque mors, neque vita, neque purgatorium, neque Dæmon, neque internus. Quia enim ex vero amore Divinæ ſe reſignavit voluntati, & nullius mortiferi peccati conſcientia mordetur, facile illi toleratu eſt, quidquid de eo mandat fieri Deus, in tempore & æternitate. Itaque cum aliquid patitur, & in omni rerum eventu, ita cogitat, ac dicit: Domine, ſicut ipſe ab æternitate, antequam ego eſſem, voluiſti, ita fiat, & non ut ego volo. Non meum commodum, non meam oblectationem quærere debeo, ſed tuum honorem, & tuam laudem. Gratior mihi eſt tua ſancta voluntas, quam optandi libertas. En igitur me ipſum dedo, reſigno, & promitto tibi, Deus meus, non in tempore modo, ſed etiam in ævum ſempiternum.

S. Paulus ad Rom. c. 12. VI. Ita ſexto S. Paulus ad Romanos ſcribens: *Nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri; ut probetis, quæ ſit voluntas Dei bona* (id eſt, quæ Deus vult, bene placeant, & quomodo Deus vult) *& perfecta* (id eſt, quia Deus vult, ſingula facientes) uti docet P. Gaudier. part. 2. Seſſ. 2. cap. 12. his verbis: Præſata conſormatio voluntatis noſtræ cum Divina requirit, ut non tantum velimus idem, quod Deus vult, & nolimus, quod non vult, ſed etiam id velimus, & nolimus eo modo, & propter eamdem rationem, propter quam Deus vult.

Gaudier p. 2. ſ. 2. c. 12. VII. Ita ſeptimo P. Antonius Gaudier, addens, hanc praxim habere tres proprietates valde optandas, 1. quod ſit valde facilis, & idcirco maxime conveniens, non eruditis tantum, ſed etiam rudibus, & idiotis, præcipue iis, qui in afflictione aliqua poſiti; Divini conſilii rationes non intuentur, nec facile aliis mediis pervenire poſſunt ad perfectionem, cum ſepe impediantur, ne multa agere poſſint, quæ tamen videntur requiri ad perfectionem; nam iis facile hoc uno actu juvantur. Præterea quid facilius infanti ignoranti, & cæco, quam matris, aut alterius ductum ſequi? quid ergo pariter facilius, quam ſe projicere in amplexus optimi Patris, & tutiſſimum providentiæ Divinæ ſinum; Secundo quod ſit maxime ſimplex; pauca enim requirit, eaque non difficilia cognitu, & tamen, licet ſit ſimplex, involuit omnem perfectionem imaginabilem, ſicut actus ipſe voluntatis Dei ſimpliciſſimus omne prorſus bonum habet pro objecto, tam proprium, quam creaturarum, quæ creaturæ ſi quid perfectionis habent, vi illius actus unius habent. 3. Quod ſit valde expedita; nam idcirco tam multa, eaque evidentia ſigna voluntatis ſuæ dedit Deus, ut facile in omnibus pene rebus, & actionibus poſſimus eam cognoſcere, quod valda nos juvat, ut facile, & expedite eidem nos conformemus.

Drex in Heliot. lib. 2. c. 4. VIII. Ita 8. Jeremias Drexelius ſequentibus verbis: Omnes humanæ actiones pretium ſui habent a fine, quem ſpectant: hinc illæ tam bonæ, vel malæ, quam illarum finis eſt. At vero finem actionum noſtrarum nec meliorem, nec ſublimiorem reperimus ullum voluntate Divina, hoc eſt, ipſo Deo: Ergo nec meliores nec ſublimiores actiones ullæ ſunt, quam quæ proximæ huic fini. Hinc illud Baſilii Magni effatum, totam ſanctitatis ſummam in homine Chriſtiano eſſe, ut is rerum omnium, qua grandium, qua exilium cauſas ad unum, ſolumque Deum referat, & ſeſe in omnibus divinæ voluntati promptiſſime ſubjiciat. Hæc illa eſt ſanctis patribus, & ſanctioris vitæ Magiſtris toties, ac tantopere commendata Reſignatio, quam vocant, principium omnis tranquillitatis, ut quæ hominem in Dei longe tutiſſima manu collocat, ita quidem ut homo jam nolit eſſe ſuus, ſed Dei, nec ſibi vivere, ſed Deo, & nihil non facere propter Deum, tam adverſis contentus, quam proſperis. Hoc Deus adeo in amoribus, & deliciis habet, ut Hebræum regem David, auguſtiſſimo titulo donans, appellarit virum ſecundum cor ſuum, qui faciat omnes voluntates ſuas. Adeo enim Rex ille affixum habebat cor divino cordi, ut ad omnes Dei nutus ſe promptum, ac paratum ſiſteret. Hac omnino ratione plurimum quotidie promereri quis poteſt, ſi actiones illas omnes ex ſe nec vituperio, nec laude dignas, uti ſunt edere, bibare, deambulare, dormire, &c. ad Divinam referat voluntatem, neque ideo edat, aut bibat quod eſuriat, aut ſitiat, ſed quod Deo id fieri placeat.

§. II. FUNDAMENTUM II.

IX. *SEmper in noſtra poteſtate eſt, ſuppoſito ordinariæ gratiæ Divinæ auxilio, voluntatem divinam perfecte adimplere, cum ad hoc plus non requiratur, quam ut faciamus quæ Deus vult, quomodo vult, & quia vult, quod ſemper in noſtra eſt poteſtate.*

Notæ.

X. Ita 1. Deus ipſe dicens: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſitum &c. ſed juxta te eſt ſermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.* *Deuter. c. 30.*

XI. Ita 2. Chriſtus, dum S. Catharinæ ſcire cupienti, quæ ſit voluntas ejus, dixit his verbis: Si paucis, & collectim ſcire deſideras voluntatem meam, hæc eſt, ut ſumme, & ſemper ames me. Si autem me perfecte amare vis, hæc tria facere neceſſe eſt. 1. voluntatem tuam ab omni amore, affectuque terreno, & carnali prorſus amoveas, ita ut nil temporale ames, niſi propter me, quoniam Divinus amor terreni affectus, aut alterius amoris, conſortium pati non poteſt 2. Ut omnes cogitationes, & opera ad meum honorem, & gloriam dirigas, & des operam verbis, precibus, & exemplis, ut alii quoque omnes me unum norint, ament, & colant. 3. Ut nolis non ſolum malum, ſed & bonum, quod ipſe nolim, atque adeo per quemcumque caſum non frangatur mens tua, ſed inconcuſſa fide ſemper teneas, me Deum tuum omnipotentem magis amare te, quam tu te ipſam. *In Dialog.*

XII. Ita 3. Joannes Ximenes Coadjutor e Soc. Jeſu, qui dicere ſolebat ſe tres habere interpretes voluntatis Divinæ, ſcilicet Deum in cælo, Superiorem in Capitulo, rationem domi. *Vita PP. Balth. Alvar. c. 21.*

XIII. Ita 4. P. Gaudier dicens: hæc eſſe ſigna voluntatis Divinæ: 1. Præceptum. 2. Conſilium Dei 3. Chriſti vita, & exemplum 4. Vocatio Dei ad ſtatum, vel officium 5. Obedientiæ vox, ſive viva ſuperiorum, ſive mortua regularum, & conſuetudinum. 6. Conſilium virorum bonorum, eorum præcipue, qui poſt ſuperiores animarum noſtrarum Directores ſunt, imo vero aliorum omnium Judicum, quod non eſt malum, etſi noſtrum videatur melius, tamen humili, & Deum amanti ordinarie ſequendum eſt, niſi aliqua alia ſigna Dei voluntati obſtent. 7. Operationes Dei ſupernaturales, v. gr. inſpirationes, exempla aliorum, prædicatio. 8. Permiſſio peccatorum. In dubiis autem idem aſſignat ſequentes tres regulas 1. cæteris paribus ſemper inclinandum eſt in id, quod vilius eſt; & plus abnegationis continet; hoc enim tutiſſimum & non tantum noſtro merito, ſed etiam Evangelicæ Regulæ, quæ jubet noviſſimum locum eligere, conformius eſt, & certum eſt, id magis placere tunc Divinæ Majeſtati. 2. In dubiis ſemper inclinandum eſt in favorem proximi & amplectenda pars ipſi utilior, honorатior, lenior, & qua futura eſt majori ædificationi, & minus periculum perturbationis continet. 3. Si neutrum hoc ſufficiat, duo ſunt facienda. In primis res accurate Deo ſemel, iterumque in oratione commendanda eſt. Deinde proponendum conſtanter, quod velit majorem Dei Gloriam quærere, idque eligendum, quod videbitur ad hunc finem convenientius, fieri enim non poteſt, quin Deus ſignum aliquod aperiat, quo vel ſuam voluntatem declaret, vel ſaltem ad proſperum deducat exitum, quod tam ſincere ad gloriam ſuam deductum eſt.

§. III. FUNDAMENTUM III.

XIV. *Hoc ipſo, quod Deus ſit ſumme potens, ſapiens, & bonus, poteſt, ſcit, & vult ſemper id, quod optimum eſt circa nos ordinare, nec nos quidquam melius optare, aut eligere poſſumus, quam quod de facto de nobis ipſe diſpoſuit; cum ſine illius voluntate fieri nihil poſſit.*

Notæ.

In Dial. XV. Ita 1. Chriſtus S. Catharinæ Senenſi cupienti viam cognoſcere, qua poſſet ad perfectam voluntatis ſuæ cum Divina conformatione pertingere, indicavit his verbis: Volo, ut certa fide, alta mente, ac frequenti conſideratione mediteris, me Deum tuum glorioſiſſimum, qui te ad beatitudinem fruendam creavi, æternum eſſe, ſummum, omnipotentem, vobiſque omnia, quæ mihi ſunt placita, facere, nec eſſe, qui, vel tantillum meæ poſſit reſiſtere voluntati, nec quidquam ſine eadem voluntate mea vobis accidere, nihil prorſus niſi me permittente provenire, ut per Prophetam vobis enuntiavi, non eſſe malum in civitate, quod non ipſe fecerim, id eſt, permiſerim. Mediteris pariter, me Deum eſſe ſummæ ſapientiæ, perfectiſſimæ cognitionis, & intelligentiæ, omnia certa ratione videntis, & acutiſſime penetrantis; ut ad cælum, terram, mundum totum, & univerſa gubernanda, nulla poſſim ratione falli, nullo errore turbari: quod ſi non ita eſſet, nec Deus eſſem, nec ſapientiſſimus. Et ut tantillum percipias vim hujus ſapientiæ meæ, ſcias, de malo culpæ, & pœnæ me longe majus bonum, quam ſit malum, elicere. 2. Velim conſideres, me eundem Deum tuum non minus ſumme bonum eſſe, & hac de cauſa non poſſe, niſi, quæ bona ſunt, utilia, & ſalubria, tibi, & aliis velle; non poſſe a me aliquid malum provenire, nihil odiſſe, & hominem, ut mea bonitate creavi, ita per me ſemper inæſtimabili dilectione proſequi. His vero per firmam fidem, mente, ac meditatione collectis, cognoſces, tribulationes, tentationes, difficultates, dolores, infirmitates, & adverſa omnia ob nullam aliam cauſam me gubernante provenire, niſi utilitatis, & ſalutis veſtræ gratia, ut per ea, quæ videntur vobis mala, a pravitate corrigamini, & ad virtutem, qua itur ad verum, & ſummum bonum vobis incognitum, perducamini. Cognoſces præterea hoc fidei lumine illuſtrata, me Deum tuum magis ſcire poſſe, & velle bonum tuum, quam tu, teque id nec poſſe, nec ſcire, nec velle abſque gratia mea.

XVI. Ita 2. Salomon: *Bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & honeſtas, a Deo ſunt.* *Eccl. c. 1.*

XVII. Ita 3. S. Auguſtinus dicens: Prorſus ad Deum tuum refer flagellum tuum, quia nec Diabolus tibi aliquid facit, niſi ille permittat, qui deſuper habet poteſtatem. *S. Aug. in Pſ.*

XVIII. Ita 4. Rodriquez ſic diſcurrens, Alterum fundamentum eſt: ultra voluntatem Dei nihil prorſus in Mundo poſſe contingere, ſecluſo peccato, cujus Deus auctor nec eſt, nec vere eſſe poteſt. Sicuti enim naturæ ignis repugnat frigefacere, aquæ calefacere, ſolis obtenebrare, ſic infinities magis repugnat immenſæ bonitati Dei amare peccatum *Mundi ſunt oculi tui* (loquitur de Deo Abacuc) *ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris*; ſicuti cum volumus dicere de aliquo, quod alterum oderit, dicimus: Non poteſt illum videre. Quoniam non Deus volens iniquitatem eſt. De hoc Dei erga peccatum odio plena eſt omnis ſcriptura. Hoc inquam ſeppoſito, alia omnia, etiam mala pœnæ, ex voluntate Dei eveniunt, & fortuna in Mundo nulla eſt, quod Ethnici ſomniabant. Bona enim, quæ Mundus fortunæ nominat, non ab hac, ſed a ſolo Deo ſunt. Ac tametſi non negemus, etiam cauſis ſecundis ſuam efficientiam, certum tamen eſt, nihil fieri in vaſta hac Mundi republica, niſi voluntate, ordinationeque ſummi illius Imperatoris, & Monarchæ Dei, qui eam moderatur. Reſpectu Dei caſus nullus eſt, ſed dextera Dei facit omnia. Unus ipſe in numerato habet omnia oſſa corporis, omnes capillos capitis tui ex quibus nec unus peribit ſine nutu, permiſſuque Dei, ſed quid dico de homine, nec avicula quidem laqueo venatoris, ſine diſpenſatione Dei, implicatur, *Nonne duo paſſeres veneunt dipondio? & unus ex iis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro*; ſed nec frondes moventur *Rodriq. p. 1. tr. 8. c. 2.*

tur in arbore ſine Deo. Et quid de ipſis fortibus? mittuntur in ſinum, ſed a Domino temperantur, ſic, & ſors cecidit ſuper Matthiam, non caſu, ſed decreto, & providentia magni Dei, qui illum habere voluit Apoſtolum per hanc viam.

Drexel. in Heliotrop. l. 3. c. 1. §. 2. XIX. Ita 5. Drexelius ſic loquens: Omnia mundi mala (peccatum excipimus) a Deo eſſe, hac ratione docent Theologi. In omni peccato duo ſunt culpa, & pœna. Deus eſt Auctor pœnæ, quæ in peccato eſt, ſed neutiquam culpæ. Ideo ſi demamus culpam, nullum eſt malum pœnæ, quod non fiat a Deo, aut ipſi non placeat. Sicut autem mala peccati, ſunt pœnæ, ſic & mala naturæ oriuntur a Divina voluntate. Naturæ mala vocamus, famem; ſitim, morbos, dolores, &c. Quæ ſæpiſſime nihil habent cum peccato commercii. Itaque Deus reipſa (&, ut in ſcholis loquuntur, effective poſitive) omnia pœnæ naturæque mala vult (intentione ſaltem ſecundaria) ob juſtiſſimas cauſas, ſolum peccatum, ſeu, culpam permittit. Ideo hæc Dei voluntas Permittens, illa Ordinans vocatur. Id igitur omne, quod nos malum vocamus, a Dei voluntate eſt. Ita Theologi. Hoc fundamentum altiſſime in animo jaciendum maximi enim refert, probe iſtud capere, idque ſemper perſuaſiſſimum habere, pœnarum, & malorum omnium cauſam primam eſſe voluntatem divinam, culpa tamen, ut monuimus ſemper ex cluſa.

Thomas Kemp. l. 3. c. 46. XX. Ita 6. Thomas Kempenſis his verbis: Qui in me confidit, nec proprio judicio ſtare appetit, abſque humano terrore erit. Ego enim ſum Judex, & cognitor omnium ſecretorum: ego ſcio qualiter res acta eſt; ego injuriantem novi, & ſuſtinentem. A me exiit verbum iſtud, me permittente hoc accidit, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Ego reum, & innocentem judicabo, ſed occulto judicio utrumque ante probare volui. Atque hæc ſunt tria illa fundamenta, quibus, ut dixi, firmiſſime homo inniti debet, ſi ad ſolidam perfectionem per compendioſiſſimam viam pervenire, veramque animæ tranquillitatem obtinere cupit, id quod ex ſequentibus corollariis clarius intelliges.

§. IV. *COROLLARIA EX DICTIS FUNDAMENTIS DEDUCTA.*

CORALLARIUM.

Triſtitia XXI. Itaque ex dictis fundamentis colliges 1. *Te non debere de ulla re triſtari, quam de peccato, cum hoc ſolum ſeparet te a voluntate Divina, atque adeo vera felicitate te privet, reliqua vero omnia ſeparare te a voluntate Divina non poſſint, niſi tu ipſe conſentias.*

Nota.

Salomon Prov. c. 12. XXII. Ita 1. Deus per Salomonem: *Non contriſtabit juſtum quidquid ei acciderit.*

S. Paul. ad Rom. c. 8. XXIII. Ita 2. S. Paulus dicens: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

XXIV. Ita 3. S. Auguſtinus, ſic animans: Quid timet homo in ſinu Dei poſitus? tu de ſinu illius noli cadere, & quidquid ibi paſſus fueris, ad ſalutem valebit, & non ad perniciem. *S. Aug. S. de verb. Dom.*

XXV. Ita 4. S. Catharina Senenſis dicere ſolita: Juſtos Chriſto ſimiles eſſe, qui etiam in hac vita non caruit beatitudine. *Rodriq. p. 1. tr. 8. c. 4.*

XXVI. Ita 5. Mendicus, de quo Drexelius ſic narrat: Fuit olim magni nominis Theologus, qui octennium ipſum aſſiduis precibus Deum obſecravit, hominem ſibi monſtraret, a quo viam doceretur ad cælum compendioſiſſimam. Eo igitur die, quo hujus hominis alloquendi deſiderio maximo tenebatur, nec aliud mallet, quam videre Magiſtrum tam arcanæ veritatis, vocem cælitus allatam audire ſibi viſus, quæ ſic moneret: Exi foras ad templi veſtibulum, & qualem quæris, reperies hominem. Prodiit ergo in publicum, & ad ædis ſacræ limina mendicum invenit tibiis ulceroſis, & multo putre fluentibus; veſtis mendici vix trium obolorum erat. Huic Theologus candidum precatus eſt & proſperum mane. Cui mendicus: Non memini, ait, me unquam habuiſſe adverſum. Hic litteratus ille, primam ſalutationem velut correcturus, Eja, inquit, fortunatum te reddat Deus: At ego, inquit mendicabulum, infortunatus nunquam fui. Obſtupuit ad hanc vocem Theologus, ſed ne forſan erraſſet audiendo, votum ſuum repetens, ſed paulo aliis verbis, Ecquid ais, inquit, felicem eſſe te jubeo. Mox iterum mendicus, Numquam, ait, infelix fui. Theologus argutari credens dicacem mendiculum, & ut hominis ingenium experiretur, Eveniant, inquit, volo tibi, quæ optas, atque id fiat. Non eſt, ait iſte, quod hic queraris: omnia fiunt, ut volo; quamvis fortunæ mea conſilia non applicem. At Doctor ille denuo ſalutans ac valedicens: Servet te Deus, inquit, vir bone, ſi quidem fortunam oderis. Sed dic obſecro, tu ne ſolus inter calamitoſos mortales beatus? Job ergo falſus, qui aſſerit: *Homo natus de Muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis*; & quomodo tu ſolus evaſiſti omnes malos dies? non ſatis aſſequor animi tui ſenſa. Ad quæ mendicus, Sic eſt, mi Domine, ut dixi. Optanti mane proſperum, negavi, me unquam habuiſſe improſperum. Sorte mea, quam mihi Deus hic aſſignavit, contentiſſimus ſum: non egere felicitate, felicitas mea eſt. Monſtra illa Fortunæ, & infortunium neminem lædunt niſi volentem, aut certe timentem lædunt: nec ego unquam fortunæ ſupplico, ſed Patri cæleſti, qui rerum omnium eventus gubernat, Ita me nunquam infelicem fuiſſe ajo, ut cui omnia ex voto cadunt. Quod ſi fame urgear, Deum providiſſimum Patrem ob id laudo. Si frigus me urat, ſi nimbus in me ruat, ſi aliis cælum injuriis me impetat, Deum æque laudo; cum aliis ludibrio ſum, Deum non minus laudo. Nam certus ſum, horum omnium auctorem eſſe Deum, nec poſſe non eſſe optimum, quod Deus facit. Idcirco quicquid Deus vel tribuit, vel evenire permittit, grutum ſit an ingratum, dulce an amarum juſte habeo, nam hæc omnia velut de manu Pa- *Heliotr. l. 1. c. 1.*

Digitized by Google

Parentis optimi lætus accepto, & hoc unum volo, quod vult Deus; Ita omnia ſiunt, ut volo. Miſer eſt, qui fortunam aliquid in ſe poſſe credit, & is demum vere infelix eſt, qui neſcit quam felicitatem in hoc orbe ſomniat. Hæc vera eſt felicitas in hac vita, ſoli voluntati divinæ quam tenaciſſime inhærere. Dei voluntas optima, rectiſſima voluntas, quæ oon rectior fieri, nec mala eſſe poteſt. Hæc de omnibus judicat, de hac nullus. Ut hanc ſequar, meum ego ſtudium omne confero, in hanc unam curam tota mente incumbo, ut quidquid vult Deus, hoc, & ego numquam non velim. Ea de cauſa nequaquam infelicem me cenſeo, quando meam omnem voluntatem ſic integre in divinam transfudi, ut apud me non aliud velle ſit, aut nolle, quam quod Deus vult, aut non vult. Ita ne vero inquit Theologus, tu iſta ex animi tui ſententia profers? ſed dic, obſecro, eadem ne tibi mens eſſet, ſi te Deus ad inferos ſtatuiſſet præcipitare? cui prompte mendicus Me, inquit, ille ad inferos præcipitare? ad inferos ille? At ſcias, duo mihi eſſe brachia miri roboris, his ego illum arctiſſime ſtringerem complexu inſolubili. Unum brachium eſt, ſubjectiſſima Humilitas per ſui oblationem, alterum charitas ſinceriſſima per Dei dilectionem. His ego me brachiis Deo ſic innecterem, ut quocumque ablegaret, illuc eum una mecum traherem. Et ſane multo foret optatius, extra cælum eſſe cum Deo, quam in cælo ſine illo. Theologus ad has voces attonitus, eum animo ſuo agitare cœpit, hanc illam eſſe compendioſiſſimam ſemitam ad Deum. Sed libuit ulterius ſciſcitari, & ſapientiam in domo tam incommoda habitantem elicere in apertum; & unde tu, inquit, huc adveniſti? a Deo veni, reſpondit mendicus. Cui Theologus iterum: & ubi nam locorum, inquit, reperiſti Deum? ubi res creatas omnes, ait iſte, deſerui. Theologus denuo, ubi vero, ait, Deum reliquiſti? ſubjecit pauper: in mentibus puris, ac bonæ voluntatis. Ecquid tandem hominis es? ait Theologus. Mox alter, quiſquis ſim, inquit, forte mea tam contentus ſum, ut eam cum omnium Regum opulentiis non commutaverim. Rex eſt; quiſquis ſibimet novit imperare. Ergone te Regem credam? inquit alter, ubi regnum tuum? illic, ait mendicus, & ſimul digito cælum monſtravit: Rex eſt, cui Regnum illud in alto certis Chirographis tranſcriptum eſt. Denique Theologus finem facturus quæſtionibus, quis iſta, inquit, te docuit, quis hunc tibi animum injecit? reſpondit alter, dicam Domine: totos ego dies ſileo, & jam vel precibus vel piis cogitationibus vaco: & hoc unice curo, ut Deo ſemper ſim conjunctiſſimus. Conjunctio, & familiaritas cum Deo, divinaque voluntate docet hæc omnia. Plura quærere volebat Theologus, ſed in aliud tempus id differendum ratus, in præſenti valedixit. Dum abit, multa ſecum cogitans; En, ajebat ipſe ſibi, doctorem reperiſti rectiſſimæ ad Deum viæ. Quam vere Auguſtinus: Surgunt indocti, & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce ubi volutamur in carne & ſanguine?

XXVII. Ita 6. Rodriquez ſic loquens: quicumque igitur hanc conformitatem ſuæ voluntatis cum divina integre perfecteque attigerit, omnia tamquam de manu Dei deſcendentia cupide amplexando, hic utique beatitudinem poſſederit in terris, fruetur enim perfundeturque perenni quodam gaudio: & lætitia inenarrabili animæ, quia quidem felicitate gaudent in hac vita magni ſervi & amici Dei. Certum ſiquidem eſt illud Apoſtolicum. *Non eſt Regnum Dei eſca, & potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu S.* Merito autem dicitur alma hæc pax beatitudo, quodam enim modo facit nos ſimiles beatis. Uti enim in cælo nulla eſt viciſſitudo; nullum, ut ſic dicam, vade & veni, ſed jugis conſiſtentia beatorum in uno eſſe, gaudendo in, & de Deo: ita & illi, qui hic adepti ſuot dictam conformitatem, ut omnis ipſorum guſtus, & oblectatio ſit ipſe guſtus, & beneplacitum Dei, exulat omnis inquietudo, atque turbatio, quæ aliis ex rerum hujus mundi viciſſitudine perpetua accidit; etenim illorum mens ita abſorpta in Deo eſt, ut, cum videant a Deo proficiſci univerſa, & in omnibus impleatur ſanctiſſima, rectiſſimaque ejus voluntas, moleſtiæ ipſæ, curæque vitæ præſentis, vertantur ipſis in gaudium, quia magis quærunt voluntatem Dei, quam ſuam. Atque ita nihil eſt, quod illis aliquam poſſit ingenerare moleſtiam. Si enim adverſa omnia, uti jam diximus, ab ipſis accipiantur, tamquam ſingulares a Deo immiſſi favores, & conſolationes, nihil profecto eſt, quod utiliſſimam illam eorumdem quietem poſſit vel in minimo interturbare. *Rodriq. p. 1. tra. 8. c. 4.*

XXVIII. Ita 7. Drexelius his verbis veritatem hanc confirmans: Quiſquis hanc propriæ voluntatis cum divina conformationem perfecte attigeris omniaque velut de manu Dei cupide amplexatus fueris: hæc tua in hoc orbe inferiore beatitudo erit; frueris perenni quodam gaudio, & lætitia non multis nota, hac enim felicitate fruuntur homines intima familiaritate Deo conjuncti: Beatus es, & bene tibi erit. Certum ſiquidem Paulinum illud: Non eſt Regnum Dei eſca, & potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. Qui enim in hoc ſervit Chriſto, placet Deo, & probatus eſt homioibus. Uti autem in Cælo nulla eſt viciſſitudo, nullum (ut ſic loquar) heri aut hodie, ſed continuus quidam ſibique ſemper ſimillimus æternæ voluptatis affluxus, iſque invariabilis, & nunquam non ſimul totus; Quoniam mille anni ante oculos tuos tamquam dies heſterna, quæ præteriit; ita, & ii, qui hanc ſuæ, & divinæ voluntatis unionem adepti ſunt, jam pene immutabiles, quicquid ærumnoſæ viciſſitudinis intercurrit, rationis imperio premunt; omnis eorum guſtus, & oblectatio eſt Dei beneplacitum: exulat hinc inquietudo, atque turbatio, quarum alioquin aliæ atque aliæ ſine numero quotidie naſcuntur. Voluntas illorum a Dei voluntate ſic ſuaviter ſopita eſt, ut, cum videant a Deo proficiſci univerſa, ſanctiſſimamque ejus voluntatem in omni- *Drex. l. 3. c. 6.*

Digitized by Google

mnibus impleri, moleſtiæ ipſæ, ærumnæque particulam gaudii ſecum afferant, quia in his ipſis moleſtiis, ærumniſque Divinam voluntatem reperiunt, & certius, quam in rebus ſecundiſſimis. Ita quietem illorum altiſſimam, ſi forte quid incurrat, nihil eſt certe, quod evertat. *Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion, non commovebitur in æternum.*

In Dial. XXIX. Ita 8. Deus ipſe ſanctæ Catherinæ Senenſi dicens: volo te noſſe, quod omnes pœnæ, quibus homines in hoc mundo affliguntur, in voluntate conſiſtunt, quia, ſi voluntas eſſet ordinata, & concors cum voluntate mea, careret quodammodo pœna. Quamvis enim is, qui hac ſancta, ordinataque voluntate præditus eſt, ſentiat laborem, & dolorem, quidquid tamen amore mei ſponte patitur, quaſi ſine pœna portat, libentiſſime enim ſuſtinet illud, conſiderans, & ſciens, meam eſſe voluntatem atque permiſſionem, ut patiatur. Mens ejus in quovis dolore corporali libera eſt, cum voluntas ipſius in omnibus ſit conformis, & unita voluntati meæ.

COROLLARIUM II.

Invidia. XXX. Colliges 2. *nulli hominum te ob ullum temporale, aut ſpirituale bonum invidere debere, cum ſemper occaſionem habeas eodem bono fruendi, ſcilicet beneplacito Dei.*

Notæ.

Pſ. 18. XXXI. Ita 1. David exemplo ſuo docuit, dum dixit: *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.*

Sen. in epiſt. XXXII. Ita 2. Seneca dicens: Scito; quod nulli invidet vir bonus; quis autem magis bonitate præditus eſt, quam qui in omnibus regulæ omnis bonitatis, id eſt, voluntati Divinæ, ſe conformat?

XXXIII. Ita 3. Thomas Kempenſis, ſic Deum alloquens: Omnia, quæ in anima habemus, & corpore; & quæcumque exterius, vel interius, naturaliter, vel ſupernaturaliter, poſſidemus, tua ſunt beneficia, & te beneficum, pium, ac bonum commendant, a quo bona cuncta accepimus. Et ſi alius plura, alius pauciora accepit, omnia tamen tua ſunt; & ſine te nec minimum poteſt haberi. Ille qui majora accepit, non poteſt merito ſuo gloriari, neque ſuper alios extolli, nec minori inſultare; quia ille major, & melior, qui ſibi minus adſcribit, & in regratiando humilior eſt, atque devotior. Et qui omnibus viliorem ſe æſtimat & indigniorem ſe judicat, aptior eſt ad percipienda majora. Qui autem pauciora accepit, contriſtari non debet, nec indignanter ferre, neque ditiori invidere: ſed te potius attendere, & tuam bonitatem maxime laudare, quod tam affluenter, tam gratis, & libenter, ſine perſonarum acceptione, tua munera largiris. Omnia ex te, & ideo in omnibus es laudandus. Tu ſcis, quid unicuique donari expediat, & cur iſte minus, & ille amplius habeat, non noſtrum ſed tuum eſt hoc diſcernere, apud quem ſingulorum definita ſunt merita. Nihil ergo amatorem tuum, & cognitorem beneficiorum tuorum, ita lætificare debet, ſicut voluntas tua in eo, & beneplacitum æternæ diſpoſitionis tuæ; de qua tantum contentari debet, & conſolari, ut ita libenter velit eſſe minimus, ſicut aliquis optaret eſſe maximus, & ita pacificus & contentus in noviſſimo, ſicut in loco primo: atque ita libenter deſpicabilis, & abjectus, nullius quoque nominis, & famæ, ſicut cæteris honorabilior, & major in mundo. Nam voluntas tua, & amor honoris tui, omnia excedere debet, & plus eum conſolari, magiſque placere, quam omnia beneficia ſibi data, vel danda.

COROLLARIUM III.

Talentorum diſtributio. XXXIV. Colliges 3. *te non triſtari debere, ſi advertas, te minora, quam alii, talenta poſſidere, quia omnia talenta ſunt tantum inſtrumenta ad voluntatem Dei faciendam; unde ſi pauciora tibi dedit talenta, minus quoque a te requiret, atque adeo æque poteris beneplacitum Divinum per tua minora talenta, quam alius per majora, procurare.*

Notæ.

S. Hieron. in prolog. Galeat. XXXV. Ita 1. S. Hieronymus docuit dicens: In templo Dei offerat unuſquiſque quod poteſt, alii aurum, & argentum, & lapides pretioſos, alii byſſum, & purpuram & coccum offerant, & hyacinthum: mecum bene agetur, ſi obtulero pelles animalium, & caprarum pilos.

Avila e. 11. ſup. audi filia. XXXVI. Ita 2. Joannes Avila: Nullum credo in mundo fuiſſe Sanctum, qui non voluerit eſſe melior, quam fuit, ſed non propterea animi ſui pacem hi amittebant; neque enim id tam ex propria cupiditate, utpote quæ numquam dicit, ſufficit, deſiderabant, quam propter Deum, cujus diviſione, ac diſtributione munerum ſatis erant contenti, etſi ipſis dediſſet minus, rati verum amorem conſiſtere, quod contenti viverent eo, quod ipſe iis daret, quam in multa habendi deſiderio, etſi id amor proprius non niſi ad melius Deo ſerviendum fieri dicat.

Thom. Kemp. l. 3. c. 22. XXXVII. Ita 3. Thomas Kempenſis, ſic Deum alloquens, inquit: Unde, Domine Deus, pro magno etiam reputo beneficio, non multa habere, unde exterius, & ſecundum homines laus, & gloria apparet; ita ut conſiderata quis paupertate, & vilitate perſonæ ſuæ, non modo nullam gravitatem, aut triſtitiam, vel dejectionem inde concipiat, ſed potius conſolationem, & hilaritatem magnam: quia tu Deus pauperes, & humiles, atque huic mundo deſpectos, tibi elegiſti in familiares, & domeſticos. Teſtes ſunt ipſi Apoſtoli tui, quos principes ſuper omnem terram conſtituiſti. Fuerunt tamen ſine querela converſati in mundo etiam humiles, & ſimplices, ſine omni malitia, & dolo, ut etiam pati contumelias gauderent pro nomine tuo, & quæ mundus abhorret, ipſi amplecterentur affectu magno.

S. Paulus ad Cor. 1. c. 12. XXXVIII. Ita 4. S. Paulus, *Hæc omnia*, inquiens, *operatur unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis, prout vult.*

XXXIX. Ita 5. Rodriquez dicens: Omni-

Digitized by Google

Rodrig. p. 3. tr. 8. c. 31. Omnino convenit, unumquemque iis talentis intellectus, ingenii, habilitatis, aliarumque qualitatum eſſe contentum, quæ divina bonitas ipſi communicavit, nec propterea, quod ea multis fortaſſe aliis concedat, debet animo eſſe dejectior. Res iſtæ ita in hoc muodo ſunt ordinatæ, atque diſpoſitæ, ut nemo ſit, cui oon aliquid deſit: & tametſi videaotur ſibi aliqui in nonnullis rebus eſſe eximii, & vero etiam ſint, habeot nihilominus ſemper etiam alia, quæ ipſos humilient, in quibus opus habent hac conformitate. Viri ſancti, quia periculum magnorum talentorum vere penetrabant, non ſolum ea non prenſabant, ſed, & ſerio reſugiebant. Audi Davidem: *Ab altitudine diei timebo*: & hioc Deo magis placebant, qoi ſervos ſuos humiles vult, non elatos. O ſi ſemel capaces fieri poſſemus ſaluberrimæ doctrinæ hujus, omnia videlicet nugas, & vanitatem præterquam facere voluntatem Dei! Si tu abſque litteris, vel ſaltem iis leviter tinctus, plus ſapis, & places Deo: quid tibi cum litteris? ſi ob aliquem finem deberes illas velle certe ob id unum velle deberes, ut Deo placeres; jam ſi Deo plus places vel oihil, vel parum ſciendo, utl revera plus places, qoandoquidem ipſe eſt, qui hanc diſtributionem fecit, quorſum te ipſum affligis? cur vis eſſe plus, cum te Deus velit eſſe minus? non placuerunt Deo magna illa ſacrificia, quæ ipſi Rex Saul voluit offerre, quia res non erant conformes divinæ voluntati, quare nec placebunt eidem alta tua, ſublimiaqoe deſideria. Non conſiſtit bonum noſtrum, nec in profectu oostro litterario, nec in magnis qualitatibus, nec in re alia ulla, quam in voluntate Dei, & in bona exactaque reddenda ratione eorum, quæ Deus nobis tradidit, In his figendus eſt oculus cordis, & non in donis.

COROLLARIUM IV.

Indifferentia. XL. Colliges 4. *Te ad omnia loca, & officia indifferentem eſſe debere, cum in uno æque ac altero occaſionem habeas finem tuum, id eſt, beneplacitum Divinum, obtinendi.*

Notæ.

S. Paulus 1. ad Cor. XLI. Ita 1. S. Paulos dicens; *Spectaculum facti ſumus Mundo, & Angelis, & Hominibus, &c. non ergo refert, quam perſonam, ſed quam bene agat.*

S. Aug. l. 10. confeſſ. c. 26. XLII. Ita 2. S. Auguſtinus: Optimus miniſter ille eſt: qui non magis nititur a te audire, quod ipſe voluerit, ſed potins velle, quod a te audiverit.

Vita. XLIII. Ita 3. B. Aloyſius dicere ſolitus, Religionem navi eſſe ſimilem, in qua æque magnum ſpatium vehendo conficiunt, qui ad remos, quam qui ad clavum ſedent.

Thomas Kemp. l. 3. c. 27. XLIV. Ita 4. Thomas Kemp. munit parum locus, ſi deeſt ſpiritus fervoris, nec diu ſtabit pax illa quæſita forinſecus, ſi vacat a vero fundamento ſtatus cordis, hoc eſt, niſi ſteteris in me, permutare te potes, ſed non meliorare.

XLV. Ita 5. Rodriquez ſic loqueos: Appoſita eſt ad hanc rem declarandam ſimilitudo eorum, qui comœdias exbibent, quorum laus non regulatur a perſona, quam repræſentant, ſed a modo, dexteritate, & gratia, quacum repræſentant, agunt, movent, loquuntur. Unde ſi hæc melius præſtet is, qui ruſticum exprimit, eo qui Cæſarem, laus, & præmium ab æquis cenſoribus illi adſignatur, non huic. Ita quod Deus in nobis potiſſimum attendit in hac vita (quæ quid aliud eſt, niſi Comœdia, & utinam in Tragœdiam non terminetur) non eſt perſona, quam repræſentamus, v. g. ſuperioris, concionatoris, ſacriſtæ, ſeu æditui, Janitoris, ſed illud unum, quam bene ſcilicet ſuam quiſque perſonam repræſentet. Quare ſi melius munere ſuo fungatur Coadjutor ſuperiore, vel Concionatore, recipiet majus his in cælo præmium, magiſque a Deo honorabitur. Non potuiſſet interdum aliquis repræſentare Perſonam Regis, repræſentaodo vero perſonam ſamuli, vel paſtoris, honorem laudemque retulit; ſic non fuiſſes tu fortaſſis idoneus ad ſuſtinendam perſonam concionatoris, aut ſuperioris, jam vero bene laudabiliterque ſuſtines perſonam Confeſſarii, Miniſtri, vel Coadjutoris. Novit optime Deus dare cuique, quod ipſi congruit, & ſecundum propriam virtutem. Nemo igitur aut affectet, aut appetat perſonam ſibi non convenientem, nec talenta ſibi indebita. Sed hoc ſit ſtudium cujuſque, ut donum, quod Deus ipſi eſt elargitus, fructuoſe ad ejuſdem gloriam collocet, hoc enim & Deo erit longe gratius, & copioſius io cælo præmium percipiet. *Rodrig. c. 31.*

XLVI. Ita 6. S. Ignatius Lojola, aſſerens, eos, qui in Societate vivunt, debere eſſe indifferentes, ad proficiſcendum, & reſidendum in quacumque plaga mundi, quocumque eos miſerit obedieotia, inter fideles, & infideles, ſive ad Indos, Hræticos, &c. Et quidem circa hoc faciunt Profeſſi quartum votum ſolemne Romano Pontifici, obligando ſe ad eumdem prompte, & libere nulla obtenta excuſatione ad quamcumque mundi partem, ad quam eos ſua Sanctitas miſerit, nihil petendo viatici, oec per ſe, nec per alios, nec temporale quicquam, idque ſive pedibus, ſive equo, cum pecuniis, vel ſine, petendo Eleemoſynam, prout Sanctitati ſuæ melius in Domino videbitur. Et aſſerit ibi S. P. N. finem, & intentionem faciendi hoc votum eſſe, ad conformaodum ſe magis voluntati Divinæ, cum enim Primi illi Patres diverſarum eſſent Regionum, & non conſtaret, ubinam terrarum magis eſſet placitum Deo ipſos occupare, fideleſne inter, an infideles, ad conſtituendum ſe in bilance divinæ voluntatis, conſecrarunt ſe per hoc votum Vicario Chriſti, ut ipſe diſpiceret, quonam potius ad majorem Dei gloriam eſſeot mittendi. Ipſa vero perſona Societatis (ioquit) non ſe debet intromittere, nec ullo modo procurare, ut vel eat, vel conſiſtat in uno loco potius, quam in alio, ſed debet eſſe omnino indifferens, totam diſpoſitionem relinquendo in manibus ſuperioris, qui loco Dei ipſum gubernat, ad majus obſequium, & gloriam ſuam. Ut autem videamus, quam *S. Ign. p. 7. conſt. c. 1. §. 1.*

indif-

Digitized by Google

indifferentes nos eſſe hac in parte voluerit S.P. N. legimus in vita ipſius, dixiſſe ipſi aliquando Patrem Jacobum Lainium, ſentire ſe deſiderium ad Indos proficiſcendi, ad procurandam ſalutem gentis illius defectu operariorum miſere pereuntis. Ego vero, inquit Ignatius, nihil horum deſidero, rogatuſque ejus rei cauſam, reſpondit, quia nos cum devoverimus ſummo Pontifici ut ipſe exploret, ubinam majus Dei ſervitium obeatur, indifferentes nos eſſe convenit, ita ut non magis ad unam, quam ad alteram partem inclinemus. Imo (addit) ſi ego me ſentirem inclinatum, uti tu, proficiſci in Indiam, conarer me impellere in partem alteram; ad attingendam illam æqualitatem, indifferentiamque, quæ ad conſequendam obedientiæ perfectionem eſt neceſſaria. Neque ideo dicere intendimus mala eſſe, vel imperfecta ejuſmodi deſideria: ſunt enim vero ſancta, quin, & bonum eſt, ea ſuperiori proponere, cum Deus illa inſpirat. Sic enim dicit ibi P. N. gaudent ſuperiores, tibi talia exponi: ſigna enim ſunt divinæ Vocationis ad loca, & ſuavius hoc modo omnia fiunt. Sed id tamen dico, ut videatur indifferentia, animique promptitudo, quam P. N. vult in nobis vigere ad eundum, manendumve in quacumque mundi parte.

Ann. Franc. l. 7. c. 5. XLVII. Ita 7. B. Ægidius, cui S. Franciſcus licentiam dederat eundi, quocumque vellet, habitandique in Provincia, & monaſterio, quæ ipſi magis arriderent, omnimodam ipſi, ob ipſius merita, & ſanctitatem, relinquendo libertatem: quid fit? vix quatriduum in iſta licentia exegit, cum magnam ſentire cœpit in animo inquietudinem. Redit igitur ad Sanct. Franciſcum, petitque inſtantiſſime, ut locum, Monaſteriumque velit ipſi deſignet, in quo ipſum de reliquo velit vivere, magno ipſi hanc libertatem, licentiamque ſtetiſſe, certumque ſe eſſe, liberam, largamque hanc obedientiam nullam ipſi quietis partem relicturam. Boni, ferventeſque Religioſi Pacem adimpletione propriæ voluntatis non inveniunt, ſed turbas, & amaritudinem, ac propterea, nec hunc, nec alium locum affectant, ſed ſeſe totos in manu Dei ſuperiorumque perfecte conſtituunt, perſuadentes ſibi id, quod vere eſt, hanc eſſe voluntatem Dei, in qua ſola conquieſcunt.

COROLLARIUM V.

Orationis medica occaſio. XLVIII. Colliges 5. *Turbari te non debere, ſi advertas, te medicum tempus, & occaſionem habere multas orationes peragendi, cum ideo ſolum debeas orationi vacare, quia Deus vult, eam te peragere ad laudandum ipſum, variaque tibi, & aliis dona impetranda; Hos fines autem melius obtinere poſſis, ſi ex voluntate Dei aliquid agas.*

Notæ.

S. Aug. in Pſ. 138. XLIX. Ita 1. S. Auguſtinus inquiens: Vis ſemper laudare Deum? bene fac omnia, & laudaſti Deum?

Bloſius farrag. L. Ita 2. Bloſius dicens: Veriſſima devotio ſita eſt in veriſſima reſignatione, abnegatione, nihili penſione, & annihilatione ſui ipſius. Hanc habet, quivis divina fretus ope, Deo ſemper inhæret per amorem, idque perinde in penuria, ut in abondantia, in mærore, ut in gaudio. Itaque qui in quibuſcumque eventibus integra cum Deo pace Deo unitus permanet, is, quid ſit vera, & integra vita, veraque devotio, perſpectum habet. Et in ſpec. ſpirit. c. 9. Nihil melius poſtulare, nullam præſtantiorem orationem fundere potes coram Deo, quam ut petas fieri voluntatem ejus.

LI. Ita 3. P. Baltaſſar Alvarez e Societate Jeſu, qui com adverteret nimium in ſe deſiderium orationi, ſtatuit non plus temporis orationi dare, quam obedientia permitteret, amplectens pro regula ſuæ orationis conſilium Tobiæ de Eleemoſyna filio datum: quomodo potueris, eſto miſericors; ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue; ſi exiguum tibi fuerit, etiam libenter impertiri ſtude. Cum enim orare ſit eſſe cum Deo, ſi quo tempore ille vult opera tua uti, ipſum hac defraudes, jam non erit ipſe tecum. Et, ſi ille tecum non ſit, quomodo tua ſolitudo poterit eſſe oratio? ſervus faciens, quidquid Dominus ejus jubet, tempuſque in eo expendens, quod ipſe præcipit, paratus ad omnia, quæ ejus ſunt obſequii, non gratis comedit panem, poteſtque omnem deponere ſcrupulum. Alias vero dicebat cuipiam: Cupis proficere, orationique tuæ bene attendere, ut placeas Deo? permittas te ab eo gubernari, & incipias amorem, quem erga illum habes, in eo oſtendere, quod ſis contentus, & paratus, quomodocumque, & quacumque via voluerit ille te ducere, & cum eo, quod ille dare voluerit, modicum, aut multum, aut nihil. Et crede certo, te magis illi placiturum, ſi gaudeas, & tranquillus ſis cum paupertate, quamdiu ille te non eduxerit ex illa, quam ſi obtineres imaginariam tuam celſitatem. Satis hactenus eo modo ſerviſti Deo, qui tibi placuit; incipias jam eidem ſervire, vel unico die, quomodo ipſe cupit. Cum vero quondam videret, ſe multis externis occupationibus premi, & proponeret Deo teneras quaſdam querelas, quod ſibi tempus deeſſet ad manendum cum ipſo ſeorſim, factum eſt, inquit, hoc verbum Domini in me: ſatis tibi ſit, quod opera tua utar, quamvis te non habeam meum: Ex quo manſi jucundus, & lætus. Alias circa eamdem materiam hoc ſenſit: fieri quidem poteſt, ut multis hominibus Societatis tempus deſit liberum explendæ ſuæ voluntatis, ſed non deerunt occupationes, & opportunæ occaſiones ad explendam divinam. Quod ſi, ut granum frumenti fructum afferat, neceſſe eſt, ut moriatur; quæ melior, & major felicitas, quæ vero major ſtultitia, quam dolere de tali occupatione? Si Deus electionem nobis mortis permitteret, quamnam jucundiorem invenire poſſemus illa, in qua neque cauteria, neque opprobria adhibentur? quid autem aliud ſunt hominum ſocietatis occupationes, quam ſtationes, in quibus Deus illos ponit; ſpatia quædam ipſius obedientiis plena; ve-

Vit. c. 3. *Ib. c. 14.* *Ib. c. 10.*

næ apertæ; ex quibus totus ſanguis effluit propriarum voluntatum: quæ magis in oculis Dei ſplendent, quam lapides pretioſi: aptiſſimæ, ac tutiſſimæ viæ ad perfectionem? Dicebat etiam, præcipuum omnis bonæ orationis finem, & optimum fructum ex ea colligendum eſſe, dare Deo, quidquid a nobis petierit: magnaque cum conformitate acquieſcere ei in omnibus, quæ de nobis ſtatuerit. Et velut honeſta uxor non alia de cauſa ſe exornat, quam ut marito placeat, cui ſi ſine his ornamentis placeret, parata eſſet illa mox abjicere, etſi ab aliis deformis haberetur, & contemneretur: ita & nos in omnibus ſoli Deo placere ſtudeamus.

COROLLARIUM VI.

Solicitudo de fructu. LII. Colliges 6. *Te in tuis negotiis non turbare debere, ſi optatus fructus non ſequatur, cum intentio tua ad ſolum beneplacitum divinum ferri debeat, quem fructum ſemper obtinere potes; ſed & de reliquo is fructus laborum optimus cenſeri debeat, quem providentia divina nobis conceſſit.*

Notæ.

Iſaia c. 5. LIII. Ita 1. Deus ipſe dicens: *Quid eſt, quod debui facere vineæ meæ, & non feci? Sepivi eam, & lapides elegi ex illa, & plantavi eam electam, & ædificavi turrim in medio ejus, & expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas. Nunc ergo, habitatores Jeruſalem, & viri Judæ, judicate inter me & vineam meam.*

Lib. 4. re. c. 22. LIV. Ita 2. B. Virgo S. Birgittæ dicens: Amici Dei non habent attædiari in ſervitio Dei; ſed laborare, ut homo malus fiat melior, & homo bonus veniat ad perfectiora. Nam quicumque voluntatem haberet ſibilandi in aures omnium tranſeuntium, quod Jeſus Chriſtus eſſet vere Filius Dei, & faciendo conaretur, quantum poſſet ad aliorum converſionem, licet nulli, vel pauci converterentur, nihilominus eamdem mercedem obtineret; ac ſi omnes converterentur, ſicut per exemplum dico tibi: Si duo Mercenarii ex præcepto Domini foderent montem duriſſimum, & alius inveniret aurum electum, alius vero nihil, iſti propter laborem, & voluntatem digni eſſent æquali mercede.

S. Chryſ. hom. 3. in 2. Cor. LV. Ita 3. Sanctus Chryſoſtomus ſic loquens: Utinam oratio noſtra aliquid proficiat! Quod ſi poſt longam admonitionem in iiſdem vitiis perſeveraverint, ne ſic quidem deſiſtemus, illis, quod rectum eſt, conſulere; quandoquidem & aquarum venæ, & ſi nullus veniat aquatum, manant tamen, & fontes, quamvis hauriat nemo, tamen ſcatebras emittunt: & amnes, etſi nemo bibat, nihilo ſecius fluunt, ſic oportet, & illum, qui concionatur (& converſatur) quamvis nullus auſcultet, tamen præſtare, quidquid in ipſo ſitum eſt. Siquidem hæc lex nobis, qui ſacri ſermonis adminiſtrationem ſuſcepimus, a benigno præſcripta eſt Deo.

S. Bern. l. 4. de Conſid. c. 2. LVI. Ita 4. Sanctus Bernardus Eugenium ſic adhortans: Noli diffidere, inquit, curam exigeris, non curationem. Denique audiſti; Curam habe illius, & non, cura, vel ſana illum. Verum dixit quidem: *Non eſt in Medico ſemper relevetur ut æger.* At melius propono de tuis tibi. Paulus loquitur: *Plus omnibus laboravi.* Non ait, Plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi, verbum inſolens religioſiſſime vitans. Alias autem noverat Homo, quem docuit Deus, quia unuſquiſque ſecundum ſuum laborem accipiet, non ſecundum proventum. Ita, quæſo, & tu ſac, quod tuum eſt: nam Deus, quod ſuum eſt, ſatis abſque tua anxietate, & ſolicitudine curabit. Planta, riga, ſer curam, & tuas explevisti partes; ſane incrementum, ubi voluerit, dabit Deus, non tu. Ubi forte noluerit, tibi deperibit nihil, dicente Scriptura. Sap. 10. *Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum ſuorum.* Securus labor quem nullus valet evacuare defectus.

LVII. Ita 5. S. Ignatius, qui, ſi quem, omnia expertus, tamen e peccatorum cœno extrahere non potuiſſet, non ideo contrahebat animum, vel ſe angori dabat, quaſi oleum, & operam perdidiſſet, ſed conſcientiæ, & officii fructu contentus, acquieſcebat in alto providentiæ divino conſilio. Idem alios, teſte Ribadeneira, *l. 5. c. 11.* ſacere hortabatur Angelorum Tutelarium exemplo; qui quos a Deo ſibi commiſſos acceperunt, monent, quoad poſſunt, defendunt, regunt, urgent, & ad bonum juvant, ſed ſi voluntatis libertate abutantur illi, & inobedientes atque obſtinati ſint, propterea tamen nullo anguntur mærore, nulla afficiuntur moleſtia; Curavimus, inquiunt, Babylonem, & non eſt ſanata.

LVIII. Ita 6. Thomas Kem. loquens in Perſona Chriſti: Filii, deſideria, & ſæpe accendunt, & vehementer impellunt: ſed conſidera, an propter honorem meum, an propter tuum commodum, magis movearis. Si ego ſum in cauſa, bene contentus eris; quomodocumque ordinavero: ſi autem de proprio quæſtu aliquid latet, ecce hoc eſt, quod te impedit, & gravat. Et iterum: Quare vano mærore conſumeris? cur ſuperfluis curis fatigaris? ſta ad beneplacitum meum, & nullum pateris detrimentum. Si quæris hoc vel illud, & volueris eſſe ibi vel ibi, propter tuum commodum, & proprium beneplacitum magis habendum, nunquam eris in quietudine, nec liber a ſolicitudine, quia in omni re reperietur aliquis defectus: & in omni loco erit, qui adverſetur. *Thomas Kemp. l. 3. c. 11. & 27.*

COROLLARIUM VII.

LIX. Colliges 7. *Etiam tunc turbari te non debere, quando occaſionem non habes proximi ſalutem procurandi; Quia & hanc non aliter, quam juxta menſuram beneplaciti divini procurare velle debes, & præterea voluntas cum divina conformata, optimum etiam medium eſt, proximo neceſſaria ad ſalutem auxilia impetrandi.* *Zelus animarum.*

Notæ.

LX. Ita 1. Bloſius dicens: Multo acceptius Deo eſt: ut cum Apoſtolo ex animo dicamus: *Bloſius in farrag.*

Do-

Digitized by Google

Domine quid me vis facere ; quam, ſi mira quædam, ex voluntate propria, pro illius amore nos libenter facere velle dicamus: ſuper omnia namque, quæ vel dicere, vel facere poſſemus, hoc a nobis maxime depoſcit Deus, ut intus corde dicamus: Domine, fiat gratiſſima voluntas tua.

Avila 2. Epiſt.

LXI. Ita 2. M. Avila cuidam ſcribens: Ne, quæſo, reſpicias ad id, quod faceres, ſi ſanus eſſes, ſed cogita potius, quam placiturus ſis Deo, ſi in morbo tuo (aut aliquo opere) cum Dei voluntate te conformes.

ſ. Bonav. de grad. virt. c. 24.

LXII. Ita 3. Bonaventura dicens: perfectius eſt, adverſa tolerare patienter, quam bonis operibus inſudare.

Vit. c. 18.

LXIII. Ita 4. P. Balthaſar Alvarez; qui, cum ægrotum quemdam viſitaret, ferventem valde Operarium, & conquerentem, quod in lecto jacens, nec orare poſſet, nec Sacrum facere, nec confeſſiones excipere, aliaque miniſteria præſtare, quæ ſanus faciebat, eidem dixit, pluris facere Deum, quod qui eum in morbo per menſem ſuſtineat, ac toleret, quam quod in hujuſmodi Miniſteriis per integrum annum illi ſerviat.

COROLLARIUM VIII.

Caſus triſtes amicorum

LXIV. Colliges 8. *Etſi humanum ſit, caſibus amicorum condolere, numquam tamen te inordinato ob eos triſtari debere; cum eadem cauſa te movere debeat ad eos deſerendos, quæ ad agendum cum iis te impellere debeat, ſcilicet beneplacitum divinum.*

Notæ.

ſ. Bonav. in vita Chriſti.

LXV. Ita 1. Chriſtus valedicens Matri ſuæ, & hæc viciſſim Filium dimittens ad mortem tam acerbam, quia ſic Deum velle videbant.

Job. c. 1.

LXVI. Ita 2. S. Job in oppreſſione liberorum id unum ingeminans: *Sicut Domino placuit, ita factum eſt; ſit nomen Domini benedictum.*

Thomas Kemp. l. 3. c. 42.

LXVII. Ita 3. Thomas Kemp. in perſona Chriſti ſic loquens: Fili, ſi ponis pacem tuam cum aliqua perſona propter tuum ſentire, & convivere, inſtabilis eris & implicatus. Sed ſi recurſum habes ad ſemper viventem, & manentem veritatem, non contriſtabit amicus recedens, aut moriens. In me debet amici dilectio ſtare, & propter me diligendus eſt, quiſquis tibi bonus viſus eſt, & multum charus in hac vita: ſine me non valet, nec durabit amicitia: nec eſt vera, & munda dilectio, quam ego non copulo. Ita mortuus debes eſſe talibus affectionibus dilectorum hominum, ut (quantum ad te pertinet) ſine omni humano optares eſſe conſortio.

ſ. Hieron. epiſt. ad Paul.

LXVIII. Ita 4. S. Hieronymus ad Paulam: bonus eſt Deus, & omnia, quæ bonus facit, bona ſint, neceſſe eſt. Mariti orbitas irrogatur? plango quod accidit, ſed quia ſic placet Domino, æquo animo ſuſtinebo. Unicus raptus eſt filius? durum quidem, ſed tolerabile, quia ſuſtulit ille, qui dederat.

ſ. Aug. in pſal. 34.

LXIX. Ita S. Auguſtinus ſic adhortans: illum quære, qui deeſſe non poteſt: ſubtrahuntur, quæ dedit, numquid ſubtrahitur, qui dedit? applica ad ipſam etiam voluntatem divinam.

COROLLARIUM IX.

Solicitudo de futuris.

LXX. Colliges 9. *Te ob nullum eventum futurum, inordinate angi debere, cum certo perſuadere tibi poſſis, & debeas, id futurum, quod Deo placuerit, id autem tibi malum non futurum, niſi tu per voluntatem propriam tibi in malum torqueas.*

Notæ.

Matt. c. 6.

LXXI. Ita 1. Chriſtus expectans uſque ad Paſſionis tempus, & tunc, ad orationem confugiens, dicenſque *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte*. Etiam alios tam ſolicite monuit: *Noli ſoliciti eſſe in craſtinum, craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi ipſi. Quærite primum Regnum* (id eſt voluntatem) *Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.*

Th. Kem. l. 3. c. 10.

LXXII. Ita Thomas Kemp. inquiens: quid importat ſolicitudo de futuris contingentibus, niſi ut triſtitiam ſuper triſtitiam habeas? Crede in me, & in miſericordia mea habeto fiduciam.

Vita c. 8.

LXXIII. Ita 3. Balthaſar Alvarez, qui eum, qui ſub obedientia vivit, nolebat cogitare, quid cras de ſe futurum eſſet, aut quid ipſe acturus eſſet? Reſponſio enim in promptu eſt: faciam, quod jubebor; erit, quod volet Deus. Et ita hoc totum meum lucrum eſt, ut te Deum meum contentum habeam, tibique ſatisfaciam.

COROLLARIUM X.

Anxie de præteritis.

LXXIV. Colliges 10. *Neque de præteritis te triſtari inordinate, ſed in providentia divina, quæ ob altiſſimas cauſas talia fieri permiſit, acquieſcere debere, & vero etiam utilius poſſe.*

Notæ.

ſ. Cath. in Epiſt.

LXXV. Ita 1. S. Catharina Senenſis in quadam Epiſtola ſic ſcribens: Si omnia peccata ſimul in uno homine coacervata eſſent, non deberent eum impedire, quo minus fructum Sanguinis Filii Dei in ſe reciperet, modo vera fides, & ſpes infinitæ miſericordiæ Dei in eo remanerent. Cum peccatum ſolummodo in mala perverſaque voluntate ſitum ſit, homo videns bonam voluntatem ſibi a Deo conceſſam eſſe, debet omni confuſione ſpiritus abjecta, perſeverare in ſanctis operibus, & exercitiis, ambulareque in lumine gratiæ, quam invenit in ſe abſconditam in munere Dei, qui bonam voluntatem in ſe conſervat. Debet diabolo, confuſionem, vel deſperationem ſuggerenti reſpondere: Si gratia Dei in me non eſſet, & ego pravas ſuggeſtiones tuas ſequerer: jam vero confido in pio Domino meo Jeſu Chriſto, qui me ſemper intuebitur, ac ſalvum faciet, propter immenſam miſericordiam ſuam.

Bloſius in Inſt. ſpir. c. 8.

LXXVI. Ita 2. Bloſius dicens: Quando Aſceta peccat, ſibi ſoli peccatum ſuum imputet, magiſque doleat, & deplangat, quod Deum fideliſſimum dulciſſimumque Patrem ſuum offenderit, quam quod commeruerit, ut gravibus, vel etiam æternis ſuppliciis puniatur. Moleſtiam illius acerbæ reprehenſionis, qua tunc intus a Deo conteritur, non quærat effugere,

ſed

Digitized by Google

ſed humiliter illam, tamquam ſalutare antidotum ſuſtineat. Exaggeret quidem offenſas ſuas, non tamen deſperet. Si ex lapſu factus eſt humilior, atque cautior, res jam non uſque adeo male ſe habet. Ergo poſtquam lapſus eſt, non nimis ſcrupuloſe perquirat, unde id acciderit, neque diutius, quam oportet, defectum ſuum apud ſe (quaſi fugiens a Deo) revolvat: ſed cito ſe in Deum recipiat, & contrito, atque amanti corde ad Chriſtum converſus (etiamſi ſenſibilis contritio non adſit) dicat: Domine, ego ad te confugio, culpam agnoſco: propitius eſto mihi peccatori. Projicio iniquitates, & negligentias meas in abyſſum miſerationum tuarum. Renuntio omnibus, quæ tibi diſplicent, & quidquid tu non es, relinquo. Propono per gratiam tuam corrigere me: ablue me pretioſo ſanguine tuo. In te ſpero, Clementiſſime mi, & amabilem dexteram tuam, quæ me cadentem ſemper excipit, deoſculor. Præſtat omnino poſt peccatum admiſſum mox reverti, quam diu in peccato diſcutiendo occupari, detinerique. Neque enim contracta diſſimilitudo melius alibi, quam in Deo deponetur. Revera cum Deus ſit fons immenſæ miſericordiæ, non poteſt non ſuccurrere, non poteſt non ignoſcere ei, qui ipſum humiliter, & confidenter invocat, etiam ſi is peccata totius mundi millies commiſiſſet. Faſciculus lini in ingentem ignem conjectus, non tam repente incenditur, quam paratus eſt Deus veniam dare homini pro peccatis ſuis vere dolenti. Inter bonitatem Dei, & peccatorem pœnitentem nullum prorſus medium eſt.

I it. LXXVII. Ita 3. idem Bloſius ſic loquens: Aſceta propter eos defectus, quos nulla ratione in ſe devincere poteſt, non perturbetur, ſed Deo ſe reſignans, reputet illos velut fimum eſſe, quo conſperſus ager animæ ſuæ uberiorem fructum afferet. Deus enim nævos aliquos ſpirituales, & modicum quid reprehenſibile, etiam in chariſſimis Electis ſuis ſæpe relinquit (qui ut plurimum ad iram, & vehementiam procliviores ſunt, vel primorum motuum moleſtia longo tempore fatigantur) ſibi, & aliis cogniti, magis humilientur, indeque gratia, quam a Domino acceperunt, velut ignis ſub cinere occultetur, ac melius conſervetur. Sæpe numero accidit, ut hi, qui irreſignati adhuc ſunt, & grandes in oculis ſuis, virilius primos in ſe motus compeſcant, & fortius adverſa quæque extrinſecus perferant, gratiores ſint quam humiles, & vere reſignati Dei amici. Iſti enim ſecundum interiorem quidem hominem tranquilli in adverſis permanent, ſed ſecundum ſenſualitatem plerumque turbantur, atque pœnas exhorrent. Igitur Aſceta roget Chriſtum, ut omnem ſuam imperfectionem ſuppleat. Si longanimis fuerit, tandem ab ipſo Chriſto iſtud intus audire merebitur: Gratias tibi ago, Fili, quod defectus tuos ad finem uſque patienter tolerando, mecum crucem meam portaveris.

Idem in Specul c.9. LXXVIII. Ita 4. idem: Sancti Patres affirmant, eum, qui Dei erga ſe juſtitiam perinde ut miſericordiam, ad æternam ejuſdem ſui Domini gloriam exoſculatur, ac diligit, tam facile peccatorum omnium, & pœnarum illis debitarum plenam veniam obtinere, quam facile una aquæ guttula in ardenti fornace conſumitur.

LXXIX. Ita 5. B. Aloyſius exemplo ſuo docuit, qui, ſi quid deliquiſſe ſe cognoſceret, non nimia triſtitia contrahebat animum, ſed ſemet ad pedes Domini projiciens, ſeque confeſſione expiaturum peccatum decernens, animoque dolens acquieſcebat. Dicere item ſolebat, nimium de levibus erratis affligi, indicium eſſe hominis ſemet ignorantis, qui enim ſe norit, non poſſe eſſe neſcium, hortum ſuum tribulorum, ac ſpinarum ſuapte ſponte feracem eſſe. *Vit.l.3.c.1.*

LXXX. Ita 6. Thomas Kemp. in Perſona Chriſti hominem ſic animans: Animæquior eſto, & ad majorem ſuſtinentiam accingere. Non eſt totum fruſtratum, ſi te ſæpius percipis tribulatum, vel graviter tentatum. Homo es, non Deus, caro es, non Angelus. Quomodo tu poſſes ſemper in eodem ſtatu virtutis permanere, quando hoc defuit Angelo in cælo, & primo homini in Paradiſo. Ego ſum, qui mœrentes erigo ſoſpitate, & ſuam cognoſcentes infirmitatem ad meam proveho divinitatem. *Th. Kem. l.3. c. 57.*

COROLLARIUM XI.

LXXXI. Ita Colliges 11. *Te nullius perſecutionis cauſa iraſci, aut indignari debere, cum nemo tibi nocere poſſit, aut plus, quam Deus permittat, te affligere; quidquid autem Deus permiſerit, id totum in ſummum bonum tuum ordines.* *Perſecutiones.*

Notæ.

LXXXII. Ita 1. Chriſtus non aperuit os, cum conſiſteret peccator adverſus ipſum.

LXXXIII. Ita 2. S. David dicens: *Dimittite eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David: & quis eſt, qui audeat dicere, quare ſic fecerit?* *L.2.Reg. c. 16.*

LXXXIV. Ita 3. Thom. Kemp. ſic loquens: Quis tu, ut timeas a mortali homine? Hodie eſt, & cras non comparet. Deum time, & hominum terrores non expaveſces. Quid poteſt aliquis in te verbis, aut injuriis? ſibi potius nocet, quam tibi: nec poterit Judicium Dei effugere quicumque eſt ille. *Th. Kem. l.1. c. 16.*

LXXXV. Ita 4. S. Antonius dicens dæmonibus, in diverſis formis animalium apparentibus: Si quam Deus dedit vobis poteſtatem in me, ecce, irruite in me; ſi autem nullam a Deo ad hoc poteſtatem habetis, cur fruſtra laboratis.

LXXXVI. Ita 5. S. Lupus, qui, cum ab Attila Trojam Galliæ urbem occupare volente quæſiiſſet, qui es tu? & ille reſpondiſſet, ſe eſſe flagellum Dei, mox aperiri portas juſſit, dicens: Salve flagellum Dei. Ergo, & tu latiſſime aperi portas cordis tui, & perſecutorem cum maximo charitatis, & gaudii affectu excipe.

LXXXVII. Ita 6. Monachus ille, qui, quanto plus eum aliquis injuriis afficiebat, & incitabat, tanto magis ad eum recurrebat dicens: *Vita PP. l. 5. c. 7. n. 4.*

Digitized by Google

cens: Iſti ſunt, qui nobis occaſionem præbent ad perfectionem noſtram; qui autem beatificant nos, ipſi decipiunt nos, & ſemitam pedum noſtrorum ſubvertunt.

L.1.Inſin. c. 61. LXXXVIII. Ita 7. Chriſtus S. Gertrudi, cum turbata ob aliorum perſecutionem eſſet, dixit: Ne contriſtare, delector enim tua cohabitatione, ideo ut mecum maneas, mitto tibi amicos contrarios, ut dum, in nulla creatura fidelitatem reperis; ad me plenius recurras. Alias vero eidem dixit: ſingula verba detrahentium ſume tibi loco virtutum, quibus exornata pervenies ad me, & ego compaſſiva pietate mea compulſus benigne ſuſcipiam te.
L.4.c.60. Et quanto plus converſatio tua ſine culpa reprobatur, eo amplius cor meum amatoria beatitudine tibi condeſcendit, quia per hoc efficieris mihi ſimillima, qui in operibus meis ſemper habui perverſores. Et iterum, dum eidem dixit, ſe ideo præ cæteris creaturis, quæ in humanitate ipſi deſervierunt ad commoda corporalia (ut ſunt vaſa, quibus in infantia balneatus eſt) multo majorem honorem ſpineæ coronæ, lanceæ, &c. contuliſſe, ut & ipſi dilecti adverſariis majorem amorem, quam benefactoribus impenderent.

Vit.c.40. LXXXIX. Ita 8. P. Balth. Alvarez, dum tempeſtas aliqua gravis contra ipſum ſervebat, tantum ſolatium in oratione, & Sacro ponens; in quo, cum aliquando eſſet valde compreſſo animo ex re adverſa, accepit ſequentia reſponſa 1. *fidelis eſt Deus, qui non patietur te tentari ſupra id, quod potes* 2. Si Religioni ejuſmodi fel deeſſet, quid tibi mei cauſa ferendum ſupereſſet? & tunc mihi occurrebat, quod ſi ego eſſem, qualis eſſe deberem, debuiſſem potius ſimiles fellis hauſtus, imo etiam amariores optare; & ſi hujuſmodi difficilia, & ingrata vitæ juſtis deſint, idem eſſe, atque ſi Chriſti Domini coronæ ſpinæ deeſſent, aut auri Cuſpides pretioſæ veſti. 3. Hoc fac, id eſt, ſanguinem, & Corpus meum ſume (erat enim ſub ſacrificio) ex quo vires accipias ad anguſtias tuas ferendas. 4. Conquieſce, & in hoc te ſolare, quod hæc tua preſſura geratur, vidente, & cognoſcente Deo, qui etſi poſſet, non tamen illam removet, etiamſi plus te diligat, quam tu te ipſum. Sed & ipſe ſe ipſum animabat, & ſpiritum reſumebat, alloquens ſe ipſum, & dicens: erras, ſi cogitas, te integrum, & non bene contuſum, perventurum ad cælum: cælorum enim regnum eſt detruncatorum, tentatorum, contemptorum Regnum, & qui has, & ſimiles, alias ærumnas, & calamitates experti ſunt. Quomodo igitur auderes inter tot adeo celebres, & decantatos Duces, ac Capitaneos comparere, adeo timidus? *Vit. c. 40.*

COROLLARIUM XII.

Deſolationes. LXXXIX. Colliges 1a. *etiam in ſummis deſolationibus te perfectam animi æquitatem ſervare debere; cum ſemper tibi ſolida illa, quam quærere debes conſolatio ex voluntatis Divinæ adimpletione ſuperſit.*

Nota.

XC. Ita 1. Chriſtus triſtis uſque ad mortem, uſurpans illam orationem: *Pater ſi poſſibile eſt &c.* *Rodrig. p. 1. tr.8. c. 29.*

XCI. Ita 2. Amicus ille Chriſti, qui poſt quinquennalem deſolationem Angelos conſolari volentes reſpuit dicens, abunde ſibi ad conſolationem ſufficere, quod Dei in ſe voluntas perficeretur.

XCII. Ita 3. Alius Dei famulus dicens: Jam quadraginta annis Domino ſervio, & in oratione me exerceo, numquam tamen ullam in eo conſolationem, vel guſtum habui, quo tamen die in eam incubo, eo magnum poſtea in me vigorem, ad quælibet virtutis exercitia ſubeunda ſentio, at ſi quo die eam omittam, eo adeo torpidus, & flaccidus ſum, ut me ad opus aliquod bonum faciendum ne a terra quidem alæ valeant ſuſtollere. *Rodrig. l. c.*

XCIII. Ita 4. S. Catharina Senenſis, ſic ſeipſam deſolationis tempore alloquens: Tu viliſſima peccatrix nullis conſolationibus digna es? Quid enim noone tibi ſatis fuerit, ſi non damneris, etiamſi toto vitæ tuæ tempore has cruces, & tenebras ferre deberes? Certe non ideo elegiſti ſervire Deo, ut hic conſolationes ab eo recipias, ſed ut in cælo fruaris illo in æternum. Surge igitur, & conſueta exercitia tua proſequere, Dominoque tuo fidelis permane. *Idem tr. 8. c. 28.*

XCIV. Ita 5. Mitnila dicens: Infinities plus eſt, ac dignius, in adverſitatibus, cruce, deſolationibus, ariditatibus, & tentationibus jugiter vivere, ſi id ipſe ita velit, quam quoſcumque guſtus, conſolationes, & contemplationes habere, Dei voluntate cum iis non concurrente. *A vita in c. 1. Audi filia.*

XCV. Ita 6. præclare Taulerus in hunc modum, Poſtquam homo ab omnibus abſtractus jam puer eſſe deſiit, & abunde refocillatione divinæ dulcedinis roboratus eſt, tum Deus panem cibarium ei porrigit, utpote viriles annos in ſpirituali vita aſſecuto; expedit prorſus, ut ille ſolido, duroque cibo paſcatur, nec decet eum deinceps lacte foveri. Neceſſe eſt, ut ipſe, jam puerilibus ludis relictis, negotiari, & victum ſuo labore conquirere, cælique ſævitiam ac tempeſtates perferre diſcat. Deus igitur vaſtam, tenebroſam, deſolatamque viam illi proponit, per quam eum deducens aufert, & occultat ab eo dona omnia, quæ illi unquam largitus fuerat. Hic jam homo totus ſibi ipſi relinquitur, ita ut nullam Dei notitiam in ſe remanſiſſe putet. Omnia exercitia ſua, & quæcumque facit, aut dimittit, prorſus inſipida ſunt, unde & anima illius præ tædio in illis dormitat. Vix ad momentum in pia aliqua cogitatione perſiſtere poteſt, adeo inſtabilis eſt mens ejus: ſi ad Deum ſe revocat, ut illi intendat, mox inde veluti repellitur, excutiturque. Totum tempus ſuum ſe perdere; & in his, quæ agit (quantumvis ea bona ſint) cæleſtem ſponſum ſe offendere arbitratur; pro quibus etiam graves pœnas poſt hanc vitam ſe luiturum formidat. In initiis *Taulerus apud Bloſium in appendice ad inſtit. ſpirit.*

Digitized by Google

tiis converſionis ejus volens eum Deus ad ſe allicere, ſicut auceps autem eſca objecta allicit, crebro ſuis illuſtrationibus viſitabat, ſuaviſſimoque amoris ſui igne inflammabat, & dulcedinem ſuam guſtare faciebat muneribus gratiæ ſuæ voluntatem ejus ita trahens, ut quidquid ipſe vellet, etiam ille vellet. At, nunc alia via ei gradiendum eſt. Jam enim Deus auſteritatem prætendit, & dura, atque aſpera exhibet. Unde ille ſibi derelictus graviſſimam in ſe rebellionem ſentit, & talem, ac tantam preſſuram plerumque incurrit, ut utrum Deum unquam bene habuerit, vel etiamnum habeat, penitus ignoret. Tam acerbo dolore coarctatur, ut ampliſſima mundi ſpatia illi nimis anguſta eſſe videantur. Deum non ſentit, Deum non cognoſcit, & tamen cætera omnia nihil eum delectant, nihil ſapiunt. Ipſe itaque pendet velut inter duos parietes, in quorum neutro requiem capere poteſt. Non eſt, quo ſe vertat, non eſt, quod agat, niſi hoc tantum, ut receſſum recipiat, & dicat; ſalve amaritudo amariſſima, gratia plena. Certe ſi infernus in hac vita haberi poſſet, gravius inferno ſibi videretur eſſe impenſe amare Deum, & tamen eodem dilecto penitus carere. Jam vero fœdæ, acerbæque cogitationes, & vitia, quæ, jampridem ſe viciſſe credebat; vires in eo reſumunt, graviſſimeque illum impugnant, & forte moleſtius, quam olim, cum iiſdem vitiis male ſubjectus viveret. Sed plerumque, quo ſacratiora ſunt tempora, eminentioreſque Solemnitates, eo magis affligitur, obruiturque impedimentis, ita ut nec unam orationem Dominicam, vel ſalutationem Angelicam libere explere poſſit. Inſuper permittit Deus, ut omnis vita, & converſatio ejus, tamquam vana a plurimis irrideatur, utque ipſe etiam ab his, qui boni eſſe, & exteriori ſanctitate præcellere videantur, vilis habeatur, contemnaturque. Tu quiſquis hæc experieris, non declines ad vana ſolatia, ſed eſto fidelis cæleſti ſponſo, viriliter age, probe te gere, nam certiſſime Deus tuus tibi proximus eſt. Tantum vivæ fidei ſtipite fortiter innitere, indubitanter melius habebis, omnia proſpere cedent. Sed quid dicimus, cum hujuſmodi deſolato, ac miſero homini, quamdiu in hac gemebunda afflictione poſitus eſt, perſuaderi nequeat, intolerabilem hanc obſcuritatem, internas tenebras, poſſe unquam in lucem mutari, omnino tamen, ſi vera pace vult gaudere, debet in hujuſmodi derelictione, preſſura, & ſpiritus paupertate reſignatus eſſe, atque ab omnibus internis deliciis animum liberum, expeditumque habere. Deprimat igitur ſeſe in gratiſſimam Dei voluntatem, paratus hanc calamitatem ſuſtinere, quamdiu illi viſum fuerit. Profecto multo verius, utiliuſque in tanta ſpiritualis hyemis aſperitate Deum præſentem habet, quam unquam in omnibus jucundæ conſolationis æſtatibus habuit. Porro interim dum tantis afflictionibus Domino exercetur, ſatis edat, & bibat, ut par ſit illis ferendis. Hujuſmodi autem preſſuræ nonnumquam ex naturali hominis indiſpoſitione, nonnumquam ex aeris inæqualitate, nonnumquam ex maligni ſpiritus operatione oboriri ſolent, ſed undecumque accidant de manu Domini ſuſcipiendæ ſunt, cujus permiſſu eveniunt.

XCVI. Ita 7. Bloſius: Quando videris tibi magna obſcuritate, ariditateque contabeſcere; & gravibus anguſtiis premeris, ſi tunc conformis Divinæ voluntati, miſeriam, & afflictionem illam cum benigna tranquillitate propter Deum toleras, multo gratior Deo es, quam ſi Divino lumine multum irradiaveris, & intus florerent omnia. In preſſura, & afflictione homo non ita facile ſe ipſum quærere poteſt: ſicut in ſenſibilis dulcedinis, conſolationiſque affluentia; in hac enim plerumque natura ſe admiſcet, & anima, ſi incautior fuerit, per immodicam delectationem, cito maculam contrahit. Sane fieri non poteſt, ut aliquis reſignato corde quippiam ſuſtineat pro gloria Dei, quin ſaporem quemdam Divinitatis percipiat. Licet enim illi nihil fortaſſis ſentire, id eſt, ſenſibiliter guſtare contingat (Deo ſe ad tempus occultante) hoc ipſo tamen ei, quod patitur, bene ſapit, quod ſe illud ad æternam Dei gloriam ferre velle, cognoſcit. Idem in tarrag. ſic loquitur: ſi quando ſentias naturæ torporem, mæſtitiam, & grave pondus, teque guſtu, appetitione, & impulſu erga res ſpirituales deſtitutum, itemque miſerum, inopem, deſolatum, atque ſine ulla conſolatione relictum eſſe a Deo, & quodam erga quævis, tam externa quam interna, exercitia tædio laborare, nihil hinc animo conſterneris, ſed Domini manibus te permittens, ac reſignans, illius optes fieri voluntatem, & quod ad ejus ſit honorem. Crede mihi, hæc atra, ac triſtis nubes propediem diſſipabitur, & lax, ſplendorque radiantis ſolis (qui eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus) majori cum gratia, ac conſolatione te perfundet, atque illuſtrabit, quam unquam antea, atque hoc ipſo ſenties te diligi a Deo, teque illi placere. Si quis magnopere cuperet Divinam intra ſe conſolationem, denique præſentiam inſtar aliorum priorum hominum ſentire, Deus autem hoc illi negaret, & ille hac in parte ſe totum pro Dei Gloria, Divino beneplacito reſignaret: multo verius ei hoc ipſum præſtaretur, quam ſi ſenſibiliter idem percepiſſet. In propria ſiquidem voluntatis abnegatione centuplo plus gratiæ, ac præmii eſt, quam in ipſa ſenſibili conſolatione in qua proprietas retinetur.

Bloſius Spec. ſpir. c. 9.

XCVII. Ita 8. Thomas Kempenſis: Non eſt grave, humanum contemnere ſolatium, cum adeſt Divinum. Magnum eſt, & valde magnum, tam humano, quam Divino carere poſſe ſolatio; & pro honore Dei libenter exilium cordis velle ſuſtinere, & in nullo ſeipſum quærere, nec ad proprium meritum reſpicere.

Thom. Kemp. c. 9. l. 2.

XCVIII. Ita 9. P. Balthaſſar Alvarez dicens: Intellexi, Deum parcius conſolationes ſpirituales elargiri, eo quod ad ipſius obſequium ita expediat; nam eo anima eſt melius

Vit. c. 30.

Digitized by Google

lius præparata, ac diſpoſita, quo magis aſſimilatur ſuo Redemptori, qui in hac vita fuit calamitatibus plenus, ejuſque anima multis deſolationibus, & triſtitia referta? ſolatium autem ſimile debet eſſe refrigerio, & levamini, quo viator in hoſpitio eſt refectus, non ut in eo maneat, ſed ut majori animo, & robore pergat ulterius.

Rodriq. l. c. 6. 26. XCIX. Ita 10. Rodriquez ſic diſcurrens: Verum ut clarius perſpicias fructum, ac valorem talis orationis, & quam ipſa grata ſit Deo, peto ego abs te, quam meliorem, Numinique acceptiorem poteſt quis facere orationem ea, quæ multum ſudoris, fatigationis, patientiæ, & in Deum habet reſignationis? quidnam vel aliud, vel majus in noſtra oratione quærimus? quando igitur Deus mittit ariditatem, tentationemque in illa, cur non conformas te Deo in illa? cur non patienter acceptas iſtam animi deſolationem? ex qua maximos, præſtantiſſimoſque actus patientiæ amoriſque Dei potes efficere? Dicitur, & verum eſt, amorem conſiſtere in patiendo pro re amata; & quo labor, qui fertur, eſt durior, hoc & amor major. Jam igitur labores ſervorum Dei omnium duriſſimi ſunt croces, & mortificationes iſtæ ſpirituales, nimium quantum moleſtiores temporalibus iſtis, aut etiam corporalibus, quæ ex valitudine, & fortuna ſentiuntur. Eo igitur aſcendere, ut dictæ cruces, & moleſtiæ æquanimiter, imo, & cum gaudio, portentur, etiam (ſi ita Deo videretur) per longiſſimom tempus, omnemque vitam, idque tantum amore ipſius; profecto res eſt altiſſima, & ſummæ perfectionis, taliſque oratio maxime proficua, adeo certe, ut aliqui Doctores tales appellent excellentes Martyres. Ultimo tantum peto, ne alio reſpicias, & collinees in orationes, niſi ad acquirendam humilitatem, & cognitionem tui propriam? Quoties petiviſti a Deo cognoſcere, quis ſis? Ecce tibi jam hoe obtinuiſti: per hunc enim modum Deus tibi aperuit oculos cognoſcendi teipſom. Aliqui fundant orationem ſuam in multis lacrymis, & magno ſenſu doloris pro peccatis. At errant. Hoe enim Deus facit, non ipſi. Sed ſi ibi hæreas, ut ſaxum, & ſtipes, hoc tu es, & niſi Deus ſaxum percuſſerit, non fluet inde, nec aqua, nec mel. In hoc igitur cognitio eſt tui, fons mille bonorum, quorum plenam utramque manum habebis, ſi ſis, ut dictum eſt, in ejus voluntate reſignatus, hie quidem eſſe debet orationis tuæ fructus, & pretium.

CORALLARIUM XIII.

Laus, & vanagloria. C. Colliges 13. *Te nullius laudes, aut vanæ Gloriæ cauſa quidquam agere debere, cum alia tibi atque infinities præſtantior laus, & gloria ex beneplacito divino offeratur.*

Notæ.

S. Chryſ. hom. 43. ad pop. CI. Ita 1. S. Chiſoſtomus: Non laudet ille, nihil enim profuerit, & ſi vituperaverit, nocebit, in Deo enim utraque habent aliquid lucri, vel jacturæ; at apud homines omnia vana, & in hoc æquamur Deo, quod ab hominibus ille gratia non indigeat; ait enim: Gloriam ab hominibus noo cupio. Parumne igitur hoc? cum noles gloriam contemnere, dic: Deo par ſio, ſi contempſero & ſtatim contemnes.

CII. Ita 2. S. Clara de ſe faſſa, quod ſi a toto mundo honoraretur, nullam mutationem in ſe, nec initium habituram; nec, ſi ab hominibus vilipenderetur, ſe ob id turbatum iri. *Vit. p. 2. c. 37.*

CIII. Ita 3. Thomas Kemp. inquiens: Qui temporalem requirit gloriam, aut non ex animo contemnit, minus amare convincit cæleſtem, Non es ſanctior, ſi lauderis, nec vilior, ſi vitupereris; quod ex hoc es, nec major dici vales, quam Deo teſte ſis; ſi attendis, quid apud te ſis intus, non curabis, quid te loquantur homines foris. Item; Quomodo poteſt erigi vaniloquio, cujus cor in veritate ſubjectum eſt Deo? non eum totus mundus eriget, quem veritas ſibi ſubjecit: nec omnium laudantium ore movebitur, qui totam ſpem ſuam in Deo firmavit. Lege utrumque caput totum, uti & l. 3. c. 9. & 40. Et dic cum eodem. Quærant Judæi gloriam, quæ ab invicem eſt: ego hanc requiram, quæ a ſolo Deo eſt: omnis quidem gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana æternæ gloriæ tuæ comparata, vanitas eſt, & ſtultitia. *Th. Kep. l. 2. c. 6.* *L. 3. c. 14.*

CIV. Ita 4. natura beneplaciti divini, quod eſt præmium maximum, (nam ſancti præferunt Gloriæ ſuæ) præſens, (nam confertur eo momento, quo opus peragitur) inauferibile; nam fieri non poteſt, ut, quod ſemel Deo placuit, per totam æternitatem non placeat.

CV. Ita 5. S. Thomas Aquinas, quæſitus a Deo quod præmium peteret? & reſpondens: Non aliud, quam te, Domine. *Surius 7. Marth.*]

CVI. Ita 6. S. Ignatius intra multos annos ne minimam qoidem vanæ gloriæ tentationem paſſus, dicenique, ſe nihil minus, quam illam, timere. *Vit. l. 5. c. 3.*

CORALLARIUM XIV.

CVII. Colliges 14. *Te turbari non debere, ſi variis tentationibus Deus vexari te permittat, cum has ipſas piiſſima Dei voluntas in bonum tuum ordinet, nec paſſura ſit, te tentari ſupra id, quod potes, & præterea ſcuto bonæ voluntatis ſuæ te protegat.* *Tentationes.*

Notæ.

CVIII. Ita 1. Deus; *Si ſurrexerit in medio tui Propheta* (Diabolus) *& dixerit tibi: Eamus, & ſequamur deos alienos* (creaturas) *& ſerviamus eis: non audies verba prophetæ illius, aut ſomniatoris: quia tentat vos Dominus Deus veſter, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde & in tota anima veſtra.* *Deut. cap. 13.*

CIX. Ita 2. S. Jacobus: *Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, ſcientes, quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectus habet.* *Jac. c. 1.*

CX.

Tob.c.12. CX. Ita 3. Angelus Tobiæ *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te*.

Vita patrum l. 5. num. 10. CXI. Ita 4. Abbatiſſa Sara tredecim annos a fornicationis ſpiritu tentata, & numquam orans, ut recederet ab ea hujuſmodi pugna, ſed hoc ſolum dicens: Da mihi fortitudinem Deus.

CXII. Ita 5. Chriſtus S. Birgittæ querenti, quod cogitationibus inutilibus, & tentationibus vexaretur, dicens: hæc vera eſt juſtitia, ut, ſicut prius delectabaris in vanitatibus mundi contra voluntatem meam, ita modo tibi moleſtiæ ſint variæ, perverſæque cogitationes contra voluntatem tuam. Verumtamen time Judicium meum moderate, & cum diſcretione, firmiter ſemper confidens in me Deo tuo. Certiſſime enim ſcire debes, malas cogitationes, quibus mens reluctatur, & quas deteſtatur eſſe purgationem animæ, atque coronam.

Thomas Kemp. l. 1. c. 13. CXIII. Ita 6. Thomas Kemp. ſunt tentationes homini ſæpe valde utiles, licet moleſtæ ſiot, & graves: quia io illis homo humiliatur, purgatur, & eruditur.

COROLLARIUM XV.

Profect. in virtute. CXIV. Colliges 15. *Te neque triſtari debere, ſi non proficias in ſtudio perfectionis, quantum velles, cum ſummus profectus tuus ſit velle, quod Deus vult, atque adeo ſatis tibi eſſe debeat, te eam menſuram in profectu, & meritis ſupernaturalibus attigere, quam Deus tibi præfixit.*

Notæ.

Bloſius in farrag. CXV. Ita 1. Bloſius: Licet jucundum ſit, cum pro virtutibus, & gratia oramus, id obtinere a Deo, quod petimus, longe tamen delectabilius, atque utilius eſt, totum ſe Dei beneplacito reſignare. Super omnia enim, quæ vel facere, vel dicere poſſumus, hæc a nobis maxime expoſcit Deus, ut intus in corde dicamus: Domine, fiat gratiſſima voluntas tua.

Rodriq. p. 1. tr. 8. c. 30. CXVI. Ita 2. Avila: non credo ullum unquam in terris fuiſſe ſanctum, qui non deſideraverit, eſſe perfectior, meliorque, quam fuerit, ſed ex hoc ipſi pacis internæ jacturam nullam fecere, quia hoc noo ob propriam voluntatem, quæ numquam dicit, ſufficit, ſed propter Deum deſiderarunt, cujus bonorum diviſioni acquieverunt, etiamſi illis parum donorum ſuorum communicaſſet, exiſtimantes, verum amorem magis elucere ex eo, quod quis contentus ſit eo, quod Deus dat, quam deſiderare amplius, etiamſi amor proprius ſuggerat, deſiderium hoc eſſe ad majorem Dei gloriam.

S.Bonav. de profect. l. 2. c.33. CXVII. Ita 3. S. Bonaventura dicens, multos homines magis ſervire Deo ſine poſſeſſione virtutum, deſiderando tamen eas, quam ſi eas haberent: quia hoc modo ambulant in humilitate, ſoliciti ſemper ire de virtute in virtutem, & per hoc ipſum recurrunt ſæpius ad Deum; & ſi virtutes haberent, forte intumeſcerent, exiſtimantes, ſe habere jam omnia, quibus egerent, & ulterius progredi, penſi non haberent.

Rodriq. p. 1 tr. 8. c. 30. CXVIII. Ita 4. Rodriquez, ſic diſcurrens: Quemadmodum in ſumma Dei voluntate totus debes conquieſcere, quomodocumque tractet te in oratione, ita & conquieſcere debes in eadem, quomodocumque tractet te in aliis omnibus virtutibus, donis ac prærogativis ſuis ſpiritualibus. Optimum eſt, ſanctumque deſiderium omnium virtutum, optimumque ſuſpirare, enixeque laborare pro illis conſequendis. Verum enim vero, ita ſemper deſiderare debemus ex iis proficere, ut tamen ſi eas non conſequamur, Dei voluntati obſecundemus, conformemurque. Si Deus oeget tibi puritatem, caſtitatemque Angelicam, ſed velit te multis, gravibuſque exerceri carnis tentationibus, perfer eas, oec multum te defectu tantæ puritatis eviſcera. Plus ſiquidem tibi commodabit patientia. Si Deus nolit tibi dare humilitatem Sancti Franciſci, nec Moyſis, aut ſancti Davidis manſuetudioem, nec Jobi patientiam, conſundere, & humilia te tanto magis, occaſionemque hioc pete, tibi tanto amplius diſplicendi. Non autem multum quere, & inanibus teipſum ob id curis conſume, alioquin vera, & ſolida pace oumquam gaudebis.

COROLLARIUM XVI.

Morbi. CXIX. Colliges 16. *Etiam in morbis te tranquillum, & reſignatum eſſe debere, cum & hi a voluntate divina, perinde ac ſanitas proficiſcantur, atque adeo ad ſingularem utilitatem tuam a Deo ordinentur, ita ut infirmitas gravis non ſobeiam dumtaxat* (ut Eccl. cap. 31. dixit) *ſed etiam ſanctam, & meritis pinguem faciat animam.*

Notæ.

Rodriq. p. 1. tr. 8. c. 16. CXX. Ita 1. S. Clara 28. annis morbis graviſſimis exercita, & Regioaldo Confeſſario dicens: Ex quo Domini noſtri Jeſu Chriſti gratiam per ſervum ejus Franciſcum cognovi, nulla mihi infirmitas dira viſa fuit, nulla pœna moleſta, nulla pœnitentia onerofa.

Ibid. CXXI. Ita 2. ſenex ille diſcipulo ægrotanti dicens: noli, Fili mi, ob hanc infirmitatem contriſtari, ſed ingentes Deo potius propter eam gratias age, ſi enim ferrum ſis, per huno ignem rubiginem, & ſcoriam depones; ſi aurum, per eumdem purgaberis, & purior redderis; magna quippe virtus eſt, & ingens religio, in infirmitate Deo gratias agere.

Bloſius in farrag. CXXII. Ita 3. Bloſius: ſi voluntas Dei tibi dulcis eſt, quando ipſe te ſanum eſſe, & vivere vult, amara vero eſt, quando te vult infirmum eſſe, vel mori, nondum plene reſignatus es, nondum habes cor ſatis rectum; ſi vis ut ipſum cor tuum jam non ſit curvum, ſubjice illud in omoibus voluntati divioæ, quæ ſemper recta eſt. Unice opta, ut ſemper voluntas ejus fiat, & eadem voluotas ſit ſumma conſolatio tua.

Caſſianus c. 7. de inſtit. CXXIII. Ita 4. Caſſianus: corporis infirmitas nullum eſt ad cordis puritatem habendam impedimentum, quin imo mirifice juvat, ſi quis illam ita prout oportet, novit accipere: vide ergo, ne corporis ægritudo ad animam tran-

tranſeat, quod fieret, ſi ex ea occaſionem propriæ voluntatis faciendæ, aut impatientiæ occaſionem ſumeres.

Vit. c. 32. CXXIV. Ita 5. P. Balthaſar Alvarez, qui ferventi Operario conquerenti, quod ob morbum nec orare, nec Sacrum facere, nec confeſſiones excipere, aliaque munera, quæ ſanus præſtiterat, obire poſſet, reſpondit: pluris facere Deum, quod quis eum per menſem ſuſtineat, ac toleret, quam quod quis in ejuſmodi miniſteriis per integrum annum illi ſerviat. Et recte; cum enim Deus vult Religioſum ægrotare, nihil ille tunc facere poteſt, quod ejus divinæ Majeſtati magis placeat, quam tolerare bene quod ille mittit, propterea, quia ille mittit.

COROLLARIUM XVII.

Mortis tempus & genus. CXXV. Colliges 17. *Neque de mortis genere, aut hora nimium ſolicitum eſſe te debere, cum ea hora aut genus optimum tibi eſſe debeat, quod ſapientiſſima Dei voluntas tibi ordinavit, ut pote qui ſolus novit, quando ob omnes circumſtantias tibi expediat ex hac vita diſcedere.*

Notæ.

Bloſius in Spec. c. 9. CXXVI. Ita 1. Bloſius: etiamſi non ita pridem incepiſſes melius vivere, & jam tibi moriendum eſſet, nihilominus reſignatus, nec ſcire aut perſcrutari velis, utrum te Deus poſt mortem miſſurus ſit ad purgatorium, an mox recepturus ad cælum: ſic tibi placeat dulcedo miſericordiæ ejus; ut tamen non diſpliceat pulchritudo juſtitiæ illius; vox hominis bene reſignati hæc eſt: Domine Deus meus, ſi in tui vegeret laudem, ut poſt obitum meum annis 50. flammis purgatoriis cruciares; illico me ſub pedes tuos abjicerem, & in tui honorem pœnas illas animo pacatiſſimo acciperem.

S. Cypr. in laud. mort. CXXVII. Ita 2. Sanctus Cyprianus inquiens: Meminiſſe debemus voluntatem nos non noſtram, ſed Dei facere debere, ſecundum quod nos Dominus juſſit quotidie orare. Quam præpoſterum eſt, quam eſt perverſum, ut, cum Dei voluntatem fieri poſtulemus, quando evocat nos, & accerſit hoc mundo Deus, non ſtatim voluntatis ejus imperio pareamus? quid oramus, & petimus, ut adveniat Regnum cælorum, ſi captivitas nos terrena delectat; Quid precibus frequenter iteratis rogamus, & poſcimus, ut acceleret dies regni, ſi majora deſideria, & vota potiora ſunt, ſervire iſtic diabolo, quam regnare cum Chriſto.

S. Ambr. l. de bono mort. CXXVIII. Ita 3. S. Ambroſius ſic diſcurrens; Chriſtus Rex noſter eſt, & ideo, quod Rex jubet, deſerere non poſſumus, & contemnere. Quot Imperator terræ hujus in peregrinis locis, aut honoris ſpecie, aut muneris alicujus cauſa, jubet degere? nunquid hinc inconſulto Imperatore diſcedunt? Et quanto amplius eſt, divinis parere, quam humanis? Vivere ergo ſancto Chriſtus eſt, & mori lucrum.

S. Bern. ep. 105. CXXX. Ita S. Bernardus dicens: Volo, te mortem, etſi non effugere, certe non timere. Juſtus quippe mortem etſi non cavet, tamen non pavet, denique ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

COROLLARIUM XVIII.

CXXX. Colliges 18. *Te a nulla calamitate propria liberationem petere debere, niſi adiecta clauſula; Veruntamen non mea, ſed tua voluntas fiat. Imo perfectius abſolute faceres, ſi non deſideres, aut labores a cruce liberari, ſed ad mortem uſque cum Chriſto in eadem perſeverare optes.* *Calamitates propriæ.*

Notæ.

CXXXI. Ita 1. Chriſtus noluit deſcendere de cruce, licet Judæi dixerint: *Si Filius Dei es: deſcende de cruce.* *Matth. 27. 42.*

CXXXII. Ita 2. S. Andreas rogavit Deum, ne fineret eum deponi de cruce. *Surius in vita.*

CXXXIII. Ita 3. Thaulerus ſic loquens: Felix eſt, qui anguſtiis, & pœnis afflictus, non aliquid inquirit, quo eas evadat, ſed ad finem, & ultimum uſque punctum eas ſuſtinet, nolens de cruce deſcendere, niſi Deus illum ſolvat ac deponat. Felix plane, qui ſe in abyſſum divini beneplaciti ita demergit, & terribilibus, occultiſque Dei judiciis ita reſignat, ut in hujuſmodi doloribus, ac preſſuris non tantum una hebdomada, aut uno menſe, ſed uſque ad extremi Judicii diem, vel etiam perenniter, perſiſtere paratus ſit, non recuſans ipſius quoque inferni tormenta (ſi Deus ita vellet) ſubire. Quæ quidem reſignatio omnem aliam reſignationem longe vincit. Vel mille mundos relinquere, in hujus reſignationis comparatione, nihil eſt. Hoc ipſum, quod Sancti Martyres animas pro Deo ſuderunt, huic reſignationi collatum, parum eſt. Illi enim divina conſolatione affluentes, pœnas omnes pro ludo habebant, hilariterque mortem excipiebant; ſed intus carere Deo, pœnas omnes incomparabiliter excedit. *Bloſ. re c. 1 Appendicis fol. 461.*

CXXXIV. Ita 4. Virgo illa, quæ interrogata, quibus exercitiis ad perfectionem perveniſſet? reſpondit: Numquam ita doloribus, & preſſuris obruta fui, quin majores pro Dei amore perferre optarem, indignam me illis ipſis tam præclaris Dei donis reputans. *Idem in monil. c. 10.*

CXXXV. Ita 5. Alia Virgo apud eumdem, quæ ineffabili preſſura, Dei permiſſione, correpta, cruciatus infernales ſibi ſentire videbatur; &, cum ita diu fuiſſet afflicta, tandem toto corde ad Deum converſa, dixit: Dulciſſime Deus, memor quæſo eſto, benigneque conſidera, me pauperem creaturam tuam eſſe, te vero Dominum, & Creatorem eſſe meum. Ecce, ego me in æquiſſimum judicium tuum offero, & gratiſſimæ voluntati tuæ integre reſigno, parataque ſum ſuſtinere hunc infernalem cruciatum, quamdiu tibi placuerit: utere me, ſicut vis in tempore, atque æternitate. Hac reſignatione ſacta, mox, Dominus Virginem illam ſibi univit, & in amabilem Divinitatis ſuæ abyſſum feliciter immerſit. *Bloſ. ibid.*

CXXXVI. Ita 6. Ferdinandus II. Imperator, cujus quotidianæ preces erant: Domine, ſi eſt ad laudem, & gloriam tuam, & ſalutem meam, *Vit. c. 6.*

Digitized by Google

meam, ut major ſim, quam ſum, extolle me, & glorificabo te: ſi eſt ad laudem tuam decuſque tuum, ut perſiſtam in gradu, quo ſum, conſerva me, & glorificabo te. Si eſt ad laudem, & gloriam tuam, ut in humiliore gradu ſim, humilia me, & ego glorificabo te.

Sur. tr. 7. CXXXVII. Ita 7. Lyduvina identidem repetens: Hoc mihi, Domine, acceptiſſimum erit, ut affligens me dolore non pareas, cum tuæ voluntatis impletio ſit mihi ſumma conſolatio.

Vit. c. 40. §. 2. CXXXVIII. Ita 8. Balthaſar Alvarez, qui dicere ſolebat, in hujuſmodi occaſionibus debere unumquemque attendere omnes, qui in cælo ſunt, ſanctos, ipſum aſpicere, & exſpectare, quomodo ipſe difficultatem illam ſuperet & ex ea proficiat; imo etiam ipſum Chriſtum, ne jure conqueratur, quod ejus verbum & exemplom parvi faciamus. Cogita, inquit, quid ſentiat ſuperior, ſi ſe primo veniente ad communes collegii occupationes id non ſufficiat, ut alii ad eaſdem exacte, & ad nutum conveniant, & ſe domum purgante, alii non imittentur, & ſe ad orationem ſurgente alii ex ignavia in lecto remaneant; ſi igitur homo pulvis graviter fert, verba, & exempla ſua optato fructu carere, quid ſentiet Chriſtos, ſi verbo ſuo non obediatur, & exemplum oblivioni tradatur? Alias vero cuidam perſonæ ſic ſcripſit: Magnò deſiderio tenetur Deus in nobis videndi filii ſui imaginem ad vivum depictam: quod ſi nos videre vult ſolos, & ærumnis contritos, & oppreſſos, non alio tendunt ejus curæ, & cogitationes, quam ut illa imágo in omnibus perficiatur. Poſtquam ejus filius (in quo valde complacet ſibi) inſignia illa induit, quæ fides nos docet, ac prædicat; non poteſt eidem placere, quod nos eiſdem indui non ſtudeamus; & quod, cum ipſe nos eis induerit, nos genua non flectamus, & cum magni amoris ac reverentiæ ſignificatione gratias non agamus.

COROLLARIUM XIX.

Gloria æterna poſſeſſio. CXXXIX. Colliges 19. *Neque de bonis gloriæ plus te optare aut poſſidere velle debere, quam Deo placuerit, ſed ea menſura contentiſſimum eſſe, quam ipſius ſumma ſapientia, & immenſa bonitas dare decreverit.*

Notæ.

CXL. Ita 1. Chriſtus orare docens, *ut fiat voluntas Dei, ſicut in cælo, & in terra*, quod fit, ſi pluris beneplacitum divinum, quam omne noſtrum emolumentum, adeoque poſſeſſionem ipſam cæli, & terræ æſtimemus.

CXLI. Ita 2. Beati in cælis, qui plus de *Rodrig. tr. 8. c. 31.* adimpletione divinæ voluntatis, quam de magnitudine gloriæ ſuæ, lætantur.

CXLII. Ita 3. S. Ignatius, malens gloriam *Relat. Canon.* Dei per factum nobile augere, & dubius de ſalute manere, quam eo omiſſo, ſtatim cælum ſubire.

CXLIII. Ita 4. S. Martinus dicens: ſi populo tuo ſum adhuc neceſſarius, non recuſo laborem.

CXLIV. Ita 5. Rodriquez dicens: Hoc eſt *P. 1. tr. 8. c. 32.* maximum in homine, ſi ad conformandum ſe divino nutui, velit ſtatim mori & habere minus gloriæ, quam mori poſt viginti annos & habere plus. Et contra, etiamſi certus eſſem, de conſecutione æternæ gloriæ, ſi jam morerer, & ego nihilominus contentus ſum, ut maneam in hoc exilio infinitis ærumnis, & laboribus, ſi Deo ita placet, circumſeptus, & oppreſſus. Et ſane quiſnam Regum, aut Principum non putaret ſe obligatum ad conſervandum, defendendumque ſervum aliquem ſuum cui ampliſſimam aliquam offerret gratiam, eam tamen reipſa illi dare nollet, niſi prius Heroicum ipſe aliquod facinus patraret: quis inquam, talem non tueretur, quandoquidem ea ſe gratia privatum vult ſervus in ſolius Domini, ac Principis ſui honorem, & obſequium? quod ſi ergo homines id præſtant ingrati alioqui, & meritorum clientum ſuorum ſæpe parum memores, quid de æterno illo Rege ſperare par erit, qui ſua nos gratia, & prævenit, & comitatur, & ſequitur? quid, inquam, periculi timere unquam poterimus? qua ratione deſerere nos poterit, qui beatitudinem noſtram, beatificamque fruitionem in ſolius ipſius honorem gloriamque in longius tempus rejecimus atque diſtulimus.

Concluſio.

CXLV. Ille beate, & perfecte vivit, qui ſemper fruitur ſummo, & inauferibili bono. Seu, ut S. Auguſtinus l. 1. 3. de Trinit. ait, qui habet quidquid vult, & nihil male vult.

Atqui hoc habet, qui Dei voluntati perfecte ſe conformat, ſeu qui ſemper agit, & patitur, quæ Deus vult, quomodo vult, & quia vult. Ergo ſemper beate, & perfecte vivit.

Digitized by Google

P A R S II.

D I A L O G U S.

Inter Chriſtum, & S. Catharinam Senenſem inſtitutus.

Et ſi multa jam ex hoc Dialogo in priori parte ſint indicata, quia tamen magis expediens videtur, ut totus Dialogus, prout inter Chriſtum, & S. Catharinam inſtitutus eſt, accurate perlegatur, ideo placet eumdem, ut conceptus eſt, hunc apponere.

CUM anima quædam ab auctore lucis illuminata propriam fragilitatem, & miſeriam, ignorantiam ſcilicet, & pronam ad malum naturam recognoſceret, aliquantulum Dei magnitudinem, ſapientiam (inquam) potentiam, bonitatem, cæteraſque ipſius præſtantiæ partes ſuſpiceret.

Dignus Deus, ut ei ſerviatur. II. Vidit, quam dignum, & neceſſarium eſſet, ut idem perfecte coleretur, & ſancte: Dignum, quia cum Pater univerſorum, & Dominus ſit, omniaque, ut ſuum ipſius nomen collaudent, & ad ſuam referantur gloriam, fecerit, congruum, & æquum eſt, ut ſervus Dominum ſuum obſervans, ei ſerviat, & obſequio pareat. *Neceſſarium.* Neceſſarium, quia, cum ipſe Deus, rationale animal ſpiritu, & corpore compoſitum, hac conditione condiderit, ut, ſi voluntarie uſque ad mortem fidelem ſibi præſtiterit ſervitutem, ad vitam perveniat ſempiternam, aliter felicitatem illam omni bonorum aggregatione cumulatam conſequi nequeat: per paucos autem hoc adimplere, ſicque perpaucos ſalvari, quod fera omnes quærant, quæ ſua ſunt, non quæ Dei.

Vita incerta, & mors. III. Vidit præterea breves dies hominis eſſe, incertam horam, punctumque, quo id momentaneum promerendi tempus finiatur; in inferno vero nullam eſſe redemptionem, ſed unumquemque in futura vita immutabili, & inevitabili ſententia præmia pœnaſve, prout in hoc ſuo vivendi genere ſit meritus, juſta conſequi retributione.

Quæris compendium viæ ad perfectionem? Ecce. IV. Vidit etiam multos multa dicere, & diverſimode; multifariamque prædicare, ac loqui de virtutibus, quibus Deus fideli ſervitute colatur; Rationalis autem creaturæ capacitatem modicam, intellectum hebetem, memoriam debilem, ut nequeat vel multa percipere, vel percepta fideliter continere, ac idcirco, licet multi ſtudeant ſemper addiſcere, quam pauciſſimos tamen integritatis perfectionem attingere, Deo, ut dignum & neceſſarium eſſet deſervire, ſed fere omnes curis anxios, mentis agitationibus fluctuantes, extremo ſemper in periculo degere.

V. Videns igitur hæc omnia illa, ſpiritu coram Domino exurgens, ardenti deſiderio, ac vehementi affectu, ab ipſius Majeſtate efflagitavit, ut ſuccincte, & brevibus verbis præcepta aliqua tradere vellet, quibus vita noſtra ſancte inſtitui, ac perfici poſſet, quæque vi ſententiarum, prædicationum veritatem, & univerſas complecterentur ſcripturas, quorum obſervatione, & ipſe debita ſervitute coleretur, & ex hac brevi, mortali, ac miſera vita, ad eam, ad quam creaverat, felicitatem perveniremus.

VI. Deus itaque, qui, & fauſta deſideria inſpirat, & eadem ſuſcepta irrita non eſſe permittit, ſtatim huic animæ in mentis exceſſu conſtitutæ affuit, hæc dicens: Dilecta mea, placent mirum in modum hujuſcemodi deſideria tua, & adeo placent, ut eis longe magis cupiam ipſe ſatisfacere, quam ipſa ſibi cupiant ſatisfieri; Ingens namque meum optatum eſt, ea in vobis (volentibus vobis) beneficia conferre, quæ ſaluti veſtræ utilia, commoda, & neceſſaria ſint, atque ideo tuum adimplare deſiderium, & te voti compotem efficere paratiſſimus ſum.

Compendium perfectionis quod ſit. VII. Quare attende, & diligenter obſerva, quæ tibi, ipſe ineffabilis, & numquam fallens veritas, dicturus ſum, quoniam tuæ annuens optioni breviter proponam, quid ſit, quod ſummam perfectionem, omneſque contineat virtutes; ac ſimul ſcripturarum volumina, & multiplices complectatur prædicationes, ut ſi tuam tibi faciem ſpeculata fueris, & te ad illud compoſueris, ac ſervandum formaveris, quidquid patet, & latet in divinis ſermonibus, adimpletura ſis, & ſempiterna lætitia, & perpetua pace fruitura.

Perfectio in quo conſiſtat. VIII. Scias igitur, ſervorum meorum ſalutem, perfectionemque hoc uno conſtare, ut meam ſolius faciant voluntatem, atque eam ſummo ſemper ſtudio adimplere nitantur, ut mihi uni obſequi, me unum obſervare, me unum attendere, omnibus vitæ ſuæ contendant momentis; Quantoque diligentius in id incombant, tanto perfectioni propius accedere, quoniam mihi, qui ſum ſumma perfectio, magis preſſiuſque adhærent, copulantur, & junguntur.

Exemplum Chriſti Jeſu. IX. Ut autem planius hanc (licet ineffabilem) breviter tamen traditam veritatem intelligas, reſpice in faciem Chriſti mei, in quo mihi bene complacui. Ipſe namque exinanitus, ſervili forma aſſumpta, factuſque in ſimilitudine carnis peccati eſt, ut vos cæca caligine obrutos, & via veritatis averſos, ſuæ lucis ſplendore illuminans, ad rectum iter, & verbo converteret, & exemplo Obediens fuit uſque ad mortem, ſic ſua perſeveranti obedientia vos edocens, ſalutem veſtram ex faciendæ ſolius voluntatis meæ ſtabili inſtituto pendere.

X. Nam ſi quis diligenti ſtudio, & conſideratione, ipſius tum vitam, tum doctrinam meditari velit, perſpiciet procul dubio, mor-

Digitized by Google

mortalium integritatem, perfectionemque in nulla re alia conſtare, quam in jugi, perpetua, ac fideli meæ voluntatis obſervatione, quod idem Dux veſter toties atteſtando repetit. Ait enim: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine intrabit in Regnum cælorum, ſed omnis, qui fecerit voluntatem Patris mei.*

Reſtenatis Filii Dei.

XI. Et attende, quod non fruſtra repetit bis, *Domine, Domine*, quoniam, cum omnis tranſitoria conditio ad duo univerſalia genera reducatur, Religioſum ſcilicet, & ſæculare; ſignificare vult, neminem, cujuſcumque conditionis ſit, æternæ vitæ gloriam conſecuturum, licet omnem mihi extrinſecus honorem exhibeat, niſi meam fecerit voluntatem. Item alio loco: *Non veni facere voluntatem meam, ſed ejus, qui miſit me, Patris.* Et iterum: *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me*: Item: *Non mea voluntas, ſed tua fiat. Et ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.*

XII. Si vis ergo, Salvatoris tui exemplum imitari, meam facere voluntatem, quam conſtat eſſe bonum tuum neceſſe eſt, ut tuam omnibus in rebus contemnas facere voluntatem, illamque abneges, & extinguas: quoniam quanto magis morieris in te, tanto magis vives in me; & quo purgatius ejicies quod tuum eſt, eo abundantius ipſe reponam quod meum eſt.

XIII. Poſtquam illa anima hæc veritatis ſaluberrima documenta percepit, tota lætabunda; dixit: Pater, & Deus meus, placent ſummopere, & plus quam explicare queam, quæ ſervulæ tuæ narrare dignatus es, & quam magnas poſſum, benignæ Majeſtati tuæ gratias ago: quoniam quanta mea rudi intelligentia conſequi poſſum, non aliter eſt, quam, mihi per Salvatoris exemplum præclare, ac lucide demonſtraſti; cum enim tu ſummum, & omne bonum ſis, non volens iniquitatem, ſed juſtitiam tantum, & honeſtatem, quidquid faciendum eſt, perago, ſic tuam voluntatem adimpleo, ſi meam propter te abnego, quam tu minime violare vis; quoniam mihi idcirco libetam tradidiſti, ut ego ſponte eam tibi ſubigendo, & tuam ſolius facere ſemper intendendo, gratior tibi fiam, & majora apud te mea ſint merita.

Quæ ſit voluntas Dei.

XIV. Volo igitur, ac vehementer defidero id adimplere, quod præcipis: ſed non plane ſcio, quibus rebus tua contineatur voluntas, quove tibi fideli obſequio mancipari queam: ſi arrogans non ſum, & mea temeritas non abutitur tua lenitate, ſupplex obſecro, ut juxta petitionem meam, id quoque me paucis doceas.

XV. At Dominus: ſi paucis, & collectim ſcire deſideras meam voluntatem, ut eam integre valeas adimplere, hæc mea voluntas eſt, ut ſumme, & ſemper ames me, ſicut præcepto mandavi vobis, ut toto corde tota anima, & omnibus viribus veſtris diligatis me, hujuſque præcepti obſervatione tua perfectio continetur: quoniam finis præcepti eſt charitas, & plenitudo legis eſt dilectio.

XVI. Anima ad hæc: Teneo voluntatem tuam, & perfectionem meam, in ſummo tui amore collocatam eſſe, ipſaque te (ut par eſt, ſummo amore, ac vehementiſſima dilectione) proſequi vellem; ſed quonam pacto id efficere poſſim, aut debeam, ſatis mihi compertum non eſt. Quocirca orans expeto, ut me hac quoque in parte brevibus inſtruas.

XVII. Tunc Deus: audi igitur, & ad ea, quæ dicam tota mentis attentione invigila. Si me perfecte amare vis, te tria hæc facere neceſſe eſt. Primo, ut voluntatem tuam ab omni amore, affectuque terreno & carnali prorſus amoveas, ſegreges, mundifices, ita ut in iſta vita nihil tranſitorium, nihil caducum, nihil temporale ames, niſi propter me, nec (quod magis, & maximum eſt) ames me propter te, ſed ames me propter me, te propter me, & proximum propter me.

Quid ſit amare Deum.

XVIII. Quoniam divinus amor terreni affectus aut alterius cujuſvis amoris conſortium pati non poteſt. Unde quantum eum terrenarum rerum contagione infeceris, tantum, & in mei amore peccabis, & de tua perfectione deperdes. Mentem quippe, ut munda, & ſancta ſit, omnia quæ corpus ſentit faſtidire neceſſe eſt. Effice igitur, ne quidquam ex his, quæ a bonitate mea veſtros in uſus profecta ſunt, te a me amando impediat, ſed omnia adjuvent, accendant, inflamment. Quoniam vobis illa creando conceſſi, ut bonitatis meæ largitatem latius ex ipſis dignoſcentes, me abundantiore amore proſequeremini.

XIX. Perſtes igitur appetitu, lumbiſque ſuccinctis, ac vigilanti cuſtodia te ſemper obſervans, terrenis concupiſcentiis, quas undecumque tibi mortalis vitæ miſeria, & corrupta ſuggerit natura, alacriter reſiſte, ut cum Propheta meo dicere poſſis: qui perfecit pedes meos, id eſt, affectus, qui animæ pedes ſunt, tamquam cervorum, ad fugiendum canes, id eſt, laqueos concupiſcentiæ terrenarum rerum, ſuper excelſa ſtatuet me, id eſt, in contemplatione.

XX. Cum hoc primum impleveris, ad ſecundum, quod etiam altioris perfectionis eſt, pervenire poteris, ut omnes cogitationes, actus, & opera tua dirigas ad meum ſolummodo honorem, & gloriam, ſemperque ſolius meæ laudis ſtudioſiſſimam des operam, precibus, verbis, & exemplis, & quomodo poſſis, ut non tu tantum ſic, ſed alii omnes tecum pariter, & eodem modo affecti ſint, utque univerſi me unum norint, ament, colant: hocque mihi magis placet, quam primum, quoniam magis implet voluntatem meam.

Intentio pura.

XXI. Tertium, quod reliquum eſt, ſi aſſecuta fueris, tibi nihil deeſſe, teque conſummatam integritatem conſecutam, ſcito. Illud autem hoc eſt, ut ſummo deſiderio quæras, nitaris ſtudeas ad hanc pervenire mentis diſpoſitionem, ut mihi ita conjuncta ſis, tuaque meæ (quæ perfectiſſima eſt) ita ſimilis ſit conformiſque voluntas, ut nolis non ſolum malum, ſed, & bonum, quod ipſe nolim; utque eveniat, quidquid velit, & undecumque velit, in iſtius vitæ miſeria, ſive ſpi-

Conformitas cum voluntate Divina.

Digitized by Google

ſpiritualibus, ſive temporalibus in rebus, minime frangatur pax tua, turbeturve quies mentis tuæ, ſed inconcuſſa fide ſemper teneas, me Deum tuum omnipotentem magis amare te, quam tu te ipſam, nieque tui diligentiſſimam habere curam, & multo diligentiorem quam tu. Quanto magis ſic te mihi commiſeris, dederiſque, tanto magis te adjuvans, tibi ſemper adero, & tu ipſa clarius cognoſces, ac uberius ſenties circa te dulciſſimam charitatem meam.

Abnegatio ſui neceſſaria.

XXII. Ad hanc autem perfectionem pervenire non poteſt, niſi per ſtabilem, conſtantem, & omnimodam ſui ipſius abnegationem: quam qui præſtare negligit, ſimul hanc excellentiſſimam perfectionem negligit: qui vero libens præſtat, ſimul integerrimam voluntatem meam integerrime exequitur, mihique ſumme placet, & me ſecum habet: quoniam mihi gratius, & jucundius nihil eſt, quam per gratiam vobiſcum agere, & in vobis habitare, meæque ſunt deliciæ cum filiis hominum eſſe, & ut volentes ipſi (nolo enim liberi Jus arbitrii violare) a me in me per gratiam transformentur, ut ſint unum mecum participatione perfectionis meæ, præcipueque pacis, ac tranquillitatis meæ.

XXIII. Ut autem planius intelligas; quam ardenti deſiderio cupiam vobiſcum eſſe, utque magis accendaris ad ſubigendam mihi, copulandamque meæ voluntatem tuam, vide, & alta mente conſidera, voluiſſe me, ut Unigenitus meus incarnaretur, utque mea Divinitas, Majeſtatis dignitate ſepoſita, veſtræ copularetur humanitati, ut tanto amoris, & charitatis exemplo, tanta ineffabilis dilectionis demonſtratione, vos ad pariter conjugendam meæ veſtram voluntatem, unique mihi jugiter adhærendum provocarem, allicerem, traherem. Voluiſſe præterea, ut ille ipſe dilectus Filius meus tam horrendam, immanem, crudelem crucis mortem ſubiret, ut ſuis tormentis veſtrum peccatum tolleret. Peccatum, inquam, quod inter me, & vos ſeparationem fecerat, & meam a vobis faciem ita averterat, ut nullo vos pacto poſſem reſpicere.

Cur Verbum ſit incarnatum.

XXIV. Paraſſe inſuper menſam maximi, & parum agniti Sacramenti Corporis ipſius, & Sanguinis, ut in cibum ſumentes transformaremini, mutareminique in me, ac ſicut panis & vinum, quibus veſcimini, in ſubſtantiam trauſeunt corporalem, ita & vos manducantes ipſum, qui mecum unum eſt, ſub panis, & vini ſpecie, in ſubſtantiam ſpiritualem & in me ipſum, convertamini. Et hoc illud eſt, quod Auguſtino ſervo meo his verbis dixi. Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis, nec tu me mutabis in te, ſed tu mutaberis in me.

XXV. Cum audiſſet anima illa, quænam eſſet Dei voluntas, & quemadmodum in eam implendam neceſſaria etiam erat perfecta charitas, perfectamque charitatem propriæ voluntatis abnegatione conſtare, dixit: Significaſti mihi, Domine Deus meus, voluntatem tuam; ſignificaſti, Domine, quod, ſi perfecte amavero te, nihil terrenum, aut mortale, nec etiam me ipſam amabo propter me, ſed quidquid amabo, ſecundum te, & propter te amabo. Dixiſti, ut ſummo ſemper ſtudio tuam ſolius laudem, honorem, & gloriam velim perquirere, ſimulque operam dare, ut alii quoque videantur facere: & ut, quæcumque adverſa mihi in hac miſera adveniant vita, ea, compoſita mente, & æquo aoimo, ac lætanti tolerare contendam.

XXVI. Nunc quoniam hæc per propriæ voluntatis abnegationem efficienda ſunt, doce, quæſo, quonam pacto ad hanc pervenire abnegationem, ac tantam virtutem comparare, & aſſequi queam: ut enim per tuæ doctrinæ lumen video, tantum in te vivo, quantum in me morior.

XXVII. Deus autem, qui ſancta numquam fruſtratur deſideria, ſic intulit. Perfecta tui abnegatione tuum omne bonum conſtare, certum eſt, quoniam te tantum mea gratia repleo, quantum te tua voluntate evacuas: & perfectionem tuam efficit participatio divinæ bonitatis meæ per gratiam, ſine qua humana creatura (quantum ad virtutem & dignitatem ſuam) nihil eſt. Ad hanc igitur ſi pervenire vis, tibi eſt in ſumma humilitate perſtandum, & ex vera, atque intima miſeriæ, & inopiæ tuæ cognitione id unum jugiter, vehementerque affectandum, ut mihi ſoli pareas; meamque ſolius voluntatem obſerves. Quo autem id præſtare queas, neceſſe eſt, ut per mentis conceptum, & animi exiſtimationem tibi habitaculum circum undique concameratum ex ſolius meæ voluntatis materia conſtruas teque eo concludas, & ſemper inhabites, ut quocumque proſpicias, nunquam aſpicias, ſed tuos mentis, & corporis ſenſus mea ſemper circumſtet voluntas, nec quidquam aliud loquaris, cogites, aut efficias, niſi quod mihi placet, & meæ eſſe voluntatis credas, ſicque te, quidquid agendum erit, Sanct. Spiritus docebit.

Abnegatio amplectenda.

XXVIII. Alia etiam via ad propiæ voluntatis abnegationem perveniri poteſt, ſi adſunt, qui te ſecundum me inſtruant, regantque, his propriam ſubjiciendo voluntatem, te totam, ac tua omnia his committendo, his parendo & eorum ſemper conſilio ſequendo, quoniam qui fideles, prudentes ſervos meos audit, me audit.

XXIX. Sed ad hæc volo, ut certa fide, alta mente, ac frequenti conſideratione mediteris, me Deum tuum glorioſiſſimum, qui te ad beatitudinem perfruendam creavi, æternum eſſe, ſummum, omnipotentem, vobiſque omnia, quæ mihi placita ſunt, facere; nec eſſe, qui vel tantillum meæ poſſit reſiſtere voluntati; nec quidquam ſine eadem voluntate mea vobis accidere, nihil prorſus, niſi me permittente, provenire, ut per Prophetam vobis enunciavi, non eſſe malum in civitate, quod non ipſe fecerim, id eſt permiſerim.

Nihil fit ſine voluntate Dei & cognitione.

XXX. Mediteris pariter, Deum tuum ſummæ eſſe ſapientiæ, perfectiſſimæ cognitionis, & intelligentiæ, omnia certa ratione videntis, & acutiſſime penetrantis, ut ad cælum, terram, mundum totum, & univerſa guber-

Digitized by Google

nanda, nulla poſſim ratione falli, nullo errore turbari. Quod ſi non ita eſſet, nec Deus eſſem, nec ſapientiſſimus. Et ut tantillum percipias vim hujus ſummæ ſapientiæ meæ, ſcias, de malo culpæ, & pœnæ, me longe majus bonum, quam ſit malum, elicere.

XXXI. Tertio velim conſideres, me eumdem Deum tuum non minus ſumme bonum eſſe, & ſummo amore benevolentiaque vos complecti, & hac de cauſa non poſſe, niſi quæ bona ſunt, utilia, & ſalubria, tibi, & aliis velle, non poſſe a me aliquid malum provenire; nihil odiſſe, & hominem, ut mea bonitate creavi, ita per me ſemper inæſtimabili dilectione proſequi.

Deus omnia ad ſalutem ordinat. XXXII. His vero per firmam fidem mente, ac meditatione collectis, cognoſces, tribulationes, tentationes, difficultates, dolores, infirmitates, & adverſa omnia ob nullam aliam cauſam, me gubernante provenire, niſi utilitatis, & ſalutis veſtræ gratia, ut per ea, quæ videntur vobis mala, pravitate corrigamini, & ad virtutem, qua itur ad verum, ſummum bonum vobis incognitum, perducamini. Cognoſces præterea, hoc fidei lumine illuſtrata, me Deum tuum magis ſcire, poſſe, & velle bonum tuum, quam tu, teque id nec poſſe, nec ſcire, nec velle abſque gratia mea. Id igitur cum ita ſit, danda tibi ſummo ſtudio opera eſt, ut voluntatem tuam Divinæ voluntati meæ prorſus ſubjicias, quoniam ſic placida ſemper mente quieſces, & me ſemper tecum habebis (factus eſt enim in pace locus meus) nec erit tibi ſcandalum peccati, hoc eſt, offendiculum aliquod ad peccatum, nec per impatientiam, nec aliquo quovis modo.

Pax, refrigerium. XXXIII. Nam pax multa diligentibus nomen meum, & non eſt illis ſcandalum. Tantum enim amant legem meam, id eſt, meam voluntatem, meaque lex eſt, qua cuncta reguntur, tantumque mihi per ipſam copulati ſunt, & in ipſius delectantur obſervatione, ut evenit, quidquid velit, & undecumque velit, cujuſcumque generis, & æſtimationis ſit, nulla re, præterquam culpa qua fiat mihi injuria perturbare queant.

Omnia Deo bona tribuit, & mala capit de manu ejus. XXXIV. Proſpiciunt namque claro, & purgatiſſimo mentis oculo, a me ſummo univerſi gubernatore, mirifica ſapientia, charitate, & ordine cuncta adminiſtrante, non niſi bona poſſe provenire, meque ſibi, ac rebus ſuis melius, utiliuſque proſpicere, quam ipſimet per ſe ſciant, poſſint, ac velint, ſicque omnibus in rebus, quæ eveniant, quaſque ſuſtineant, ut ſuum me auctorem, & non proximum, firmo conſiderantes propoſito, quadam invicta, & inexpugnabili patientia ita roborantur, ut non ſolum æquo animo, ſed libenti, ac gaudenti ſuſtineant, deguſtantes in omnibus ſive intrinſecus, ſive extrinſecus accidunt, meæ ineffabilis dulcedinem charitatis: quod eſt, ſentire de me in bonitate; In omnibus (inquam) tribulationibus, difficultatibuſque attendere, credere, & læto animo, gratoque meditari, me diſponere omnia ſuaviter, & ex profundo meæ dilectionis fonte cuncta provenire.

XXXV. Atque hujus ultimæ conſiderationis, compoſitioniſque ſanctiſſimæ maximum bonum nil aliud corrumpit, impedit, & perdit, quam propria voluntas veſtra, & amor veſtri, quæ ſi tolleretur & infernus a vobis; tum ille, qui maledictis æterno mentis, & corpus tormento paratus eſt; tum ille, quem in mortali vita multiplici agitatione animi, ac vario curarum æſtu, imo ſuſtineris errore. Igitur ſi vivere cupis, & in hoc habenti ſæculo per gratiam, in ſtabili, ſempiternoque per gloriam, ſac moriaris, temetipſum abnegans, propriam voluntatem deponens. Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur, & beati pauperes ſpiritu, quoniam tales me vident in peregrinatione per mutuum amorem, viſuri deinde in patria per gloriam, & honorem. Amen. *Propria voluntatis malitia.*

TITULUS CXXIV.

RESPUBLICA.

PARS I.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

EST Communitas ex pluribus hominibus aggregata, & ſub certis legibus ad bonum commune ordinatis vivens. Paulo fuſius eam deſcribit Ariſtoteles lib. 1. Rhet. dum dixit: eſſe Inſtitutionem civitatis circa Magiſtratus, honoreſque publicos quemadmodum debeant impartiri, & in quos poteſtas, authoritaſque ſumma debeat conferri, & qui ſit finis cujuſque Societatis.

Diviſio.

II. Dividitur communiter in *Monarchico*, quæ ab uno tantum Gubernatore regitur: & *Ariſtocraticam*, quæ a pluribus optimatibus adminiſtratur: & *Democraticam*, quæ a populo gubernatur.

III. Aliter per diviſionem in partes integrales Rempublicam conſtituentes, dividi poteſt in Imperatores, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Doctores, Plebeos, de quorum notitia, & diſcrimine, quoniam non parum ad Reipublicæ conſtitutionem cognoſcendam, eruditionemque comparandam conducere videtur, infra ex inſtituto differendum erit.

IV. Cæterum, quoniam quidem de hac materia integri, eruditiſſimique libri paſſim ſunt conſcripti, quia tamen non omnibus ſunt noti, vel certe ob fuſiorem tractandi modum non facile leguntur, viſum eſt, non ingratum Lectori futurum, ſi breve de hac materia compendium ei offerretur, quod quidem duas præcipue partes complectetur, ſcilicet quomodo orta ſit Reſpublica (ubi ſpecialiter de Republica Germanorum, utpote cujus notitia merito præ aliis deſiderari poteſt,) tractabitur, & quomodo conſervari debeat. Id unum tamen prius Lectorem monitum velim, cum circa originem,

Digitized by Google

giaem, & ſucceſſionem Imperatorum, Regum, Ducum, & ſimilium (de quibus etiam fier mentio) variæ ſint opiniones Scriptorum, me in eorum relatione communiorem ſententiam ſecuturum, neque tantopere de ſucceſſione, (quæ fuſiorem tractatum requireret) quam de origine eorum indicanda ſolicitum ſururum, & quæ ſufficere videntur poſſe Lectori rudem hujus materiæ notitiam habere cupienti.

§. II. DE ORTU, ET PROGRESSU REIPUBLICÆ.

QUæritur 1. Quomodo genus humanum per octo Perſonas poſt Diluvium tam cito propagatum ſit?

℞. Cum Simone Majolo, id factum eſſe ſingulari Dei ſavore, & naturæ necdum langueſcentis benignitate; horum enim beneficio ſemper fere uno partu gemini, aut plures etiam edebantur infantes, & nullus interea moriebatur, unde breviſſimo tempore adeo adauctus eſt hominum numerus, ut Noemi ſuaſu in diverſas regiones abierint, colonlaſque diverſas deduxerint.

II. Quæritur 2. Unde, & quomodo Societas humana originem ſumpſerit?

℞. Filios Adami, & Evæ, & poſt diluvium Noemi, cœpiſſe ab initio generatos a ſe filios ſeorſim procurare, & ſic multirudinem hominum in familias diviſam eſſe, quarum numero continebantur filii, & Filiæ, ſervi, & ancillæ, clientes, & ſimiles. Tum coiiſſe in unum locum plures familias, & per conjunctas domos vicinales vicos feciſſe, exinde pagos; ac tandem omnino civitates, poſtquam ſcilicet muris pagos circumdederunt, & portis clauſerunt. Quia vero numerus civium nimis multiplicabatur, inde colonias in alia loca abduxerunr, ita tamen, ut ſemper eam civitatem, ex qua abducti erant, pro matrice agnoſcerent, & ſua illi tributa, aliaque ſubſidia offerrenr. Verum quia experientia advertebant, tantam multitudinem conſiſtere incolumem non poſſe, niſi ab uno capite regeretur, hinc ſuperiorem, a quo regerentur, quemque a regendo Regem vocabant, elegerunt. Tandem vero, quia variæ matrices erant, atque adeo varii etiam Reges, ſeu ſuperiores, ideo facto fœdere regna hæc diverſa unum communem ſibi ſuperiorem conſtitueiunt, penes quem ſummum Imperium eſſct, quemque nos Imperatorem vocamus.

III. Quærirur 3. Quomodo diverſi populi originem ſuam ſumpſerint.

℞. Hoc modo: Cum Armenia hominibus oppleta eſſer, anno 102. poſt Diluvium, Noemum terrarum orbem in tres partes diviſiſſe, & cuilibet filio unam aſſignaſſe: Japheto Europam, & Aſiam Aquilonarem, uſque ad Palæſtinam; Chamo Africam meridionalem; Semo, Judæam, Perſiam, Armeniam, Syriam, & alios tam occidentales, quam Orientales populos uſque ad Oceanum Indicum. Et ab his poſtea varios populos originem ſuam ſumpſiſſe; & a Japheto quidem, & filiis ejus ortos fuiſſe Cimbros, Gallos, Germanos, Sarmatas, Scythas, Medos, Græcos, Italos, Hiſpanos, Thraces, & Moſcos, qui omnes populi in Seprentrione, & Occidente habitabant: a Chamo vero eſſe derivatos Æthiopes, Arabes, Ægyptios, Libios, Numidas, Mauros, Palæſtinos, & Cananæos in Meridionale plaga; Et denique a Semo Aſſyrios, Chaldæos, Hebræos Syros, Perſas, & Armenos ortos eſſe.

IV. Quæritur 4. Unde Germani ſuam originem, & nomen ſortiti ſint.

℞. 1. Eos a Togorma ſumere ortum, qui ſuit filius Gomeri primogeniti Japhet; licet autem ſtatim a principio fuerir peculiaris gens, tamen eorum nomen diu Romanis, & Græcis ignotum fuir, quouſque tandem bello cum Cæſare ſuſcepto eorum fama, nomenque inclaruit. Claudius tamen vult Aſchemacem Noachi Pronepotem cum filiis obſediſſe Celticam, id eſt, Illyrium, Germaniam, Galliam Hiſpaniam, & Britanicam Inſulam, idque probat ex eadem lingua, nominibus hominum, & oppidorum.

℞. 2. Etymologiam nominis variam a variis afferri; nam aliqui ab eorum auctore Togorma per aphæreſin germanos nominatos volunt; alii a nomine Nanus, quo idem Togorma appellabatur, derivationem ſumpſiſſe; alii Germanicis vocibus: *Garmanu*: derivant; quaſi dicere vellent, Germanos eſſe viros omni parte conſummatos; alii denique a charitatis, & amicitiæ vinculo, quo Germani inter ſe connectabantur, Germanos, ideſt, fratres, quaſi uterinos appellatos volunt, nam compertum eſt, olim Germanos ſemper ſibi conſtitiſſe, & gentem hanc ex ſe propagatam fuiſſe, neque unquam cæteris nationibus ſe commiſcuiſſe.

V. Quæritur 5. Unde Germanorum libertas initium ſumpſerir.

℞. Ex Chronica M. Jordanis, ſic eam exortam eſſe. Poſt Trojæ deſtructionem Æneas, & Priamus Magni Priami Nepos in Italiam pervenerunt; ubi Æneas quidem manſit, Priamus vero in Galliam tranſiens, Galloſque expellens Trojam minorem ædificavit, ſubinde per Diœceſin Colonienſem de mulieribus Teutonicis, eo quod eſſent corpulentæ, & habiles ad prolem fortiorem propagandam, acceperunr uxores; filioſque procrearunt, quos una cum parentibus exercitus Æneæ in Italia reſidens Hermanos vocavit, tamquam ex eodem Trojanorum gemini, ex quo ipſi orti erant, prognatos. Tandem cum Germani multiplicati eſſent, in Thuringiam miſerunr partem exercitus, & ibidem Regnum inſtituentes diu Reges crinitos habuerunt; unde ſucceſſu temporis tota Teutonica tamquam a digniori, Germania vocata eſt; quos tamen omnes poſt aliquot annos Julius Romanis ſubjugavit, & adjunxit. Cum autem populo Romano Alani ſe opponerent, & ſenatus edicto libertatem promitteret iis, qui Alanos ſubjugaturi eſſent, Germani eos aggreſſi feliciter vicerunr, ſicque libertatem promiſſam obtinuerunt.

VI. Quæritur 6. Unde tanta fortitudo Germanorum esorta ſir; nam olim adeo ea æſtimabatur, ur vel ipſi Romani auro pacem a Germanis redemerint, quin & Antonius

 In-

Imperator auxilia Germanorum emerit, unde merito aliqui inferunt, quod, ſicut ad Aquilæ adventum certæ aves ſilent, & fugiunt, ita Aquila Germanorum, & Romanorum alas protendente, barbaræ nationes aufugerent, ſi Germani Principes concordes eſſent, certe conſtans fama eſt, Turcam nullos perinde, atque Germanos, timere.

℞. Eam quadruplici potiſſimum ex cauſa Germanis conceſſam eſſe. 1. Propter raram concordiam, quæ olim inter Germanos reperiebatur, ut ſupradictum. 2. Propter aſperum vivendi modum; neque enim olim tam delicate, ut jam, nutriebantur, ſed maximo in frigore nudi incedebant, ſolis pellibus parum tecti, quando puberes facti ſunt. Pro cibo autem potiſſimum lac, caſeum, & carnem ferinam adhibebant. 3. Propter continentiam carnis; nam teſte Cæſare l. 6. intra annum vigeſimum fœminæ notitiam habuiſſe, in turpiſſimis habebant rebus. 4. Propter conſtantem exercitationem, de qua Seneca lib. 1. de Ira cap. 11. ſic loquitur: Germanis quid animoſius; quid ad incurſum acrius? quid armorum cupidius, quibus innaſcuntur, in nutriunturque, quorum unica illis cura eſt, alia negligentibus? Quid induratius ad omnem patientiam? ut quibus magna ex parte non tegumenta corporum proviſa ſunt, non ſuffugia adverſus perpetuum cæli rigorem.

VII. Quærit 7. An Germani jam olim etiam vinolenti fuerint, & quæ ſit cauſa hujus vinolentiæ.

℞. 1. Omnino etiam fuiſſe vinolentos; ſic enim Tacitus de illis loquitur: Convictibus non alia gens effuſius indulget, diem, noctemque continuare potando nulli probrum. ℞. 2. cauſam hujus vinolentiæ eſſe, tum ipſam ſoli naturam, cum enim majus in hoc frigus ſit, plus comedere appetunt, & conſequenter etiam plus ſitiunt (unde etiam ipſi Itali, & Hiſpani fatentur, ſe plus comedere, & bibere poſſe, ſi in noſtras Regiones veniunr) tum ipſa venandi aſſiduitas, a qua redeuntes vehementer ſitire neceſſe erat? Unde ſuavitate, & conſuetudine potus attracti, ſæpe etiam non ſitientes bibebant, ſicque accenſo hepate magis, ac magis ſemper ad potum afficiebantur. ℞. 3. Non adeo proprium eſſe Germanis hoc vitium, ut non æque aut magis apud alias gentes vigeat; Nam Cluverius l. 1. German. antiq. c. 19. teſtatur etiam apud Britannos, Polonos, Ungaros, Picardos, Normannos &c. idem ebrietatis vitium frequentari. De Romanorum vero ebrietate Plin. l. 14. c. 22. tam nefanda refert, ut nemo facile credat, ab alia gente ea uſurpata fuiſſe. Adde, quod, licet hoc vitio Germani laborent, tamen, ut idem Cluverius teſtatur, ita illud aliis dotibus compenſant, ut nec religione, nec virtute cuiquam alteri genti cedant: neque facile graviſſimis illis vitiis, quibus aliæ gentes vexantur ſint ſubjecti. Unde merito Germanus ille Italis, & Gallis ipſum alloquentibus.

Germani cunctos poſſunt perferre labores,
O utinam poſſent tam bene ferre ſitim!

reſpondit:

Ut nos dulce merum, ſic Vos Venus improba vexat,
Lex poſita eſt Veneri Julia, nulla mero.

VIII. Quæritur 8. Cur Germani potiſſimum ab Imperatoribus, aliiſque Principibus, pro ſatellitibus aſſumantur?

Pro reſponſione nota, Satellitiorum originem ab Aſſacinorum gente provenire, horum enim Rex terræ promiſſionis vicinus, licet exiguum regnum, utpote non plures quam 13. civitates continens, poſſideret, tamen a Regibus non vicinis modo, ſed totius orbis, timebatur, quia habebat ſubditos tam ſedulo mandatis ejus obtemperantes, ut pro exequendis illis ſponte morti cujuſcumque generis ſe offerrent; Unde vicini Reges, ſi quem inimicum occiſum cupiebant, Regem Aſſacinorum rogabant, ut aliquos ex ſuis ad eum finem ſubmitteret, qui non quieſcebant, donec mandatum Regis perfeciſſent. Horum ergo metu inolevit mos, & conſuetudo Gallorum, ſatellitibus, & militibus ſtipatos incedere, quia deprehenſi erant ejuſmodi homines a Turca ſubmiſſi, ut Regem necarent. Duravitque id Regnum Sicariorum, uſque ad Alangonem Chamum, ſeu Tartarorum Imperatorem, qui invaſit hos Aſſacinos, & pleroſque interemit, excepto Rege ipſo cum paucis, qui in caſtro Tygado viginti ſeptem annis obſidionem ferentes, tandem ob veſtimentorum defectum, & ipſi ſe dedere coacti ſunt, & vel necati, vel relegati ſunt. Hoc notato Reſp. Eos jam ab ipſo uſque Auguſto Imperatore pro cuſtodia corporum a Principibus adhiberi propter fidelitatem, qua præ omnibus reliquis nationibus pollent, de qua teſtimonium Principes Friſiorum Romæ in ipſo theatro tulerunt, dicentes, nullos mortalium armis, aut fide ante Germanos eſſe. Neque ſane recte ſentiunt, qui dicunt, ob ſimplicitatem eos pro cuſtodia electos; cum hiſtorici paſſim ſolius fidei meminerint, & ipſa experientia conſtet, Germanos magna ſapientia præditos, utpote apud quos, vel maxime omnis generis ſcientiæ, arteſque vigent; unde nonniſi injuria ſimplices appellantur, niſi forte per ſimplicem intelligere velimus ſapientiam, doli, fraudiſque expertem.

IX. Quæritur 9. Quomodo Imperium Romanum ad Germanos devolutum ſit?

Pro reſponſione nota 1. Tres eſſe ſpecies Rerum publicarum, ut ab initio dictum, videlicet Ariſtocratiam, ubi Optimates regunt; Democratiam, ubi populus regit; Monarchiam, ubi unus tantum regit. Nota 2. Monarchiam quandoque ſtrictius ſumi, & ſic ab aliquibus definiri: Monarchia eſt maximum ſui temporis Imperium; quod ſi non omnes regiones, & gentes, maximam tamen orbis terrarum partem complectatur, & tantam inſuper habeat poteſtatem, ut cæteros Reges compeſcere polleat, & Tyrannos punire. Nota 3. Quatuor olim tales Monarchias fuiſſe per ſtatuam auream a Nabuchodonoſore viſam, & a Daniele explicatam, ſignificatas: Prima erat præſtantiſſima Babilonica per caput aureum ſignificata. Secunda Medo-Perſica

pet

Digitized by Google

per pectus argenteum indicata, quia minus præſtans erat priori. Tertia erat Macedonum, per ventrem æneum ſignificata, quia erat bellicoſa valde. Quarta autem fortiſſima Romanorum per ferreas tibias indicata; decem vero digiti ſignificant decem regna, quæ olim Romana Monarchia continebat, videlicet Germaniam, Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Angliam, Sarmatiam, Pannoniam, Ægyptum, Aſiam, & Græciam. His notatis.

℟. Romanorum Imperium, poſtquam fuerat dilatatum, denique ob diſtractas vires paulatim eſſe debilitatum, & ſic omnia fere Regna ab eo avulſa, ut nihil de illo, niſi Germania remanſerit, quæ, maximis bellis cum populo Romano geſtis, tandem a Carolo Magno, qui inter Germanos primus imperavit, in unum conflata corpus ad hunc modum coaluit Princeps omnium terrarum, & Regina populi Romani, Dominaque omnium gentium, & ſedes, ac domicilium Cæſarum facta, ac deinceps Septemvirali auctoritate confirmata ab Othone III. Cæſare, ac denique multis officiorum gradibus ab Henrico Aucupe, cæteriſque Imperatoribus Germanicis comunita, magnaque cum dignitate tandem a Carolo IV. præclare fundata eſt.

§. III. DE AUSTRIACORUM AD IMPER. ELECTIONE, & PRIVILEGIIS.

I. Quæritur 1. Quomodo Imperium Romanum ad Auſtriacos pervenerit?

℟. Quod cum Imperium poſt varios Imperatores præcedentes 28. annis vacaſſet, & Electores inter ſe convenire non poſſent, omnia ſuffragia congeſſerint in Ludovicum Severum Bavariæ Ducem, ut ſolus ipſe eligendi jus haberet; Is Rodulphum Haſpurgium nominavit, qui proin ad Imperium electus eſt, prout illi prius a S. Moniali prædictum fuit.

II. Quæritur 2. Quænam ſint ſingulares dotes, ac prærogativæ familiæ Auſtriacæ.

℟. Sequentes ab aliquibus, maxime a Joanne Limnæo recenſite. 1. eſt, quod maſculi fere omnes, & fœminæ etiam plurimæ mento naſcantur oblongiore, quod Ariſtoteles, & alii de Phyſiognomia ſcribentes, volunt eſſe ſignum animi pii placidi, conſtantis, & minime perturbati. 2. eſt, quod in ea nullus unquam Tyrannus extiterit. 3. eſt, quod quingentis annis omnibus in orbe Chriſtiano Regnis Reges, vel Reginas dederit, excepta Anglia & Scotia. 4. eſt, quod intra trecentos annos duodecim Imperatores orbi ſubminiſtrarit, & quidem ſine adoptionis fulcro, quod in nullo Principum antiquorum ſtemmate legitur. 5. eſt, quod in nulla ſtirpe facile tot ſublimia capita reperiantur; nam ex hoc Jo. Cuſpinianus quinquaginta ſeptem maſculos collegit, qui omnes fuerunt, vel Comites, vel Principes, vel Archiduces, vel Duces, vel Reges, vel Imperatores. 6. eſt, quod in hac Familia mulier fuerit reperta, ſcilicet Eliſabetha Caſimiri Poloniæ Regis, quæ ſimul fuerat Imperatoris, ac Regis filia, & Neptis, Regis Soror, Regis Uxor, Regum quatuor Mater, & Regis Avia; nata enim eſt ex Alberto V. Imper., Bohemiæ, & Ungariæ Rege, Avum maternum habuit Sigiſmundum Imper. Bohemiæ, & Ungariæ Regem; Filios protulit Joannem Albertum, Uladiſlaum, Alexandrum, & Sigiſmundum Ungariæ, Bohemiæque Reges, & Fridericum V. qui ad Cardinalatum Regiæ dignitati parem electus eſt, Avia denique Ludovici Bohemiæ, & Ungariæ Regis fuit. Quæ ſane res quam admiranda ſit, vel ex eo ſatis patet, quod jam olim Plinius, ut ſtupendum fœminæ felicitatis, atque nobilitatis miraculum putaverit eſſe, quod Lampedo Lacedemonia Regis Filia, Regis Uxor, & Regis mater fuerit. 7. eſt, quod vix ab ulla familia tot, tamque egregia facinora patrata legantur, uti paſſim ex hiſtoriis patet. 8. eſt, quod breviſſimo tempore plurimæ ab ea Provinciæ obtentæ ſint: 9. eſt, quod nulla facile familia tot privilegia acceperit ab Imperatoribus, inter quæ etiam eſt, ut Regum neminem, Cæſare excepto, Majeſtatis afficiant titulo; Item quod Duces Auſtriæ ad nulla teneantur ſervitia, niſi ad 12. viros armatos per menſem unum, propriis expenſis ſubmittendos, in ſignum, quod Princeps Imperii agnoſcitur. Ad curias Regum non tenentur comparere; facta ejus, atque ſtatuta non ſubjacent Imperii commutationi, vel correctioni; poteſt donare terras ſuas, cui voluerit; a ſententiis eorum non datur provocatio &c. ob quæ privilegia, & poteſtatis plenitudinem non immerito quidam illos Ligurini verſus Familiæ Auſtriacæ accomodavit.

O vere famoſa domus, cui totus ab ortu
Solis ad occiduas mundus ſubſternitur auras;
Quam, qui novit, amat; qui non novere, verentur;
Cujus in auditu confuſis mentibus hoſtes.
Tabeſcunt, contraque nihil ſe poſſe fatentur.

§. IV. DE STADIBUS IMPERII.

I. Quæritur 1. Quibus gradibus velut columnis ſtatus Imperii moderni fundatur; & quare talis diſtinctio graduum facta eſt?

℟. 1. Fundari in ſequentibus. 1. In 9. Electoribus, quorum primus Moguntinus eſt Cancellarius Germaniæ; Trevirenſis eſt Cancellarius Galliæ; Colonienſis Cancellarius Italiæ; Rex Bohemiæ Pincerna, Dux Bavariæ Archidapifer; Brandamburgenſis Camerarius, Saxo Archimareſchallus; Comes Palatini Rheni Archithesaurarius; Dux Brunſuicenſis ſupremus vexillifer Imperii. 2. In quatuor Ducibus, videl. Sueciæ, Brunſuicenſi, Lotharingiæ, & Bavariæ. 3. In quatuor Vicariis, qui ſunt Dux Brabantiæ; Dux veteris Saxoniæ; Dux Auſtraſiæ; Dux Sileſiæ. 4. In quatuor Marchionibus præeminentioribus, ſeu Comitibus limitaneis, qui ſunt Brandemburgenſis, Moravienſis, Miſnenſis, Badenſis. 5. In Illuſtribus Comitibus Provincialibus, ſeu Landgraviis, qui ſunt Thuringiæ, Haſſiæ, Alſatiæ Liechtenbergenſis. 6. In generoſis Comitibus, Caſtrenſibus, ſive Burgraviis, qui

ſunt Norimbergenſis, Magdeburgenſis, Strombergenſis, Reinckenſis. 7. In Comitibus Magnificis, ſeu liberis, qui ſunt Schwarzenburgenſis, Clivenſis, Cilienſis, Sabaudus. 8. In nobiliſſimis Baronib., qui ſunt Limburgeoſis, Weſterburgenſis, Aldewaldenſis, Tuſſenſis. 9. In ſtrenuis militibus, qui ſunt de Andro in Alſatia, *in Strandick* de *Vveiſſenbacb*, & de *Ferreberg* in Bavaria. 10. In Inſignibus Civitatibus, quæ ſunt Auguſta, Moguntia, Aquiſgranum; Lubeca. 11. In magnificis villis, quæ ſunt Bamberga, Schetſtadia, Hagenovia, Ulma. 12. In famoſis Ruſticis, qui ſunt Colonia, Ratisbona, Saliſburgum, Conſtantia. ℞. 2. Hos gradus præciſe ad Majeſtatem quandam Imperii, & cujuslibet dignitatis, aut Status eminentiam ioſtitutos videri, præter hanc nihil prorſus, ſaltem de facto, habent emolumenti, neque etiam officii quidquam in ſolemnibus Comitiis, aut inaugurationibus obeundum habent, ut Electores, & alii.

II. Quæritur 2. Quot ſint Circuli Imperii Germanici, & quod eorum officium?

℞. 1. Decem modo numerari circulos a Maximiliano, anno 1512. diviſos. Et ſunt 1. Inferioris Saxoniæ. 2. Superioris Saxoniæ. 3. Auſtriæ. 4. Sueviæ. 5. Rheni Superioris. 6. Rheni Inferioris. 7. Burgundiæ (qui tamen non amplius ſpectat ad Imperium). 8. Veſtphaliæ. 9. Franconiæ. 10. Bavariæ.

III. Quæritur 3. Cur Imperator Romanus fert globum cruce inſignitum in manu, & corona triplici tribus vicibus coronatur.

℞. Eum globum cruce ioſignitum in manu ferre, ut oſtendat, ſe eſſe legitimum Imperatorem orbis a Deo conſtitutum, quique virtute S. Crucis, ſeu robore per crucem, & merita Chriſti impetrato, hoſtes ſuos ſit victurus. Triplici vero Corona coronatur, ut ſignificetur, eum in tribus orbis partibus, Aſia ſcilicet, Africa, & Europa, poteſtatem exercere. Licet autem Imperator dicatur, habere coronam ferream, argenteam, & auream, non tamen proprie eſt ferrea, ſed ferreum tantum circulum habet.

IV. Quæritur 4. Cur Imperatores duplicem Aquilam in ſuis Inſignibus geſteot?

℞. Rationem hujus a Suetonio his verbis reddi; Germani Quintilium Varum cum Regionibus Romanis tribus apud Bructeros (qui ſunt Friſiis contermini) delevere. Ob quam cauſam conſternatus Auguſtus barbam continuos aliquot menſes nutrivit. Nihil fuit illa cæde cruentius. Tres enim Regiones obtruncatæ, ſigna, & aquilæ duæ a Germanis captæ, quas adhuc hodie poſſident. Non enim biceps eſt aquila, ut imperitum vulgus credit, ſed duæ ſimul, quarum altera alteram abſcondit. Tertiam Signifer Regionis tertiæ abſtulit, paludeque demerſit, oe in manus hoſtium veniret, alioqui tres aquilas haberent in inſignibus Imperii. Alii tameo a Romanis hæc inſignia mutuata volunt, qui Aquilam tamquam Reginam, & Jovis alitem, qui Romani generis Author perhibebatur, elegerunt.

V. Quæritur 5. Quæ conditiones requirantur ad Imperatorem?

℞. Eas ex ſequeoti definitiooe Imperatoris facile colligi poſſe: Imperator eſt perſona habilis ad capeſſenda Imperii regimina ex illuſtri familia Germanica orta ab Electoribus ſecundum leges Imperii fundamentales electa, ut Reipubl. Rom. Germanicæ tanquam caput, & Adminiſtrator legitime præſit. Ex qua definitione colligitur, requiri ad Imperatorem, ut ſit perſona habilis quadruplici habilitate, ſcilicet naturali, ſeu ſexus, ut ſcilicet ſit ſexus virilis, ut habeat auguſtum corpus, & ætatem, quæ eſt octodecim ſaltem annorum, nobilitate generis, & proſapiæ, quæ debet eſſe ex Illuſtri familia (hæc enim authoritatem, & benevolentiam conciliat, & quidem Germaniæ, i. e. ex Germano Patre natus; decet enim indigeoam, & Patriæ amantem eligi, quia exotica aromata, & periculoſa condimenta quærenda non ſunt, quando domeſtici & Patrii ſuppetunt cibi, ut ſtomachus a primo lacte nutritus morbum ex his contrahat: habilitatem profeſſionis, ut ſit Chriſtianus, & Laicus, & ne aliis ſit conjunctus Sacramento electiooem in effectu excludente: habilitate virtutum maxime juſtitiæ, miſericordiæ, & veritatis.

VI. Quæritur 6. Quid circa electionem Imperatoris obſervandum.

℞. Sequentia notanda eſſe 1. Per eam, & non per ſucceſſionem Imperatores eligendos eſſe, & fere etiam ſic magis expedire, quia ſic magis conſervatur libertas populi, quæ per ſucceſſionem plurimum imminuitur. 2. Imperium hactenus Auſtriacis plerumque ab Electoribus collatum eſſe, tum quia ipſorum regna ſunt veluti murus ſalutis communis oppoſitus immanitati Turcarum; tum quia requiritur magna potentia, & ſumptus maximi, qui apud hos maxime reperiuntur; tum quia ſic Electores gratias reddere volebaot pro Anteceſſorum meritis. 3. Ad Electionem ſequentia requiri. Ut certo tempore Francofurtum Electores conveniant, non plures, quam 200. equites, & ex his quinquaginta armatos habeant; ut Francofurtenſes ſecuritatem, & tutelam per juramentum præſtent, ut nullum hi alium in civitatem præter Electores admittant; ut Miſſa ante electionem celebretur; ut peracta Miſſa præſtent Electores juramentum de digno eligendo; ut intra conclave recedentes Regem Romanorum eligant intra triginta dies; alioqui nihil aliud pro victu, quam panem, & aquam habituri; ut electio referatur in litteras, & Sigillis Electorum confirmetur; tum Moguntinus renunciet Imperatorem, ut ei committatur Imperium certis tameo conditionibus; ut univerſis Electoribus ille ſua privilegia, & jura &c. coofirmet.

VII. Quæritur 7. Quid circa coronationem Imperatoris obſervandum?

℞. Sequentia: 1. Eam vi Aureæ Bullæ Aquiſgrani fieri debere. 2. Ad eſſentialia hujus coronationis pertinere unctionem, & inſignium (puta coronæ, gladii, ſceptri, pomi aurei, cui crux ſuperimpoſita, amictus, qui Norimbergæ aſſervatur) traditionem; juramenti præſtatiooem duplicem, quo ſcilicet promittat,

& ſi-

Digitized by Google

& fidem Catholicam operibus juſtis ſervare, Regnum ſecundum juſtitiam adminiſtrare, viduarum, & miſerorum pius Judex, & diſenſor eſſe, & Romano aliiſque Pontificibus debitum honorem exhibere. 3. In Lombardia lterum olim coronari debuiſſe Modenæ Imperatorem, ut oſtendatur, illum etiam Imperatorem Lombardiæ eſſe, cujus coronationis aliqoi Henricum I. alii Henricum VII. Authorem faciunt 4. Romæ in Eccleſia S. Petri (ſi fieri poſſit) coronandum iterum eſſe ab ipſo Pontifice, quæ coronatio illi tribuit nomen Imperatoris (nam antea tantum electus, vel Rex Romanorum, vocabatur) & quidem Auguſti, Adminiſtrationem Imperti, & dominium orbis; quem in finem ſtatus Imperii eum comitari, aut neceſſariis rebus ad Romanam profectionem inſtruere debebant. 5. Coronationem hanc plerumque ſequi fauſtas acclamationes, jactus miſſilium, equitum coronationem, convivium, & reliquum apparatom.

VIII. Quæritur 8. Quale diſcrimen eſt inter Imperatorem, Cæſarem, & Auguſtum?

Pro reſponſione nota, nomen Imperatoris olim tantum belli Ducibus datum eſſe qui non tantum ductum, ſed etiam auſpicia habebant; quorum præeipua ſigna erant in exercitu Claſſicum, & Prætorium, id eſt, tabernaculum Prætoris; unde ab hoc Prætorio milites, qui ſemper circa Imperatorem erant, Prætoriani dicebantur. Quandoque vero ille tantum Imperator vocabatur, qui hoſtibus magno prælio fuſis, eo nomine militum acclamatione afficiebatur. Poſtea tamen Julius Cæſar fecit hoc diſerimen, ut, qui ex victoria Imperator creatus eſſet, Imperatoris titulum ante ſuum nomen ſcriberet, cœteri poſt. Cæſaris nomen varie deducunt. A. A. alii enim a Cæſaris ſcuto dictum quia ſcutum Syro hoſti eripuerat; alii autem a Cæſarie, cum qua primus ex familia natus fuerit, alii ab oculis; alii a cæſo elephanto, qui lingua Maurorum Cæſar appellabatur; alii & fere probabilius a cæſo matris utero, quando naſcebatur; aut, ut alii volunt, ab hoſtibus cæſis nomen datum, nam præter victorias civiles undecies centum, & nonaginta duo millia hominum ab eo præliis occiſa eſſe, teſtatur Plinius. Hoc notato. ℞. 1. Imperatoris titulum fere ab Imperando datum Cæſaribus, eo quod Imperium ille altiſſimum habeat, atqoe adeo per antonomaſiam Imperator vocari mereatur. Reſp. 2. Illos olim dictos fuiſſe Cæſares, & Auguſtos, & interdum etiam ab exercitu electos in Imperatores; & Cæſares qoidem vocati ſunt a Julio Cæſare primo Imperii occupatore, quaſi adoptati in eam familiam, quæ imperare conſueſſet. Auguſti vero ab Octaviano Auguſto, qui conſenſu populi factus eſt Imperator, unde etiam majus, amplius, ſanctiuſque nomen a Senatu accepit; Auguſtus enim locus olim ſanctus eſt dictus ab avium geſtu, vel guſtu, vel, ut alii volunt, ab actu; unde Octavianus novo vocabulo Auguſtus dictus eſt, quod quaſi divinitus ad hunc honorem evectus ſit; omnis itaqoe Auguſtus Cæſar erat, ſed non viciſſim, quia Cæſar ille tantum erat, qui vel ex favore, & amicitia Auguſti, vel rebus optime geſtis ab Auguſto, vel exercitu obtinuit, ut in Cæſaris familiam & in conſortem Imperii eſſet aſcitus, Imperii futorus ſucceſſor, & tum demum per mortem Auguſti, vel conſenſum populi in Imperatorem eligendus. Habebat ſe itaque Cæſar olim ad Auguſtum perinde fere, ac hodie Rex Romanorum ſe ad ipſum Imperatorem habet.

§. V. DE REGIBUS.

QUæritur, unde Regum Ethymologia, & origo deſumenda ſit, & qui ſint Reges celebriores Europæ?

℞. 1. Reges dici a regendo, ſeo, ut alii volunt, a recte agendo, ipſorum enim proprium eſt, juſtitiam adminiſtrare. ℞. 2. Reges probabiliter ſumpſiſſe initium ante diluvium quidem a Cain, ut teſtatur Genebrardus, qui poſt occiſum fratrem Abelem incepit civitatem erigere, & Regni ſpeciem conſtituere; poſt diluvium vero primus Rex Babylon. Nimrod fuit. ℞. 3. Modo præcipuos Europæ Reges Germaniæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Angliæ Scotiæ, & Hyberniæ, Poloniæ, Ungariæ, Dalmatiæ, Sueciæ, Bohemiæ, Daniæ, Norwegiæ, de qoibus ſingulis Auctores ſuſe diſcurrentes videri poſſunt.

§. VI. DE ELECTORIBUS.

I. QUæritur 1. Quæ ſint Privilegia Electorum communia?

℞. Singulares eis titulos concedi, vocantur enim columnæ, & latera Imperii, palmites Imperiales, lucerna in unitate, columnæ, quæ ſacrum ædificium circumſpectæ prudentiæ pietate ſuſtentenr, membra corporis &c. *Oberſte Vætter und Rathgeber der Teutſchen Nation.* 2. Regibus æquiparari, unde Regibus: *Eur. Lieb*; ſcribunt. 3. In celebratione curiæ eos eundo, vel ſedendo omnibus aliis Principibus cujuſcumque ſtatus præferri; imo etiam extra talia concilia; unde in Concilio Tridentino poſt Legatos Pontificis primum locum obtinuerunt. 4. Eos poſſe auriſodinas & aliorum metallorum ſcrutari, & retinere, monetam cudere; non licere eorum ſubditos ad extraneum tribunal vocari, nec ab eorum ſententiis dari provocationem.

II. Quæritur 2. quæ ſpecialia privilegia ipſis conveniant?

℞. Eccleſiaſticos titulo Archicancellariorum gaudere, Nepotum nomine ab Imperatore ſalutari, jus habere votum dandi ante confirmationem a Pontifice, ſi delinquant gravius, non poſſe ordinaria Banni pœna, ut ſæculares, affici. In ſpecie vero Moguntinum inter Electores primum eſſe, juxta vulgare illos Verſiculos.

Treviris ætate, ſed rerum proprietate
Gaudet Agripina, ſed honore Mogunita prima.

Eſſe Archicancellarium Germaniæ (unde apud ipſum eſt Archivum Imperii publicum) item eſſe Decanium Electoralis Collegii; unde ad ipſum ſpectat Electores convocare, inſi-

inſignia vero ejus eſſe rotam, eo, quod Wiligiſius Othonis tertii Præceptor, & Archiepiſcopus Moguntinus patrem habuerit Rhedarium, atque ideo rotam in cubiculo ſuo pingi juſſerit, adjuncta bac inſcriptione: Wiligiſi, cogita, qui ſis, & quis fueris. Trevirenſem vero, Arcbicancellarium Galliæ, habere votum primum in Electione Imperatoris, præferri Colonienſi, tum quia eſt Galliæ Archicancellarius, quæ ante Italiæ Imperio acceſſit, & hoc nomine dignior cœpit haberi; tum quia Trevirens Eccleſia natu major eſt, utpote ab ipſo S. Petro ſundata per S. Martialem unum ex ſeptuaginta diſcipulis. Colonienſem eſſe Archicancellarium Italiæ, Regi Romanorum imponere primo diadema, quod Limnæus ideo ei conceſſum ait, quia urbs regia, & coronationi deſtinata, intra ipſius Diœceſim eſt ſita, conſiſtere ad dextrum Imperii latus. ℞. 2. Electores ſæculares poſſe habere ſuos Vicarios; hinc Bohemi Vicarius eſt Pincerna de Limpurg; Palatini Dapifer de Walpurg; Saxonis Baro de Papenheim; Brandenburgici Comes de Hohenzollern. In ſpecie vero inter Electores ſæculares Bohemiæ Regem eſſe primum ob regiæ dignitatis faſtigium, eſſe Pincernam Imperatoris, in Proceſſionibus immediate ſequi Regem, porrigere Imperatori vinum aqua mixtum, pro inſignibus olim Aquilam nigram in campo rubro, nunc leonem fulvum cauda biſurcata in altum erecta in campo candido habere in memoriam virtutis & fortitudinis, quam Uladislaus Rex in Bellis Italicis præſtitit, in cujus ungue dextro nunc calix aureus eſt adjectus inſignium Archipincernatus. Ducem Bavariæ geſtare pomum Imperiale aureum; (unde etiam Fridericus II. ex conceſſione Caroli V. illud clypeo vacuo inſeruit inſignium loco eſſe Archidapiſerum; creare nobiles, comiteſque; eſſe deſenſorem. Ducem Saxoniæ eſſe Archi Maraſchallum Imperii, præferre gladium Imperatori, eſſe Vicarium &c. Electorem Brandenburgicum eſſe Archi Camerarium Imperii, deſerre ſceptrum Imperatoris, in ſolemni Curia porrigere aquam manibus Imperatoris; Comitem Palatinum Rheni eſſe Architheſaurarium, & pecunias ſpargere in populum; Ducem Brunſuicenſem eſſe Archivexilliſerum, cujus cura eſt, vexillum in Comitiis portare.

III. Quæritur 3. Quæ ſit origo Electorum, & quis eorum finis, aut officium.

℞. In Chronico quodam Saxonico legi, Carolum M. quatuor inſtituiſſe ab initio Electores, videlicet Moguntinum, Colonienſem, Trevirenſem, quartum vero majorem domus, ſive Comitem Sacri Palatii ad Rhenum; Sed poſt Ludovici IV. in quo familia Caroli Magni deſiit, mortem, quatuor hos Electores conveniſſe, & ipſos etiam Saxones in conſilium adhibuiſſe, ut ſibi ad obtinendum Imperium eſſent adjumento, quibus Saxones reſponderint, mirum ſibi videri, quod ii ſoli electionem ſibi vindicent, eoque rem adduxiſſe; ut duo Principes e Saxonibus electioni adhiberentur. Alii tamen conſtanter ducunt, Othonem. III. circa annum 1005. Septem viratum inſtituiſſe, cumque a Pontifice Gregorio V. confirmatum eſſe, cum ea ſanctione, ut nullus, niſi Germanus, eligere, vel eligi poſſet Princeps, electus autem ſtatim Cæſar, & Rex Romanorum diceretur, & ubi a Romano Pontifice corona donatus, & approbatus eſſet, etiam Auguſtus vocaretur. Quæ quidem conſtitutio adeo indigne lata eſt a Populo Romano; ut in capitolio Romano Othonem obſederit, & vix ope S. Henrici evaſerit, & binc Itali Principes ab Imperio avellere ſe cæperunt, ac Pontificibus adhærere. Modo tamen etiam Ducem Bavariæ, Comitem Palatinum Rheni, & Brunſuicenſem Electoribus acceſſiſſe, atque adeo novem numerari. ℞. 2. Cautam inſtitutionis hujus fuiſſe bonum publicum; cum enim experientia teſtaretur, tum ab ipſis Imperatoribus multa in perniciem imperii decerni, tum in ſucceſſionibus multa incommoda, tricaſque intervenire, prudenter ſeptemviratus inſtitutus eſt, cujus ſuffragio, & in electione ſtaretur, & cujus conſilio Imperator etiam in Imperio regendo uteretur, ut adeo Monarchia Occidentis temperata quædam Ariſtocratica ſit. Certe utilitas inſtitutionis hujus, vel ex Germania ipſa toties vaſtata, totieſque reſtituta ſatis patet, ut merito quidam dixerint: Electoratum nunc Germaniæ pro muro eſſe. ℞. 3. Horum principum æqualitatem Aritbmeticam eſſe; hoc ſolum habet Moguntious, ut ipſe cæteros convocet, rogetque ſententias, ipſe a Saxone rogetur. ℞. 4. Colonienſem Italiæ, Trevirenſem Galliæ, Cancellarium vocari, non quod de facto jam illam Cancellariam adminiſtrent, ſed quod titulum officii olim habiti, & nunc poſt Italiam, & Galliam ab imperio avulſam retineant. ℞. 5. Ex omnibus ordinibus aſſumptos eſſe Electores, videlicet ex Metropolitanis, quales ſunt tres ſacri Electores; Regibus, qui eſt Bobemus, Ducibus, qui eſt Saxo, & Dux Bavariæ, & Brunſvicenſis; Comitibus, qui eſt Palatinus, & unus ex Marchionibus, qui eſt Brandemburgenſis. Reſp. 6. Eccleſiaſticos Electoribus Politicis adjunctos eſſe, ut tanto felicius adminiſtraretur Imperium, ſi ex dignitate togata, & armata Senatus Secretus conſtitueretur.

§. VII. DE DUCIBUS.

I. QUæritur 1. Unde Duces ſuam ſumant Ethymologiam; item quot ſint genera Ducum, & qui potiores? Reſp. 1. Ducem a ducendo dictum, quod olim ſolis militiæ Ducibus tribuebatur, qui, quia exercitum ducebant, dicebantur etiam a Germanis *Hertzog*, id eſt, *derdas. Heer nach ſich zoge*, quia tamen etiam ſub nomine *Heer* communitas quandoque hominum ſignificatur, ideo Ducis nomen translatum eſt ad Principes certis regionibus imperantes; unde Dux in genere loquendo is ſolus dicendus eſt, qui de Ducatu a Principe ſummo eſt inveſtitus, id eſt, cui Princeps regionem aliquam, quæ Ducatus nomen, & Characterem habet impreſſum, conceſſit in perpetuum. ℞. 2. Ducum tria eſſe genera. Primum eſt eorum, qui ſint-

ſimpliciter Duces vocantur, & horum potiores ſunt Dux Saxoniæ, Brunſuiceoſis, Luneburgenſis, Pomeraniæ, Mechelburgicus, Bavaricus, Wirtenbergicus, Lavenburgenſis, Sabaudiæ, Lotharingius, Holſatiæ, Mantuanus, Mediolanenſis, Megapolitanus, Burgundicus, Juliacenſis, Bergeoſis, Clivenſis, Meraniæ, Tyrolis, Sueviæ. Secundum eſt Archiducum, quem titulum, Limnæus ait, in ſolo Imperio receptum eſſe, Auſtriacæque tantum familiæ datum, quod aliqui Friderico III. alii autem Maximiliano adſcribunt. Tertium eſt Magnorum Ducum, quorum doo tantum ſunt, ſcilicet Dux Hetruriæ, & Dux Moſcoviæ, quæ Epitheta haud dubie ad ipſorum eminentiam ſupra alios Duces oſteodendam, atque ad amplitudinem Majeſtatis ipſis prope Regibus parem indicandam datom eſt, de quorum origine, ſucceſſione, & prærogativis fuſe iterum ſcribentes Autbores videri poſſunt.

II. Quæritur 2. Unde Comites nomenclaturam ſuam accipiant, & quotuplices ſint.

Reſp. 1. Comites latioe a comitando dictos eſſe, germanice vero a judicando; nam *Graff* apud Belgas Judicem ſignificat. Hodie vero Comes, teſte Hymnæo, ille dicitur, qui de comitatu a Principe inveſtitus, aut alio juſto titulo dignitatem comitis, etiam ſine terra, vel feudo, nactus eſt. Reſp. 2. Comitum varia eſſe genera; nam alii ſunt ſimplices, alii Marchiones, alii Landgravii, alii Palatini, alii Burggravii. Reſp. 3. Marchiones originaria ſignificatione idem eſſe, ac Comites limitibus regionis cujuſpiam præfectos, *Marck* enim idem eſt Germanis, ac limes; alii a Marcomiro Francorum Duce; alii a Marcomannis equitatu potentibus populis derivant, unde Marchiones equitum magiſtros interpretantur. Hodie præcipui Marchiones Imperii ſunt Brandenburgeoſis, Miſnenſis, Badenſis, & Moraviæ. ℞. 4. Comites Palatinos juxta aliquorum ſententiam dici ab Aula, eo quod Judices ſint in aula, adeoque dicaotur *Richter des Kayſer oder Keniglichen Hoffs*, unde forte etiam germanicum oomen *Pfalitz. Graff* fluxit; nam *Pfalz* apud aliquos idem, ac Palatium ſignificat. Porro Comites Palatini in Imperio clari hodie ſunt. Elector Bavarus, Bipontinus, & Birckenfeldenſis, nam reliqui extincti ſunt: Reſp. 5. Landgravios eſſe Regionum Comites, ſeu Judices, unde ab aliquibus Judices Mediterranei appellantur, horum in imperio quatuor potiſſimum numerantur, videl. Landgravius Thuringiæ (qui titulus hodie communis eſt omoibus Saxoniæ Ducibus) Haſſiæ, Alſatiæ, Leuchtenbeſgenſis, quos certum eſt, Principum honore cenſeri. Reſp. 6. Burggravios, a Caſtello limitaneo, *Burg*, dici, atque idem eſſe, ac arcis præſidiis Præfectos, quorum præcipui in Imperio nunc ſunt Nierenbergenſis (qui titolus pertinet ad Electores, & Marchiones Brandemburgenſes nomine tantum; nam Fridericus Burggravius Norimbergenſis, Caſtrum ſuum Norimbergæ, quando a Sigiſmundo Imperatore Marchio Brandemborgenſis creatus eſt, civibus vendidit, qui ſtatim illud diruerunt, & in illius locum domum frumentariam extruxerunt, Magdeburgenſis, Stronburgenſis, Reinnecenſis. ℞. 7. Inter ſimplices Comites alios eſſe immediate ſub imperio, & Cæſare, nempe *die Reichs-Graffen*; alios ſub Imperio quidem immediate eſſe, ſed tamen comitatum ab aliquo inferiore Principe in feudum tenere, ut Comites Schwarzburgenſes, Valdeccii, de Reidberg. &c. ex prioribus aliqui ſunt *Gefurſtete Graffen*, ut Habſpurgenſes, Tirolenſes, Henebergenſes, Arimbergenſes, Mompelgardenſes, &c.

III. Quæritur 3. Unde Barones io communi ſuam Ethimologiam ſumant?

Reſp. 1. Baronem generaliſſime acceptum ſignificare pernobilem Virum, & quidem quandoque generaliter, quomodo omnes Primates Provinciæ Barones appellantur; quandoque ſpecialiter, quomodo Barones vocantur illi nobiles, qui de Baronatu inveſtiti ſunt, vel qui etiam ſine territorio Baronis titulum, & privilegia acceperunt. ℞. 2. Ethymologiam nominis incertam eſſe, alii enim *ἀπὸ τῆς βαρύτητος*, hoc eſt, a gravitate, quæ ipſos decet, derivant, alii a *βάρος*, hoc eſt, mole corporis, qua cæteros ſuperare debeant; alii ab Hebræo Bar, qood filium ſignificat; cum enim ab initio Reges multos haberent filios, nec poſſent omnibus regnum dare, donabant eis ampla Caſtella cum Juriſdictione, & Imperio, & ſic Barones, i. e. filios aliis celſiores vocabant; alii ab alia radice Hebræa Para, aut Germanica voce *Bar*, quæ idem ſignificat, ac liberum eſſe, unde forte etiam germanice vocantur *Freyherrn*, quod olim a tributis, & legibus ſoluti, & liberi fuerint; alii ab Hebraico Bara, quod idem ſignificat, ac elegit, creavit, ut adeo Baro idem ſit, ac electus, creatus; alii a *Freyen*, ut Barones dicantur, quaſi *Frajones*, hoc eſt, liberi, & exempti; alii aliter derivant. ℞. 3. Aliquos Barones dici ſemper *freyr*, quales ſunt primarii Barones, alios infimos, medios, qui præcipuis Baronibus ſubſunt, & Barones, qui liberi Landſaſſii vocantur. ℞. 4. Barones, Illuſtres, ac generoſos appellari, ad ſignificandum, quod ipſi factis, virtutibuſque egregiis nomen, familiamque ſuam illuſtrare, & generoſitatem animi ita probare debeant, ut non fruſtra aliis nobilibus prælati videantur.

IV. Quæritur 4. Unde nobiles ſuam originem, & appellationem habeant?

℞. 1. Nobilis oomen varie a variis derivari; nam aliqui volunt, Nobilis idem ſignificare, ac non bilis, eo quod illis maxime conveniat humanitas, & manſuetudo; aliis placet, quod nobilis ſit dictus non vilis; alii idem eſt, Nobilis, ac nobis lis; quoniam nobilibus innata ſit ſuperbia, & quæ hanc plerumque comitatur, contentio, aut forte quoniam iis, utpote magis virtute conſpicuis perpetua lis ſit cum vitiis, unde forte proverbio locus factus, quod dicitor: *Starckmiithg, fromm ſeyn, weiſſ und mild, gebœret in des, Adels Schild;* alii rectius nobilem a noſcendo, ut ſtabilem a Stando, dictum volunt, qui enim ob virtutem ſuam, vel facta illuſtria famam ſibi, & eminentiam ſupra alios

com-

Digitized by Google

comparavit, merito nobilis dici poteſt, unde quoque hæc vox etiam in malum uſurpatur, ut nobilis latro, ſcurra, i. e. famoſus dicatur, ſicut Cannas clade Romana nobiles dicimus. Germanica vox *Edelmann* probabiliter compoſita eſt ex voce *Adeler*, & *Mann*, ita, ut idem ſit, *Edelmann*, ac *Adlers-Mann*, qnia debent Romanam Aquilam virtute ſua, ac fortitudine defendere. ℞. 2. Duplicem eſſe Nobilitatem, Ethicam, ſeu internam, & Politicam ſeu externam, illa provenit, & conſiſtit in ſola virtute, unde S.S. P.P. ſæpe dixerunt: ſola nobilitas eſt, clarum eſſe virtutibus; (nam ſine hac vaniſſima, imo nulla ſanguinis eſt nobilitas, juxta illud:

Si Pater eſt Adam cunctorum mater, & Eva,
Omnes nonne ſumus Nobilitate pares?

Non tamen illam ut cauſam efficientem habet, ſed nt conditionem tantum, quia non virtus, ſed Benigna Principis voluntas, & legis, conſuetudiniſque efficacia politice nobilitat. ℞. 3. Nobilitatem in geoere probabiliter dici Juris Gentium, nam omnes fere gentes habent ſuos nobiles, ita ut ne novus quidem orbis iis deſtitoatur; certas tamen ſpecies nobilitatis per additionem Juris civilis cœpiſſe. ℞. 4. Nobilitatem probabiliter ſic originem ſuam ſumpſiſſe. Videbant majores noſtri, ſaltem Patriæ duobus potiſſimum mediis conſervari incolumem, ſcilicet cultu divino, & fortitudioe militari; hinc quia utrumqne officium hoc arduum nimis erat; præmio præſtantiſſimo, ſcilicet honoris, & dignitatis eminentia animos ſuorum Clientum excitandos putabant; Franci jam olim duo ſtatuerunt nobilium genera, primum eorum, qui ſacris præeſſent, quos Druides, i. e. Dominos vocabant, quibus hodie reſpondent Canonici, *und die geadelete Stiffter*; alterum eorum, qui contra Patriæ hoſtes certarent, qni equites, id eſt *Ritter* vocabantur, unde forte etiamnum hodie Nobilitas Sueviæ, & aliæ, vocantur *die Ritterſchafft*; Atque hæc nobilitas jam olim erat fulcrum regnorum, uti maxime Gallia, & Perſia ſenſerunt, nam Gallia jam prope in Regum Anglicorum poteſtatem redacta, ope, & auxilio Nobilitatis viodicata, & liberata eſt; ſic Perſia, modo a Tartaris, modo a Saracenis agitata virtuſe Nobilitatis conſervata eſt; imo & Hiſpania Nobilitatis ope Servitutem Maurorum excuſſit. ℞. 5. Nobiles recte ab aliquibus dividi in titulares, id eſt eos, qui ſpecialem Nobilitatis titulum habent, ut Imperaror, Rex, Dux, Marchio, Comes, Baro, Doctor &c. & noo Titulares, qui ſimplex nobilitatis nomen habent.

V. Quæritur 5. An & quomodo differant Equites a Nobilibus, &c. & quid aliud de Equitibus notandum.

℞. 1. Equites generaliter vocari omnes Nobiles, maxime Laicos; ratio eſt, quia ante 200. circiter annos ſoli fere Nobiles, & quidem equeſtri agmine militarunt. Specialiter vero loquendo de Equite, gradus hic major eſt gradu Nobilis ſimpliciter dicti majoraqne habet privilegia. Licet autem aliqui putent Equites germanice *Ritter* vocari, eo quod nobili equiti ſeper duo comites ſint adjuncti, ut adeo idem ſit, ac *dritter*; alii a voce græca *ρύτηρ* quod ſervatorem ſignificat, derivent, rectius tamen ab equitando deſumpta dicitur, ita tamen, ut a communi equite, qui *Reuter* vocatur, per mutatam primæ Syllabæ vocalem diſtinguantur. ℞. 2. Equites a nobilibus in ſequentibus fere differre. 1. quod eques oon naſcatur talis, ſed ab alio fiat; uode, & ipſi Reges, & Imperatores patiuntur ſe ab alio Equites creari. 2. Quod ex ignobili aliquis nobilis fieri poſſit, non autem ex ignobili Eques, nam Eques ſemper gradum Nobilitatis ſupponit. 3. Quod privilegiis, & dignitate differant Equites a Nobilibus, quia equites habent omnia Nobilium Privilegia, at Nobiles non æque privilegia Equitibus conceſſa participant. Hinc, & ornamenta Equorum ſpecialia habent. 4. Quod eqnites veri ſint milites, non item promiſcue nobiles etiam milites vocari poſſint, & ſint. ℞. 3. Equitum varia eſſe genera, nam aliqui ſimplex Equitum nomen, & conditionem habent, alii equitis nomen cum adjuncto tenent, quales v. g. ſunt Equites aurei velleris, Equites S. Georgii, Equites Malthesii, ſeu S. Joannis, Equites ordinis Teutonici &c. ℞. 4. Eqnites io Imperio a ſolo Imperatore fieri, in aliis vero Regois ab eo, qui Regni caput eſt.

VI. Quæritur 6. Unde Equites Aurei velleris originem ſuam ſumant, & quod eorum ſit officium, aut privilegia?

℞. 1. Juxta communem opinionem, Inſtitutorem hujus ordiois eſſe Philippum Booum Burgundiæ Ducem, Caroli Audacis Patrem, qui ipſo die Nuptiarum cum Iſabella Regina Portugalliæ habitarum Anno 1439. eum inſtituit; Cur autem vellus aureum elegerit, variæ rationes afferuntur ab Auctoribus, aliqui putant ad imitationem Gedeonis id factum; alii arbitrantur, Philippum hoc vellere voluiſſe ſignificare, fœcunditatem ſolii ſui eſſe aureum vellus, alterum illud Jaſonis longo poſt ſe intervallo relinquens; alii denique certum putant, ab aureo Jaſonis Argonautæ vellere hunc ordinem ouncupatum, eoque fine inſtitutum, ut primario quidem ipſum Ducatum Burgundicum, vel Præſidem ordinis; deinde vero etiam cœtera membra ejuſdem ordinis protegant, atque defendant. Non deſunt tamen, qui putent, hunc ordinem a Joanne Nivernenſi Duce Burgundiæ inſtitutum eſſe, aureique velleris ordinem inſtituiſſe in memoriam captivitatis ſuæ, quam apud Turcam in iis ipſis locis, ubi Jaſon aureum vellus abſtuliſſe dicitur, ſubierat. Hodie tamen hujus ordinis Præſides ſoli ſunt Reges Hiſpaniæ, eo quod Carolo Burgundiæ Duce demortuo, Maximilianus, a quo Hiſpaniæ Reges originem ſumunt, Burgundiæ Dux factus, atque adeo Eques, & Defenſor hujus ordinis ſolemniter creatus ſit Brugis. ℞. 3. Pro ſignis hunc ordinem habere catenam auream, ad cujus extremum agnus jungitur auratus, cui additur: *Pretium non vile laborum*. Feſtiva vero lux ordini huic dies

S. An-

Digitized by Google

S. Andreæ ſacer olim erat, nunc ab Auctore mutata eſt in diem ſecundam Maji, numerus ejus ab initio ad 25. poſtea ad 31. tandem a Carolo V. ad 30. perſonas extenſus eſt. ℞. 4. Conditiones ad Equitem talem requiri ſequentes. 1. Ut ſit de prænobili familia, & factis glorioſus. 2. Ut nulli alteri Equitum ordini ſeſe addicat. 3. Ut certis diebus catenam, vellus vero aureum quotidie filo ſerico appenſum portet. 4. Ut juret, ſe, & ipſum Præſidem, & cætera ordinis membra, pro viribus defenſurum, obedientem futurum, ſi moneatur, vel puniatur, præſentem futurum die congregationis indicto, vel certe Legatum miſſurum. Inſtituitur autem hic conventus tertio quovis anno, ſecundo die Maji hoc modo, ut primo quidem die Maji conveniant in domo Præſidis, cumque ad Veſperas deducant. Sequenti die eodem ordine officio interſint divino, & aureum nummum offerant, a prandio vero violaceo veſtitu induti Vigiliis pro defunctis Equitibus cantari ſolitis interſint. Tertio die mane Miſſæ pro iiſdem defunctis dicendæ interſint. Quarto die quocumque veſtitu cantandæ de B. V. miſſæ interſint. Quinto die conſilium adeant, ubi Cancellarius ab initio ad virtutem eos hortetur, tum ſinguli ſecedunt, ut in ipſorum vitam inquiri poſſit, & delinquentes puniri; denique ſi opus ſit, novi Equites in ordinem recipiantur. ℞. 5. Hunc ordinem peculiares leges, & jus habere, cui in cauſis Equitum horum dijudicandis ſtandum, ut neque ab eo ullatenus appellare liceat, aut ad alium Judicem citare.

VII. Quæritur 7. Quomodo ordo Equitum Sancti Georgii, & Periſcelidis exortus ſit?

℞. Eum eſſe inſtitutum ab Eduardo III. Angliæ Rege, hac occaſione: Adelheidæ Comitiſſæ Saliſtercienſis (quam ſummo proſequebatur affectu) faſcia cruralis inter choreas in terram deciderat, eam itaque Rex cum ſublevaſſet propriis manibus, nobilium corona effuſo cachinno ridere cœpit, unde Rex, Comitiſſa ingenuo rubore ſuffuſa, officio colorem quærens, exclamavit, diſpereat, qui male ominatur: ſimulque adjecit: tempus propediem adfuturum, quo contra, qui nunc riſiſſent ad faſciæ aſpectum, eamdem ſumma veneratione eſſent ſuſcepturi. Paulo itaque poſt, videlicet Ann. 1351. hunc ordinem cœpit, qui brevi in ſplendidiſſimum evaſit, & Reges aliquot ſummoſque Principes numeravit. Admittit autem hic ordo 40. Equites, qui pallio utuntur cæruleo, & faſcia fibulata cruri applicata cum hac inſcriptione: *Diſpereat qui male ominatur*. Catena præterea aurea utuntur, cujus extremitas effigiem S. Georgii habet, quem pro Patrono elegerunt, & in ejus honorem 20. Aprilis Vindeſorii ſolemnem peragunt feſtivitatem, quæ ſolemnitas, uti & pleræque hujus ordinis leges, & conſuetudines, magnam cum ordine Equitum aurei velleris affinitatem habent.

VIII. Quæritur 8. Unde Equites S. Joannis, ſeu nunc Melitenſes, originem ſuam traxerint, quis eorum finis?

℞. Hanc eſſe ordinis hujus originem. Poſtquam Anno 1012. Turcæ Paleſtinam occupaſſent, templum S. Sepulchri intactum reliquerunt, unde Mercatores Malphiani induxerunt Abbatem, & Monachos, qui paulatim exſtruxerunt Hoſpitale pro peregrinis, & oratorium in honorem S. Joan. Baptiſtæ, unde Joannitæ dicti; Hos Gothefridus, & Balduinus magnis proventibus, recuperata Hieroſolima, ditarunt, eorumque fidei civitates, & caſtella contra infideles defendenda commiſerunt. Anno vero 1308. cum hoſtibus armata manu Rhodum, & alias quinque adjacentes inſulas eripuiſſent, ab hac victoria Equites Rhodii ſunt dicti; quoniam vero anno 1523. a Turca ejecti tandem ſunt, & in Italiam ſecedentes propriis ſumptibus uſque ad annum 1529. vixerunt, tandem a Carolo V. Imperatore Maltham dono acceperunt (unde hodie Malthesii vel Melitenſes Equites dicuntur) cum his conditionibus, ut contra Turcam & Piratas pugnare parati ſemper 4. naves actuarias haberent inſtructas; deinde ut Regem Hiſpaniæ, atque utriuſque Siciliæ protectorem agnoſcerent; denique ut eidem in vicem gratitudinis, ſingulis annis falconem mitterent. Habent hi Equites ad latus in pectore pro inſigni crucem albam octangularem, Patronum Sanct. Joannem Baptiſtam, vivunt ſub regula Sancti Auguſtini, jurant paupertatem, & caſtitatem, & obſtricti ſunt, ſingulis diebus 150. Pater noſter dicere.

IX. Quæritur 9. Unde Equites ordinis Teutonici originem ſumpſerint?

℞. Ejus Auctorem Germanum quemdam ſatis locupletem fuiſſe, qui, cum videret, Hieroſolymæ, ubi ipſe habitabat, ſat multos quotidie Germanos appellere, qui linguæ ignari a nemine excipiebantur Hoſpitio, domum ſuam in Xenodochium convertit, & B. V. templum extruxit, cujus a nomine poſtea dicta eſt Fraternitas ordinis Teutonici Hoſpitaliorum S. Mariæ Hyeroſolymitanæ. Poſt hæc ordinis Magiſter lectus, atque caracter Equitibus datus, nimirum, ut crucem nigram geſtent, pallio albo inhærentem. Nullus in huoc ordinem admittitur, niſi Germanus nobilis, qui promittere debet, ſe, ſi opus fuerit, contra infideles certaturum, & vitam etiam pro Religione profuſurum; Regulam habent S. Auguſtini, cælibem ducunt vitam, promiſſiores gerunt barbas, exceptis ſacerdotibus, quoad cætera fere cum Joannitis conveniunt. Poſt aliquot annos Xenodochium hoc Ptolemaidem translatum eſt, qua expugnata a Saracenis anno 1220. bona horum Equitum pars in Germaniam reverſa contra Boruſſos feliciter pugnavit, & poſt 53. annos Boruſſiam ſui fecit juris, unde Magiſter hujus Ordinis Mariæburgi in Borruſſia reſidebat. Tandem ubi Albertus Marchio Brandeburg relicto Ordine anno 1525. a Sigiſmundo Polonorum Rege Dux Boruſſiæ creatus eſt, reſidentia Mergetheimium translata eſt.

X. Quæ-

Digitized by Google

X. Quæritur 10. Quid de Nobilibus immediatis, ſeu *dem Fereyen Reichs-Adel, oder von der Freyen Ritteſchafft*, notandum?

℟. 1. Eos ratione Territorii in tres Claſſes dividi, ſcilicet in Franconicos, Suevicos, Rhenanos; quibus aliqui Alſaticos addunt. Ex quibus Franconica Nobilitas ſacta eſt libera, quia, licet habuerit Duces proprios, eorum tamen Jus poſt Imperio acerevit, ut adeo ex mediatis ſacti ſint immediati; dividitur in 6. Ordines, videlicet in *Odevvaldet*, *Steigevvaldt*, *Geburg*, *Altenmil*, *Baunach*, *Rhon*, *und Webrre*, Suevica Nobilitas eodem fere modo, poſt obitum Conradini Ultimi Sueviæ Ducis, Imperio ſubjecta eſt, dividiturque in 5. loca, ſcilicet in *Hagan*, *Bodenſee*, *unde Algeu*. 2. *An der Donau*. 3. *Am Kocher*, *oder Gocben*. 4. *An Sebvvarzvvald*. 5. *Im Creyzgau*. Rhenana Nobilitas eodem modo Imperio ſubdita eſt, quo Suevica, cum nullum habuerit certum dominum præter Sueviæ Ducem. ℟. 2. Privilegia Nobilium immediatorum fere ſequentia eſſe, quod habeant Juriſdictionem territorialem, quod habeant regalia, quod Archivii Jus habeant, quod conventus indicere poſſint ſine ſpeciali facultate Imperatoris, quod inter perſonas egregias referantur. Specialia vero privilegia etiam cuique ſeorſim conveniunt. v. g. Exemptio a Telouio, ſtabilitas jurium, & ſimilia.

XI. Quæritur 11. Quid de Nobilibus mediatis notandum.

℟. 1. Nobiles hos varie dividi, nam aliqui ſunt Feudatarii, alii Landſaſſii, illi in feudali tantum cauſa coram Domino comparent, iſti etiam in aliis: eſt enim Landſaſſius nihil aliud quam homo Juriſdictionalis, cui in omnibus mandari, ac præcipi poteſt, tales ſunt in Franconia, Bavaria, Auſtria &c. ℟. 2. Nobilium horum quadruplicis generis privilegia ab Auctoribus aſſignari 1. eſt eorum, quæ in præſumptione conſiſtunt, nam Nobiles præſumuntur virtute magis exculti, quam plebeii; præſumuntur præ cæteris, memores æternæ ſalutis, item prudentiores, & exercitatiores, Politici, & Rerum arcanarum, Imperii gnari, eo quod frequenter in curia verſentur; teſti nobili, imo nobilibus generaliter magis creditur, quam ignobilibus adeo ut eorum promiſſa pro factis habeantur; Nobiles præſumuntur fideliores, item non prodere Principem, non mentiri, nec fidem fallere, præſumuntur eſſe liberales, quod natura Nobilium ſit donare. 2. genus eſt eorum privilegiorum, quæ in honore, & reverentia, & inde dependentibus conſiſtunt, hinc nobiles præ plebeiis ad officia ſecularia ſunt aſſumendi; in paritate ſuffragintum ignobilibus ſunt præferendi in beneficiis, ac dignitatibus Eccleſiaſticis, majoribus beneficiis, & præbendis ſunt honorandi, & in obeundis legationibus ſunt præferendi; Cameræ Imperiali dantur aſſeſſores, reverenter ſunt ſalutandi, in votando primum habent votum; in Judicio comparentes ad ſedeudum a Judice invitandi, ad judicium non verbo, ſed ſcripto citandi ſunt, longior terminus ad judicia illis præfigendus eſt, ad teſtimonium nobilis evocatus non tenetur ire pede, ſed equo, & vehiculo uti poteſt ſumptibus producentis, ſi ſtat in domo, & verecundatur, quia male eſt veſtitus, reſtituitur adverſus lapſum temporis; illi injuria fit, ſi modico ſumptu ſepeliatur; in criminibus ſatiſdatione non onerantur, ſed juramentoria ab iis exigitur cautio; alapa Nobili illata reputatur gravior offenſa, quam vulnus: ob nobilitatem mariti major dos a parentibus nuptæ conſtituenda; alimenta nobili debita, ampliora, delicatioraque ſuppeditanda; hinc non tenentur nobiles, comedere alium, cepas, panem atrum, caſeum &c. imo in Hiſpania cautum eſt Equitibus della Banda, ne tales cibos comedant; alioquin octiduo in pœnam aliorum conſortio carere debent. 3. genus eſt eorum privilegiorum, quæ immunitates concernunt, nam nobiles ratione bonorum feudalium ad collectas, & munera publica non tenentur, ſunt immunes a vectigalis præſtatione, non quidem authoritate juris, ſed conſuetudine antiqua Germaniæ, quæ tamen pluribus in locis ſublata eſt, non coguntur ſubire tutelam pupillorum ignobilium. 4. genus eſt eorum, quæ in pœnarum temperamento conſiſtunt, nam nobilis regulariter mitius puniendus eſt, quam ignobilis, cruciatibus, & torturis regulariter non eſt ſubjiciendus, non habeus in ære, non protinus debet puniri in corpore; propter debitum civile, vel ex cauſa æris alieni non debet realiter citari, vel in carcerem duci; non conveniuntur in ſolidum, ſed in quantum facere poſſunt; habita ratione nobilitatis, Jus prætorium in bonis nobilium feudalibus non conſtituitur, ita ut vendere cogantur caſtra, & Latiſundia ſua; non facile conſtringendi ſunt arreſto, in vinculis ſubterraneis propter delicta, ex quibus capi poſſunt, non ſunt detinendi, ſed in civitatis certa domo ſub militum cuſtodia aſſervandi, non ſunt condemnandi ad triremes, niſi delictum ſit tale, quod Nobilitatis honorem fœdaverit; propter furtum, vel aliud crimen laqueo dignum non ſunt ſuſpendendi, flagellis, vel fuſtibus non ſunt cædendi, ſi nobilis plebejo injuriam dixerit, ad Palinodiam cogi haud debet.

XII. Quæritur 12. quæ ſit diſtinctio civitatum Germanicæ?

Reſp. 1. Civitatum Germaniæ ampliſſimum eſſe numerum, inter quas quædam ſunt municipales, quæ ſuis dominis parent, quales ſunt; quæ Principum, Ducum, Marchionum, Comitum; aliorumque Procerum ditioni ſunt ſubjectæ; quædam liberæ, quales ſunt illæ, quæ ſolius Imperatoris Juriſdictioni ſunt ſubjectæ. ℟. Ex civitatibus liberis alias ſuis uti legibus ad morem Rerum publicarum, cujuſmodi ſunt pleræque civitates Helveticæ & Saxonicæ in extremis illis partibus ad Oceanum uſque; aliæ ſunt imperatoriæ, quæ ſcilicet ſunt quoddam patrimonium Cæſaris, & Imperii, ſtatimque creati Imperatoris ditioni ſubjectæ eſſe coguntur, quarum numerus hoc, & priori ſæculo non parum eſt imminutus, dum videli-

cet

Digitized by Google

ect non paucæ vel a Cæſaribus ſunt oppignoratæ, vel bello a ditione Imperii alienatæ, ex quarum numero ſunt præcipue Metis, Veſontio, Conſtantia, Verodonum, Dullum, Cameracum, Bodobriga, Noviomagum, Veſalia, Daventria, Suolla, Briſacum, Reinſeldum, Mosbachium, Oppbemium, Inglhemium, Cæſaris latharia, Lavingia, Cœttinga, & nonnullæ aliæ. ℞. 3. Eas urbes, quæ in Cæſaris adhuc ſunt poteſtate, & in Imperio ſeſſionem habent, vulgo in duo ſcamna dividi; nam ex his 30. ſunt Rhenanæ, nempe Colonia Agrippina, Aquiſgranum, Argentoratum, Wormantia, Spira, & aliæ. Aliæ ſunt Suevicæ, nempe Ratisbona, Auguſta Vindelicorum, Norimberga, Ulma, Norlinga, Eslinga, Hala Suevorum, & aliæ ℞. 4. Ex civitatibus liberis iterum alias eſſe liberas, & Imperiales, *Freye Reichs-Stædte*, quales ſunt, quæ in inſigniis nihil ex Aquila habent, ſed olim ſub jugo Epiſcoporum, vel aliorum fuerunt, poſtea liberæ factæ ſunt. Aliæ ſpecialiter Imperiales, quæ vel integram Aquilam, vel partem illius, habent.

XIII. Quæritur 13. Qui ſiot Status Imperii, & quæ eorum onera?

℞. 1. Illos omnes imperii ſubditos Statum Imperii appellari, qui Cæſaris, & communi conſenſu Procerum Imperii in album, ſeu matriculam Imperii, qua ſtatus cæteri deſcripti ſunt, recepti deprehenduntur.

Eſt autem Matricula nihil aliud, quam catalogus in quem ſtatum Imperii nomina ſolemniter relata ſunt, & in quo, quantum cuique horum in neceſſitatibus contribuere conveniens ſit, expreſſum legitur, tandem Comites, & Barooes, & liberæ civitates. ℞. 2. Onera eorum potiſſimum ſeqnentia eſſe, quod cogantur comparere in Comitiis propriis ſumptibus, obligentur negotia Regni ſerio expendere, contribuere Imperio ex proprio ærario, ad iter Romanum praſto adeſſe, ad Turcicam expeditionem juvare contributionibus, & extraordinario auxilio in belli neceſſitatibus ſubvenire. ℞. 4. Privilegia, & Jura ſtatuum Imperii fere ſequentia eſſe. 1. Maxima libertas, ita ut jam olim Landgravius Haſſiæ dixerit; *Teutſche Nation iſt ein frey Reich, und billich das freyeſte auff der Welt*, cui aſſenſus eſt Maximilianus I. dicere ſolitus, Regem Hiſpaniæ eſſe Regem hominum, Britannum eſſe Regem diabolorum, ſe vero eſſe Regem Regum. Idem cenſuit Carolus V. qui de aliis ſibi ſubditis regnis palam ſaſſus eſt, in illis mancipiis, & ſervis, at in Germania liberis, & Regibus, ſe imperare. Unde etiam S. Gregorius Magnux alicubi ad Phocam Imperatorem ſcribit, hoc intereſſe inter Reges gentium, & Rerum publicarum Imperatores, quod illi ſint ſervorum Domini, Cæſares liberorum. 2. Quod votum, & Seſſionem, habeant in Comitiis, iiſque tamquam Principales interſint. 3. Quod Principes Imperii exteris Regibus ſuam edicere poſſunt operam. Quod non teneantur in locis extra Imperii limites comparere in Judicio. 5. Quod poſſint ſubditis ſnis arma concedere, eos, exercere, armamentarium habere, munire arces, & fortalitia exſtruere. 6. Quod poſſint concedere leges Provinciales, certa conſtituere pondera, menſuras, ulnas. 7. Quod poſſit ſana reſtituere, Gymnaſia inſtituere. 8. Quod approbare queaot Collegia Artificum, atque eorum Statuta formare, ac reformare. 9. Quod ipſorum ſit nundinas particulares inſtituere.

XIV. Hactenus fere de ortu Reipublicæ actum, ſed quia parum plerumque prodeſt erectio cujuſdam ædificii, niſi etiam cooſervatio accedat, ideo paucæ etiam doctrinæ de eadem Republica conſervanda adjiciendæ videntur, paucæ, inquam, quia fuſior hac de materia diſſertatio paſſim in libris politicis reperitur. Quia vero duplicis plerumque generis Perſonæ ad gubernandam, & conſervandam Rempublicam adhibentur, Illuſtres genere, & Litterati, ideo de utriſque breviter, quantum ad propoſitum diſcurrendi finem conducibile videbitur, breviter hoc loco agetur.

P A R S II.

§. I. DE REPUBLICA CONSERVANDA.

I. PRobl. 1. An expediat magis Rempubl. inſtitutam eſſe, quam quemlibet hominem ſeorſim proprio arbitrio vivere? Reſp. Affirmative, idque ob quinque commoda. 1. Eſt jucunda cohabitatio; ut enim nullius boni ſine ſocio jucunda eſt poſſeſſio, juxta commune Ethicorum adagium, ita ex mutua cohabitatione, colloquiis, conventibus, maxima exurgat jucunditas, neceſſe eſt. 2. eſt, mutua obſequia in vitæ neceſſariis; hinc enim dona, mutuatio, emptio, miſeratio, protectio, ſavor, cuſtodia &c. oriuntur, ſine quibus non poſſet homo quivis commode vitam tranſigere. 3. eſt mutuum auxilium contra hoſtes; ſi enim quilibet ſeorſim viveret, non poſſet ſe ſatis aut contra homines, aut contra beſtiarum ferociam defendere. 4. eſt neceſſitas contractuum aut commutationum, quæ eſt de Jure Gentium, cum pauciſſimi reperiantur, qui omnia neceſſaria vitæ habeant, niſi per commutationes tribuant alteri; quod habent, & recipiaot viciſſim, quod non habent. 5. eſt celebritas connubiorum; nam homines ſimul viventes indigent bona, & firma amicitia; hæc autem vel maxime firmatur per connubia, ut experientia docet.

II. Probl. 2. An vera Reſpublica reperiatur extra Chriſtianam? Reſpondetur negative, quia vera Reſpublica definitur communitas hominum ſimul, & in eodem loco habitantium, propter bene, & virtuoſe vivere, & propter perfectam ſufficientiam corporalis vitæ humanæ (ideo enim inſtituta eſt, ut facilius per mutuum auxilium ſupremam ſelicitatem, quæ ſine virtuoſa vita obtineri non poteſt, conſequantur) talis autem Reſpublica nullibi, quam apud Chriſtianos, reperitur, cum hi ſolum habeant veram cognitionem, & cultum tam intrinſecum quam extrinſecum veri Dei, ex cujus defectu nulla apud Ethnicos aut Hæreticos vera virtus, ſed ſpecies tantum virtutis, habetur.

III.

Digitized by Google

III. Probl. 3. An Reſpublica ſufficienter conſtituatur per quatuor has partes: Principem, ſeu Rectorem, Judicium ſive Prætorium, Conſilium, Populum? Reſpondetur affirmative. Nam Reſpublica regenda eſt bonis, & juſtis legibus, ſtatutis, & decretis; Ad hoc requiritur 1. Conſilium, ut ſcilicet exiſtant aliqui, qui prudentia, & ſapientia, & longa experientia, ac vitæ probitate ſciant matura inquiſitione, & conſultatione invenire, quæ per modum legis, aut decreti ſtatuenda ſunt, ac populo proponenda. 2. Requiritur Princeps, ſeu Rector, qui per potentiam, & authoritatem manuteneat legem, ejuſque obſervationem urgeat, uti in antiquo teſtamento maxime fecerunt Moyſes, Phinees, Joſue, Gedeon, Samuel, Joſaphat, Ezechias, Mathatias, Judas, & Fratres ejus. 3. Requiritur Judicium, per quod ſecundum diſpoſitionem legum cauſæ civium tractentur, & terminentur, ſicut Joſaphat libr. 3. Reg. Judices conſtituit in cunctis civitatibus Juda, & præcepit eis dicens: Videte, quid faciatis, non enim hominis exercetis Judicium, ſed Dei (ſcilicet Legiſlatoris univerſi) 4. Requiritur populus, qui acceptet, & obſervet leges, aut ea, quæ per Judices ſunt determinata, cui dicitur a Domino, quod olim Iſraelitis per Moyſen dixit: Si, poſtquam audieris hæc judicia, & cuſtodieris, & feceris ea, cuſtodiet, & Dominus pactum tibi, & miſericordiam, quam juravit Patribus tuis.

IV. Probl. 4. An magis expediat Rempublicam per unum, quam per plures regi? Reſpondetur affirmative, idque 1. colligitur ex teſtimonio Dei, qui ſuper Iſraelem conſtituit unum ſupremum Principem, Moyſem ſcilicet, & poſt hunc ſemper unum, ſive dum Judices, ſive dum Reges, Iſraeli dabat. 2. Quia magis conducit ad pacem ſervandam, nam ſi plures regnent, non poterit eſſe pax, niſi in unam conveniant ſententiam & quaſi fiant æquivalenter unus Princeps, ergo multo magis ſi realiter ſit unus Princeps, eadem pax expectanda erit. Certe ſi duo Soles eſſent, periculum eſſet, ne incendio omnia perdarentur, &, ut Tacitus ait, arduum eſt, eodem loco & potentiam, & concordiam eſſe. Hinc, eodem teſte, ſæpe diſcordantis patriæ non aliud fuit remedium, quam ſi ab uno regeretur. 3. Quia virtus in uno unita fortior eſt plerumque, quia æqualiter applicatur; Hinc jam olim Plato dicebat: Rex, Deus quiſpiam humanus eſt, quia ſcilicet ad Dei imitationem ſolus omnia potenter regit. 4. Quod in omnibus fere rebus appareat hujus regiminis ſpecies, in corpore humano, in elementis, in brutis, in cælis &c. imo, & olim inter ipſos homines. Hinc Cicero teſtatur, omnes antiquas gentes Regibus primum paruiſſe; idque in terris nomen Imperii primum fuit, ſi Saluſtio credimus. Neque obſtat, quod plures Principes, tamquam plures oculi plus videant, minus recedant ab intentione boni communis (cum etiam ipſarum bonum ſit commune) & tandem non tam facile pervertantur; Nam Reſp. plurium oculorum loco Principi bonos Conſiliarios, & Miniſtros eſſe, qui etiam ſuis conſiliis, & admonitionibus facile cavebunt, ne Rex a ſuo fine deflectat, & commune bonum particulari poſtponat.

V. Probl. 5. An magis expediat, Regentem per electionem, quam per ſucceſſionem, & hæreditatem, creari. Reſpondetur, priorem quidem modum magis aliquibus probari; 1. Quia, ut recte notat Plinius, imperaturus omnibus eligi debet ex omnibus, ut norit miſerias ſubjectorum, & compati ſciat. 2. Quod plerumque optimum quemque electio invenit, Tacito teſte; nam naſci, & generari a Regentibus fortuitum, nec ultra æſtimatur; cooptandi. Judicium integrum, &, ſi eligere velis, conſenſu monſtratur. Certe primogenitos non ſemper eſſe meliores poſterioribus filiis, abunde patet in Eſau, Ammon, & aliis. 3. Quia minus ſervilis eſt hic modus; nam, ut iterum bene Tacitus advertit, loco libertatis erit, ſi eligi incipimus. 4. Quia experientia docet, nulla prope meliora, & feliciora eſſe regimina, quam apud Eccleſiaſticos, & Religioſos; Hoc autem per electionem caput præficitur. Imo & in profanis non deſunt exempla, quæ eamdem ſententiam non parum confirment, uti videre eſt in Republica Veneta, & Imperialibus Civitatibus Germaniæ. Aliis tamen poſterior modus magis arridet. 1. Quia minori diſcrimine, ut vult Tacitus, ſumitur Regens, quam quæritur, alioqui enim facile inſoleſcit, ut pauper ex paupere dives factus. 2. Quia pacatior hic modus, cum magnis, & novis conatibus opportuni ſint tranſitus rerum, teſte Tacito. Et facile lites in electione oriantur, quando in diverſa ſtudia eligentium mentes rapiuntur. 3. Quia ſecurior, nam ut idem Tacitus prudenter dixit, pravæ aliorum ſpes cohibentur, ſi ſucceſſor non in incerto ſit; ſed & ipſe Regens per hanc viam ſecurior eſt, quia liberis ſuis velut pluribus munimentis inſiſtit: Oraculum enim eſt, non claſſes, neque legiones perinde firma eſſe Imperii munimenta, quam numerum filiorum. 4. Quia diuturnius conſtituit imperium, quia ſic Regens non ſibi tantum, ſed poſteris etiam regnum ſtabiliet, & augebit, cum de electo timendum ſit, ne cum Ezechia de poſteritatis ſpe dejecto dicat: Bonus ſermo Domini, quem locutus eſt (mortem mihi minitando) ſit tantum pax & veritas in diebus meis. 5. Quia ipſe Deus hunc modum prætuliſſe videtur, uti in continua prope ſucceſſione Regum Iſrael patet. 6. Quia libertas magis retinetur, cum eligendi per eligentium favorem magis devincti videantur. Mihi utraque ſententia probabilis videtur, prior tamen fere magis placeret, maxime ſi Imperium non ſit pure Monarchicum, ſed ex Ariſtocratico mixtum; ſic enim incommoda, quæ ex electione timentur, ſatis cavebuntur, uti patet in Eccleſiaſtico Regimine.

VI. Probl. 6. An in ſucceſſione expediat Majoratus potius, quam parentum, aut amicorum voluntas determinans? Reſpondetur affirmative, quia ſi bona æqualiter dividantur, ſcindentur Regna, ut patet in Imperio Occidentali inter Filios Caroli Magni, & poſtea Lotharii diviſo, ſi vero minor præferatur majori,

jori, facile graviſſima odia, & invidiæ exurgent, cum quibus pax conſiſtere non poteſt. Deinde quia primogeniti ſunt Patribus magis dilecti, utpote primi fructus, & ob ipſam etiam ætatem honorabiliores; ergo hos decet præferri. Tandem confirmatur longa experientia, & recepta apud pleraſque gentes conſuetudine, optimum eſſe, ſi Principatus in primogenitum transferantur. Certo graviſſima incommoda ex neglectu hujus ſucceſſionis exorta eſſe paſſim ſcribunt AA.

VII. Problem. 7. An recte dixerit Tacitus, Imperium iis artibus facillime retineri, quibus partum eſt? Reſpondetur affirmative, ſi quidem bonæ fuerint. 1. Quia hæ cum ſenium ferant, & experientia probatæ ſint, certiores ſunt, cum cæterarum ob novitatem incertus ſit vigor, & exitus. 2. Quia conſervatio eſt quædam quaſi continuata productio, ergo eædem ad utrumque artes recte adhibentur. 3. Quia antiquis mediis majorem ſibi Princeps reverentiam, & auctoritatem conciliat apud ſubditos, æquum enim eſt, ut ſubjectus populus illum revereatur, quia majorum ſuorum veſtigiis tam reverenter inſiſtit.

VIII. Problem. 8. An Reipublicæ fortior murus ſit Religio, quam qui ex lateribus, & ſaxis ſunt exſtructi? Pro reſponſione nota, veram Religionem duabus partibus conſtare, recto ſcilicet ſenſu de Deo, & recto cultu in Deum; nam de Deo optime exiſtimare, pietatis eſt exordium, teſte Sancto Auguſtino. E contrario vero, ut Silius canit, primæ ſcelerum cauſæ mortalibus ægris naturam neſcire Deum. Porro cultus Dei nihil aliud eſt, quam cogniti Numinis veneratio, certis legibus, cæremoniiſque definita; dividitur in internum, & externum. Ille eſt, qui in animo, & ex animo Deo vero preces concipit, laudes, & grates: Iſte, qui hæc eadem per ritus, & geſtus expromit. Cæterum optimus animus, teſte Seneca, pulcherrimus Dei cultus eſt. Et Lactantius, Chriſtianorum, ait, omnis religio eſt, ſine ſcelere, & ſine macula vivere. Hoc notato. R. Religionem fortiſſimum eſſe Reipubl. murum. Probatur primo, teſtimonio omnium nationum, quæ ſemper pro potiſſimo medio conſervandi Rempubl. habuerunt Religionem. Hinc Plutarchus ait: Facilius urbem ſine ſolo condi puto, quam opinione de diis penitus ſublata civitatem accire aut conſtare. Certe Peruani Reges, Ingæ vocati, quando Regionem aliquam armis ſubegerunt, mox primam partem vectigalium cultui deorum dedicabant. 2. Ex Politicorum teſtimonio; certe Machiavellus vult; Numam plus de Republica Romana meruiſſe Religionem fundando, quam Romulum muros erigendo. Hinc illa Machiavelli mala principia: Principi ante omnia optandum eſt, ut pius videatur, etſi non ſit. Princeps, ſi quid in religione falſi eſt: id confirmare debet, dum id ferendæ religioni proſit. Sed & Athei, teſte Dodino, nihil majoris momenti eſſe ad Reipubl. conſervationem, quam Religionem, putant. Unde merito Papinianus. Summa ratio eſt, quæ pro Religione facit. 3. Philoſophorum teſtimonio. Ariſtoteles ait, in omni Republ. primum eſt curatio rerum divinarum: quia ſic populi de Principe bene exiſtimant, de injuriis ſibi non timent, ejus vitæ non inſidiantur, quod, cum pius ſit, & Dei amicus, Deum habeat defenſorem. Plato ait, quod ſicut beſtiæ, quæ ſe defendere ſatis non poſſunt, indigent providentia, & directione hominis, ita homines ob eamdem eanſam indigeant providentia Dei. Hinc Lactantius: Religio, & timor Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem. 4. Auctoritate Sacræ Scripturæ: Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilant, qui cuſtodiunt eam. 5. Quia experientia docet, neglecta religione, graviſſima mala Reipublicæ eſſe illata, Hinc Poeta: Dii multa neglecti dederunt Heſperiæ mala luctuoſæ? Et Symmacus Valentiniano conqueſtus, Sacrilegio, inquit, hic annus exaruit: neceſſe enim erat omnibus perire, quod Religionibus negabatur. Documento ſint domus Jeroboam, Aſæ; Vitiza Rex Hiſpani oculis, & vita orbatus: Carolus audax Dux Burgundiæ victus ab Helvetiis, & ad Nancejum miſerrime trucidatus; Joaones Fridericus Dux Saxoniæ ob mutatam Lutheri ſuaſu Religionem captus, & Electoris poteſtate, dominatuque privatus. 6. Quia eadem experientia docet, Deum Regentibus Religionem colentibus ſumme favere; Hinc Ariſtoteles ait, deos promotores eſſe in eos, qui ipſos maxime colunt. Documento ſint Conſtantinus Magnus, Theodoſius, & filii ejus Arcadius, & Honorius; Hugo Capetus, ob honorem oſſibus D. D. Wilerici, & Richerii impenſum, ſceptrum Galliæ adeptus; Robertus ejus Filius, qui eadem pietate Regnum 600. annis ſtabilivit, & apud poſteros retinuit; Rudolphus Habſpurgicus ad Imperia evectus; Stephanus Bartolius in Principatu Tranſylvaniæ primum, tum in Regem Poloniæ, electus. Recte ergo Ferdinandus II. cum Proceres ſuaderent, ut templum B. Virginis prope muros Viennenſes dirui juberet, ne defenſioni obſtaret, vetuit dirui, dicens: Si Deus, & B. Virgo pro nobis, quis contra nos?

§. II. DE REGENTE REMPUBLICAM.

I. PRobl. 1. An Regens ſibi magis proſit, bonum commune procurando, quam ſi proprium bonum attendat, & curet? R. Affirmative, idque tres ob cauſas, 1. quia ipſius bonum privatum in tribus conſiſtit, ſcilicet in favore Dei, benevolentia populi, & quieta, ac bona conſcientia; Hæc autem tria obtinet, melius bonum commune præferendo. Nam 1. Deus magis faventem ſibi habet, quia, teſte, S. Chriſoſtomo, nulla res Deo gratior eſt, quam ut univerſa ad commune commodum conferas. Hæc enim perfectæ Chriſtianæ Religionis regula eſt, hic certiſſimus ter-

terminus, hoc ſummum cacumen, quærere, quæ communem omnium comprehendant utilitatem. 2. Benevolum facit populum, nam, teſte Seneca, illius Regentis magnitudo ſtabilis, fundataque eſt, quem omnes tam ſupra ſe eſſe, quam pro ſe, ſciunt. 3. Conſcientia bona fruitur, quia ut ſervus fidelis conſcius eſt talenti bene collocati, hinc ſumma voluptas etenim recte Iſidorus: Vis numquam triſtis eſſe, bene vive; & Sanct. Auguſtinus, tranquillitate conſcientiæ nihil excogitari poſſe, cenſet. Meminerit ergo Regens, civium non ſervitutem ſibi traditam, ſed tutelam; nec Rempublicam ſuam eſſe, ſed ſe Reipublicæ.

II. Problem. 2. Quod ſit in ſpecie officium boni Rectoris: Reſpond. Id triplex eſſe, 1. eſt, ut provideat media, quibus ſubditi poſſint civilem finem (qui eſt bene vivere (obtinere; hujuſmodi autem media ſunt tria, nempe ſcientia, habitus morales boni, bona exteriora, qualia ſunt divitiæ, victus, veſtitus &c. 2. eſt, removere, quæ impediunt a talis finis conſecutione; qualia maxime ſunt, indebita ſucceſſio hæreditatum, intrinſeca perturbatio civium, ac violentia, inſurrectio hoſtium externorum, 3. eſt, actualis directio ſubditorum in civilem finem, ad quam directionem neceſſaria ſunt hæc tria, bonum conſilium, obſervantia legum, remuneratio benefactorum.

III. Problem. 3. Quæ dotes faciant abſolutum Rectorem; Reſpond. Duas, virtutem, & prudentiam. Hæc enim utraque ſumme neceſſaria eſt Rectori. Et virtus quidem multas ob cauſas: Quia decorum eſt, ut probitate emineat, qui dignitate. Hinc Cyrus non cenſebat convenire cuiquam imperium, qui non melior eſſet iis, quibus imperet. Et jam olim Poeta; qui recte faciet, non qui dominatur, erit Rex, 2. Quia fama ejus ſic poſtulat? Nam omnia facta, dictaque Rectoris rumor excipit, teſte Seneca, nec ei magis, quam ſoli latere contingit. Hinc jure cavere debet, qualem famam habeat, qui, qualemcumque meruerit, magnam habiturus eſt; Nam ut Tacitus prudenter advertit, inviſum ſemel Principem ſeu bene, ſeo male facta premunt. 3. Quia regni firmitas ſic poſcit, quia ut Seneca ait, ubi non eſt pudor, nec cura juris, ſanctitas, pietas, fides inſtabile Regnum eſt. Quia quales in Republ. Principes ſunt, tales reliqui ſolent eſſe cives: nam componitur orbis Regis ad exemplum; Et hæc eſt conditio Rectorum, ut quidquid faciant, præcipere videantur. Hinc recte Seneca: Rex velit honeſta, nemo non eadem volet. Prudentia vero Rectori ſummopere etiam neceſſaria eſt; 1. quia; teſte Ariſtotele, fieri non poteſt, ut quiſquam vere probus ſine prudentia audiat. Cum enim prudentia juxta Lipſium ſit, intellectione & delectu rerum, quæ publice privatimque ſugiendæ, aut appetendæ ſunt: tam parum virtus ſine prudentia, quam Architecti opus ſine libella, & linea procedet. Hinc recte Cicero dixit, artem vivendi eſſe prudentiam, ut medicinam valetudinis. 2. Quia juxta Menandrum famulatur omne, quidquid eſt, prudentiæ, etiam ipſa fortuna, nam ſapiens ipſe fingit fortunam ſibi: recte igitur, juxta Sophoclem, longe prudentia felicitatis primas tenet.

IV. Problem. 4. An æque laborare debeat Regens, ut ſubditi, quam ut ipſe ſit virtuoſus? Reſp. Affirmative: 1. quia, quod de oppido Plautus, hoc de omni ſtatu recte dixeris: Si incolæ bene morati ſunt, pulchre munitum arbitror, ſi aliter, centuplex murus rebus ſervandis parum eſt. Hinc recte Polybus, ille, inquit, reipubl. ſtatus optabilis, & firmus eſt, quo, & privatim ſancte, innoxieque vivitur, & publice juſtitia, ac clementia vigent. 2. Quia facile Imperium in bonos, teſte Plauto, e contrario vero ut bene Saluſtius advertit, peſſimus quiſque aſperrime Rectorem patitur. Jure igitur Princeps dat operam, cum ipſe bonus, atque ſtrenuus ſit, ut quam optimis imperet.

V. Problem. 5. An primas in Regente jure teneat Religionis ſtudium? Reſpond. Affirmative, 1. quia decet, quod optimum eſt, ab optimo coli, & quod imperat, ab imperante. 2. Quia nihil eſt, quod ita nequeat occaſui ſubjacere, quam vera religio; nihil eſt, quod lumine clariore fulgeat, quam vera fides in Regente. 3. Quia ſic expedit ad tutelam propriam, nam, ut prudenter Cyrus, ſi familiares (eadem ſubditorum eſt ratio) Dei metuentes eſſent, minus aut inter ſe aliquid illicitum patrarent, aut in ipſum. 4. Quia ſic expedit ad augmentum Imperii. Hinc Cicero gloriari auſus: Romanos non calliditate, aut robore, ſed pietate, ac religione omnes gentes, nationeſque ſuperaſſe. 5. Quia ſic Dei favorem magis conciliabit. Nam, teſte Juſtino, Jure ille a diis proximus habetur, per quem deorum Majeſtas vindicatur.

VI. Problem. 6. An prudenter puniat Regens omnes, qui in religione diſſentiunt? Reſp. 1. cum Lipſio, ſi publice diſſentiant, & alios ſecum trahant, rectius puniri, expedit enim, ut membrorum potius aliquid, quam totum corpus intereat; nam quod in religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam, teſte Juſtiniano. Reſpond. 2. Si ſubita coercitio plus damni in rempubl. inferat, rectius videri Lipſio punitionem omitti, falsem ad tempus; nam in morbis nihil eſt magis periculoſum, quam immatura medicina, teſte Seneca. Et recte notat Livius, medicos plus interdum quiete, quam movendo, atque agendo proficere. Reſpond. 3. Si privatim diſſentiant, non puniendos videri; neque enim Rex perinde animis imperare poteſt, ac linguis. Nam mentium Rex Deus eſt, teſte Auguſt. Et certe terrore id ſolum efficitur, ut vult, qui maxime ſervit, aſſentiatur, numquam corde; nihil enim tam voluntarium, quam Religio (ut bene Lactantius advertit) in qua ſi animus adverſus eſt, jam ſublata, jam nulla eſt. Fictiones potius hic in terram inducit, & Princeps purpuræ ſuæ cultores aliquot efficict, non Dei.

VII.

VII. Problem. 7. Ao juſtitiæ proximus poſt Religionem locus merito concedatur? Reſp. Affirmative, 1. quia, teſte Plutarcho, nihil tam egregium, nihil tam proprium Regis eſſe videtur, quam juſtitiæ opus. Nam hoc uno Reges olim ſunt ſine creati; dicere jus populis, injuſtaque tollere facta, ut Heſiodus cecinit. 2. Quia tanta hujus virtutis vis eſt, teſte Cicerone, ut nec ii quidem qui ſcelere, ac maleficio paſcuntur, poſſint ſine ulla particula juſtitiæ vivere. 3. Quia jus, & æquitas ſunt vincula civitatum, eodem teſte. Hinc recte Sanct. Auguſtinus: Remota juſtitia, quid ſunt regna; niſi magna latrocinia. 4. Quia ſic expedit ad firmamentum Regni; Nam teſte Salomone Prov. 29. Rex juſtus erigit terram, Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur. 5. Quia juxta Ciceronem, fundamentum perpetuæ commendationis, & famæ juſtitia eſt, ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile. Hinc recte ſenſit Auguſtus; Pietate, & juſtitia Principes dii ſunt. Nec minus eleganter vereque Xenophon dixit: Ego nullas opes viro, ac præſertim Principi, pulchriores honeſtioreſque cenſen, quam virtutem, & juſtitiam. Prudenter hoc obſervavit Trajanus, dum Prætori Romano gladium, poteſtatis Inſigne, tradens dixit: Accipe hunc enſem, & ſi quidem recte, & e Republica imperavero, pro me; ſin ſecus, in me utere. Nec abluſit Philippus Pulcher Rex Galliæ, juramentum exigens a ſuis, quo promittant, ſe mandatis ejus, ſi cum æquitate pugnarent, morem non eſſe geſturos. Porro ad hanc juſtitiam exercendam ſequentia ſervet Princeps; 1. Nihil in pœnatibus ejus venale ſit, aut ambitioni pervium. 2. Cauſas, reoſque audiat, quia inauditi, atque indefenſi tanquam innocentes pereunt, Tacito teſte. 3. Leges ne violet; nam, juxta Ariſtotelem, in Legibus ſalus civitatis ſita. 4. Interdum temperet rigorem; nam, ſi Columellæ credimus, jam olim ſummum jus antiqui ſummam injuriam putarunt. 5. Novas Leges parce ferat, nam & illud Taciti verum effatum: Corruptiſſima reſpublica plurimæ leges: certe ſi hoc ævum aſpicias, fateare, ut antea flagitii, ſic nunc legibus, laborari. 6. Leges ipſe obſervet, turpeque credat illud: Licet, ſi libet. Potius cum Seneca dicat. Minimum decet libere, cui oimium licet: aut cum Rege quodam: Cum omnia poſſimus, ſola credimus licere nobis laudanda.

VIII. Probl. 8. Quæ cauſa ſit, Cur Regentea plerumque ad vindictam proniores ſint, quam ad gratiam; Reſp. cum Tacito, hoc ideo fieri, quia gratia oneri, ultio quæſtui habetur. Nam officiorum remuneratio ex eo fere naſcitur, quod Regens debitorem ſe recognoſcit, quæ res illi, ut pleriſque aliis, gravis, & moleſta eſt, cum quiſque malit alios obſtrictos habere. Vindicta vero in eo debito fundatur, quo reus devinctus tenetur; Unde facilius inclinatur ad exigendum hoc debitum, quam alterum illud reddendum.

IX. Probl. 9. An Nobilibus potius, quam ignobilibus honores, præmiaque diſtribui conveniat; Reſp. 1. Univerſim a Regente illud Annibalis obſervari debere: Qui hoſtem feriet, ille mihi Carthagineoſis erit. Ita ergo, & Regeos: Merenti dabitur hic honor. Is autem eſt, virtuti qui ſtudet. Hæc enim unica ad veros honores janua eſt; ut jam olim eleganter Romani indicarunt per gemina templa, Virtuti, & Honori, ita exſtructa ut nulli ad templum Honoris pateret aditus, qui per Virtutis templum oon tranſiiſſet. Fixum itaque ſit in mente Regentis Hieronymianum illud effatum: neſcit Religio noſtra perſonas accipere, nec conditiones, ſed animos reſpicit ſingulorum; ſervum & nobilem de moribus pronunciat. Sola apud Deum libertas eſt, non ſervire peccatis; Summa apud Deum Nobilitas, clarum eſſe virtutibus. Rationem eleganter dat Seneca: Nemo in gloriam noſtram vixit, oec quod ante nos fuit, noſtrum eſt. Animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione ſupra fortunam licet ſurgere. Reſp. 2. Si Nobiles æque virtutis ſint ſtudioſi, rectius hos præ aliis ad honores a Regente evehi. Sic enim ad quietem ſalutemque Imperii expedit. Certe Ludovicus XI. Galliæ Rex & Nobilitatem avertit, & in periculum ſe amittendi Imperii conjecit, quod Sutori Fecialis, Tonſori Legati, Medico Cancellarii munus obtulerit. Nec minores calamitates paſſus eſt Philippus pulcher alter Rex Galliæ, quod Cognatum, & Marinianum nimis evexerit; eidemque cauſæ turbas ſub Henrico IV. Angliæ Rege exortas adſcribunt nonnulli. Recte proin Divinus Spiritus Eccleſiaſt. cap. 10. eſt malum, inquit, quod vidi ſub ſole, quaſi per errorem egrediens a facie Principis: poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & divites ſedere deorſum.

X. Probl. 10. An plus proſit Regenti ad divitias proprias augendas, ſi tributa modica exigat a ſubditis, quam ſi multa imponat, & accipiat. Reſpond. Affirmative, & 1. probatur teſtimoniis ſapientium; ita enim Auguſto Imperatori ejus Mæcenas dixit: Opes amplæ melius colliguntur paucis expendendis, quam multis accipiendis; oec male Cicero optimum vectigal parſimoniam dixit; & Tacitus, pecuniis acerbe cooquirendis plus invidiæ ſibi, quam virium addere putavit. 2. Quia ſubditi, ſunt ovibus, fontibus, herbis ſimiles, ergo malle debent cum Tiberio tondere pecus, non deglubere; & cum Alexandro dicere: Odi hortulaoum, qui ab radice olera exſcindit. 3. Quia ſi populus dives ſit, ſemper ab eo accipere poterit; cum enim puteus plenus eſt, facile hauritur aqua. Recte ergo Ariſtoteles: Optimus Regis theſaurus, & qui tardidiſſime perditur, eſt populus, cum diligenter cuſtoditur. 4. Quia per exactiones nimias nihil niſi odium, & diras populi conciliat, quas Jure Henricus III. Galliæ Rex magis ſe timere dicebat, quam hoſtium arma. Itaque exacturus tributa Regens, hæc quinque Lipſii monita obſervet: 1. Det operam, ut omnes intelligant, ſi ſalvi eſſe velint, oeceſſitati eſſe parendum; ita enim recte Tacitus: Nec quies gentium ſine armis, oec arma ſine ſtipendiis, nec ſtipendia

ſine tributis haberi queunt. 2. Moderate exigat, nec rem auſerat cum pulviſculo, ut Plautus loquitur; ſic enim, teſte Plinio, ærarium ſpoliatum eſſet civium, cruentarumque prædarum receptaculum. Nemo certe amat Regentem, qui pennas ita incidit, ut renaſci nequeant. Qui nimis emungit, ſanguinem elicit. 3. Coerceat Miniſtrorum avaritiam, idque obtinebit, ſi res ſuas nonniſi ſpectantiſſimo cuique mandet, & fallentes cum pœna talionis amoveat; decet enim, ut ſpongiæ fiant ejuſmodi exactores, & exprimantur, poſtquam affatim biberunt. 4. Diſpenſatio reſtricta ſit, qualis in familia boni patris; nam exiguam in publicum impenſam quis gravabitur, ſi videant Regentem continenter, ſobrieque viventem, ac nihil vane effundentem. 5. Ut juſta, & uniformis contributio ſit, nec per bonam, malamve gratiam hunc ſublevet, illum premat; ſed, ut ſol, & dies in commune omnibus naſcitur, ita & ipſe civium commoda non divellat, ſed omnes eadem æquitate contineat; *Vix enim credi poteſt, ubi inæqualitas, quam angatur inſita humano generi invidia, ut pari dolore aliena commoda, ac ſuas injurias metiatur.*

XI. Probl. 11. An clementia potius, quam ſeveritas, deceat Regentem. Pro Reſponſione nota, Clementiam recte ab Lipſio hoc modo definiri: Eſt virtus animi a pœna, aut vindicta ad lenitatem cum judicio inclinantis. Hæc ergo omni quidem homini convenientiſſima, quia humaniſſima, ſed, teſte Seneca, nullum ex omnibus magis, quam Regem, aut Principem, decet. 1. Quia plus habet apud illos, quod ſervet, ac in majore materia apparet. 2. Quia omnia ei conciliat, quæ ſceptro ſunt digna, ſcilicet amorem, juxta illud Senecæ: Qui vult amari, languida regnet manu; ſecuritatem, nam teſte Plinio, clementia eſt arx inaceſſa, inexpugnabile munimentum, munimento non egens; firmitatem, nam, ut recte Livius ait, firmiſſimum ad Imperium, quo obedientes gaudent: cõntra autem inviſa Imperia nemo retinuit; documento eſſe poſſunt Auguſtus Cæſar, qui, quia Cinnæ inſidiatori conſulatum dedit, & Cinnam fideliſſimum effecit, & omnes cæteros inſidiatores placavit; & Alphonſus Rex, cui clementia in Antonium Caldoram hoſtem, quem bello captum inter aulicos adoptaverat, Regnum Neapolitanum peperit. E contra vero Rex Siciliæ, quia Meſſanenſes, levibus conditionibus propoſitis, in ditionem recipere nolebat, ab iiſdem deſperantibus invaſus, & fœde fugatus, totaque Sicilia privatus eſt. Idem expertus Ludovicus Malenus a Gandavenſis Urbis civibus, niſi quod regnum non amiſerit, ſed Brugenſem Urbem tantum. 3. Quia gloriam parat maximam; nec enim, teſte Cicerone, ulla re propius homines ad Deum accedunt, quam ſolute hominibus danda; Unde recte Seneca.

Pulchrum eminere eſt inter illuſtres Viros,
Conſulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abſtinere, tempus atque iræ dare;
Orbi quietem, ſæculo pacem ſuo;
Hac ſumma virtus, petitur ad cælum via.

4. Quia rigor pœnarum nec publico ex uſu eſt (Quia ſeveritas amittit aſſiduitate auctoritatem, ut ait Seneca; & neſcio quo obtinendi vitio videbis, inquit idem, ea ſæpe committi, quæ ſæpe vindicantur) neque ex privato, quia, Seneca teſte, ut arbores quædam reciſæ repullulant, ita Regia crudelitas auget inimicorum numerum, tollendo. Temperatus enim timor eſt, qui cohibet; aſſiduus, & acer in vindictam excitat. Adde, quod juxta eumdem, Regenti non minus turpia ſunt multa ſupplicia, quam Medico funera. 5. Quia venerationem adimit; nam, ut bene Plinius advertit, male terrore veneratio acquiritur; longeque valentior amor ad obtinendum, quid velis, quam timor. Ergo diſcat Regens, tacito Doctore, omnia ſcire, non omnia perſequi. Parvis peccatis veniam, magnis ſeveritatem commendare, nec pœna ſemper, ſed pœnitentia contentus eſſe. Et eodem ſuaſore, amorem apud populares, metum apud hoſtes quærat. Ita Biantis illud eveniet, timere ſubditos non illum, ſed pro illo. Certe, ſi Saluſtio credimus, qui benignitate ac clementia Imperium temperavere, his candida, & læta omnia fuiſſe, compertum eſt, etiam hoſtes æquiores, quam alii cives. Si tamen pœna infligenda ſit, ſequentia obſervet. 1. Tarde veniat ad ſupplicia, prope enim eſt, ut libenter damnet, qui cito, Seneca teſte. Fixum ſit illud Ciceronis: melius ſanare vitioſas partes, quam exſecare. 2. Non niſi utilitate publica ſuadente puniat, aut certe ſi ſua res agitur, diſſimulet, & vultum induat, tanquam invitus, & magno cum tormento ad caſtigandum veniat. 3. Ad exemplum omnia referat, non ad ultionem; itaque abſtineat ab ira, nam quis membra ſua odit cum abſcindit? 4. Pœnæ ſint e moribus, receptoque ritu; nam lædit, quidquid in his novum, aut nimium, crudeliſque merito cenſetur, qui puniendi cauſam habet, non modum. Oportet, inquit Ariſtoteles, ſupplicia more patrio ſumi. 5. Æqualitatem ſervet, niſi forte aliud in Nobilibus prudentia ſuadeat; Nam video, inquit, Plinius, & a Medicis, quamquam in adverſa valetudine nihil ſervi a liberis differunt, mollius tamen liberos, clementiuſque tractari. 6. Ipſe ſupplicia numquam exigat, nam teſte Xenophonte, Viro Principi, ubi pœnarum, aut coercitionis res eſt, aliis id delegandum; ubi præmiorum, aut munerum, ipſi obeundum. Hinc Nero, teſte Tacito, ſubtraxit oculos, juſſitque ſupplicia, non ſpectavit. 7. Si rarum ſupplicium a multitudine exigendum ſit, omnes tollat uno ictu, Lipſio, Tacitoque ſuaſoribus, nam repetita, & frequens vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat. Incidas ſemel, inquit Lipſius, quidquid incidendum eſt, & tuum malagmata adhibe hæc bina. Prius in alios beneficiis; quaſi illis demotis, auctam lenitatem tuam teſtificando; ad rerum derivationem, puniendo rerum atrocium miniſtros. Gaudet enim vulgus recidiſſe iram in iræ miniſtros,

nec

Digitized by Google

nec ullam potentiam ſcelere quæſitam cuiquam eſſe diuturnam.

XII. Problem. 12. An Cenſura ſit neceſſarium Regentis inſtrumentum ad Rempubl. gerendam? pro Reſponſione nota. Cenſuram juxta Lipſium nihil aliud eſſe, quam animadverſionem in mores, aut luxus eos, qui legibus non arcentur. Hoc notato. ℞. Eam ſumme regenti eſſe neceſſariam, quia, ut bene Tacitus, ea paulatim omiſſa, funditus Rempubl. trahunt. Quid enim prodeſt foris eſſe ſtrenuum, ſi domi male vivitur, inquit Valerius Maximus. Profecto, ait idem, niſi ſinguiis hominibus officium, ac verecundia ſua conſtiterit, partarum rerum æquatus cælo cumulus ſedem ſtabilem non habebit. Eligatur ergo unus, alterve præfectus moribus, Magiſter veteris diſciplinæ, ut ſciant omnes, ſi quid in moribus labat, non defuturum corrigendi authorem. Materies hujus cenſuræ ſint mores, ac luxus, maxime in pecunia; nam turpi fregerunt ſæcula luxu divitiæ molles, teſte Juvenale. Certe Saluſtius dicere auſus eſt: Sæpe jam audivi, qui Reges, quæ civitates per opulentiam magna Regna amiſerint, quæ per virtutem inopes ceperant. Et alibi ait: Ubi divitiarum cupido invaſit, neque diſciplina, neque bonæ artes ſatis pollent. Nec quiſquam ſe attollere poteſt, aut divina mortalis attingere, niſi omiſſis pecuniæ, & corporis gaudiis. Sed quo telo hæc cenſura peragetur? Duplici, Ignominiæ, & mulctæ; Nam Cenſoris judicium nihil affert damnato, niſi ruborem, ſi tamen reus effrons ſit, multa addatur, ne exanguis illa, & ferrea frons nequicquam notis convulneretur. Id ſi aſperum videtur cenſori, facile mitigabit hac triplici obſervatione: 1. Si ipſe ſit ſub cenſura, id eſt, vitam ſuam ad eam normam componat, ad quam alios format. Nam vita Principis, teſte Plinio, cenſura eſt; eaque perpetua. Si non omnia ſimul emendet, ſed paulatim. Neque enim, ut prudenter advertit Cicero, poteſt quiſquam noſtrum ſubito fingi, neque cujuſquam vita repente mutari, aut natura converti. Quoſdam pudor, inquit Tacitus, alios neceſſitas, nonnullos ſatietas in melius mutat; nam Valerio teſte, quorumdam animus peregrinatur in nequitia, non habitat. 3. Si præmia bonis dividat; Nam præmio, & pœna rempublicam contineri, jam olim Solon dixit. Caveat ergo Regens ne ſit benefactis tantum ex conſcientia merces.

XIII. Problem. 13. Quibus artibus Regnum facile ſervare poteſt Regens? Reſpond. Duabus. 1. eſt benevolentia, nam ab eo, quod placeas hominibus, actionum efficacia eſt. Porro hæc benevolentia triplici paratur via 1. lenitate, hæc eluceat in comitate, & alloquiis, & in Imperio, ut ſcilicet tranquillum, ac lene ſit, nec alia ejus facies, quam ſereni cæli, ac nitentis, quia remiſſius imperanti melius paretur, immo & fidelius. Nam juxta Cæſaris effatum, potentia mediocriter exercita, omnia quæſita conſervat. 2. Beneficia, melius enim beneficiis cuſtoditur Imperium, quam armis. Sic Auguſtus, teſte Tacito, militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit. Idque effuſius Regens æmulabitur in novo imperio. Sic enim ſubditi, & novis rebus aucti futura, & præſentia, quam vetera periculoſa magis valent. 3. Indulgentia, ut ſcilicet, quatenus ſine morum corruptela poteſt, populum laxe habeat, in victu maxime, curando, ne neceſſaria deſint; & jucunde, puta in ludis, & ejuſmodi receptis voluptatibus; Nam vulgo, inquit, Seneca, ſicut pueris, omne ludicrum in pretio eſt. Veriſſimum eſt, ait Tacitus, voluptatibus Romanos plus adverſus ſubjectos, quam armis valuiſſe. 2. ars Regnum conſervandi eſt authoritas, quæ nihil aliud eſt, juxta Lipſium, quam impreſſa ſubditis, ſive exteris opinio reverens de Rege, ejuſque ſtatu. Hæc, Curtio teſte, Majeſtas Imperii eſt, ac tutela. Et hæc triplici via paratur. 1. Forma Imperii, quam Lipſius vult, eſſe *ſeveram* (quia aſſidua lenitas contemptum facit; hinc recte Saluſtius, in hac colluvie morum, & hominum habendus metus; aut faciendus eſt. Et juxta Ciceronem; ſalutaris ſeveritas vincit inanem ſpeciem clementiæ) *conſtantem*, id eſt, uno, & veteri tenore fluentem; recte Alcibides jam olim cenſuit apud Thucididem, eos hominum tutiſſime agere, qui præſentibus moribus, legibuſque, etiamſi deteriores ſint, minimum variantes Rempublicam adminiſtrant. Neque convaleſcit planta, quæ ſæpius transfertur. Sciat ergo Regens, Tacito docente, ſuper omnibus negotiis, melius atque rectius olim proviſum; & quæ convertuntur, in deterius mutari. Ideo juxta Valerium: in minimis quoque rebus omnia antiquæ conſuetudinis monumenta ſervanda, niſi neceſſitas, aut ſumma utilitas aliud ſuadeat; Nam interdum priſcus rigor, & nimia ſeveritas nocet, cum jam pares non ſumus, ſed tunc leniter, & lente id fiat (*adſtrictam*, ut apud Principem ſit præcipua vis, & honos) nam Reges Domini rerum, temporumque, trahunt conſiliis cuncta, non ſequuntur, ait Livius. Et Ariſtotele Magiſtro, communis cuſtodia Principatus eſt, neminem unum magnum facere, ſemper periculoſum eſt, ait Tacitus, privati hominis nomen ſupra (immo & juxta) Principis attolli. 2. Potentia acquiritur Authoritas; nam teſte Livio, parum tuta ſine viribus eſt Majeſtas. Eſt autem potentia hæc nihil aliud, quam ad ſua conſervanda, & aliena obtinenda idonearum rerum facultas, quales maxime ſunt opes, arma, conſilia, fœdera, fortuna: nam, ut quiſque fortuna utitur, ita præcellet, atque exinde, ſapere eum, omnes dicimus. 3. Moribus, internis, & externis. Interni ſunt virtus, maxime pietas, & providentia, nam minus injuſtum aliquid ſubditi ſperant ab eo Regente, quem religioſum, Deorumque verentem exiſtiment. Sed & providentia animis hominum illabitur prætextu velata, ſi nihil, aut ſuſcipis, aut agis, niſi lente, & circumſpecte, externi mores ſunt geſtus, ut ſit compoſitus ore, ad ſeveritatem, non ad minas flexo, ut auguſtus appareat,

non acerbus. Etiam habitatio adfert aliquid dignitatis, ſi in loco ſplendido ſit, atque illuſtri. Principem ergo urbem Princeps eligat, unde in omnia regimen. Secedat tamen interdum, ut vitato aſſiduitatis faſtidio, authoritatem abſentia tueatur.

XIV. Probl. 14. An poſſit Regens commode Regnum ſine civili conſilio adminiſtrare, ℞. notando, Conſilium nihil aliud eſſe, quam humani intellectus practici de dubiis, & incertis peragendis, aut vitandis inquiſitionem inter plures Conſultores habitam. Diſtinguitur hoc in domeſticum, quo inquiritur de dubiis in Regimine domus, aut familiæ contingentibus. Militare, quod eſt inquiſitio de dubiis in belli adminiſtratione occurrentibus. Nauticum, quod eſt inquiſitio de dubiis in re nautica, & regulatione navis, occurrentibus. Et denique in Civile, quod eſt inquiſitio de dubiis pro ſalvanda, & recte diſponenda republica. Hoc not. Reſpond. ad quæſtionem negative, 1. Quia Spiritus Sanctus ipſe Prover. 3. ait; aſtutus omnia agit cum conſilio. Et alibi: Fili mi, ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis. Hinc & Tobias filio ſuo: conſilium ſemper a ſapiente perquire. 2. conſilia verſantur circa ſingularia. In his autem maxime prodeſt experientia, atque hanc magis utique habent plures quam unus, ergo. Hinc recte Cicero: Melius accurantur, quæ conſilio geruntur, quam quæ ſine conſilio adminiſtrantur. 3. quia Deus adhibet in mundi adminiſtratione cauſas ſuas, quemadmodum, & Principes. 4. quia ſic ad reipublicæ ſalutem expedit, nam juxta Salomonem, ſalus, ubi multa conſilia. Et recte Saluſtius: Ego comperi, omnia regna, civitates, nationes uſque eo proſperum Imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerunt; ubicumque gratia, timor, voluptas ea corrupere, paulo poſt imminutæ opes, deinde ademptum Imperium, poſtremo ſervitus impoſita eſt. Nempe: vis conſilii expers mole ruit ſua, teſte Horatio. E contrario vero, Tacito docente, plura in ſumma fortuna auſpiciis, & conſiliis, quam telis, & manibus geruntur. Et, Livio teſte, multa quæ natura impedita ſunt, conſilio expediuntur.

XV. Probl. 15. An prudentis Regentis ſit omnia ad conſilium adducere? Reſpond. negative. Nam aliqua ſunt; quæ numquam prudenter conſilio ſubjiciuntur; videlicet 1. finis, quia hic jam ſupponitur in conſilio, utpote in quo tantum de mediis inquiritur. 2. quæ ſunt determinata in aliqua arte, vel diſciplina 3. quæ a fortuna ſunt; quia hæc, cum non ſint in noſtra poteſtate, ſub electionem non cadunt. 4. quæ plurimum ſunt diſtantia; nam conſilium, teſte Ariſtotele, eſt de his, quæ ad nos, aut amicos, aut patriam ſpectant: 5. quæ ſunt ſecundum curſum naturæ, quia, & hæc non ſunt in noſtra poteſtate, licet conſultari poſſit, quomodo ſe homo habere debeat in iſtis. 6. quæ ſunt æterna, & immutabilia, quia de his dubium eſſe non poteſt. Alia ſunt, quæ conſilio recte ſubjiciuntur. Nimirum 1. Proventus ſive redditus divitiarum, ut in his neque fraus, neque deceptio concurrat. 2. Alimentum ſufficiens ſubditis; nam reſpublica, ut ſupra dictum, inſtituta eſt ad ſufficientia vitæ obtinenda. 3. Reipublicæ cuſtodia, ne ſcilicet a facinoribus, vel ab hoſtibus, damnum grave patiatur. 4. Pax, & bellum. 5. Leges & Decreta, in quibus, teſte Ariſtotele, civitatia ſalus verſatur.

§. III. DE PERSONIS LITTERATIS.

I. Probl. 1. An Doctorum nobilitas pluris ſit facienda, quam eorum, qui geniti ſunt Nobiles? Reſpond. 1. ſi uterque virtute careat, Nobilitatem Doctorum præferendam videri in hominum prudentum judicio, eo quod hæc proprio ingenio, diligentia ac doctrina obtenta ſit, illa potius fortunæ debeatur. Reſp. 2. ſi poſteriores Nobiles ſunt, quales eſſe debent, eorum nobilitatem præferendam eſſe, eo quod ſupponantur eſſe generoſi, magnanimi, & virtutis ſtudioſi, quæ nobilitas, ſi extrinſecæ nobilitati conjungatur, haud dubie ſui poſſeſſorem præ reliquis nobilem facit, & ſupra ipſos etiam Doctores, maxime, ſi hi virtuti minus ſtudeant, elevat.

II. Probl. 2. Cur Doctorum filii, & Nepotes non ſint etiam Nobiles, ſicut in natis Nobilibus contingit. Reſp. Hoc propterea fieri, quod Doctores Nobilitatem ſuam ex doctrinæ præſtantia obtineant, qui titulus cum in liberis non reperiatur, hinc merito Nobilitas quoque illis negatur. Sanguinis vero Nobilitas, cum a ſanguine, & generatione deſumatur, merito in liberos, qui e ſanguine tali prognati ſunt, derivatur.

III. Probl. 3. Quinam Doctores plus utilitatis conferant Reipublicæ. Medici, Juriſtæ, an Theologi? Reſp. 1. ſi omnes bene fungantur officio ſuo, infimos eſſe Medicinæ Doctores, quia cavent, aut pellunt corporum morbos; Proximos Juriſtas, quia cavent, aut pellunt corporis, moralis ſcilicet Reipublicæ, injurias; Præclariſſimos Theologos, quia animæ morbos, id eſt peccata, præcavent, & pellunt. ℞. 2. ſi imperiti ſint hi doctores, minime nocere Medicos, quia non niſi cæmeteria implent; magis nocere Juriſtas, quia replent patibula, a quibus etiamnum ad cælos iter apertum eſt; maxime vero nocere Theologos, quia infernum implent, unde nulla eſt redemptio.

IV. Probl. 4. Unde gradus Academici originem ſuam ſumpſerunt? Reſp. 1. etſi jam olim apud antiquos litteratis hominibus honor titulique oblati ſint, tamen hos gradus primum Anno MDL. incepiſſe, tempore ſcilicet Lotharii Imper. tunc enim Jure-Conſulti Doctores creati ſunt. Et petrus Lombardus primus Theologiæ Doctor fuit renunciatus, a quo tempore conſtanter mos iſte in Academiis retentus eſt. Reſpond. 2. Gradus hodie triplices eſſe, ſcilicet Baccalaureatum, Magiſterium, & Doctoratum, Baccalaureatum alii a bacca, & lauro derivant, quaſi dicere vellent, eum, qui prima fundamenta altioris ſcientiæ poſuit, ſpem habere poſſe, quod a baccis ad laurum ſit perventurus; alii a ba-

culis

culis dictos volunt, quaſi facultatem haberent baculos bajulandi; Alii rectius cum Pontano, & Beſſoldo a voce battulum, quod idem apud Franco Gallos ſignificat, ac prælium, originem ſumunt; hinc Tyrones Battalarii vocabantur, quo nomine poſtea in Academia Pariſienſi compellabantur ii, qui rudimenta artis in ſtudiis artium poſuerunt, quæ vox Etymi ignorantia in Baccalarios, & poſt in Baccalaureos eſt transformata. Eſt ergo Baccalaureus ille, qui confecto alicujus artis tyrocinio, publicum progreſſus ſui teſtimonium obtinuit. Magiſtrum alii dictum volunt, quia ter magis doctus eſt quam alii; Alii quod ſuper cæteros magis poſſit præſtare; Alii a magiſtrando, & moderando; quidquid ſit de hoc recte hodie definitur, qui decurſis Philoſophiæ, & ſeptem Artium liberalium ſpatiis, rite ac ſolemni cæremonia hoc nomen, honoremque accepit. Doctor a docendo nominatur, adeoque nihil aliud eſt, quam is, qui publice docendi poteſtatem accepit. Licentiatus dictus eſt a licentia, quod illi liceat ſummam dignitatem petere, & conſequi, cum voluerit; unde a Pontano, Magiſter, vel Doctor deſignatus definitur. Non conſtituit hic Licentiatus peculiarem gradum, promoti tamen Licentiati in actibus favorabilibus, non autem in odioſis, pro veris Doctoribus, habentur; hinc poſſunt eſſe Cameræ Aſſeſſores, tam bene, ac Doctores. Reſpond. 3. Inſignia, & cæremoniæ, quæ in creatione Doctoris adhibentur, non eſſe de eſſentia, ſed majoris tantum reverentiæ, & decoris cauſa adhiberi; Et pileus quidem libertatem ſignificat, quod ſcilicet promoti poſthac ferulis, aliiſque pœnis exempti, Doctores ac Magiſtri aliorum evaſerint, cujus cæremoniæ mos a Romanis deſumptus, ultimate vero a Noe ortus dicitur, qui ad perpetuam diluvii memoriam, quo ipſe cum ſuis a Deo liberatus erat, pileum eos geſtare voluit. Cætera inſignia, puta annulus, libri traditio, Epomis, &c. Doctoralem poteſtatem collatam eſſe indicant, uti, & torques aureus nobilitatem denotat. ℞. 4. inferiores gradus non eſſe de eſſentia Doctoratus. Hinc in Italia non requritur Baccalaureatus ad Doctoratum. Imo neque in Germania ad Doctoratum Juris, & Medicinæ, quamvis horum loco tentamen præmittatur; quo indagatur, num candidatus ſit admittendus ad examen Doctrinæ.

V. Probl. 5. An Doctrinalis dignitas officiat Nobilitati; Reſp. Negative, idque probatur 1. ex natura ipſius Doctoratus, cum enim ſit publicus honor, & teſtimonium inſignis alicujus profectus in aliqua ſcientia facti, clare patet, tam parum Nobiles ab eo abhorre debere, quam parum abhorrent a communibus teſtimoniis, quæ diſcedentibus ab Academia dari ſolent. Probatur 2. teſtimoniis magnorum Principum, qui honori ſibi duxerunt, his gradibus condecorari. Nam Hermanus Haſſiæ Princeps in Pragenſi Academia cum magna Caroli Imperatoris approbatione Magiſter eſt factus. Willelmus Geldriæ Dux filios ſuos Luteriæ Magiſtros fieri voluit. Sigiſmundus Baro Heberſtenius inter honores, quos in Legationibus adeptus eſt, primas Baccalaureatui detulit. Albertus 4. Bavariæ Dux publice inſignia Magiſterii per plateas Luteriæ tulit. Uriel, & Sebaſtianus Archiepiſcopi Moguntini, Juris erant Doctores; Reichiwinus Lotharingiæ Dux, & Epiſcopus Argentinenſis SS. Theologiæ Magiſter fuerat; Philippus 2. Epiſcopus Spirenſis Theologiæ Doctor, Henricus 4. & Chriſtophorus Epiſcopi Auguſtini Jurium Doctores. Albertus 1. Comes Hochenbergenſis, Epiſcopus Herbipolenſis Decretalium, Philippus SS. Theologiæ, & Joannes 3. SS. Litterarum, & Decretalium, Doctores. Epiſcopi Euſtadienſes erant.

VI. Problem. 6. An ſtudioſi non graduati etiam ſuis privilegiis gaudeant, & quibus? Reſpond. 1. Illis ſpecialia privilegia Fridericum Imper. ejus nominis primum per conſtitutionem peculiarem codici inſertam communicaſſe, atque hujus ſui facti quatuor rationes attuliſſe, quod ſcilicet ſtudioſi amore ſcientiæ ſuæ exulent, quod ob eamdem cauſam e divitibus pauperes fiant, & ſemeptiſos exinaniant: quod præter injurias corporales, quas a viliſſimis hominibus ſæpe ſine cauſa perferunt vitam ſuam multis periculis exponant: quod ſcientia illorum totus illuminetur mundus, & ad obediendum Deo, & ejus Magiſtro Imperatori vita ſubjectorum informetur. Reſpond. 2. Hæc privilegia non ipſis tantum, ſed etiam eorum Profeſſoribus, uxoribus, viduis, liberis, ſamulis, nunciis, Bidellis, Notariis, ſcribis, & iis artificibus, qui aliquam cognitionem cum litteris habent, vel ſine quibus litteræ eſſe nequeunt, ut ſunt Typographi, Bibliopolæ, Bibliopegi, Pharmacopolæ, Pictores competere. Reſpond. 3. Privilegia in hac conſtitutione Friderici 1. conceſſa eſſe potiſſimum tria, quorum eſt, ut ſcholares ad loca, in quibus litterarum exercentur ſtudia, uti & nuncii eorum, ſecure veniant, & in eis ſecure habitent, & nulla vectigalia, vel portoria ab iis exigantur. 2. eſt, ne quis ſcholari ob alterius cujuſcumque Provinciæ delictum ſive debitum aliquod damnum inferat. 3. eſt, ut ſi litem illi quiſpiam ſuper aliquo negotio movere voluerit, hujus rei optione data ſcholaribus, eos coram Domino, vel Magiſtro ſuo, vel ipſius Civitatis Epiſcopo, quibus hanc Juriſdictionem dedit Imperator, conveniat. Præter hæc Rebuffus, & ex hoc Joannes Nieſs, de ortu, & occaſu latinæ linguæ in appendice collegit 180. privilegia, quibus tamen non fruuntur illi ſtudioſi, qui inſcripti non ſunt, qui vagi ſunt, inhoneſte vivunt, nec domi ſtudent, nec lectiones obeunt, qui alios, & diſciplinam conturbant. Blaſphemi, excommunicati, clerici, aut Monachi ſine ſuperiorum premiſſu ſtudentes, nolentes obedire Rectori, artibus vetitis operam navantes, extra Gymnaſia privilegiata ſtudentes. Monet tamen Beſſoldus ex Vincentio Carotio, hodie litterarum privilegia parum obſervari, & cavere debere ſcholares, ne ſe in iis fundent, quia decipientur.

VII. Problem. 7. Unde mos deponendi ſtudioſos ortum ſumpſerit? Reſp. eum a veteribus Philoſophis exortum eſſe, qui neminem in ſuam diſciplinam recipiebant, niſi ingenium, natura, & mores ante diligenter exploraſſent, ut, ſi qui inepti eſſent, mox ad parentes remitterentur; Hinc Eſſæi apud Judæos neminem recipiebant, niſi qui biennio patientiæ ſigna dediſſet. Athenienſes ſeniculum ad portam civitatis ſtare volebant, qui ingreſſuros convitiis exciperet, & impatientes quidem repelleret; patientibus vero diceret: Ingredere Athenas, quia dignus es. Iidem ſtudioſos novitios ab initio capitoſis, & petulantibus interrogationibus vexabant; tum per forum ad belenum ducebant, furioſorum more inſultantes, ut cum ratione inſanire viderentur; tandem omnino liberatos in collegium recepturi. Ad horum ergo imitationem etiamnum in aliquibus Academiis indoles ſtudioſorum advenientium exploratur, dum ligneis aſceis, dolabris, terebris, ſorficibus acciduntur, dedolantur, tentantur, tondentur, & cornua capitibus admota amputantur, quibus cæremoniis admonentur, ut aures, oculos & cæteros ſenſus purgatos adſerant, morum aſperitatem, & cornua arrogantiæ, atque inanis perſuaſionis, quibus vitiis ſere ea ætas madet, deponant, & ante barbam patulis auribus veram eruditionem, expurgato animo, & humili corde ſitire diſcant.

VIII. Probl. 8. Unde Academiæ ortum ſumpſerunt? & quomodo ab Univerſitatibus diſtinguantur? Reſp. 1. Nomen ſpectando, eas denominatas eſſe a loco extra urbem Athenienſem, qui dicebatur Ecademia, eo quod Ecademus ibi ſcholam inſtituiſſet; Tandem vero per unius litteræ mutationem Academia appellari cœpit ter mille drachmis emptus agellus, ex qua Academia ut præſtantiſſimi Oratores, Poetæ, & Philoſophi prodierunt, ita nomen ejus apud gratam poſteritatem præ cæteris in uſu permanſit. Diſtinguitur autem Academia ab Univerſitate, juxta Beſſold., & alios, quod in hac omnia genera artium, non autem in illa doceantur; Alii tamen volunt, utrumque nomen idem ſignificare, videlicet ſcholas publicas ſummi Pontificis, Imperatoris, Principum conſenſu approbatas, erectas, & privilegiis certis donatas Reſp. 2. Academias ſic ortas eſſe in noſtris partibus; ab initio in celebrioribus Epiſcopatibus ſcholæ publicæ inſtituebantur; cum vero Canonici in Aulis eſſent occupati, atque adeo ſtudia negligerentur, docendi munus in Monachos S. Benedicti translatum eſt; cum vero & hi ſuis legibus, & exercitiis impedirentur, quo minus pro voto ſtudia docere poſſent, tandem Academiæ in eam, quam nunc conſpicimus, formam ſunt redactæ, idque aliqui accidiſſe putant tempore Caroli Magni, licet aliquæ Academiæ jactent ſe antiquiores eſſe, maxime Patavina, cujus initia ob vetuſtatem plane ignorantur. Reſp. 3. Academias in ſummo ſemper honore apud Principes fuiſſe; nam Philippus Imper. ſtudioſos vocavit conſcholaſticos. Joannes 2. Ferdinandus Arrag. Reges eos ſocios, & fratres appellavit. Galliæ Reges Academiam Pariſienſem filiam vocant, & inibi Rector in publicis Actibus omnes, etiam Nuntios Papæ, & Cardinales, antecedit.

IX. Probl. 9. Quid de Perſonis Academiam conſtituentibus notandum? Reſp. 1. Rectorem Univerſitatis perpetuum non eſſe, ne uni tantum onus incumbat, & lectiones impediantur. Omnes etiam Epiſcopos præcedit, quia Principis locum tenet. Injuria Rectorem afficiens capitis pœna plectitur juxta Juriſtas, portat Inſignia, ex quibus colligitur Juriſdictio; quæ ſi non gerit, pro tali non reputatur. Reſp. 2. Cancellarium plerumque loci Epiſcopum eſſe, exceptis Academiis quibuſdam Hæreticis; in quibus nullus omnino eſt. Cancellarius eſt vicarius, & quaſi legatus ſummi Pontificis, ad hoc præcipue conſtitutus, ut invigilet; ne indigni ad honores Academicos promoveantur. Reſp. 3. Quatuor ordinarie collegia in Academia reperiri, & hoc ordine dignitatis, Theologicum, Juridicum, Medicum, Philoſophicum. In Academia tamen Pariſienſi primas tenent Philoſophi, & ex iis ſolis eligitur Rector. Et ſane (inquit Beſſoldus) ſi iſti antiquum Philoſophiæ ſplendorem tuerentur, & Pythagoræ, Platonis, aliorumque premerent veſtigia, vel omnium primi, vel ſtatim poſt Theologos locandi eſſent; erat namque olim Philoſophia rerum divinarum Encyclopædia, atque comprehendebat, quidquid mens humana ſcire, aut capere poteſt. Sed nunc artium liberalium Rudimenta tantum tradit, & aliis ſuperioribus diſciplinis ſubalterna magis eſt, quam collateralis. Unde etiam in Jure differentia conſtituitur inter Philoſophos, & artium liberalium Profeſſores. Reſp. 4. Quodlibet horum collegiorum ſuum Decanum habere, cujus officium eſt, cauſas collegium ſuum concernentes moderari, ac procurare, unde primum in Collegio locum tenet, & ibi Rectori etiam præfertur, non vero in actibus publicis. Origo deſumpta videtur ex more militari, ubi in Centuria decem erant Decuriæ, & unaquæque Decanum habebant. Unde etiam in priſcis Academiis ſingularum Facultatum Decani habebantur, quæ ſingulas diei horas in explicandis facultatis ſuæ Dogmatibus conſumere poſſent; Unde etiamnum hodie denominatio manſit. Reſpond. 5. Notarium, a notando dictum, eſſe quaſi ſcribam Academiæ; illius enim eſt adnotare, quæ in Academia geruntur, Protocollum facere, juramenta exigere, nomine Academiæ litteras, & teſtimonia ſcribere &c. Reſp. 6. Bidellum eſſe miniſtrum Univerſitatis, quem tamen alii rectius ſere per P. ſcribunt, & Pedellum, ſeu curſorem vocant, eo quod ipſi Rectori a pedibus ſit, & ad varia negotia Rectoris exequenda diſcurrat.

X. Probl. 10. Quid de Academiis Italiæ obſervandum? Reſp. 1. Romanam Academiam celebrem fuiſſe 700. annis ante Chriſti Nativitatem, poſtea vero cum neglecta eſſet, Pontificum Romanorum ſtudio reſtau-

ratam

ratam eſſe, maxime Urban. IV. Sanct. Thomam Aquin. evocantis, qui omnibus honoribus, & dignitatibus contemptis, totus in ornandam, & reſtaurandam iſtam Academiam incubit, & multa præclara in humanam, & divinam Philoſophiam Commentaria hortatu Pontificis Maximi reliquit. Reſpon. 2. Bononienſem Academiam a Theodoſio Imperatore fundatam eſſe, ſed eam poſtea nonnihil collapſam, a Carolo Mag. reſtauratam fuiſſe, tandem vero Pontificum, & Imperatorum munificentia ita excreviſſe, ut bonorum ſtudiorum Mater appelletur; Hinc juxta Gloſſam in Clement. de Magiſtris dicitur Bononia, quaſi ſuper omnia bona, vel bonorum notitia nimis amabilis. Maxime tamen Juriſprudentiæ ſtudium hic floret, unde Bartholus Doctor inde prodiit. Reſp. 3. Ferrarienſem juxta aliquos a Friderico Imper. in odium Bononienſium excitatam eſſe, juxta alios vero ab Alberto Ferrariæ Principe, quam Anno 1316. a Bonifacio VIII. confirmatam. Eſtenſes Principes mire exornarunt. R. 4. Florentinam excitatam eſſe a Coſmo Medices, & a nepote ejus Laurentio mire exornatam, potiſſimum in ea florent ſtudia humanarum litterarum. Unde & Paulus III. deſerta Romana Academia ad hanc migravit. Vehementer commendatur Bibliotheca a Laurentio Medices in uſum hujus Academiæ exſtructa. Reſp. 5. Mediolanenſem Academiam inter antiquiſſimas eſſe, de qua Alexander V. affirmabat, primum Theologiæ Profeſſorem Sanct. Barnabam fuiſſe, quam Sanct. Ambroſius, & Sanct. Auguſtinus egregie promoverunt, ibidem etiam Virgilius litteris operam dedit. Reſp. 6. Neapolim ſemper Muſarom ſedem habitam eſſe, utpote in qua præter cæteros Virgilius, Horatius, Claudianus, Petrarcha & alii ſtuduerint; Academiam tamen modernam Fridericus II. fundavit, & ut florentem redderet, prohibuit, ne quiſquam extra Regnum, ſtudiorum cauſa proficiſceretur. Eam poſtea Robertus, & Alphonſus Arragonum Rex inſtauraverunt, quam tamen poſtea graviſſima bella iterum interturbarunt, hodie maxime florere dicitur. Reſpond. 7. Papienſem a Carolo M. non diu poſt Pariſienſem erectam eſſe, in quam alterum eorum Monachorum, qui ax diſcipulio Vener. Bedæ prodeuntes e Britannia in Galliam venerant, & ſapientiam ſe venalem habere profitebantur, miſit, & primum Rectorem dedit. Maxime hic floret Theologia, unde Civitas non Ticinum, ut olim, ſed Papia dicitur, quaſi piorum virorum patria, ſive piæ, & veræ Religionis patria ſedes. Primus hic docuit Theologiam (ante Academiam erectam) Syrus Aquilejenſis eo tempore, quo S. Petrus eam Romæ docebat. Jurant in hac Doctores, quod velint idoneos promovere. Reſp. 8. Patavinam a Carolo M. Anno 791. conditam eſſe, vocatur hæc Academia a nonnullis totius Italiæ celeberrima, & quaſi Athenienſis Areopagus; Item Juriſperitorum corona, omnium litterarum Emporium. In hac duo ſunt Rectores, unus Univerſitatis, quæ Medicinam, & Philoſophiam complectitur; alter ejus, quæ cæteras facultates docet. Præterea hortus in civitate Patavio eſt exſtructus, infinitis herbis refertus, in gratiam ſtudioſorum Medicinæ. In Tribunali hæc verba leguntur. Excute manus ab omni munere, patienter partes audi; benigne reſponde, juſte judica. Reſp. 9. Peruſinam circa annum 1290. florere cœpiſſe, maxime Juriſprudentiæ laude. In hac Bartolus vitam finiit. Reſp. 10. Piſanam anno 1339. inſtitutam eſſe, in quam Roma ſtudium tranſtulit Alevinus, eamque cum Radana, Claudio &c. fundavit. Poſtea vero 150. annis deſerta jacuit, cum demum eam Laurentius Medices reſtauravit; Huic Academiæ Aldus Manutius 80000. librorum teſtamento legaſſe dicitur. Reſp. 11. Salernitanam nunc fere temporis injuria, & Aliarum Academiarum ſplendore obſcuratam eſſe; olim tamen Medicinæ ſtudiis celebrem fuiſſe. Unde ab Anglorum Rege conſulto pulchrum librum de conſervanda valetudine ſcripſit. Maxime autem in ea floruit Conſtantinus Afer, qui ſtudiorum gratia Babyloniam, Arabiam, Perſiam, Ægyptum, Æthyopiam penetrans, & 39. annis ibi vagatus, mirifice eorum Doctrinis excultus eſt, unde cum in Africam rediiſſet, Africani interimere cogitabant, quod ille advertens Salernum venit, & tandem relictis omnibus in Caſſinenſi Cœnobio Monachus effectus eſt. R. 12. Senenſem Academiam varias quidem in exordium vexationes pertuliſſe, ſed Anno demum 1387. a Civibus renovatam, & tandem a Pio 2. Pontifice admirabiliter exornatam eſſe. Florent in ea maxime Juriſprudentiæ, & Medicinæ ſtudia in ea Panormitanus docuit. R. 13. Venetam fere cum ipſa civitate ortam eſſe, in eaque præſtantiſſimos Viros floruiſſe, maxime humaniorum litterarum, nimirum Manutios Bembum, &c. R. 14. Mantuanam, Mutinenſem, Parmenſem, Bergamenſem, Taurinenſem, Montis Regalis, Maceratenſem, Anconitanam, Carnotenſem nihil ſpeciale habere, quod de iis commemoretur. Reſp. 15. In Sicilia præ cæteris celebrem omnium fuiſſe Academiam Syracuſanam, maxime Mathematica ſcientia, eo quod locus ille aptiſſimus fuerit Mathematicis obſervationibus, qua occaſione optime uſus fuit Archimedes, qui etiam inter balneandum Mathematicas figuras oleo in corpore ſuo deſcribebat, præter hanc etiam Meſſana, & Catinenſis reperiuntur.

XI. Problem. 11. Quid de Germaniæ Academiis notatu dignum occurit? Reſpond. 1. Colonienſem, cum ſemper antea celebre Coloniæ Gymnaſium fuiſſet, ab Urbano VI. Anno 1388. impetratam a Colonienſibus fuiſſe per 4. Monachos ad ipſum miſſos, & iiſdem, quibus Lutetia gaudet, privilegiis donatam. In hac Univerſitate Rector quater per annum eligitur ordine ex ſingulis facultatibus obſervato. Juris Canonici vel Civilis Doctores raro hic fiunt, niſi ætate, doctrina, uſu rerum præſtantiſſimi, un-

Digitized by Google

unde a vicinis omnibus plurimum iis tribuitur, & gravioribus de rebus a Regibus, Principibus, & Rebus publicis conſuluntur. Cum tanta vero ſolemnitate Doctoralis pileus rubens imponitur, ut totam urbem in admirationem rapiat, & vix alibi ſimilis cæremonia conſpiciatur. Cum equitatu exornatiſſimo inſtructoque clariſſimo comitatu, amicos, & convivas per urbem invitant, & ſplendido Theatro in Æde Metropolitana heroice promoventur, inde gratiis Deo actis, ſalutatiſque tribus Regibus ad epulum Doctorale honorificentiſſime procedunt. Doctiſſimi inde viri ſemper prodierunt, unde ſumme ſemper æſtimata eſt, & honorata a Pontificibus, Imperatoribus, Regibus & Principibus. Leo X. certe agri Dominici piiſſimam cultricem appellabat. Ingoſtadienſes publico ſcripto ſtudiorum Parentem vocarunt. Hoſius Cardinalis aperte fatetur, Coloniæ deberi, quod reliqua Germaniæ pars ad Rhenum a fide non defecerit, Privilegiis quoque extraordinariis donata eſt. Reſp. 2. Baſilienſem a Pio II. Anno 1459. inſtitutam, & variis privilegiis exornatam eſſe. Rector hic ſingulis annis eligitur, & viget depoſitio ſtudioſorum. Reſp. 3. Dilinganam ab Othone Truchſeſſio, Cardinali Auguſtano & Germaniæ Protectore erectam eſſe, potiſſimum eo fine, ut præter humaniores literas Theologia exacte traderetur. Reſpond. 4. Duacenſem a Philippo Rege Catholico priori ſæculo erectam, ne Belgica juventus litterarum cauſa ad exteros proficiſci cogeretur, hæreſeſque imbiberet. Reſp. 5. Erfordienſem in Thuringia circa Annum Domini 1391. fundatam, & a Bonifacio 9. & Pio 2. variis privilegiis ornatam eſſe. Reſp. 6. Francofurtenſem Anno 1506. per Joachimum, & Albertum Marchiones Brandeburgenſes fundatam eſſe, ℞. 7. Friburgenſem Briſgojæ ab Alberto Auſtriaco circa Annum Domini 1460. fundatam eſſe, & Anno 1472. ſub Friderico Imperatore non parum reſtauratam, & auctam eſſe. Reſp. 8. Gripſualdenſem in Pomerania ab Uratislao 9. Pomeraniæ Duce Anno 1456. inchoatam eſſe. Reſp. 9. Heidelbergenſem a Rudolpho 2. Anno Domini 1346. inſtitutam eſſe, & ab Urbano 6. inſtar Pariſiorum confirmatam. In hac tria, quæ Academiam maxime exornant, reperiri dicuntur, ſcilicet Doctrina excellens, ordo ſingularis, diligentia maxima. ℞. 10. Herbipolenſem primo a Joanne ab Egolſtein Epiſcopo Auctoritate Bonifacii IX. & Ruperti Regis Anno 1403. erectam, ſed cum Fundatore poſt 7. Annos mortuo ingens detrimentum accepiſſet, a Julio Epiſcopo anno 1585. iterum reſtauratam, ea magnificentia fuiſſe, ut fuerint, qui dicerent, ſe nec in Italia, nec in Germania, nec Gallia, nec Hiſpania ſplendidiora unius Principis litterarum, & Religionis monumenta vidiſſet. ℞. 11. Ingolſtadianam a Ludovico divite Henrici Avari Filio ex ingentibus a Patre relictis opibus fundatam eſſe; ſed ab Alberto Duce Catholico mire poſtea adauctam, & exornatam An. 1572. Reſp. 12. Lipſienſem anno Domini 1408. propter ſectam Huſitarum erectam eſſe; cum enim Teutones Pragenſem Academiam gubernaſſent, & Huſſitarum opera a Magiſtratu dejecti eſſent, commoti Magiſtri, ac Diſcipuli Teutonici generis, & jurejurando adacti, uno die ſupra duo millia ſecuti, apud Lipſiam Miſniæ Civitatem trium dierum itinere Praga diſtantem univerſale ſtudium erexerunt, quam in 4. Academias, & Nationes diviſerunt, Miſnicam, Saxonicam, Bavaricam, & Polonicam, quæ poſtea a Pio 2. & Alex. 5. confirmata, atque, cum nonnihil collapſa eſſet, a Gregorio Duce Saxoniæ reſtaurata. Reſpond. 13. Lovanienſem a Joanne Duce Brabantiæ Anno 1426. inchoatam, & a Martino 5. privilegiis confirmatam eſſe. De hac Joannes Gorophius Beccanus teſtatur, nullam reperiri facile Academiam, quæ cum Lovanienſi ſitus elegantia, jucunditateque comparari queat. Cui multum ſplendoris ab Adriano 17. Pontifice eſt additum per egregium Collegium ſub Adriani Nomine ab ipſo erectum. Reſp. 14. Marpurgenſem in Haſſia Anno 1526. erectam, & Anno 1535. a Philippo Principe inſtauratam eſſe. Mechlinienſem vero olim celeberrimam toto orbe Academiam fuiſſe, fide digni Auctores commemorant apud Mildendorpium l. 5. Acad. in qua aliquando 9. Regum Filii, Principum 24. Comitum 29. eodem anno ſtuduerint. Reſp. 15. Moguntinam a Diethero Iſemburgico Archiepiſcopo circa annum Domini 1482. inſtitutam eſſe, in qua tamen ſtudium Philoſophiæ, & Theologiæ tantum nunc floret. Reſp. 16. Pragenſem a Carolo 4. erectam eſſe anno 1360. quam ob Huſſitarum Hæreſim, & crudeliſſima bella, pene oppreſſam Ferdinandus I. & Maximilianus II. reſtituerunt. In hujus Academiæ auditorio Juridico legitur, quod Profeſſores, qui 20. annis continuis docent in aliqua famoſa Univerſitate, ipſo Jure efficiantur Duces, & Comites. Reſp. 17. Roſtochienſem in Ducatu Megapolitano ad Annum 1451. a Principibus Megapoleoſibus, & Civibus Roſtochienſibus miſſa in urbem legatione impetratam eſſe. Reſp. 18. Trevirenſem ab aliquibus antiquiſſimam credi Academiam, ſed ob mutationes temporum collapſam, ope S. Agritii ab Helena impetrati reſtauratam eſſe. Reſp. 19. Tubingenſem in Ducatu Wirtenbergenſi anno 1477. inceptam eſſe ab Eduardo 1. Wirtenbergenſi Duce, permiſſu Sixti 5. & Friderici Imper. Reſp. 20. Viennenſem Anno 1237. a Friderico 2. inſtitutam eſſe, & ab Urbano 17. confirmatam, privilegiiſque dotatam eſſe, ſed in hunc ordinem, & locum ab Alberto 2. deductam. Rector bis anno eligitur, quatuor ei ſcipiones præferuntur. Reſp. 21. Wittembergenſem a Joanne Friderico Duce Saxoniæ anno 1502. fundatam, a Friderico 2. Inchoatam, a Joanne conſervatam, a Mauritio Inſtauratam, ab Auguſto exornatam, amplificatam, & confirmatam eſſe. Reſp. 22. Cracovienſem Academiam a Caſimiro anno 1367. inchoatam, & 1400. inſtauratam eſſe, poſt-

quam

quam Regina Hedwigis Uladislai Uxor moriens ingentem pecuniam in hunc finem reliquit.

XII. Probl. 12. Quid de Galliæ Academiis notandum eſt? Reſp. 1. Pariſienſem a Carolo M. circa annum *791.* ex Alevini Præceptoris ſui, & venerabilis Bedæ Diſcipuli conſilio erectam credi; cum enim duo Monachi Scoti inter alios Mercatores in Galliam appulſi clamarent: Si quis eſt avidus ſapientiæ, veniat ad nos, & accipiat eam: & Rex ab iis ad ſe vocatis quæreret, quid peterent pro ea, reſponderunt ii, ſe tria petere, ſcilicet loca opportuna, animas ingenioſas, & illa, ſine quibus vita iſta tranſigi non poteſt, ſcilicet alimenta, & quibus tegamur. Rex talibus dictis permotus, alterum Ticinum miſit, & Academiam inchoare juſſit, alterum Pariſiis retinuit, eique Nobiles puros commendavit; quo audito Alevinus Auctor fuit Imperatori, ut Academiam erigeret. Ex hac tot Theologi prodierunt, ut Poſſevinus dicat, 400. annis vix alicujus nominis Theologum alibi extitiſſe. Tertiam Civitatis partem ſtudioſi occupant. Scholas Sorbonicas primus inſtituit Robertus Sorbonius Doctor Theologus. Reſp. 2. Andegavenſem a Ludovico XI. inſtitutam eſſe eodem fere tempore, quo Heidebergenſis erecta eſt. Avenonienſem vero olim, cum Pontifices ibi reſiderent, florentiſſimam fuiſſe. Aurelianenſem a Philippo pulchro anno 1312. excitatam, ſed ſuperioribus annis fere oppreſſam. Hic S. Ivo ſtuduit Juri Canonico. Reſp. 3. Biturgienſem a quodam Duce Biturgium erectam priori ſæculo adeo a clariſſimis viris excultam eſſe, teſte Munſtero, ut jam litterarum Decus, & Emporium doctiſſimorum virorum dici poſſit. Burdegalenſem vero Academiam per Excellentiam Aquitanicum Gymnaſium vocari, quod in nulla alia Aquitaniæ Academia omne artium genus publice tradatur. Dolanam in Burgundia veterem quidem eſſe, ſed florere cœpiſſe anno 1484. quamvis jam iterum ob perpetuos bellorum motus Muſæ perturbatæ ſint. Reſp. 4. Lugdunenſem præcipue circa annum 830. floruiſſe, etſi nunc fere intercidit Reſp. 5. Montiſpreſſulanam anno 1196. erectam, olim Juriſprudentiæ, nunc Medicinæ ſtudiis frequentiſſimam eſſe, quam Henricus Rex egregie promovit. In hac Rectoris tanta eſt Auctoritas, ut ſtudioſi quacumque etiam de cauſa egredientem comitari honoris gratia cogantur. Reſp. *6.* Pictavienſem alterum poſt Pariſienſem locum obtinere juxta Mynſterum, in ſua omnium artium ſtudia frequentiſſimis Auditoriis, & a ſapientiſſimis viris accurate tradantur, præſertim Juriſprudentia. Reſp. *7.* Toloſanam non ita diu poſt Pariſienſem fuiſſe erectam, in hac Juriſconſulti etiam feſtis diebus, præter Dominicos, & qui B. V. ac Apoſtolis diceti ſunt, Lectiones habent. Studioſi vero teſtimonia petentes, non tantum annorum, ſed etiam Menſium, & dierum rationem reddere coguntur. Tanta vero diligentia hi frequentaſſe ſcribuntur, ut quidam ſummo mane in ſcholam ventitarent, & Nobiles quidam ſuos miniſtros mitterent ad opportuna loca præoccupanda. Nec immerito, cum quidam ſtudium Juris totius orbis celeberrimum hic reperiri dicat apud Middendorpium. Reſp. 8. Rhemenſem, Caturcenſem, Maſſilienſem, licet olim floruerint, nunc tamen fere obſcuras eſſe.

XIII. Probl. 13. Quid de Hiſpaniæ Academiis obſervandum? Reſp. 1. Conimbricenſem a Rege Luſitaniæ Joanne 3. exſtructam eſſe, quam quidam & loci natura amœniſſimam, & omni litterarum genere clariſſimam Academiam vocant. Hic Navarras Jus Canonicum docuit. Reſp. 2. Complutenſem in Regno Caſtellæ, a Franciſco Ximene Archiepiſcopo Toletano exſtructam eſſe anno 1517. Eborenſem vero ab Henrico Cardinale Luſitaniæ fundatam, quam quidam putant cum celeberrimis Academiis certare poſſe. Gandianam a B. Borgia adhuc Duce Gandiæ erectam. Reſp. 3. Granatenſem, Hiſpalenſem, Ileridenſem, Majoricanam, Onnatenſem in Cantabria ab Abulenſi erectam, Oſcanam, a Sartorio ante Chriſti adventum excitatam, Oſſunenſem in Regno Granatenſi nihil habere peculiare, quod de iis memorent Auctores. Reſp. 4. Salmanticenſem Anno 1404. erectam, & optimis Pontificum, & Regum diplomatis ornatam eſſe; quam ſcholarum magnificentia omnibus Europæ Gymnaſiis præſtare affirmat Joannes Goropius. In hac qui 20. annis docuit, Illuſtris habetur, & per ſubſtitutum docere poteſt. Licentiatus hujus Academiæ præfertur Doctoribus aliarum Academiarum. Theologiæ Cathedras Benedictus XIII. Anno 1416. inſtituit. Ipſam vero Academiam Alphonſus VIII. Rex Caſtellæ erexit, Martinus V. Confirmavit. Redditus illius annui ſunt 30000. aureorum. Reſp. 5. Toletanam, & Valliſoletanam, & Palentinam non peculiariter celebrari ab Auctoribus, Valentinam vero Anno 1470. floruiſſe, & clariſſimos Profeſſores habuiſſe, quos audivit S. Dominicus.

XIV. Probl. 14. Quid de Angliæ Academiis notatu dignum eſt? Reſp. 1. In Anglia duas potiſſimum celebres eſſe Academias. 1. eſt Cantabrigienſis, quam aliqui a Sigeberto Anglorum Rege Anno 630. alii a Cantabro Hiſpanorum Rege Anno ante Chriſtum natum 375. erectam volunt, qui patria pulſus, in Britanniam immigrarit, & pro liberali hoſpitio gratiam relaturus Academiam illam fundarit; licet poſtea nonnihil collapſam Sigebertus iterum reſtaurarit. Hic Venerabilis Beda, Alcuinus, Thomas Morus, & alii floruerunt. Habe Collegia XI. Aulas 4. eaque omnia ædificiorum celebritate præſtantiſſima 2. eſt Oxonienſis, quam ipſi Oxionienſes contendunt omnibus orbis Academiis antiquiorem eſſe; ſed conſtans Hiſtoricorum celebrium ſententia eſt, teſte Middendorpio, eam Anno Domini 833. vel juxta alios *995.* ab Alphredo ſive Aloredo erectam eſſe. Numeratur inter præcipuas orbis Chriſtieni Anno Chriſti 1209. tria millia ſtudioſorum ibi fuerunt, qui una cum Profeſſoribus de repente abierunt, eo quod Rex tres ſtudioſos, quorum contubernalis mulierem aliquam interfecerat, in proprio hoſpitio comprehenſos, & plane inſontes, ſuſpendi mandaſſet. De hac, Hiſtoria Oxo-

Oxonienſis ſic loquitur; omnibus inter Latinos extantibus ſtudiis Univerſitas Oxonienſis fundatione prior, quadam ſcientiarum pluralitate generalior, in veritatis Catholicæ Profeſſione firmior, & privilegiorum multiplicitate præſtantior invenitur. *Reſp.* 2. In Scotia tres potiſſimum Academias reperiri, videlicet S. Andreæ, quæ Anno 1411. erecta, omnium celeberrima eſſe perhibetur; Aberdonenſem, quam Anno 1480. Guilielmum Elphinſtonium Aberdonenſem Epiſcopum ſub Jacobo III. inſtituiſſe affirmant; & Glaſcovienſem, quæ a Jurubullo Gloſquenſi Epiſcopo inſtituta, parum tamen dotata, & parum celebris exiſtit.

TITULUS CXXV.

RESURRECTIO.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

Luc. 20. v. 38. I. EST reditus a morte ad vitam, de quo dixit Chriſtus: Deus autem non eſt mortuorum, ſed vivorum; Omnes enim vivunt ei.

Diviſio.

II. Dividitur in Reſurrectionem *corporalem*, quæ conſiſtit in reunione animæ ſeparatæ cum corpore; quo modo Chriſtus, & Lazarus reſurrexerunt. Et *ſpiritualem*, quæ conſiſtit in recuperatione gratiæ divinæ amiſſæ, de qua Apoſtolus locutus eſt, dicens: Exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo. (Rom. 6. v. 11.)

Circumſtantiæ.

Matt. 24. v. 31. III. *Miſſio Angelorum* cum tuba, & voce magna, qui congregabunt electos ejus a quatuor ventis, & dicent: Surgite mortui, venite ad judicium.

IV. Locus, ubi reſurgent, incertus eſt, & ab admirabili Dei providentia dependens; alii enim in valle Joſaphat, ubi judicandi ſunt, futuram putant; alii conformius putant Scripturæ, ſi dicantur mortui ex ſepulchris ſuis reſurrecturi, cum S. Joannes dicat: omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei, & procedent, qui bona egerunt, in reſurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in reſurrectionem judicii. (Jo. 4. v. 28.)

Marchant. in Horto Paſt. tr. 4. lect. 11. V. Tempus quoque incertum eſt; nam alii hora matutina ad imitationem Reſurrectionis Chriſti; alii intempeſta nocte, juxta illud Chriſti: Media nocte clamor factus eſt: alii alio tempore futuram divinant potius, quam affirmant, ut videre eſt apud Marchantium.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Veritas.

Job 19. v. 25. I. SCio, quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum.

II. Vivent mortui tui, interfecti mei reſurgent. Expergiſcimini, & laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus. Iſ. 26. v. 20.

III. Tu quidem ſceleſtiſſime, in præſenti vita nos perdis, ſed Rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus, in æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit. 2. Mac. 7. v. 9.

IV. Nolumus autem vos ignorare, Fratres, de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent. Si enim credimus, quod Jeſus mortuus eſt, & reſurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt per Jeſum, adducet cum eo. 1. Theſſ. 4. v. 13.

V. Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de veſtris ſepulchris, & inducam vos in terram Iſrael. Ezech. 37. v. 12.

VI. Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat, ſic & Filius, quos vult, vivificat. Jo. 5. v. 21.

VII. Hæc eſt voluntas ejus, qui miſit me, Patris, ut omne quod dedit, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem in noviſſimo die. Jo. 6. v. 39.

VIII. Chriſtus reſurrexit a mortis primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum; & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur. 1. Cor. 15. v. 20.

IX. Multi de his, quis dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant ſemper (id eſt, ſupplicia æterna experiantur.) Daniel 12. v. 28.

X. Ecce myſterium dico vobis. Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in noviſſima tuba: canet enim tuba, & mortui ſurgent incorrupti (id eſt, immortales.) v. 51. 1. Cor. 15.

XI. Niſi eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanum, pro mortuis orare. 2. Mach. 12. v. 44.

XII. Sed dicet quis: quomodo reſurgent mortui? quali autem corpore venient? inſipiens, tu, quod ſeminas, non vivificatur niſi prius moriatur. 1. Cor. 15. v. 35.

XIII. Expectamus Salvatorem Dominum noſtrum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Phil. 3. v. 20.

XIV. Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat, ut requieſcam in die tribulationis, ut aſcendam ad populum accinctum noſtrum. Abac. 3. v. 16.

XV. Oſſa arida audite verbum Domini: Ecce ego intromittam Spiritum in vos, & vivetis. Ezech. 37. v. 7.

XVI. Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria: ſeminatur in infirmite, ſurget in virtute: ſeminatur corpus animale, ſurget, corpus ſpirituale. 1. Cor. 15. v. 42.

Reſurrectio ſpiritualis.

XVII. Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni. Apoc. 7. v. 14.

XVIII. Quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Rom. 6. v. 4.

XIX. Beatus & ſanctus, qui habet partem in Apoc. 20. v. 6.

in reſurrectione prima, in his ſecunda mors non habet poteſtatem.

§. III. EX SS. PATRIBUS.

Veritas.

S. Greg. in moral. I. REdemptor noſter ſuſcepit mortem, ne mori timeremus: oſtendit reſurrectionem, ut nos poſſe reſurgere confidamus.

S. Maxim. in ſ. de Paſch. II. Eſt in Chriſto homine uniuſcujuſque noſtrum caro, ſanguis, & portio: ubi ergo portio mea regnat, regnare me credo: ubi dominatur ſanguis meus, dominari me ſentio: ubi glorificatur caro mea, glorioſum me eſſe cognoſco.

Damaſc. lib. 4. III. Si reſurrectio non eſt, nec Deus eſt, nec providentia eſt, tunc caſu omnia feruntur & aguntur, videmus enim plurimos juſtos exurientes, & injuriam patientes, peccatores autem & injuſtos in divitiis & in omni voluptate abundantes, ſed quis uſquam hoc Judicis juſti, vel ſapientis providentiæ opus, bene ſentiens ſuſpicabitur. Erit ergo reſurrectio, juſtus enim Deus eſt, & iis qui confidunt in eum mercedis retributor.

Gregor. 14. Mor. IV. Multi cum Chriſto reſurrexerunt, ut de reſurrectione noſtra non dubitaremus.

Gregor. in Moral. V. Conſideremus parvum cujuslibet arboris ſemen quod in terra jacitur, ut arbor ex illo producatur, & comprehendamus ſi poſſumus, ubi in illa tanta parvitate ſeminis tam immenſa arbor latuit, quæ ex illo proceſſit; ubi lignum, ubi cortex, ubi viriditas foliorum? numquid non in ſemine tale aliquid videbatur, cum in terra jaceretur? quid ergo mirum ſi tenuiſſimum pulverem a noſtris oculis in elementa redactum, cum vult Deus in hominem reformat, qui ex tenuiſſimis ſeminibus immenſa arbuſta redintegrat.

Qualitas.

S. Aug. in Enchir. VI. Reſurgent corpora Sanctorum ſine ullo vitio, ſine ulla labe, ſine ulla corruptione, ſine dificultate, in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit.

Caſſiod. in Pſalm. VII. Reſurget Juſtus, ut judicet: peccator, ut judicetur: impius, ut ſine judicio puniatur.

Utilitas.

S. Chryſ. in Mor. VIII. In omni re, aut actu, virtus agendi ſpes eſt futuri; qui enim arat, arat, ut metat, qui pugnat, pugnat, ut vincat. Tolle ergo ſpem reſurrectionis, & reſoluta eſt obſervantia omnis pietatis.

S. Hilar. in pſalm. 2. IX. Confringi nos tanquam vas figuli nunc gaudeamus, ut per hunc novæ nativitatis profectum, in beatam illam, ac Deo placentem iteratæ reparationis noſtræ ſpeciem reformemur.

§. IV. EXEMPLA.

Veritas.

S. Aug. in ſer. de Paſch. I. DE Chriſti reſurrectione ſic loquitur S. Auguſtinus. Ecce ſurrexit ab antro ſepulchri rediviva caro Phœnicis, quum cinnamomum decoxerat pietatis: granum frumenti, quod ſolum in terra mortificatum eſt in paſſione, multum fructum attulit in reſurrectione; ſolus enim mortuus eſt, ſed ſolus minime reſurrexit, quorum enim ſepulchra in ejus paſſione ſunt patefacta, horum corpora, Chriſto reſurgente, ſunt de pulvere ſuſcitata: & ſicut cum Domino ſurrexerunt, ita cum eo aſcendente etiam ipſi aſcendiſſe creduntur.

Surius in vita. II. Cum S. Stanislaus Poloniæ Epiſcopus Petrum quemdam, ad teſtimonium de agro a ſe vendito coram Rege perhibendum, reſuſcitaſſet, illique longiorem vitam impetrare vellet, reſpondit ille, ſe malle in purgatorio ad modicum adhuc tempus degere, quam ad vitam tot periculis, & moleſtiis refertam redire.

Surius in vita S. Brun. III. Famoſus ille Doctor Pariſienſis ter e feretro ſurrexit, dixitque: Juſto Dei judicio accuſatus, judicatus, & condemnatus ſum, quæ cauſa fuit S. Brunoni, & aliis, ut in ſolitudinem ſecederent.

Marcha. in horto Paſt. tr. 4. lect. 13. prop. 2. IV. S. Germanus Epiſcopus, cum ſepulchrum S. Caſſiani Martyris adiiſſet, & quaſi viventem allocutus dixiſſet: Quomodo tibi eſt, Frater? quomodo tecum agitur? audivit reſpondentem in hæc verba: Quantum ad animam, æterna felicitate fruor: quantum vero ad corpus, quieſcit hoc uſque ad generalem reſurrectionem. Quo audito S. Germanus, quieſce ergo, inquit, o Frater, ad id tempus, & roga Dominum, ut reſurgentes ad ſonum tubæ, tecum poſſimus æterna beatitudine frui.

Ib. prop. lect. 4. V. Eutychius Patriarcha Conſtantinopolitanus, cum librum contra reſurrectionem ſcripſiſſet, a Gregorio legato ita convictus eſt, ut Imperator Tyberius ejus librum in ignem projiceret, & Eutychius ipſe doctrinam ſuam retractaret, & inſtante morte pellem manus ſuæ tenens diceret: Confiteor, quia in hac carne omnes reſurgemus.

Ib. prop. 1. VI. S. Cæciliæ corpus a Clement. VIII. poſt nongentos, & amplius annos integrum repertum eſt.

Ib. prop. VII. Cum S. Stanislai Epiſcopi corpus in ſeptnaginta duas partes diſſectum, & avibus projectum fuiſſet, ab Aquilis cuſtoditas partes autem Clerici collegiſſent, ita eæ in unum corpus coaluerunt, ac ſi numquam divulſæ fuiſſent. Cumque unus adhuc digitus deeſſet, cum quoque lucerna cæleſtis in vicinam piſcinam conjectum, & a piſce devoratum, demonſtravit, quem exenterantes, digitum exemerunt, ſuoque loco reſtituerunt.

Lipelou 29. Mart. VIII. Jonas Perſa, cum magorum Principes ei manuum, & pedum digitos præcidi, & ante oculos jactari feciſſent, dicentes: Ecce nunc digitos tuos in terra ſeminavimus, expecta inde, ut meſſis tempore multos digitos recipias; reſpondit: Ego multitudine digitorum non egeo, ſed Deus, qui me formavit, ille tempore judicii corpus hoc reformabit.

IX. Quidam Presbyter Sadduceæ malignitatis veneno infectus negans corporum reſurrectionem

Gregor. Turon. li. 10. hiſt. Francor. cap. 13. nem poſt longam, cum B. Gregorio Turonenſi diſputationem tandem convictus, veram de ea re credenda fidem amplexus eſt.

Hieron. in vita Paulæ viduæ Ro. in Ep. 21. apud Sur. 27. Jann. Pag. 133. X. Quomodo verſutum quendam hæreticum de reſurrectione errantem confutavit Divus Hieronymus ex ſequentibus patet. Quidam veterator callidus atque ut ſibi videbatur, doctus, me neſciente, cœpit Paulæ viduæ proponere quæſtiones & dicere: In qua ætate reſurrecturi ſumus? Si in ipſa qua morimur, ergo nutricibus poſt mortem opus erit; ſin aliter nequaquam erit reſurrectio mortuorum, ſed transformatio in alios. Diverſitas quoque ſexus maris ac fœminæ erit, aut non erit: ſi erit ſequentur & nuptiæ & concubitus, ſic & generatio, ſi non erit ſublata diverſitate ſexus, eadem corpora non reſurgent; Aggravat enim terrena inhabitatio ſenſum multa agitantem, ſed futura erunt & ſpiritualia dicente Apoſtolo. Seminatur corpus animale, & reſurget corpus ſpirituale: Ex quibus omnibus probare cupiebat rationales creaturas ob quædam vitia & antiqua peccata in corpora eſſe delapſas, & pro diverſitate & meritis peccatorum, tali vel tali conditione generari, ut vel corporum ſanitate gauderent, & parentum divitiis ac nobilitate, vel in morbidas carnes & domus inopum venientes pœnas priſtinorum luerent peccatorum, & præſenti ſæculo atque corporibus, quaſi carcere clauderentur. Quod cum audiſſet & ad me retuliſſet indicans hominem, mihique incubuiſſet neceſſitas nequiſſimæ viperæ, ac mortiferæ beſtiæ reſiſtendi, conveni hominem, & orationes ejus quam recipere nitebatur, brevi interrogatione concluſi dicens. Utrum crederet futuram reſurrectionem mortuorum; an non? Qui cum ſe credere reſpondiſſet, intuli: Eadem reſurgent corpora, an altera? Cum dixiſſet eadem, ſciſcitatus ſum, in eodem ſexu an in altero? Ad interrogata reticenti, & colubri huc atque illuc transferenti caput ne feriretur; Quia, inquam, taces, ego mihi pro te reſpondebo & conſequentiam inferam; Si non reſurget mulier, ut mulier, neque maſculus ut maſculus, non erit reſurrectio mortuorum, quia ſexus membra habet, membra autem totum corpus efficiunt. Si autem ſexus & membra non fuerint, ubi erit reſurrectio corporum, quæ ſine ſexu non conſtat & membris? Porro ſi corporum non fuerit reſurrectio, nequaquam erit reſurrectio mortuorum; ſed & illud quod de nuptiis objicis, ſi eadem membra fuerint, ſequi nuptias, a Salvatore diſſolvitur, dicente: Erratis, neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſimiles angelorum: ubi dicitur, non nubent neque nubentur, ſexuum diverſitas monſtratur.

Utilitas reſurrectionis cogitatæ.

Job. 19. v. 27. XI. S. Job in mediis afflictionibus ſpe futuræ reſurrectionis ſolabatur ſe dicens: Scio, quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra reſurrecturus ſum &c. repoſita hæc eſt ſpes mea in ſinu meo.

Surius in vita. XII. S. Jacobus interciſus, cum ambarum manuum ac pedum digiti ei abſcinderentur, ad ſingula tormenta benedicebat Deum gratias agens, quod eum amputarent quaſi vineam, ut poſtea repullularet, ac reffloreret, & fructum uberiorem ac ſuaviorem faceret.

XIII. S. Nicaſius Rhemorum Epiſcopus, cum in templo a carnifice feriretur, verſum illum: *Adhæſit pavimento anima mea* recitare cœpit, caputque a reliquo corpore ſeparatum, ſpeciali miraculo reliqua verba: *Vivifica me ſecundum verbum tuum*: abſolvit. *Marchi. tr. 4. lect. 13. Prop. 1.*

XIV. Cum Antiochus Rex ſeptem Fratres Machabæos crudeliter necari juſſiſſet, & primo cutis capitis cum capillis abſtraheretur, dixit ad illum: Tu quidem, ſceleſtiſſime, in præſenti vita nos perdis, ſed Rex Mundi defunctos pro legibus ſuis in æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit: Sed tertius linguam poſtulatus, & manus, cito protulit, & cum fiducia dixit: E cælo iſta poſſideo, ſed propter Dei leges nunc hæc ipſa deſpicio, quoniam ab ipſo me ea recepturum ſpero. Quartus vero dicebat: Potius eſt ab hominibus morti datos ſpem expectare a Deo, iterum ab eo reſuſcitandos, tibi enim ad vitam reſurrectio non erit. *2 Mac. 7. v. 9. & 11.*

§. V. SIMILITUDINES.

Veritas.

I. SIcut is qui videt granum, quod corrumpitur, & diſſolvitur, non dubitat de ejus reſurrectione; ſic cogita, & in corpore tuo: cum vides corruptionem, tunc de reſurrectione philoſophare. *S. Chryſ. hom. de reſurrect.*

II. Sicut de nocte dormiſti, poſtea evigilaſti: ſic noſtra corpora recordare dormitura per mortem, & poſtea reddenda vitæ a Chriſto, cum apparebit Judex vivorum, & mortuorum. *Lud. Vives c. 2 in introdu. ad Sap.*

III. Sicut artifex ſtatuam a ſe factam, ubi viderit mutilatam, iterum conflat, ac diſſolvit ac reparat; ita Deus humana corpora per mortem diſtructa denuo reformat, priſtinæque formæ reſtituit. *S. Epiph. cap. 3. l. 2. f. 229.*

§. VII. ASCETITA.

I. TRia ſunt præcipua, quæ de Reſurrectione advertere debet Aſceta. Primum eſt, ut poſſibilitatem illius bene apprehendat, qua in re S. Auguſtinus lucem præfert, dicens: Tota hujus mundi adminiſtratio teſtimonium eſt reſurrectionis futuræ. Videmus hyemis tempore arbores ſpoliari pomis, foliis ſed & verno tempore ſpeciem reſurrectionis exprimere, quæ quidem primo incipiunt ſurgere in gemmis, ornari floribus, veſtiri foliis, poſtmodum pomis gravari. Interrogo te, infidelis homo, qui de reſurrectione dubitas, ubi ſunt iſta, quæ tempore iſto, quo Deus diſpoſuit, producuntur, dic mihi, ubi latitant, antequam producantur? quæ nuſquam quidem videntur, ſed tamen Deus, qui omnipotens eſt, ſecreta ſua virtute producit. Sic, & herba quæ ante vixit, & moritur rurſus revireſcit, ex ſemine. Ita, & noſtrum corpus reviviſcet ex pulvere. *S. Aug. ſ. 96. de verb. Apo.*

II. Alterum eſt, ut neceſſitatem, aut potius æqui- *Arb. en. reſu. ...*

Digitized by Google

æquitatem reſurrectionis bene apprehendat, quam quidem clare Athanagoras indicavit, dum dixit: Niſi præmia manerent vitæ ſequentis, providentia, juſtitiaque divina traheretur in dubium; quin etiam ipſis brutis miſerabilior foret homo, qui religionis, & juſtitiæ gratia ſe corporeis privat oblectamentis, & incommoda ſubit innumera. Itaque virtus, religio, leges deliramenta forent ac detrimenta.

Athan. de reſurrect.

III. Tertium eſt, ut hujus reſurrectionis ſpe ſe ad perfectionem ſemper majorem excitet, & ſicut Appelles omnes ſuas picturas cum magna diligentia ac perfectione abſolvit, quia æternitati ſe pingere dixit, ita, & ipſe omnia opera ſua cum ſumma perfectione peragere ſtudeat, eo quod æternam pro illis mercedem, laudem, ac gloriam ſe recepturum ſperet.

§. VII. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occaſione thematis: *Surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni*; oſtendi poteſt, quomodo quivis Chriſtianus cum Chriſto ſpiritualiter reſurgere debeat, nempe 1. Ut reſurgat *vere*, id eſt, cum vera contritione, confeſſione, & ſatisfactione; alioqui enim ex defectu unius ex iſtis partibus, ficta duntaxat erit reſurrectio, ut Samuelis a Pythoniſſa ſuſcitati; diceturque tali, quod Epiſcopo Sardicenſi dictum eſt: Nomen habes, quod vivas, & mortuus es. 2. Ut reſurgat *integre*: nam, ut S. Bonaventura recte advertit, Chriſtus neque manum, neque pedem reliquit in ſepulchro; ſic tu a peccatis reſurgas totus, qui enim adhuc manus operum, vel pedes affectuum mortuos habet vel qui converſus injuſta bona, vel odium, vel aliud vitium non relinquit, nondum reſurrexit. 3. Ut *firmiter* reſurgat: exemplo Servatoris, qui reſurgens a mortuis jam non moritur; ſic ergo & tu, inquit D. Bonaventura; perſeveranter reſurgas in converſione, ut de cætero non moriaris in tranſgreſſione, ſed dicas cum Davide: Non moriar, ſed vivam. Quæ tota materia fuſius tractata videri poteſt a Matthia Fabro concil. 5. in Dom. Reſurr. & ab Henrico Engelgr. in Cœlo Empyreo in eodem Feſto §. 3.

Apoc. 3. v. 1. — *Pſ. 117.*

II. Ex occaſione thematis: *Surge qui dormis, & exurge a mortuis*: poteſt Auditor excitari, ut duplicis gratiæ, quam per reſurrectionem ſuam Chriſtus nobis procuravit, participem faciat, ſcilicet reſurrectionis e ſepulchro peccatorum; & reſurrectionis a corpore ignaviæ ſpiritualis, de quibus ſic loquitur Guarricus: Duplicem gratiam reſurrectionis ſimplex Chriſti reſurrectio præparavit, dum & quotidie reviviſcunt a morte peccati per operationem myſterii, & hodie maxime reſurgunt a ſomno corporis per devotionem gaudii: quis enim ille tam piger, ac tepidus, qui hodie audiens vocem illam omni gaudio plenam: *Reſurrexit Dominus:* non totus in exultatione ſuſcitetur, non totus reviviſcat, & recaleſcat ſpiritu. Utraque ergo hæc reſurrectio, quomodo practice fieri debeat, paulo fuſius explicetur, & claudatur denique concio ejuſdem Auctoris verbis: O anima mea, ego dormivi, & exurrexi, ait Chriſtus: Surge & tu, quæ dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus. An non, Fratres, mortuo ſimilis, qui adhuc ſtertit orto jam Sole, qui adhuc negligentia, & ſocordia premitur, quaſi deſperato ſepultus torpore, jam ubique gratia reſurrectionis rutilante. Vide hæc ipſa fuſius apud Engelgr. in Cælo Empyreo in Feſto reſurr. §. 2.

Epheſ. 5. v. 14. — *S. 1. de reſurr.*

III. Ex occaſione thematis: *Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea*: poteſt explicari, quare in hac die exultandum ſit, nempe. 1. Quia eſt dies *admirabilis*, cum mors ſuperetur, vita reparetur, aditus æternitatis reſeretur. 2. Quia eſt dies *amabilis* propter gloriam Chriſti, in cujus faciem glorioſam deſiderant Angeli, & Sancti proſpicere. 3. Quia eſt dies *deſiderabilis*, a cælis, ut repareotur ruinæ, a terris, ut illuminentur homines ſedentes in tenebris: a mortuis, ut reſurgant, & novam vitam participent. In altera parte concionis oſtendatur, quam vere hæc dies etiam reſpectu cujuſque hominis ſpiritualiter reſurgentis ſit *admirabilis* propter juſtificationem, quæ, teſte S. Thoma, majus eſt opus, quam creatio cæli, & terræ, & quam donum gloriæ beatificantis: *amabilis* propter gaudium, & fructus, qui ex hac juſtificatione oriuntur: *deſiderabilis* denique ob deſiderium, quo Deus, Angeli, Sancti, Juſti in terris, & ii maxime, quibus cura noſtræ ſalutis commiſſa eſt, juſtificationem noſtram, & ſpiritualem reſurrectionem deſiderant. Qua de materia fuſius agens Henricus Engelgrv. in cit. concil. videri poteſt.

Pſ. 117. v. 27.

IV. Ex occaſione thematis: *Scio quod Redemptor meus vivit; & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum*: poteſt explicari gaudium, & ſolatium, quod quiſque ex Reſurrectione Chriſti, & ſua percipere deberet. Et 1. quidem ex reſurrectione Chriſti, quia caput ipſius eſt, atque adeo ob illius gaudium, & gloriam ei congaudere oportet; & ſperare, quod cum ille nunc cælos penetrarit, etiam nos velut membra, ſi ei per gratiam adhæreamus, in illos ingreſſuri ſimus. 2. Ex reſurrectione noſtra, quæ omnem lacrymam abſterget, & omnia, quæ hic propter Deum dimiſimus, meliora reſtituet, ea vero, quæ hic paſſi ſumus, copioſe remunerabitur, dum, ſicut ſocii paſſionum Chriſti fuimus, ita & gloriæ ſocii futuri ſumus. Merito ergo hæc ſpes nobis perinde, ut S. Job in ſinu repoſita, & pro ſolatio in adverſis caſibus eſſe debet.

Job 19. v. 25.

§. VIII. MISCELLANEA.

Veritas.

I. ETiam Ethnicos cognoviſſe reſurrectionem, teſtantur verba illa Platonis: Et certe; o Cebes, maxime omnium ita, ut mihi videtur, ex mortuis reviviſcentes homines fiunt, mortuorum ſuperſunt animæ, atque bonis melius eſt, malis pejus.

Plato in Phæd.

II. Sed & Seneca, Deſinunt, inquit, iſta, non pereunt, & etiam mors, quam pertimeſcimus, & recuſamus, intermittit vitam, non eri-

Sen. ep. 36.

eripit. Veniet iterum, qui nos in luce reponet, dies, Æquo animo debet rediturus exire, obſerva orbem rerum in ſe remeantium. Æſtas abiit, ſed alter illam annus adducit: hyems occidit, referent illam ſui menſes: Solem nox obruit, ſed ipſam ſtatim dies abigit.

Surius 27. Jul.

III. Narrat Nicephorus ſeptem Fratres a tempore Decii Imperatoris uſque ad tempus Theodoſii Junioris, annis ſcilicet ducentis in quadam caverna, ſine corruptione ſui, aut veſtium dormiſſe ad certificandam veritatem reſurrectionis.

Gen. 4. v. 12.

IV. Sicut olim Joſephus Patriarcha dixit Pincernæ Pharaonis: Tres propagines, tres adhuc dies ſunt, poſt quos recordabitur Pharao miniſterii tui, & reſtituet te in gradum priſtinum, dabiſque ei calicem juxta officium tuum. Ita & juſtis olim continget, poſt tres enim dies recordabitur Deus miniſterii, & ſervitii noſtri, & in regiam cæleſtem aſſumet. Eſt autem prima dies paſſionis in hac vita, altera dies eſt dies mortis, & tertia reſurrectionis univerſalis, de quibus Oſeas locutus eſt: dicens: Vivificabis nos poſt duos dies, in tertia die ſuſcitabis nos.

Oſea 6. v. 3.

Minut. Felix apud Fab. in auctar. them. 3. in Dom. Reſurr.

V. Pulchre Minutius Felix reſurrectionis poſſibilitatem ſequentibus verbis perſuadet: Vide, quam in ſolatium noſtrum reſurrectionem futuram omnis natura meditetur. Sol demergitur, & naſcitur: aſtra labuntur, & redeunt: flores occidunt, & reviviſcunt: poſt ſenium arbuſta frondeſcunt: ſemina non niſi corrupta revireſcunt. Ita corpus in ſæculo, ut arbores tempore hyberno occultant viriditatem ariditate mentita. Quid feſtinas, ut cruda adhuc hyems revireſcat, & redeat? exſpectandum etiam corporis ver eſt.

Gregor. Niſ. l. de creat. ho. c. 38.

VI. Hydrargyrum ſive argentum vivum, licet in minutiſſimas partes dividatur, mox tamen in priſtinam formam confluit; & coaleſcit, ſi manu aſſocietur, & conjungatur; quanto magis Deus partes corporis diſſociatas, & dilaceratas conjungere poterit.

B. Albert. Magn. de ani. l. 24.

VII. Alphora primum vermis eſt, poſt in piſcem tranſit, rurſum tabe conſumptus extra aquam, ut omnis caro ab oſſibus defluat, ſi in aquam remittatur iterum carne veſtitur, ut prius, & quaſi renaſcitur, ſitque longe vivacior, quam ſi corruptus non fuiſſet.

Faber in Auctar. th. 3. in Fer. 2. Paſch.

VIII. Cum parentes quidam cum Filio ad S. Jacobum Compoſtellanum peregrinarentur, & in via Filius a Filia Hoſpitis ad ſtuprum fruſtra pellectus, & ideo Calice occulte in cucullum impoſito, furti apud Judicem falſo accuſatus, & ſuſpenſus fuiſſet, Mater Compoſtella rediens, & Filium in patibulo pendentem ſemel adhuc videre cupiens, vivum eſſe audivit, Judicique id nunciare juſſa eſt, qui cum in convivio exiſtens Gallum & Gallinam forte appoſitam haberet, mulieri dixit: Falleris, o mulier, Filius tuus vivit, ſicut hæ aves. Quo dicto mox Gallus & Gallina vivi ſurrexerunt, & in menſa ambularunt, & in locum templo vicinum deportati Septennio vixerunt, & pullum ac pullam ſimilis, id eſt candidiſſimi coloris reliquerunt, ſicque ſingulis Septenniis idem fit a ſobole. Quodque mirum, licet peregrini illac tranſeuntes pennas ab illis auferant, numquam tamen pennæ illis deficiunt.

§. IX. AUCTORES.

I. Jacobus Marchantius in Horto Paſtorum tr. 4. lect. 13. 14. & 15.

II. Henricus Engelgrav. in cælo Empyr. in Feſto Reſurrect. & in Luce Evang. p. 2. embl. 21. & p. 2. embl. 22.

III. Matthias Faber in Auctario them. 2. & 3. Dom. Paſch. & them. 3. in Fer. 2. Paſch. Item in opere tripart. conc. 3. & 4. in feſt. Reſurrect.

IV. Antonius Dauroltius in Cathec. Hiſtorial. cap. 1. art. 1.

V. Joſephus Langius in Polyanth. V. eod.

VI. Laurentius Beyrlinck text. 10. in Fer. 1. Paſch.

FINIS TOMI QUINTI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google